BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 F
2

~~H. 14.~~

F. VI. 26

14-23.h.15

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

IN TRES LIBROS ARISTOTELIS De Anima

LVCIDISSIMA EXPOSITIO.

Multiplici Annotationum varietate amplificata.

Nunc primum in lucem edita:

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino

D. PETRO ALDOBRANDINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

CVM PRIVILEGIIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOT. COLLEGIO SS. BLASI & CAROLI DE LABE
P A

VENETIIS,

Apud Io. Antonium, & Iacobum de Franciscis.

M DCII.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS IN TRES LIBROS ARISTOTELIS De Anima LVCIDISSIMA EXPOSITIO.

Multiplici Annotationum variatione amplificata.

Nunc primum in lucem edita.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino

D. PETRO ALDOBRANDINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS.

Apud Io. Antonium, & Iacobum de Francisci.

M DCII.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D. PETRO ALDOBRANDINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS BENE AGERE.

ELEVARI in hoc mortalium Theatro ad ſublimia, in eoque præſtare cæteris, vt negocium eſt præclarum, & inſigne, (ſola enim excellentia admirationem parit) ita eſt rarum, & apprimè arduum; propterea, niſi cuncta conſpirent, niſi diuina, & humana ferant opem, id aſſequi non valemus. Quinque præſertim ea ſunt, quæ mortalium Animos, ex humo tollere, ad ſublimiaque eleuare ſunt apta, nimirum, Numen Diuinum, Natura, Fortuna, Ratio, & Aßuetudo; quæ omnia, pro te eleuando, & illuſtrando, adeo conſpirarunt, vt lis ſub Iudice pendeat, quodnam collocatorum ſub Deo principatum obtinuerit, quod niterer profectò verbis pateſacere, niſi præclaræ tuæ actiones, feliceſque euentus id luce clarius manifeſtarent; Hinc Populi omnes ſupero illuſtrati Lumine, id conſpicuè noſcunt, & in te vt in proximum Numen aciem Animi conuertunt, nec quidem iniuria, tu enim perinde ac Sol tuo ſplendore obſcuros Animos illuſtras, tua autem facultate, & virtute, proſtratos eleuas, impotentes foues, mandata Vicarij Chriſti tanquam humanus Angelus feliciſſimè exples, Europæ Principes ſaluberrima Pace concilias, Imperium Eccleſiæ nouis vrbibus amplificas, adeò, vt teneantur rectè affecti Animi, te colere, & venerari, fructuſque ex eis prodeuntes, tanquam tuos noſcere, tibique dicare, & appendere; Iure itaque ego, facultate quidem paruus, vt familiæ cognomen indicat, deſiderio tamen tibi inſeruiendi flagrantiſsimus, hos Librorum Ariſtotelis de Anima Commentarios, tuo ſplendidiſſimo nomine illuſtrare ſum auſus, idque præſertim efficere debui, quia dum pro Pace per vniuerſam Europam propaganda, per Senarum Vrbem Patriam meam, tuæ Amplitudini deditiſsimam, pertranſires, egoque officio meo fungens, humillimè te ſalutarem, & humaniſsimè à te exciperer, id me facturum fui pollicitus; Ecce itaque modo pollicitis fidem facio, & eandem conſtanter ſeruo, hilarique Animo, hos librorum de Anima Commentarios, ſua ſponte ad te properantes, tibi trado, & commendo,

Digitized by Google

qui nisi ob aliud, saltem ob rem, de qua est sermo, tuæ conditioni aptissimè congruunt: vt enim in vniuerso Orbe sine Animo nil alitur, nil spirat, nil sentit, nilque ex se excitatur ad motum, sed cuncta vili ocio torpent, ac in puluerem dissoluuntur, ita in vniuerso Philosophiæ inspectricis ambitu, seorsum à cognitione Animi, Scientiæ omnes inanes penitus, nullíusque precij iudicari merentur; Insuper, vt recta Animi cognitio est Semen, & Radix rectæ institutionis Humani generis, ita peruersa, peruersæ, quomodo enim ad superna Animum suum tollere, cæterosque rectè ducere, & dirigere illi sunt apti, qui Epicureorum more, putant Animum vna cum Corpore solui, & aboleri? Propterea, sententiam tuo ore sæpè prolatam, summoque iudicio approbatam, saluberrimam iudico, nimirum ex Academijs Philosophorum eos longe esse arcendos, qui tanquam Terræ filij, cunctis ingenij neruis, Animos hominum interitui esse obnoxios nituntur ostendere, falso affirmantes, Aristotelem eius fuisse sententiæ, simulq; peruertentes singula verba eius, ad rem hanc pertinentia, vt latius in libris de Humana Mente nixus sum patefacere; Cum enim tria sint Humanæ Philosophiæ splendidiora Lumina, Pythagoras, Plato, et Aristoteles, ea de quibus hi consentiunt, firmissima iudicantur, & ob id si vnanimes affirmant humanam Mentem ab interitu esse immunem, nemo auderet hoc in dubium reuocare, de Pythagora, et Platone nemo ambigit id putasse, cum frequenter, & lucidè eam veritatem protulerint, de Aristotele quoque ambigendum non esset, si sano iudicio eius scripta legerentur, nam quamuis Philosophi supero destituti Lumine, varia noscere non valuerint, ad uarios Animi status attinentia, sat est Naturæ Lumine hoc principale nouisse, quod morti non subijciatur, reliqua mox ope Diuini Luminis ualemus addere, corrigere, & illustrare, & inde refulgebit insigne beneficium Christianæ Religionis; Hanc veritatem tu Romanæ Ecclesiæ splendidissimum Sydus, oculo Mentis conspicuè inspicis, consensione Animi approbas, et verbis frequenter patefacis, adeò, vt iure optimo Animus Christianæ Religionis dici merearis, per quem Fides viuit, Spes spirat, Charitas flagrat, Pietas crescit, Religio amplificatur, Probitas propagatur, et prosternuntur aduersa, quæ omnia tereddunt talem, vt dici merearis Regula, et Mensura rectæ constitutionis Animorũ, et propterea omnis Animorum consideratio, tibi est offerenda, vt tuo splendore illustretur, et quid veri quidque falsi in ea sit, conspicuè refulgeat; Non dedigneris itaque, hos de Anima Commentarios, multiplici ratione tuos, sublimi Animo apprehendere, & mei iam octuagenarij, ad aliam vitam properantis, viuam seruare memoriam; Deus Omnipotens, diu te seruet incolumem; Ex Senarum Vrbe ipsis Kalend. Martij, MDCII.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

LIBRORVM ARISTOTELIS DE ANIMA LVCIDISSIMA EXPOSITIO.

Multiplici Annotationum varietate amplificata.

PROOEMIVM.

MENS humana, intelligendo dicitur ea fieri, quæ intelligit, quare dum no se intelligit, non meretur Mens dici, sed Amens, animose itaq; Animus ad Animi cognitionem debet accingi, ne ei id obijciatur, quod de aliorũ cognitione sit solicitus, cum interim suimet sit ignarus, hinc Philosophi omnes, pro eius cognitione summopere laborarunt, at, supero destituti lumine, in uarios lapsi sunt errores; Propterea, vt fructus Diuini luminis refulgeant uberiores, quo se humana Ingenia propriis uiribus valeant eleuare, non sine eximia utilitate tenemur considerare; & cum inter Philosophos maximè fulgeat Arist. iure optimo libros eius de Anima, mihi explicãdos propono; Opus profecto arduum est, ad quod parati tenemur accedere; Præparatio autem est duplex, vna Diuina, altera humana; Quod ad Diuinam pertinet, à Deo opem imploremus, qui cum sit ipsum Verum, ipsumque Bonum, sine eius ope nil ueri, nilq; boni assequi valemus; At, Deus nemini deest, nisi ipse primo desit sibimet, propterea, in eo confisi, humana præparatione disponi emitendum est; Hæc autem est duplex, vna interna, altera externa; Præparatio nobis interna est, cura, studium, et diligentia nostra, nil enim præclarum sine labore assequi valemus; Externa verò locum habet in recta selectione approbatorum interpretum, & expositorum; Et pro distincta notitia attimentium ad hos libros de Anima, quatuor sunt meditandæ uiæ, per quas interpretes progrediuntur, quarum duæ sunt extrema, & duæ mediæ; extremarum vna est Alexandri, altera D. Thomæ; Mediæ sunt Simplicii & Auerrois, duæ primæ dicuntur extremæ, quia ex vna

Mens non se intelligés est amens.

Præparatio duplex. Diuina.

Humana.

Quatuor interpretum classes.

parte Alexander Animam hominis non secus ac eam iumentorũ morti omninò obnoxiam existimauit; ex aduerso D. Thom. eam ex sententia Arist. asserit esse immunem ab interitu, & numero hominum numerari, inter quos Simplicius, & Auer. modo tamen uario mediant, propterea tenetur interpres accuratè perpendere quæ harũ opinionum uerbis Aristotelis magis sit consentanea, ut inde opinio Arist. clarior refulgeat; Ego autem præcurrentis dispositionis loco de tribus agam; loquar Primò de Ordine; Secundò, de Subiecto; Tertiò, perpendam qualis iudicari debeat consideratio Animæ.

Tria primò declaranda.

DE ORDINE.

De ordine libri opiniones quatuor.

CVM. scientię de Natura libri sint uarij, quem locum inter eos sibi uendicent libri de Anima, non consentiunt expositores, & quatuor eorum sunt opiniones, pro quarum notitia considerandum est, scientiam de Natura præsertim in duas partes diuidi; In quarum Prima declarantur ea quę sunt communia corpori Physico, & attinentia ad Naturã, infra Animam collocatam; In Altera uerò attinentia ad Naturam ad Animam extensam, & de Anima dictam; Pars prima absoluitur in libris Physicorum, de Cęlo, de Ortu & interitu, & Meteorologicorum, de quorum ordine consentiunt omnes; Altera verò includit libros de Anima, de Animalibus, & Plantis, de quorum ordine magna est alteratio, & quatuor sunt opiniones; Vna est Auicennæ, Albetti, & Ægidij, qui inquiunt, libros Physicorum, de Cælo, de Ortu & interitu, Meteorum, quinto loco sequi libros de Fossilibus, & Metallis, sextò libros de Anima, septimò de Plãtis, octauò de Animalibus, & paruorum Naturalium. Fundamentum est: quia ordo librorum respondere debet ordini Naturæ, respondent autem, dum relato modo disponuntur: Nam Anima est principium, & origine prior uiuentibus; similiter Plantæ cum pauciora includant, sunt priores Animalibus. Altera opinio est Auerrois, relata in Procemio Meteorum: nam sextum locum tribuit libris de Plantis, septimum, de Animalibus, octauum de Anima, quos sequuntur parua Naturalia, quẽ ordinem ait esse partim necessarium, partim ob melius; Ratio autem eius quod de Anima posterius sit agendum, est, quia prius de materia quam de forma est agendum, cum sit origine Prior. Tertia opinio est quorundam ex recentioribus, dicentium inter libros ad uiuentia attinentes, libros de partibus Animalium primos esse, mox sequi libros de Generatione Animalium, tertio librum de incessu Animalium, quarto libros de Anima, quibus succedunt parua Naturalia, postremos aiunt libros de historia Animalium, & Plantis, nam libros de historia inquiunt non esse scientiales, & ob id esse alterius ordinis, nec cum scientialibus permiscendos. Has Opiniones cum ratione, & verbis Aristotelis pugnare, ex approbatione quartæ opinionis refulgebit, pro cuius elucidatione uarias profero Conclusiones; Prima est, cum libri Physicorum, de Cælo, de Ortu & interitu, & Meteorologici, omnium consensione primi sint, inter eos, & libros de Animalibus, alius gradus non mediat, adeò, vt libri de Mineralibus, siue de Fossilibus, & Metallis, quintum gradum nõ constituant, hoc elicitur partim ex calce 3. Meteorum, partim ex calce 4. nam in calce 4. inquit Philosophus: Cum sit declaratum mixtum consimile, declarandum esse singulatim unumquodque, ut quid caro, quid sanguis, & mox dissimilia, ac ita nectit 4. Meteorum, cum libris de Animalibus, quod etiam fecit in procemio 1. libri, adeò, ut gradum medium

1. Opinio Auicennæ.

Ratio.

2. Opinio Auerrois.

Ratio.

3. Opinio.

4. Opinio.

1. Conclus. Inter libros Meteorologicos, & de Animalibus nil mediat.

Digitized by Google

renuetit, Insuper idipsum elicitur ex calce 3. Meteorum, quo loci Aristot. consideratione fossilium, & Metallorum, esse Meteorologicam affirmauit, inquiens se communia declarasse, considerationem autem in specie alijs derelinquere, quibus magis debet inseruire, ueluti artificibus; Secunda Conclusio est, facta comparatione inter libros de Animalibus, & eos de Plantis, libri de Animalibus antecedunt, & Aristot. frequenter præposuit libros de Animalibus, ueluti in Proœmio 1. Meteorum, in calce 4. in lib. de Sensu & sensili, de longitudine & breuitate uitæ, & in 2. de Generat. Animalium; Ratio autem triplex est; Prima, quia dum sermo est de his quæ sunt ab uno, primò est agendum de primò, uiuens autem est ab uno, ut dicitur in 2. de Anima, 30. & 31. Altera Ratio est, quia in Animali includuntur omnes uitæ gradus, & propterea dum agitur de Animali, etiam ea explicantur quæ sunt communia Plantis, solum supersunt quædam propria, quæ minus ad scientiam pertinent, hinc Arist. in libris de Anima, & Animalibus, frequenter etiam de Plantis mentionem fecit. Tertia Ratio est, quia dum unum non est necessarium pro cognitione alterius, consueuit Philosophus prius agere de præstantiore, quia id absolutè dicitur Natura prius. *2. Conclus. Libri de Animalib. antecedũt eos de Planta. Ratio.*

Tertia Conclusio est, facta comparatione inter libros de Animalibus, libri de historia Animalium antecedunt, hoc elicitur ex Aristot. qui in principio 2. libri de partibus Animalium, libros de historia prætulit, inquiens: Ex quibus, & quot numero mẽbris singula Animalia constent, in libris historiarum qui de his scripti à nobis sunt planius explicauimus, nunc quas ob causas ita se habent, est declarandum; Similiter in 1. de Generat. Animalium cap. 3. de illis ut de antecedentibus mentionem facit. Ratio Prima est, quia totum uniuersè & confusè prius est declarandum, in libris de historia agitur de Animalibus vniuersè & confusè, in libris autem de partibus, distinctè de partibus agitur. Altera Ratio est, quia ordo quæstionum exposcit vt prius considerentur attinentia, ad quia est, mox, ad propter quid; At, obijciunt nonnulli, quia libri historiarum non sunt scientiales, ideo non sunt inferendi inter parientes scientiam; Respondeo, quamuis magna ex parte non pariant scientiam, tamen parant, & disponunt ad eam, & pro ea fuêre constructi, ideo necessariò antecedunt; At, adhuc obijciet aliquis, quia Aristot. in calce 4. Meteorum, & cum eo ibi Alexander aiunt, deinde esse agendum de partibus, adeò, vt 4. Meteorum, cum libris de partibus Animalium nectant; Respondeo, etiam in libris de historia Animalium Aristot. agere de partibus, nam statim in principio diuidit partes in consimiles, & dissimiles, facit autem mentionem de libris de partibus, quia in eis absoluitur earum explicatio, & hoc affirmauit Arist. in principio 2. de partibus Animalium, inquiens: Ex quibus & quot numero membris singula Animalia constent, in libris historiarum explicauimus, nunc quas ob causas ita se habent, &c. nam libri de historia considerantur vt parantes ad sequentes. *3. Conclus. Libri de Historia Animalium antecedunt. 1. Ratio. 2. Ratio. Instantia. Solutio. Altera instantia. Solutio.*

Quarta Conclusio est, libris de historia Animalium succedunt libri de partibus, hoc affirmauit Aristot. in principio 2. de partibus Animalium; Ratio est: quia relatis attinentibus ad quæstionem, quia est, assignanda est causa, & primò materia, ueluti sunt partes, quæ sunt materia totius, hinc Aristot. in 2. de partib. Animalium, c. 1. partes assumpsit pro materia secũdæ & tertię compositionis, & in 1. de Gener. Animalium, c. 1. inquit se declarasse finem, formam, & materiã Animaliũ, & materiã esse partes Aĩalium cõsimiles, & dissimiles, ex quo patet, minus rectè nõnullos inficiari partes Animaliũ esse materiam, quia non sunt eorum partes sine aĩa, & dum sunt cum Anima, sunt instrumenta noscenda post agens, & finem; at, hoc nullius est momenti, quia partes consideratæ sine aĩa, pro parte earũ materiata, & corporea, sunt materia compositi, consideratæ autem cum anima, sunt materia per relationem ad totum Animal, dicuntur autem instrumenta, non per relationem ad compositionem, sed ad actionem, & ad dirigens: nam conspicuè Aristot. in 1. de Generatione Animalium, ait partes consimiles, & dissimiles, esse materiam, quæ cum declarentur in libris de partibus, in eis declaratur materia, & quia huiusmodi partes sunt pa- *4. Conclus. Libris de historia succedunt libri de partibus.*

rãtæ prõ vsu, hinc in eis quoque declaratur finis & usus earum. Cum libris de partibus animalium nectitur ille qui est de incessu, & de partibus motui inseruientibus, omnes enim sunt de partibus Animalium, & cum animalium motus sit origine postremus, hinc partes ei inseruientes postremo loco declarantur. Quinta Conclusio est, libros de partibus Animalium sequuntur libri de Anima, hoc elicitur ex Aristot. qui in calce libri de partibus motui Animalium inseruientibus inquit, his explicatis proximum est de Anima disputare; Hinc Aristot. in 1. de partibus Animalium quærit, an disserere de Anima sit officium Physici, de quo non dubitasset si prius de ea egisset; cum itaque prius declarata fuisset materia, sequitur declaranda forma animalium. Sexta Conclusio est, libros de Anima sequuntur illi libri qui parua Naturalia nuncupantur, hoc affirmat Aristot. in principio libri de Sensu, & sensili; Ratio est: quia primò Animal totum declarandum est, quod innotescit ex declaratione materiæ & formæ, mox explicandæ sunt affectiones, quæ animal sequuntur, de quibus agitur in paruis naturalibus, & hoc affirmauit Aristot. in 3. Cont. proœmij de Anima, inquiens, primò explicandam esse naturam, & essentiam Animæ, mox ea quę accidunt circa ipsam; Inter libros paruorum Naturalium primus est ille qui dicitur de Sensu & sensili; Nam primò in eis declarantur attinentia ad sensus externos; Secundò, ad internos, vt de memoria, reminiscentia, somno, vigilia, de insomnijs, & diuinatione per ea; Tertiò de communi animalium motu, in cuius Epilogo legitur. De partibus Animalium, de Anima, de Sensu, Memoria, Somno, & communi motu diximus causas, reliquum est agere de generatione Animalũ, ex quo patet Quarto loco, sequi libros de Generatione Animalium. Quintò, agitur de attinentibus ad vitam & mortem, veluti de breuitate, & longitudine vitæ, in cuius calce legitur: De ijs secundum se in his quæ de Plantis agetur, nunc de animalibus, dicta est causa longitudinis, & breuitatis vitæ, reliquum est considerare de iuuentute, & senectute, vita, & morte, his enim determinatis finem habebit Methodus de Animalibus, librum de Iuuentute, & senectute, sequitur liber de respiratione, quod indicat Aristot. in illius fine, inquiens Animalia Aerea, & Aquatilia, per Aerem, & Aquam refrigerari; quo autem modo & qualiter id fiat, dicendum est, rationem instituentibus; Demum agitur de morte & vita; Ratio ordinis paruorum Naturalium, traditur ab Aristot. in principio libri de Sensu & sensili, dicente, primo esse agendum de primis, indicans se ordinem naturæ tenere, & velle seruare, nam considerando ordinem originis harum affectionum, Animalia primò sentiunt per sensus externos; Secundò, operantur per internos; Tertiò, mouentur motu secundum locum; Quartò, cum fuerint perfecta, generant; Quintò, sequuntur iuncta cum obitu, in quo, vt in postremo termino Tragœdia vitæ absoluitur, Libri autem de Plantis postponuntur libris de Animalibus, vt supra dictum est; Ordo itaque vniuersus scientiæ de Natura, hic est; Libri Physicorum sunt primi, hos sequuntur libri de Cælo, tertium locum sibi optant libri de Ortu & interitu, quartum Meteorologici, quintum de historia Animalium, sextum de partibus, & incessu, septimum de Anima, octauum parua Naturalia, postremum de Plantis; At, vna supereſt non leuis dubitatio, & satis conspicua controuersia in his quæ protulit Aristot. & pertinet ad libros de Generatione Animalium, quos retuli inter parua Naturalia: nam ex vna parte Aristot. in principio librorum de generatione animalium, eos nectit cum libris de partibus, inquiens; Cum de cæteris Animalium partibus dictum sit, supereſt vt de partibus quæ ad generationem pertinent disseramus. Idipsum facit in calce 4. de partibus, nam ait: Sed de partibus Animalium, quã ob causam quæque sint, dictum est per omnia animalium genera, quæ cum explicata sint, sequitur vt de generationibus Animalium differamus, Altera ex parte numerati sunt huiusmodi libri inter parua Naturalia, veluti affirmauit Aristot. in calce libri de communi Animalium motu, vt prius retuli, Nonnulli pro uitanda conspicua Contro uersia, veluti Franciscus Caballus, mutarunt uerba relata ex calce 4. de partibus Animalium,

5. Concluſ. *Libros de partibus ſequuntur libri de Anima.*

6. Concluſ. *Libros de Anima ſequuntur parua Naturalia.*

Ordo inter parua Naturalia.

Ratio ordinis.

Ordo uniuerſus ſcientiæ de Natura.

Dubitatio.

Solutio aliorum.

Digitized by Google

malium, & loco eorum putarunt debere legi; Sequitur vt de partibus inceſſui Animalium inſeruientibus, diſſeramus; Sic etiam in codice Auerrois leguntur permutata; At, mutare verba, non eſt explicare, & eſt res apprimè incerta. Præterea, ob id nõ diſſoluitur controuerſia: quia Ariſtot. etiam in principio primi de generatione Animalium, eos libros nectit cum libris de partibus; Propterea dicendum puto, eundem librum, diſtincta ratione poſſe necti cum pluribus, vt ſæpè dixi de 4. Meteorum: nam libri de generatione Animalium conſiderari poſſunt dupliciter: Primò, vt in eis conſiderantur partes generationi inſeruientes, ac ita nectuntur cum libris de partibus, & præſertim cum 4. Secundò, ut ſunt de generatione Animalium, quæ eſt eorum affectio, qua conſideratione inter parua Naturalia numerantur, & Ariſtot. iure optimo vtrumque nexum patefecit. At, altera ſupereſt diluenda dubitatio; Cum Ariſtot. in libris qui dicuntur parua Naturalia, egerit de Senſu, & ſenſili, cur etiam non verba fecit de Intellectu, & intelligibili? Prætermiſſis quæ dicuntur ab alijs, ex propria ſententia dico, in libris paruorum naturalium ea conſiderari, quæ ſunt communia animæ & corpori, ut ſæpè repetit Ariſtot. in lib. de Senſu, & ſenſili: Intelligere autẽ uidetur opus maximè proprium, cum non egeat inſtrumento corporeo; Inſuper, intelligibile eſt duplex, Vnum actu, & hoc non pertinet ad Phyſicum, ut dicitur in 1. de partibus Animalium; Alterum poteſtate, & hoc eſt Phantaſma, declaratum in lib. de Senſu, & ſenſili, & de Memoria & reminiſcentia; Libri Problematum, nec ſunt unius definiti generis, nec ſcientiam ſed opinionem pariunt, ideo ſeorſum collocandi ſunt.

Euerſio.

Solutio propria.

Dubitatio.

Solutio.

Libri Problematum.

DE SVBIECTO.

DE Subiecto librorũ de Anima, quod & Genus ſcibile, & oppoſitum, & id quod intenditur, nuncupatur, opiniones ſunt uariæ; Nonnulli, ut Græci Interpretes, & D. Tho. aiunt id eſſe Animam; Alij inquiunt eſſe Animal, quia id eſt Subiectum, cuius principia declarantur; at Ariſt. in 3. Contex. dicet Animam explicandam eſſe Principiũ Animalis; Tertio, alij inquiunt Subiectũ eſſe Corpus uiuens, quia Anima uniuersè conſiderata, eſt principium corporis uiuentis. Apollinaris inquit ex libris de Anima, & paruorum Naturalium, conſurgere librum unum, cuius aggregati Subiectum eſt Corpus uiuens, librorum uerò de Anima tantum, eſſe Animam; Idipſum fortè indicauit Ægidius in procemio libri Phyſ. inquiens Subiectum eſſe Corpus uiuens, vel Animam; Aut dicamus ex opinione eius, Animam eſſe Subiectum proximum, Corpus autem uiuens, remotum; Nonnulli demum diuidunt Subiectum ab intentione, & aiunt Subiectum librorum de Anima, eſſe Corpus Phyſicũ, mortale, uiuens, Animam verò ad intentionem attinere: nam Subiectum eſt tanquam ſcopus & finis, intentio autem refertur ad medium, relatum ad finem; Frequenter accidit, ut potius de uocibus ſit controuerſia, & diſputatio, quam de rebus, quod & in hac controuerſia euenire exiſtimo: nam ut ad rem hanc pertinet, omnes conſentiunt, Animam eſſe id, de quo agitur in libris de Anima; Inſuper, omnes affirmant, Animam eſſe principium Animalis, & Corporis uiuentis; In hoc itaque ſolo eſt poſita omnis difficultas, cum Anima in his libris conſideretur, num mereatur nuncupari Subiectum, eiq; competant conditiones Subiecti, cum ſit principium alterius. Pro reſolutione dico Primò, Subiectum eſſe duplex; Vnum commune, & remotum; Alterum æquale & proximum, ſi loquimur de Subiecto communi, idem eſt Subiectum totius & partis: nam Subiectum æquale totius, eſt Subiectum remotum & commune partium; Si uerò loquimur de Subiecto æquali, & proximo, Subiectum totius, non eſt Subiectum partium, alioquin pars æquaretur toti. Dico Secundò, ex libris de hiſtoria, partibus, Anima, & paruis Naturalibus, conſurgere librum communem, cuius Subiectum eſt

1. Opinio.

2. Opinio.

3. Opinio. Apollinaris.

Ægidius.

Opinio poſtrema.

Concilium.

Reſolutio 1. Concluſio. Subiectum cõmune, & æquale.

2. Concluſ.

Animal, & meretur dici Methodus de Animali, uenuncupatur ab Arist. in calce lib. de Longitudine & breuitate uitæ, cuius uerba retuli in præcedentibus, & si cum his nectimus etiam libros de Plantis, Subiectum erit Corpus naturale, mortale, uiuens.

3. Concluſ. Addo Tertiò, si libros de Anima seorsum, ut distinctam partem consideramus, nec Animal, nec Corpus mortale, uiuens statui potest Subiectum æquale, proximum, & proprium, quia pars non æquatur toti, & ut totum se habet ad totum, ita pars ad partē: nec in libris de Anima declarantur omnia pertinentia ad Animal, uel ad Corpus uiuens, quod fieri deberet, si essent Subiectum æquale; Sed Subiectum proprium proximum, & æquale, est Anima uiuentium mortalium, modus considerandi est ut forma, & principium eorum: nam modus considerandi respondet modo Definiendi, Definitur autem, quod sit Forma Coporis Physici, organici; Et sic omnia explicantur quæ ad huiusmodi considerationem pertinet; Dico Quartò, quod nil uetat, ut Anima possit horum librorum dici Subiectum: nam Subiecti nomen non Vniuocum, sed ab uno est, & primò, ac maximè propriè dicitur de eo, quod est Subiectum uniuersæ scientiæ, ueluti Geometriæ, Naturalis scientiæ, & similium, de quo Arist. in 1. Posteriorum resolutionum, ait scientiam unam, esse unius generis Subiecti, principia, partes, & affectiones considerans, mox autem dicitur de quouis considerato in partibus scientiæ: nam ut totum ad totum, ita pars se habet ad partē; Huiusmodi particularia Subiecta denotauit Arist. in procemio 1. de Cælo, inquiens scientiam de Natura, uersari circa Corpora, magnitudines, affectiones, & principia; nam in hac secunda significatione, cū affectiones, ueluti in paruis Naturalibus, tum principia, ueluti Anima, possunt dici Subiecta, & dicūtur subijci, nō affectionibus, sed considerationi, & obijci tanquam obiecta, indaganti & contemplanti, huiusmodi est Anima in libris de Anima, quæ sola proponitur declaranda, Definitur, scientia eius dicitur præclara, utilis, difficilis, ab ea sumitur inscriptio libri, adeò, ut iure optimo ea iudicari mereatur Subiectum æquale, & proximum, Animal uerò commune & remotum, Viuens, adhuc remotius, remotissimum uerò & communissimum est Corpus Physicum. Insuper, Quinto loco addo, minus rectè à nonnullis dici, Animam esse intentionem, Corpus autem viuens esse Subiectum: nam intentio ad duo referri potest; Vel ad intendens, uel ad Obiectum quod intenditur; relata ad intendens, est appetitus eius assequendi aliquid, & ad rem non facit; relata autem ad Obiectum, est id quod appetitur, & hoc potest esse proximum, & remotum, proximè enim est ipsius medij, longè verò ipsius finis, maximè tamen est finis: quia ille primò, & maximè optatur, sic, ut Subiectum, ita intentio potest esse & proximi & remoti. Ex his elicitur resolutio uniuersæ difficultatis. Superest modò, ut instantiæ nonnullæ diluantur. Nonnulli enim nituntur ostendere, Animam non esse Subiectum horum librorum; Primò, quia consideratur ut principium Animalium, ut dicitur in 3. Contextu, quare non consideratur ut Subiectum, principium enim, & Subiectum, sunt duo distincta; 2 Secundò, quia Subiectum, debet esse præditum principijs, quibus caret Anima, cum 3 ipsamet sit principium; Tertiò, quia caret affectionibus: nam affectiones sunt uiuentium, & compositorum, non Animæ, & principij, ut dicitur in 1. de Anima, Cont. 65. Diluuntur hæ instantiæ duplici uia; Primò, per instantiam; Secundò, per concessionem; per instantiam quidem quia (ut dixi) Subiectum debere esse præditum principijs, & affectionibus, præsertim uerum est de Subiecto totius Scientiæ, cui per principia competunt affectiones, non autem de Subiecto partium, sumpto pro eo, quod in illis partibus proximè consideratur, & subijcitur considerationi aut oris. Secundò Soluitur per concessionem: nam, concesso quod Subiectum debeat esse præditum principijs, & affectionibus, dico hęc cōpetere Animę, ei enim cōpetunt principia, per quę noscitur, & definitur, ac ei cōpetit Definitio nedū explicans quid, sed et propter quid, ut dicet Aristot. & patebit in eius explicatione; Insuper, ei competunt affectiones, ueluti affirmat Aristot. in Contex. 3. inquiens se primò declaraturum Substantiã

4. Concluſ. Subiectum est nomē ab uno.

5. Concluſ. Error quorundam.

Instantiæ diluuntur.

Solutiones. Per instantiam.

Per cōcessionem.

Animæ

Animæ, mox quæ ei accidunt, quarum nonnullæ videntur propriæ affectiones eius, aliæ communes, & competunt Animali per Animam; adeò, ut Aristot. proponat considerandas affectiones per relationem ad Animam; At, instant: quia ei non competũt vt Subiecto, sed vt principio; hoc nil obest; quia dum Principium est Subiectum, sat est vt affectio ei competat ut Principio, ac ita de eo ostendatur: nam idem, distincta ratione potest dici Subiectum considerationis, & principium declarationis alterius. Sed adhuc instant: quia Aristot. in principio 12. Metaphysicæ ait: De Substantia est consideratio, quia eius quæruntur principia; simili ratione dicendum, de Animali est consideratio, quia eius quæruntur principia. Respondeo, dum considerantur principia omnia alicuius, cum relatione ad illud, tunc illud dicitur Subiectum æquale, & proximum, at dum considerantur non omnia, sed vnum, id, cuius est principium, non potest esse Subiectum æquale, & proximum, sed commune, & remotum; Primo modo se habet consideratio Principiorum in 12. Metaphysicæ Altero uerò, in libris de Anima; Res itaque considerata, est Anima; Modus considerandi est, vt principium Corporis viuentis; Corpus viuens, est id cuius gratia consideratur Anima, & est Subiectum non æquale, sed commune, quia eius non declarantur in his libris principia omnia, sed solum Anima; At, dubitat Simplicius, cum sermo sit de Anima, cur Aristot. de multiplici sorte, & vario statu Animæ post obitum non loquitur, ut de ascensu in Cælum, descensu ad Inferos, & similibus, de quibus frequenter loquutus est Plato, solum Aristot. in 3. de Anima, Contex. 20. ait non reminisci eorum quæ ei competunt in hac vita; Simplicius Soluens, inquit Aristot. hæc prætermisisse, quia cumulatè satis à Platone explicata fuerunt; Proclus in Commentarijs Timei, parte 5. inquit Arist. in libris de Anima de statu post obitum, de pœnis & præmijs, nil dixisse, quia Physicè loquitur, non Diuinè, ea autem sunt supra Naturam, & Diuina, sed de eis verba fecisse in Dialogis; Plutarchus, in exhortatione ad Apollonium, multa refert ex Dialogo qui dicitur Aristotelis, Eudemi nomine inscripto, ueluti, quod defuncti sint beati, quod optimum sit non nasci, mox cito mori; At, hæc sunt inania, nec in eis reijciendis morandum est, solum dico Aristot. de his non uerba fecisse, quia supero lumine destitutus, per suæ Philosophiæ principia ea noscere non ualuit, solum per uaria opera, in hunc ueritatis gradum eleuari ualuit, quod Mens ab interitu sit immunis, de reliquis non est loquutus, quia per opera, & ea quæ cadunt sub Sensum, nosci non ualent, ideo non ualuit de eis Philosophari, & propterea siluit. At alia adhuc se offert dubitatio, cum Aristot. loquatur de Anima mortalium, uiuentiũ, cur non loquitur de Anima Mundi, & de ea Cælorum, & simplicium corporum, de quibus Plato uaria egregiè protulit? Simplicius duas tradit Solutiones; Vna est, quia acquieuit his, quæ à Platone dicta fuerunt; Altera est, quia per declarata in 3. libro de Humana mente, uoluit reddi nota ea quæ competunt Animis Cælorum; At, neutra Solutio est uera: non Prima, quia nil prætermisit Aristoteles quin declaratum fuerit ab alijs, alioquin eius Philosophia deminuta esset, ac etiam plurima declarauit, quæ cum à Platone, tum etiam ab alijs explicata fuerunt. Similiter Secunda Solutio non est uera: quia competẽtia Menti hominis Animariæ, non competunt Animis Cælorum, ut nil intelligere sine Phantasia, Ratiocinari, esse potestate, & similia. Propterea dicamus, Platonem secreuisse Mentem ab Anima rationali, quod non fecit Arist. ut ex 3. libro patebit, neque uerba fecit in his libris, de Animis Cælorum, quia non sunt Physicæ considerationis, sed Diuinam scientiam constituunt, ut sæpè Aristot. affirmat; loquitur tamen de humana Mente, quia nectitur cum mortalibus, nec sine illis suo fungitur munere. Alia adhuc à Proclo in Commentarijs Timei Platonici, pulchra satis proponitur dubitatio, & est, cur Aristot. de Animæ origine, & resolutione eius in sua principia, nullum fecerit uerbum, cum tamen Plato in Timeo de his uaria, & multa protulerit; Respondet, id euenire, quin Peripatetici solũ resoluit usque ad Motores Cæli; siue Mentes, siue Animæ dicantur,

Instantia. *Solutio.* *Intentio.* *Solutio.* *Conclusio dictorum.* *Dubitatio Simplicij.* *Solutio Simplicij.* *Plutarchus.* *Alia dubitatio.* *Simplicius.* *Exercitio.* *Solutio prima.* *Dubitatio procli.* *Solutio procli.*

tur, Plato verò vsque ad initia prima, nam illæ Animæ, & Mentes, sunt participatæ, quas præcedunt Intellectuales, & intelligibiles gradus, ante quos est Deorum numerus, qui Entia unit, & Diuino lumine illustrat, quæ antecedit unitas impartibilis, nimirum Deus. Hæc Proclus; At errat: nam Aristoteles ut Philosophus, ita resoluit, ut resoluere debuit: non debuit resoluere in Mathematica, more Pythagoræ, non enim Mathematica sunt principia rerum Natura constantium, ut frequenter Aristoteles ostendit, & præsertim in 13. Metaphisicæ, & 1. de Anima; Neque Animam rationalem in Mentem participatam, & non participatam: quia in homine Anima rationalis, & Mens, non distinguuntur nisi ratione; Similiter, Mens suprema, non participata, quæ Mens Diuina dicitur, est ipsemet Deus; Resoluit itaque Arist. in libris de Anima ipsam Animam, in Formam, & actum primum, ut resoluere debuit, non autem altius eleuatur: quia non debet supra Physica eleuari, ne terminos Physicos egrediatur. Verum alia insuper se offert dubitatio ingenuo animo digna, Cum Angeli noti Theologis, ex se moueri dicantur, si Aristot. eos nouisset, ad quam Philosophiæ partem putasset pertinere? Ion Canonicus, & alij nonnulli uiri docti, & acuti, inquiunt principia Aristotelis attinere ad scientiam de Natura; Ratio est: quia cuncta mobilia ad Physicum pertinent, ut dicitur sub initium 6. & 12. Metaphysicæ, hinc aiunt, Subiectum Scientiæ Physicæ absolutè esse Substantiam mobilem, at, quia Aristot. omnem talem Substantiam censuit esse Corpus, ideo cum eo dicendum, esse Corpus mobile. Hanc opinionem approbandam non puto: nam Physica sepè ab Aristot. dicitur Scientia de Natura, Angeli non sunt Natura, sed supra Naturam, ut etiam eorum motus est supra Physicum. Confirmatur: quia quamuis Arist. in 2. de generat. Animalium, cap. 3. dicat Mentem hominis extrinsecus accedere, inficiatur tamen in 1. de partibus Animalium, eam ad Physicum pertinere. Præterea, ea forma ad Physicum pertinet, quæ est Natura, at, in 2. Physicorum ostenditur eam formam esse Naturam, quæ est finis generationis, & non est apta seiungi, nisi ratione, Angeli non sunt huiusmodi, ergo &c. Propterea dicamus, quod uel Angelos consideramus ut à Corpore solutos, uel ut Corpori iunctos, si eos consideramus ut solutos, sic absolutè ad Primum Philosophum pertinent, & in 12. Metaphysicę deberent declarari; Ratio elicitur ex 1. de partibus Animalium: nam Physici officium est, considerare Naturam, & formam ex materia pendentem; & quamuis dicantur moueri, ascendere, & descendere, tamen vt apta propriè moueri, non sunt alicubi, & ibi non sunt nisi per motum, ita non apta moueri sunt, & non sunt alicubi, sine proprio motu & transmutatione, vt dicitur de humana Mente; Si verò considerantur vt Corpore præditi, de illis se habebit vt de Cęlesti Corpore, nam Corpus ad Physicum attinet, Mens autem ad primum Philosophum.

Euersio.

Dubitatio de Angelis.

Io. Canonicus.

Euersio.

Solutio propria.

QVALIS SIT ANIMÆ CONSIDERATIO.

PROPOSVI Tertiò loco considerandum, qualis sit Animę consideratio; quod cũ possit intelligi multipliciter, veluti, num sit vtilis, vel inutilis, facilis, uel difficilis, præclara, uel uilis, non in huiusmodi significationibus modo proponitur, sed num sit Physica, uel ne; Quę dubitatio pertinet ad cõmunem eius inscriptionem, & proponitur explicanda ab Aristot. in 1. de partibus Animalium, quæ dubitatio magis de Anima, quam de alijs proponitur: quia est modo quodam media inter purè Physica, & Diuina, adeò, ut modo quodam anticipitis naturæ, & conditionis esse uideatur. De proposita difficultate uariæ sunt opiniones, quæ in tria capita rediguntur. Quidam aiunt esse omninò Physicam; Alij mediam per negationem; Nonnulli mediam per participationem; Pro quarum notitia animaduertẽdum est, quod uel anima iudicatur omnino mortalis, uel partim

Tria capita Opinionũ.

mortalis, partim æterna; si omninò iudicatur mortalis, (ut perperam censuit Alex.) tunc dubitatio nulla est, omnis enim forma mortalis, est Natura, & ad Physicum pertinet, & si Aristot. putasset eam omninò esse mortalem, non in dubium uertisset in 1. de partibus Animalium, num ad Physicum pertineat; At, supposito, humanam Mentem ab interitu esse immunē, statim in dubium uertitur, num sit Physicæ cōsiderationis, quo supposito, quidam aiunt Animæ considerationem omninò esse Physicam, ueluti Gandauensis, & alij nonnulli ex Latinis, & quia dubitatio est de humana Mente, ideo rationibus ostendunt, eam ad Physicum pertinere; & Primò inquiunt quod mouetur, pertinet ad Physicum, Mens per Phantasmata mouetur a Phantasia, ergo, &c. Insuper, considerans compositum Physicum, tenetur considerare Formā eius, Naturalis Philosophus considerat hominem qui est Corpus Physicum, cuius Forma est Anima rationis particeps, & Mens, ergo. Præterea, considerans totum, tenetur considerare partes eius, Physicus considerat Animam, cuius Mens dicitur particula, ergo. Insuper, cui competit Definitio Physica, attinet ad Physicum, Menti competit Definitio Animæ tradita in 2. de Anima, quæ Physica est, ergo. Præterea, officium Mentis pendet à Phantasia existente in Corpore; Demum, hoc seruat Aristot. qui in libris de Anima, qui sunt Physici, uerba facit de humana Mente. Secunda opinio est Syriani, Simplicij, Plutarchi Lydi, & Academicorum, putantium scientiam de Anima esse mediam per negationem, adeò, ut nec Diuina sit, nec Physica; sed conditionis mediæ, ut etiam Mathematica dicitur media, ideo Simplicius in proœmio libri Physicorum, ait medias esse Mathematicas, & Scientiam de Anima; non, quia Scientiam de Anima putauerit Mathematicam; (ut nonnulli falsò dixerunt) sed, quia ut unam, ita alteram per negationem iudicauit mediam, modo tamen uario; Fundamentum huius opinionis est: quia quale est scibile, talis est scientia, Anima est media inter Physica, & Diuina, quare & scientia de illa; Hinc Proclus, in expositione Timei, latè ostendit Animam esse conditionis mediæ, cum sit partim æterna, partim mortalis, partim coniuncta cum corpore, partim seiuncta, partim subiecta Tempori, & Faro, partim non, & sic de multis alijs conditionibus; Hinc etiam Simplicius in 2. Physic. negat Definitionem Naturæ competere Animæ, & affirmat Animam supra Naturam esse positam. Olympiodorus similiter ait Animam esse similem Animalibus ancipitis conditionis, & dupliceu uitam uiuentibus, nimirum in Aere, & in Aqua, ut ranæ. Tertia opinio est quorundam, putantium scientiam de Anima esse mediam, non per negationem, sed per participationem, & cum permixtione: nam partim dicitur Physica, ut consideratio facultatis nutrientis, & sentientis, partim Diuina, ut consideratio Mentis, & id fit cum permixtione, quia libri de Anima secundum partem in qua agitur de primis facultatibus, sunt Physici, at secundum alteram partem, sunt Diuini; Huius opinionis fuit Philoponus, qui in calce huius proœmij, necnon in Cont. 15. ait morem fuisse Aristotelis, in calce librorum Physicorum, elenari ad Diuina, ut in calce 8. Physicorum, & in calce 1. de Ortu & interitu; nōnunquam tamen Philoponus uidetur fuisse eiusdem opinionis cuius fuit Simplicius; Hæ tres opiniones mihi satis uidentur dubiæ; nam Prima, quod consideratio Mentis, absolutè sit Physica, conspicuè pugnat cum dictis, & ostensis ab Aristot. in 1. de partibus Animalium, quo loci ex proprio consilio Aristot. ostendit, Mentem non esse Physicæ considerationis, & non esse Naturam; Similiter, in calce 1. Physicorum ait officium Physici esse, uerba facere de formis mortalibus; propterea in Proœmio huius libri Cont. 15. & in 6. Metaphys. Cont. 2. legitur Physici officium esse, agere de Anima, aut omni, aut tali, hoc est, pendente ex materia & corpore; & in 2. Phys. dicitur, quod ea Forma est Natura, quæ est finis generationis, & non est apta seiungi, nisi ratione, quæ de Mente uera non sunt. Colligamus itaque, Formā ex Materia nō pendentem, nec Naturam esse, nec ad Physicum pertinere; huiusmodi autem est Mens, ergo; Similiter, Secunda opinio, quod consideratio Animæ sit media

4. Opinio. Rationes quod Mens ad Physicū pertineat.

2. Opinio.

Ratio.

Proclus.

Simplicius.

Olympiodorus.

3. Opinio.

Philoponus.

Euersio.

Euersio secundæ opinionis.

dia

dia per negationem, ut Mathematica, non est uera: quia facultas nutriens, & sentiēs, Natura est, & ad Physicum pertinet; quod autem ei competat Definitio Naturæ, tradita in 2. Physicorum, in eius declaratione patefeci; Similiter, Mentis consideratio non est media, sed Diuina, cum ex materia non pendeat, nec datur Philosophia inspectrix, quæ mediet inter Physicam & Metaphysicā, præter ipsam Mathematicam.

Exersio tertia, opinionis. Opinio Tertia, quod sit media per participationem & permixtionem, dubia est: quia Arist. cæteris præstare dicitur, quia gradus Philosophiæ sciunxit, & non permiscuit ut Veteres; & confirmatur: quia Arist. in 3. de Anima nil de humana mente declarauit, nisi per media Physica, & solum eam considerauit vt iuncta mortalibus, fungentem officio mortali, & pendentē pro eo exequendo à re mortali, quæ omnia ad Physicum, non ad Diuinum pertinent. Pro resolutione tres profero Conclusiones; Prima est, Scientia de Anima tradita ab Arist. in libris de Anima, omniuò Physica est; Secunda, Scientia de Mente, ut Mens est, & absolutè, Diuina est; Tertia, Scientia de Anima modo aliquo potest dici media, at non per negationem, neq; cum permixtione. Prima Concluſ. ostenditur: quia Arist. in primo de partibus, & in procemio huius libri, & alibi, conspicuè affirmat, Physici officium esse, de Anima loqui & frequenter libros de Animalibus, & Anima, inter Physicos numerat, & idipsum patet ex communi Animæ Definitione, quæ Physica est, & ex medijs quibus utitur pro ea declaranda. Secunda Concluſ. quod Mentis consideratio non Physica, sed Diuina sit in præcedentibus ostensa est; Sed pro lucidiore notitia, duo sunt considerāda; Primum est, quod dum dicimus aliquid ad vnam, uel ad aliam Scientiam pertinere, tenemur inspicere essentiam eius, & id considerare secundum se, & cum reduplicatione, essentia autem Mentis Diuina est, Alterum quod considerare debemus, est, quod Anima alterius esse dicitur, nam Anima animati, & uita uiuentis est Anima, & uita; Mens verò non alterius est, sed libera, non enim dicitur esse alicuius Mens, sed solū ad Obiectum refertur, nimirū ad intelligibile. His assumptis, dico, Mentem dupliciter considerari; Vel absolutè ut mens est, & secundum absolutam eius essentiam, ac ita recte Arist. ostendit ad Physicum non attinere; Vel ut redditur particula Animæ, nectitur cum mortalibus, & fungitur officio mortali, ac ita proponitur declaranda in 3. de Anima, continetur quidē sub Animæ Definitione & cōsideratur in eis libris, at, dum ita consideratur, non Mens, sed Anima considerari dicitur, quia non considerātur absoluta eius essentia, sed extrema relatio ad uiuens, & ad officium eius, absoluta autem essentia refulget ex declaratis in 12. Metaph. de conditione separatarum Mentium. Tertia Concl. erat, Scientiam de Anima posse modo aliquo dici mediam, non per negationem, ut dixit Simplicius, nec cum permixtione, ut Philoponus, sed modo alio, & hic est triplex; Nam Primò potest dici media per comparationem; Natura enim usurpatur dupliciter; Vel uniuersè pro omni forma ex materia pendente, ut Definitur in 2. Phys. & sic est Physica; Vel ut Natura contradistinguitur ab Anima, & infrā Animam collocatur, ac ita Scientia de Anima per comparationem dici potest media, quia mediat inter Scientiam de Natura infra Animā constituta, & Metaphysicam; Hanc considerationē, Arist. in procemio libri Meteorum, dixit eius methodi quæ est de Natura infra Animam collocata superesse eam partem quæ Meteorologica nuncupatur. Secundò potest dici Media, per participationem, ratione totius Animæ, quæ ratione nutrientis & sentientis est Physica, ratione Mentis, est Diuina, & hoc non est cum permixtione, quia vt Mens, & absolutè, non consideratur in 3. de Anima & quamuis in eo libro Mens dicatur impassibilis, separabilis, sui essentia, actio, non mixta, immortalis, id euenit, quia Arist. ob nexum attingit eos terminos, at non absolutè & distinctè explicat, & id facit secundum comparationem cum parte mortali, & per solam relationem ad opera mortalia, & nexum cum mortalibus. Tertiò potest dici media, ratione Mentis, quatenus absolutè est Diuina, ut particula Animæ est Physica, & in 3. de Anima proponitur agendum non de Mente absolutè,

Resolutio.

1. Conclusio.

2. Conclusio.

3. Conclusio.

Ostensio prima.

Ostensio secunda.

Ostensio tertiæ.

Quomodo scientia de Anima sit media.

Modus primus.

Modus secundus.

Modus tertius.

sed de particula Animæ. Explicata Resolutione, superest ut rationes aduersas diluamus; Ostendebatur Primò, Mentem ad Physicum pertinere, quia mouetur, &c. Illæ rationes ut alicuius sunt roboris, solum ostendunt Mentem considerandam à Physico, non ut Mens est, & absolutè, sed solum, ut est particula Animę, & modo paulo ante declarato; Et dum dicimus, eam moueri; Respondeo, motum illum non esse Physicum, ex natura proeuntem, nec propriè, sed per Metaphoram dictum, hinc Arist. in 7. Physicorum, ait Motum attingere posse Sensum, quia est organicus, at non Mentem; sic continetur sub Definitione Animæ, non pro esse eius absoluto, sed ut particula eius, ut nimirum nectitur cum Corpore, & fungitur officio mortali. Ratio pro Secunda opinione iam est soluta, apparuit enim Animam non esse mediam per negationem, magis id dici posset per Principia Platonis, qui Naturam secreuit ab Anima, & Mente, quam per principia Aristotelis, qui Animam mortalem dixit esse Naturam, immortalem uerò nuncupauit Mentem; At de his hactenus, accedamus modo ad Aristotelem, nam quomodo intelligi debeant, & quam uim habeant rationes formatæ ab Arist. in 1. de partibus animal. pro ostensione quod Mens humana ad Physicum non pertineat, in libris de humana Mente patefeci.

Solutio aduersarij rationum.

BONORVM, & honorabilium notitiam opinantes, Magis autem alteram altera, aut secundum certitudinem, aut quia meliorum est, & magis admirabilium; his utrisque de causis, historiam de Anima recta ratione in primis ponimus.

Contex. 1.

LOQVVTVRVS Philosophus de re præstantissima, pro cuius notitia summoperè tenemur esse accurati, nititur Primò Auditores cumulatè disponere & parare, id autem facit, dirigendo eos ad ueri cognitionem, & expurgando animos ab erroribus; Primum facit in Proœmio; Alterũ verò in progressu totius primi libri, reijciens Veterum opiniones. In Proœmio præfertim quinque habebimus; Primò præstantiam huius considerationis; Secundò, utilitatem; Tertiò, de quo sit agendum, & quo ordine. Quartò difficultatem; Quintò institutionem pro indaganda, & tradenda Animę Definitione. Primum elicimus ex hoc Contex. qui in tres partes tanquã in tres theses diuiditur; Prima est; Notitia communi consensione inter præclara, & honore digna numeranda est; Altera est; Vna notitia præfertur alteri, aut quia est certior, aut quia est de re meliore & admirabiliore; Tertia est; Historia de Anima his utriſque causis, inter primas est numeranda.

Quinq; declaranda in Proœmio.

Diuisio.

ANNOTATIONES ET DVBIA.

CONSIDERO Primò, quod Arist. longo, & accurato utitur Proœmio; Ratio autem est: non quia Scientia de Anima sit una Scientia tota, media inter Physicam & Metaphysicam, ut nonnulli dixerunt; quoniam iam apparuit esse Physicam, sed ob præstantiam, utilitatẽ, & difficultatem eius; & ordiens à præstantia, inquit Bonorum, Græcè τῶν καλῶν quæ uox denotat, & bonum, & pulchrum, & honestũ, & pro quauis significatione uera est, & ideo iure Arist. ea tam lata, & fœcunda uoce in principio est usus, cui addit, καὶ τιμίων quæ uox denotat præciosum, uenerabile, dignum honore, dignumque existimatione, quæ etiam omnia uera sunt de cognitione Animæ; tottè autem dicere possemus, rem præclaram, & honore dignam notitiam existimatam, dum consideratur absolutè notitia, dicitur præclara, & bona; dum refertur ad nos, dicitur

Prima considerada.

Scientia de Anima bona, & honore digna.

honore

honore, & existimatione digna. Et addit (existimantes) indicans hoc communi cõsensione approbari, & iure: nam hoc iudicium, sequitur instinctum Naturæ, de quo legitur in Prooemio Metaphys. quod omnes homines natura scire desiderant, Mens enim sui natura, & conditione ad ueri inspectionem dirigitur, & propterea cum sapientes, tum insipientes nisi sint præter naturam affecti, cognitionem ueri magni faciunt. Considero Secundò, quod Aristot. hæc tribuit Cognitioni, quam εἴδησιν appellat, at, non patet quid ea uoce denotet; Philoponus inquit denotare non scientiã solam, sed latè sumptam cognitionem, quod est dubium: quia cognitio sensuum non est honore digna, cum competat iumentis, & feris; Similiter Opinio, cum ualeat esse uera, & falsa; Ars quoque, cum sit bonum utile, non est digna honore, & præsertim, loquendo de Artibus sordidis; Similiter, disciplinæ organicæ quæ non gratia sui optãtur, sed solum gratia alterius, non ex se sunt dignæ honore, sed solum ut famulantes, veluti exercitium dicitur sanum, quia sanitatem parit. Denotat itaque Aristot. cognitionem attinentem ad tres habitus Mentis, nimirum, ad Scientiam, Intelligentiam, & Sapientiam, quorum finis est Veritas; Attinentia quoque ad Prudentiam, sunt digna honore, at ea magis ex actione uirtuti consentanea, quam ex cognitione id habent, Aristot. in tribus Prooemijs est vsus hac eadem uoce, nimirum in Prooemio Metaph. Physicæ, & in hoc, & semper denotauit Notitiam attinentem ad Scientiam, cuius finis est Veritas, ut sola ueri forma, quæ speciosissima est, ad eius indagationem nos hortaretur & inuitaret. Considero Tertiò, sententiam hanc non carere difficultate; nam dicitur humanam scientiam inflare, & nos reddere superbos, quare non est bona; Præterea, bonum & malum dicitur de rebus, de cognitione autem non dicitur quod sit bona, uel mala, sed uera uel falsa; Hinc Arist. in 6. Metaphys. Contextu 8. inquit, non uerum & falsum in rebus est, ut quod uerum est, id sit bonum, quod falsum malum, sed in Mente; Quo loci inquit Auerroes, bonum & malum sunt in rebus, uerum autem & falsum in Anima. Præterea, Scientia recipit conditionem à scibili, dantur scibilia praua, quare & Scientiæ prauæ, hinc Necromantia, & Artes diuinatrices damnantur; & Arist. in 7. Nicomachiorum, cap. 13. ait dari scientias perniciosas; & in 12. Metaph. Contex. 51. ait, melius esse nõ videre quædam, quam videre; Præterea, omne bonum finis est, & fine dempto demitur omne bonum, vt dicitur in 3. Metaph. Contex. 3. at Mathematicæ carent fine, vt dicitur in eodem 3. Metaph. & confirmatur in 3. de partibus Animalium, quare non sunt bonæ; Insuper, si scientia est bona, quia Ens, præstantiora erunt Aurum, & Argentum, quam sapientia, hæc enim est Habitus, Qualitas, & Accidens, ea verò Substantia, & ob id iure dicemus; O Ciues Ciues, quærenda pecunia primo est, Virtus post nummos: Demum, bonum & malum pertinent ad Mentem practicam, ad inspectricem verò non pertinent bonum & malum, sed verum & falsum; Similiter, Scientia non videtur honore digna, quin honor est præmium virtutis moralis, non inspectricis, & homini præsertim cõpetit ob beneficia collata in Rempubl. ut dicitur in 1. Nicomachiorum cap. 5. Et in eodem libro, cap. 12. legitur, honorem competere fini, & actioni, ordinatis autem in finem competere laudem, Scientia autem habitus est, quare laus solum, non honor ei conueniet. Ex aduerso, Scientiam esse bonam, ex eo patet: quia per naturam optatur, omnes enim Natura scire desiderant, id autem quod per naturam optatur, communi consensu iudicatur bonum, natura enim ex bono pendens, in bonum dirigit; Præterea, verum, bonum, & ens, reciprocantur, Scientiæ conditio est uerum, quare, & bonum, nam Scientia verum patefacit, actiones animi componit, dirigit, & perficit, in primam causam eleuat, cum ea nectit, eiq; pro facultate reddit similem, quod summum hominis bonum iudicatur; & cum triplicia sint bonorum genera, Animi, Naturæ, & Fortunæ, bona Animi inter quæ Scientia obtinet principatum, præferuntur cæteris. Rationes aduersæ facilè diluuntur; Dicebatur Primò, humanam Scientiam inflare; Respondeo, Conclusionem approbatam debere intelligi cum recto, &

Instinctu naturæ magnifacimus sciẽtiam.

2. Consideratio.

Quid per cognitionẽ accipiendum.

3. Consideratio.

Dubitatio.

Scientiã non esse bonam.

Non esse dignam honore sciẽtiam.

Scientiam esse bonam.

Diluuntur aduersæ rationes.

non

non deptata to vsu; de propriè sumpta Scientia, non de Sophistarum deceptione, de-
ber intelligi secundum se, non ex accidenti, ut cum aliqua ignorantia est iuncta; Scie
tia instar, vel quia re uera non est Scientia, vel, quia ea malè utimur. Addebatur, bo-
num & malum dici de rebus; Respondeo, Scientiam tripliciter considerari; Primò, *Quomodo Scientia in-*
ut est conformatio notionis Mentis cum Obiecto; Secundò, pro suo esse absoluto, ut *flet.*
est habitus, & qualitas; Tertiò, ut per repræsentationem, & imitationem est spiri- *Scientia tri-*
tualiter Obiectum, & singulis considerationibus bona est, nam prima consideratione *pliciter con-*
dicitur uera, uerum autem est bonum contemplabile; secunda & tertia considera- *sideratur.*
ne est species aliqua entis, ens autem est bonum; At instabatur: quia bonum & ma-
lum pertinent ad Mentem practicam, non ad inspectricem; Respondeo, bonum esse
duplex, Agibile, per quod absolutè denominamur boni; & Contemplabile; Primum,
pertinet ad Mentem practicam; Alterum, ad inspectricem; Addebatur, dari scibilia
prava, & disciplinas prauas & detestandas, ut etiam affirmat Aristoteles in septimo
Nicomachiorum, capite decimotertio. Respondeo, Aristotelem non absolutè id *Scientia Ma-*
dicere, sed cum conditione, si dantur, & illæ quæ perniciosæ dicuntur; vel non *thematicæ*
sunt Scientiæ, sed Opiniones falsæ, & deceptiones; vel sunt prauæ, ob prauum *dupliciter*
usum, veluti etiam Plato in Alcibiade 2. ait filio furioso quærenti patrem ut eum *cõsideratur.*
interficiat, si ei occurrit, & non cognoscit, prodesse ignorantiam, cui obstitisset
cognitio. Addebatur, melius esse non videre quædam, quam videre; Respondeo,
Aristotelem tunc loqui de cognitione Dei, cui tribuit cognitionem cum errorum secun-
dum eminentiam, non cum distinctione, & imperfectione, descendendo ad singulas,
ac ita modum reijcit, non autem absolutam cognitionem. Dicebatur, Mathemati-
cas Scientias carere fine. Respondeo, Mathematicas considerari dupliciter, Vel ut
demonstrantes, ac ita non utuntur fine; Vel ut sunt scientiæ, & Habitus Animi perfi-
cientes, uariasque utilitates præbentes, ac ita præditæ sunt fine, & bono, hinc Arist.
in 11. Metaphysicæ cap. 3. ait, mentiri eos qui aiunt Mathematicas carere fine, &
bono. Præterea, dicuntur Mathematicæ carere fine, qui per motum acquiritur, quia
abstrahunt à motu Physico rerum; Addebatur, si Scientia est bona, quia ens, Aurum
erit melius; Respondeo, vel consideratur pro eorum esse absoluto, & sic concedo: nã
Substantia præstat Accidenti, vel consideratur ut sunt perfectio Mentis, ut Scientia
est Obiectum per repræsentationem, & nectit cum Deo, & sic præfertur Scientia,
ex finis integer hominis est Mens, ea perfectione prædita, in quo fine conspirant fi-
nis Cuius gratia, & Cuius & ideo iure dicitur: Fulgebũt docti ut splendor Firmamen-
ti. Insuper, ostendebatur Scientiam non esse honore dignam, cum honor sit præmiũ
virtutis moralis; Respondeo, honorem esse duplicem; Vnum Ciuilem; Alterũ, sum- *Quomodo*
ptum latè pro reuerentia & existimatione, Scientia est honore digna utroque modo, *Scientia sit*
nam est digna primo honore per modum causæ, & dirigentis, nam componit & di- *honore di-*
rigit attinentia ad uirtutes morales; ac insuper, reuerentia est digna, nam ut ait Pla- *gna.*
to in 5. de Legibus, Primus honor competit Deo; Secundus Animo, & bonis eius; *Plato.*
Tertius, Corpori; Addebatur, habitui non competere honorem, sed laudem; Re-
spondeo, laudem esse speciem honoris latè sumpti, ut dicitur in Rhetoricis; Addo,
quod dum habitui tribuimus honorem, consideramus non habitum solum, sed illum
cum suo officio iunctum; Insuper, Scientia inspectrix præsertim, dicitur honore di-
gna, quia non in aliud dirigitur, sed in se includit finem, qui est inspectio ueri, solum
Scientia ex accidenti, ob prauum usum, & nexum cum uitio, potest iudicari indigna
honore. Ex hæc pro attinentibus ad primam partem Contextus. Considero Quar- *4. Considet.*
tò, pro attinentibus ad secundam Conclusionem, quod Arist. inquit Scientiã unam *Duæ Causæ*
ãlteri dignitate præstare, aut quia sit certior, aut, quia sit de re præstantiore; Ratio *dignitatis*
huius Conclusionis est: quia rei præstantia pendet ex principijs eam constituentibus, *Scientiæ.*
quæ sunt materia, & forma, certitudo denotat formam, res considerata materiam;
Insuper, Scientia consideratur dupliciter; Vel ratione generis, vt est Scientia, ad quã

pertinet certitudo; Vel ratione rei quam repræsentat, quod pertinet ad id, de quo est
5. Considera tio. Considero Quintò, Conclusionem hanc esse dubiam; Primò, quia præstantia videtur
Dubitationes. pendere ex pluribus: nam quot sunt causæ ipsius esse, tot sunt causæ perfectionis, res autem sunt per quatuor causas, non per duas tantum; Confirmatur: quia Arist. videtur secum pugnare: nam in 8. Topicorum, cap 2. ait unum habitum præstare alteri ratione finis, & iure: nam bonum omne in fine est positum; sic etiam una Scientia potest alteri præstare, quia sit utilior. Præterea, dubiæ quæstionis est, ex quo Scientia præsertim recipiat præstantiam? apparet ex fine, quia in eo est positum omne bonum; & loquendo de internis causis, apparet, quod ex certitudine: quia intrinsecus præstantia pendet ex forma; Demum queritur, qua ratione & modo Scientia præstantiam re
Solutiones. cipiat à re scibili? Ordiens à prima difficultate, dico præstantiã pendere ex omni causa, cum externa, tum interna, Arist. considerauit causas internas, quia in eis proximè est constituta, prætermisit finem, quia Scientiæ eodem fine sunt præditæ qui est contemplatio veri, in 8. Topicorum, inquiens eriã prodire ex fine, comparabat non Scientias eodem communi fine præditas, sed habitus varios Mentis, quorum fines sunt varij, nimirum, effectio, actio & contemplatio, & ideo eo loci dixit præstantiam ex tribus pendere; de efficiente non fit mentio, quia vniuersa perfectio ex efficiente prodiens, includitur in forma ab eo producta. Addebatur, vnam Scientiam posse alteri præstare, ratione vtilitatis? Respondeo, per vtilitatem res non dici digniores, & præstantiores; sed vtiliores, hinc Arist. vtilitatem referet tanquam conditionem
Ex quo præsertim prodeat præstantia Scientiæ. à præstantia distinctam; Quærebatur Secundò, ex quo præsertim prodeat dignitas, & præstantia Scientiæ? Arist. in 1. de partibus Animalium, cap. 5. inquit ex scibili; hinc in 6. Metaphysicæ, Contex. 2. & in 11. Metaphysicæ cap. 6. ait præstantissimam Scientiam in præstantissimo genere subiecto versari, & iure: nam Scientia dicitur esse ipsummet scibile per imitationem, & repræsentationem, & Mens per Scientiæ habitum dicitur ea fieri, quæ scit, vt inquit Arist. in 3. de Anima, Contex. 8. Instabatur, quia videtur magis ex fine prodire, in quo dicitur esse positum omne bonum? Respondeo, ea quæ prodit ex fine, est præstantia communis, per quam vnus habitus differt ab altero, at cõtemplatio veri, est finis communis habitum inspectricium, per quem vna Scientia non differt ab altera, soluti differre potest, quatenus vel magis, vel minus ad finem accedit, & hoc includitur in certitudine, nam certior magis ad finem accedit, cæteris paribus; Addebatur, quia videtur certitudo magis denotare perfectionem, cum sit tanquam forma scibile verò tanquam materia, quæ cedit formæ? Respondeo, Scientiam considerari dupliciter; Vel considerationе Logica, vt acquisita per Demonstrationem, acita ex medio, & certitudine, quæ est tanquam forma, præsertim recipit præstantiam; Vel considerationе Physica, ac ita præstantiam & conditionem præsertim recipit ex Obiecto, quia est id per imitationem, & repræsentationem; Insuper, quod forma præstet, verum est in compositis ex materia & forma, quæ sit Substantia, non Accidens, vt est certitudo, & præsertim quia hæc est quædam certitudo, quæ sequitur conditionem Subiecti, vt apparebit, Absolutè itaque magis
Auerroes. pendet ex scibili, quia Philosophus est iudex conditionis rerum, non Logicus. At instatur: quia tunc opinio de re nobili erit præstantior scientia de re vili; Insuper, Auerr. in calce primi libri Paraphrasis de partibus Animalium, inquit: Scientia de Natura, ferè plus apparet in materia vili, quam nobili, quia difficilius est in eam inducere formam; De prima difficultate Ludou. Boccaf. concedit opinionem de re præ-
Ludouic. Boccaf. stantiore præstare, quæ sententia est dubia; Primò, quia opinio potest esse & vera, & falsa, opinio autem falsa est perniciosa; Præterea, potest opinio magis distare à certitudine, quam res nobilis à vili; Propterea pro Solutione duo dico; Primum est, si opinio quæ est sine causa, contrahatur ad veram, & præstantia rei de qua est, æquè, vel magis distet à conditione rei vilis, quam certitudo rei vilis ab ea opinionis, tunc opinio illa præstabit, ut sunt multæ opiniones veræ de Deo; Addo Secundò, quod

comparatio

comparatio debet fieri in eodem genere inter Scientiam & Sciẽtiam, ſcibile & ſcible, ſi comparatur opinio cum Scientia, nec opinio eſt Scientia, nec opinabile, ut taleeſt ſcibile: Ariſtot. autem comparat Scientiam cum Scientia; His addo, quod certitudo de qua eſt ſermo, non eſt certitudo ex parte noſtri, ſed ex conditione rei, ut patebit; De inſtantia ſumpta ex Auerroe, dicente Scientiam de Natura ferè plus apparere in re uili; Reſpondeo, quod Auerroes, non loquitur abſolutè, ſed addit, ferè; Inſuper, aliud eſt eſſe præſtantiorem, & magis apparere: nam Scientia de Natura in re uili plus apparet pro patefaciendis uiribus Naturę, non autem quia ſit præſtantior, & ob id rationem afferens, addit, quia difficilius eſt in eam inducere Formam; Quærebatur ultimo loco, qua ratione, & modo, Scientia recipiat præſtantiam ex re ſcibili? Baldum in ſuis Quæſtionibus, inquit id euenire, quia Scientia eſt Accidens, quod à Subiecto recipit perfectionem: at, minus rectè ſoluit, quia errat per æquiuocationem; nam Accidens præſtantiam recipit à Subiecto cui in hæret, huiuſmodi autem eſt Anima, quæ eſt commune Subiectum omnium Scientiarum, nunc autem ſermo eſt non de hoc, ſed de Obiecto Scientiæ, ſiue de Subiecto de quo eſt, non autem in quo eſt; Propterea dicamus, iure ex hoc Subiecto præſtantiam & conditionem recipere, quia eſt id per imitationem, & repręſentationem & res ut ſe habet ad eſſe, ita ad cognitionem, & quia res eſt, uel non eſt, dicitur uera & falſa. Sequitur Concluſio Tertia, & eſt. His utriſque de cauſis hiſtoriam de Anima in primis ponimus; Pro qua conſidero Sextò, hanc Scientiam nuncupari hiſtoriam, Ægidius ait, quia traditur per poſteriora; At, contra, hiſtoria non eſt cum Demonſtratione per poſteriora, ſed abſoluta & ſimplex relatio. D. Th. inquit dici hiſtoriam, quia Ariſtot. ſummatim loquitur, at, hoc non eſt hiſtoriæ proprium, & Ariſtot. de Anima diſtinctè & prolixè loquitur; Dicamus, apud Græcos hiſtoriæ nomen etiam dici de Scientia, & Ariſtot. in Procemio 3. de Cęlo Sciẽtiam Phyſicam appellat hiſtoriam de Natura; & etiam hac uoce hoc in loco eſt uſus, ut denotaret nexum cum libris de hiſtora Animalium, & relationem ad eos, hinc dicet in ſequenti Contextu, Animam eſſe principium Animalium; Inſuper, Ariſtot. ait hanc hiſtoriam in primis poni, non ait eſſe prima abſolutè, ſed in gradu primarum collocari, qui gradus latitudine eſt prædictus. Conſidero Septimò, hanc tertiam Concluſionem non carere difficultate, & pro utraque ratione eſſe dubiam; Quod hæc ſcientia non præſtet ratione certitudinis, oſtenditur: quia Mathematicæ dicuntur prædictę exacta certitudine, Scientia autem de Anima eſt obſcuriſſima, & difficillima, ut dicitur in Contex. 4. Quod non præſtet ratione dignitatis Animæ, oſtenditur, quia ſeparatæ Mentes, & Deus, longe præſtant Animæ, ſic libri de Cęlo, 8. Phyſicorum, & Metaphyſica in re eminentiore uerſantur Pro Solutione primò eſt explicandum, quid Ariſtot. denotat per certitudinem, quam Grecè ἀκρίβειαν dicit, qua de re uarij uaria dicũt; Nonnulli ex Latinis, aiunt denotare conſpicuè cognitionem quod Anima ſit, cum tamen difficile ſit noſcere quid ſit; At huiuſmodi facilitas non reddit Scientiam præſtantiorem, quinimò præclara dicuntur difficilia, Alij aiunt denotare curam & diligentiam conſiderationis: nam accuratè Ariſtot. conſiderauit attinentia ad Animam, At ſic omni Scientiæ poſſet Acriuia competere; Præterea, Ariſtot. accuratè in libris de Moribus conſiderauit pertinentia ad mores, cum tamen in 1. & in 6. libris affirmat eam diſciplinam non eſſe capacem Acriuię. Propterea dicamus unà cum ipſomet Ariſtotele Acriuiam hanc de qua eſt ſermo, denotare conditionem rei de qua agitur, aptã exactè, ſubtiliter, exquiſitęque explicari, dum per materiam non uariatur, per prima & ſimplicia principia explicatur ratione quęſtionis genus abſoluitur, ut elicitur ex 1. Metaphyſicę, 1. de moribus, & 1. Poſteriorum; Vt autẽ diſtinctius eam noſcamus, ita dicendum puto; Acriuia, uel pertinet ad nos, & pendet ex noſtra cura, & diligentia, dum accuratè alicui nauamus operam, & de hac loquitur Ariſtot. in calce 2. Metaphyſicę inquiens, quod multos tedet Acriuia, quia accurati eſſe nolunt; Vel pendet ex re noſcenda, & hęc

Quomodo ex ſcibili pẽdeat præſtantia Scięti.

Perpenditur Concluſ. 3. 6. Conſideratio.

Sententia propria.

7. Conſideratio. Dubia attinẽtia ad tertiam Concl.

Solutio. De certitudine, opiniones uariæ.

Opinio propria.

Acriuia multiplex.

est triplex, uel per relationem ad, nos, dum est facilè apta à nobis apprehendi, ut quæ exactè cadunt sub Sensum, dicuntur cũ Acriuia nosci; de hac loquens Aristot. in 1. de partibus Animalium, inquit, nos magis optare uidere exiguam partem rei nobilis, quam multa ulia cum Acriuia; Vel Secundò, per relationem ad nos, & Naturam simul, ut sæpè Mathematicis, & potissimis ostensionibus tribuimus Acriuiam, quia simul per notiora nobis, & Natura progrediuntur, Vel Tertiò, per relationem ad Naturam tantum, & de hac Acriuia insequente Naturam, & conditionem rei, modo loquitur Aristot. Hęc fermatur cum difficultate ex parte nostri, ueluti Metaphys. dicitur prędita hac Acriuia, & dicitur difficillima, similiter, Scientia de Anima, & ex huiusmodi Acriuia ortum ducit præstantia Scientię. At, perpendamus causas huius Acriuię, ex conditione rei prodeuntis, Aristot. eas refert in 1. Polter. Philoponus duas esse dicit, Ludou. Boccafer. quatuor, re uera Aristot. tres enumerat, quę modo quodam ad duas redigi possunt; Prima est, dum una Scientia simul de re nosci, Quia, & propter Quid, dicitur Acriuior altera, quę solum nosci Quia, ut in subalternatis, superior se habet ad inferiorem; Altera causa assignatur ab Aristot. dum inquit: ut quę non est de Subiecto, hoc est, quę rem considerat sine materia, ea quę est de Subiecto, & rem cum materia considerat, ut Mathematica se habet ad Physicam. Tertia assignatur, dum ait, & quæ est ex minoribus, ea quę est ex appositione, ut unitas est essentia sine positione, punctum essentia posita, hinc punctum in unitatem resolutum, & dicitur unum, non autem unitas dicitur punctum; Hęc tamen Tertia ratio modo aliquo ad Secundam redigi potest, ut considerati redditur notum; Huiusmodi certitudo ex rei conditione prodiens, ortum ducit ex Natura, perficitur, autem à nobis per curam, & genus demonstrandi quod ei est aptum competere, ita nos de ea tale mus & cum Acriuia, & sine Acriuia loqui; sic res ut se habet ad esse, ita ad distinctam eius cognitionẽ, nec simul quęri debet Scientia de re, & modus sciendi, quia conditio rei secum defert modum proprium quo est apta, uel cum Acriuia, uel sine Acriuia nosci. Ex his oriuntur Solutiones difficultatum; Instabatur Primò, quia Scientia de Anima non uidetur præstare certitudine, Respondeo, hęc certitudo sequens naturam rei, primò cõpetit Metaphysicę, quę est de Deo, & simplicibus rerum essentijs; sub quibus ponitur Anima, ac ita absolutè dicitur poni in ordine primarum, & comparata cum consideratis in Scientia de Natura, est suprema, & per considerationem Mentis nectitur cum Diuina; Sic Scientia de Anima cedit Metaph. loquendo de certitudine ex parte rei, præstat aũt ei, loquẽdo de certitudine ex parte nostri tantũ, quia opera Animę sunt nobis notiora, præstat aũt cęteris partibus Scięntię Naturalis, quia quãuis libri Physicorũ sint de prioribus abstractione, vel origine, non tamẽ sunt de prioribus ordine naturæ absolutè, secundũ quem ordinẽ, Anima proximè sub superioribus collocatur: loquendo aũt de Mathematicis, Scientia de Anima eis cedit certitudine ex parte nostri, quia est de Accidentibus & certitudine pendente ex modo considerandi Accidentia sine materia, ei tamen præstat certitudine absoluta sequente conditionem rei consideratæ, quæ est substantia, sui absoluta natura longe præstans Acciuię Accidentiũ, cum Substantia quouis modo dicatur Accidẽtibus prior, & huiusmodi Acriuia parit potissimam perfectionem, quæ Acriuia (vt dixi) non pugnat cum difficultate. Insuper instabatur, quod non præstet dignitate Subiectiua iam dixi, quod cedit considerationi Dei, & Separatarum Mentium, præstat tamen cæteris partibus Naturalis Scientiæ, vt versantur in Physicis, primus motor de quo est sermo in 8. Physicorum, non dicitur ad Physicum pertinere, Corpus autem Cęleste vt Corpus Physicum est, non præstat Animæ.

Causa Acriuię.

Solutio aduersarum rationum.

VIDETVR autem ad veritatem omnem cognitio eius multum conferre, maximè autem ad Naturam, est enim tanquam principium Animalium. Contex. 2.

CVM Philosophus inuitasset solertes iuuenes ad Animæ considerationem per eius præstantiam, nunc idipsum facit per eius vtilitatem, ut exactiùs eos reddat benevolos; Secatur Contextus in tres partes; In Prima profertur vtilitas communis, & est, quod cognitio Animæ confert ad omnem veritatem; In Altera, utilitas principalis, & est, quod maximè confert ad Scientiam de Natura; In Tertia affertur causa huius principalis vtilitatis, & est, quia Anima est principium Animalium; & Ratio sic formatur: Cognitio principij, alicuius principalis speciei Subiecti, est maximè utilis pro cognitione illius Subiecti, & Scientiæ id considerantis, cognitio Animæ est cognitio principij Animalium, quę sunt species principalissimus Subiecti Scientiæ de Natura, quare cognitio Animæ maximè conducit Scientiæ de Natura. *Intentio.* *Diuisio.*

ANNOTATIONES.

VT pertinet ad Primam partem, considero Primò, quod Scientia de Anima dum consideratur secundum se, est bona, & præclara; dum refertur ad nos, dicitur honore & existimatione digna, at, dum Tertiò refertur ad alias Scientias à nobis addiscendas, dicitur utilis, ut modo manifestatur; Arist. prætulit honestum utili, tum, ut moneret id à nobis esse seruandum, tum insuper, ut indicaret verè utile sequi honestum, & non debere ab eo seiungi; hac ratione Plato in Hiparcho, omne lucrum demonstrauit esse bonum, denotans per lucrum, id, quod est verè utile, quod etiam est honestum; Considero Secundò, quod Arist. patefaciens utilitatem cognitionis Animæ, non ait eã esse positam in bonis Fortunæ, sed in cognitione veritatis, quæ est bonum Animi, & aurum eius, nitidissimè fulgens, extrà Fortunã est positũ, & nedum non decipit possidentes, uerũ potius eos ab omni deceptione liberat; quę ueritas, adeò est hoîs propria, ut Plato in 10. de Rep. enunciauerit, hoîem seiunctũ à uero, nullius esse existimationis; hinc optimo iure Consuetudo inoleuit, ut ij qui dicuntur mentiri, indicentur infames; Hæc ueritas à uiro sapiente maximi fit de qua Plato in 5. de Legibus ait, eam cum hominibus tum Dijs ad omnia bona esse ducem & Arist. in 4. Metaph. 8. inquit nos magis teneri esse solicitos de ueritate, quam de sanitate, & in 1. Nicomachiorum eam præfert Amicitiæ, inquiens: Amicus Plato, amicus Socrates, magis tamen amica veritas, quam cum præferat amicitiæ, eam præfert cunctis externis bonis, nam in 8. Nicomachiorum, amicitia dicitur maximum externorum bonorum; & ter maximus Mercurius, Veritatem extollens, dixit in solo Cælo purã & synceram residere; & cum conferat cognitio Animæ ad omnẽ ueritatem, confert ad summũ bonum hominis hanc vitam uiuentis, quod in ueri contemplatione est positum. Considero Tertiò, quod non constat quid nomine ueritatis Arist. denotet; Philoponus ait denotare vniuersam Philosophiam cum Inspectricem, tum Ciuilem; Simplicius ait denotari solam Inspectricem, quæ est de Substantia, excludendo Mathematicas; Dicamus denotari solam Inspectricem, nam hæc denotatur nomine ueritatis, & ad hanc proximè confert, & præsertim eam quę est de Substantia, hęc enim præsertim Philosophię nomine denotatur, ut patet ex 4. Metaph. quo loci legitur tot esse Philosophiæ partes, quot Substantiæ, sed cum ad hanc proximè conferat, consequenter deinde conducit & Ciuili Scientiæ, & artibus principalibus, quibus est uti- 1. *Considera tio.* *Honestũ præfertur utili. Plato.* 2. *Considera tio.* *Veritas est maxime propria hominis.* *Mercurius ter maximus.* 3. *Considera tio.* *Nomine veritatis quid denotetur.*

lis Philosophia Inspectrix, quod enim est causa causæ, etiam est causa pendentium ex ea; At Quarto loco considerandi sunt modi quibus dicitur utilis; qua de re dico, utilitatem prodeuntem ex Animæ cognitione, esse duplicem; Vnam communem; Alteram propriam; Vtilitas communis est, quia noscentes Animam, noscimus quomodo ex Phantasmatibus eliciantur intelligibilia in Scientijs considerata, quæ est utilitas ualde communis. Præterea, noscentes Animam, noscimus indagatorem & indicem cuiusque veritatis, insuper, noscimus Subiectum cuiuslibet Scientiæ, Scientia enim dicitur esse in Anima. Præterea, noscimus Mentem, qua iudicamus principia prima, de qua loquens Arist. in 1. Poster. dixit nobis nedũ competere Scientiam, uerum insuper principium Scientiæ, nimirum Mentem, quo cognoscimus terminos, hoc est suas Primas enunciationes. Vtilitas autem propria patebit per Secundã partẽ. Considero Quintò, quod utilitas est triplex, Regia, Æqualitatis, & Seruilis; utilitas communis, est quodam modo Domina, & Regia, quatenus Mens ut Iudex iudicans, seruat conditionem Domini, & præsidentis; at, dum mox distinctè modo proprio ad varias Scientias refertur, si refertur ac Metaphysicã, dicitur Ancilla eius, dum refertur ad libros de Animalibus, est quodam modo utilitas æqualitatis, cum aliqua tamen præstantia, dum refertur ad inferiorum considerationem, est Regia; Considero Sextò, ex dictis tres non silendas difficultates prodire; Prima, est, quæ sit utilior, vnam Sciẽtia de Anima, vel Metaphysica; Altera est, cum Animę cognitio sit honesta, & honore digna, non uidetur utilis, quia honestum est finis, & propter se, utile tendit in finem, & est ob aliud; Tertia est, quia Arist. videtur secum pugnare, quia hoc in loco ait Scientiam de Anima conducere cæterorum cognitionibus, at, in 3. de Anima, Contex. 8. ait Mentem tunc posse cognoscere se, dum fuerit singula facta, hoc est, dum cætera intellexerit; De prima difficultate dico, utilitatem Metaphysicam esse solum Regiam, & eminentiorem: quia per eam eleuamur ad Prima, & cõia Principia, ad notitiã essentię rerũ, & demum ipsius Dei, qui est ipsa ueritas & origo cuiuslibet veritatis, utilitas tamẽ cognitionis Aiæ, est nobis proximior, & familiarior; De Secunda difficultate dico, idem distincta ratione posse dici honestum, & utile, quatenus est optabile, cum ex se, tum ob aliud, vt patet ex Scientia de Moribus; De Tertia difficultate dico, Scientias & cognitiones sibi mutuo opem ferre, modo tamẽ uario, ut etiam morales virtutes, se mutuo perficiunt; Considero Septimò, ut pertinet ad Secundam partem, quod Arist. ait Scientiam de Anima maximè conducere naturæ, hoc est Naturali Philosophiæ, quæ est Scientia de Corpore Naturali, constituto per Naturam; At oritur Dubitatio, quia etiam Anima est Natura, cum sit Forma corporis Physici, nil autem dicitur utile sibi, sed alteri; Respondet Philoponus, inquiens Animam non esse Naturam, sed supra Naturam; at hoc dicendo, aduersatur Aristoteli; qui in 1. de partibus Animalium, affirmauit esse Naturam, & ei competit Definitio Naturæ tradita in 2. Physic. Propterea dicamus, Scientiam de Anima, ad quatuor referri; Primò, ad libros de Anima, quibus non est utilis, sed est ipsamet Sciẽtia, cum Anima in eis consideretur; Secundò, ad libros de Animalibus, quorum Anima est principium, ac ita conducit, ut principium dicitur conducere pro cognitione totius, & hoc indicauit modo Philosophus; Tertiò, potest referri ad uniuersam Sciẽtiam Physicam, ad quam per Animal quod est principalis species Subiecti eius, cõducit ut pars præcipua ad totum; Quartò, referri potest ad Scientias alias, quibus conducit, tribuendo illis principia uaria, ut inquit Auerroes. Considero Octauò, quod Arist. inquit Animam esse ut principium Animalium; Dubitatur, cur non dicat absolutè esse principium, sed addit ut Græcè ὅτου; Insuper, cur non dicit uiuentium, sed potius Animalium; Tertiò, si cõsideratur ut principium Animalium, Animal Subiectum erit, cum eius declaretur principium; De Prima difficultate ait Philoponus addi (ut) pro distinctione à Natura, quæ est principium proximus, & intimus quã Anima, sed erat, tum, quia etiam Anima est Natura, tum insuper, quia si esset suprà

4. Consider. Veritas ex Animæ cognitione duplex emergit.

Vtilitas communis.

Vtilitas propria.

5. Consider. Triplex utilitas.

6. Consider. Tria dubia.

1. Dubij Solutio.

2. Solutio.

3. Solutio.

7. Consider.

Dubitatio.

Solutio. Philoponus.

Sententia propria.

Scientia de Anima ad quatuor refertur.

8. Consider. Tria dubia.

Solutio dubij primi. Philoponus.

Naturam, esset prior, & magis principium, tum Tertiò, quia Aristot. eam refert non ad Naturale Corpus, sed ad Animal, cuius absolutè est principium; Simplicius inquit id addi pro distinctione à Mente participata, quæ est eminentior Anima, & magis principium, at Aristot. Animam rationis compotem non secreuit à Mente participata; Præterea, si natura ab Aristot. absolutè dicitur principium, etiam Anima absolutè principium erit, cum sit uel natura præcipua, uel suprà naturam, hinc in Contex. 3 6. 2. libri ostendetur, eam esse principium in triplici genere; His accedit, quod principium Animalis, ut est Animal, non Mens, sed Anima est. Propterea dicamus, eam particulam (ut) non semper denotare deminutionem, sed frequenter ea utimur pro explicatione modi, quo refertur ad Animal; Insuper ita loquitur, tum, quia Animalis etiam alia dantur principia, tum insuper, quia adhuc non patefecit quomodo eius sit principium, quod faciet subsequenter in 2. libro. De Secunda difficultate, cur potius dicat eam esse principium Animalium, quam uiuentium, dico, id feciisse Philosophum, tum, quia Pythagoras, & Plato etiam Plantas dixêre Animalia, tum insuper, quia multi Veterum negarunt opera Animæ Plantarum, esse opera Animæ, sed dixêre esse opera cius Naturæ, quæ infra Animam est posita, quorum sententia reijcitur in 2. de Anima, tum Tertiò, quia libri de Plantis, postponuntur, & Aristot. 1. de Animalibus, loquitur ad quæ, & ad quorum declarationem proximè referuntur libri de Anima; tum Quartò, quia Animalia sunt uiuentium præstantissima, & conspicuè Anima prædita; De Tertia difficultate dico, ex hoc non elici, Animal esse proximũ & æquatum Subiectum, immò oppositum: nam si Animal esset Subiectum, tunc non diceretur hæc consideratio ei utilis: quia nil sibimet est utile, addo insuper, quod idẽ distincta relatione, potest esse & Subiectum, & principium, Anima est res considerata in his libris, & proximum Subiectum eorum, relata uerò ad uniuersam considerationem Animalium, & Plantarum, est principium, ut modo dicitur ab Aristot. Demum, si ad ea referatur quorum est principium, potius Corpus uiuens, quam Animal deberet dici Subiectum, quia ut Animalium, ita Plantarum est principium.

Simplicius.

Sententia propria.

Solutio dubij 2.

Solutio dubij 3.

QVAERIMVS speculari, & cognoscere Naturam eius, & Substantiam; Deinde, quæ accidunt circa ipsam, quarum alia propria passiones videntur esse, alia verò ob eam communes & Animalibus.

Contex. 3.

PRAEFACTA præstantia, declarataque utilitate considerationis Animæ, modo consilium Philosophi est, ea proponere, quæ de Anima, tanquam de Subiecto sunt declaranda, ac insuper ordinem inter ea patefacere; Ratio huius consilij est, ut curam suam manifestet, & cum benenolum reddidisset auditorem, illum modo reddat docilem; Diuiditur Contextus in Tres partes; In quarum Prima proponit id quod præsertim de Subiecto est declaraturus, inquiens se Primò inquisiturum Naturam & Substantiam Animæ, quam patefaciet per eius Definitiones; In Altera unà cum ordine manifestat quid secundo loco sit declarandum, inquiens, deinde esse explicanda ea quæ accidunt circa ipsam Animam, nimirum, affectiones, quæ dicuntur Accidentia secundum se, & attinent ad secundum modum dicendi per se, nam quæ eueniunt ex Accidenti, excluduntur à Scientijs; Accidentia autem secundum se, quæ & affectiones, & proprietates, & passiones nuncupantur, diuiduntur in Tertia parte, quia aliæ earum ut intelligere, & uelle, uidentur esse propriæ ipsius Animæ, aliæ uerò communes Corpori, & per Animam Corpori competentes, ut irasci, sentire, & similes.

Intentio.

Ratio.

Diuisio.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Supponitur esse agẽdum de Anima.

SVPPONIT Aristot. de Anima esse agendum, idque notum esse voluit, quia de ea proximè disserendum proposuit in calce librorum de partibus Animalium; insuper, ex inscriptione, & ex mentione quam de ea fecit in calce primi textus, ideo satis fuit modo vti pronomine relatiuo eam denotante; Et in verbis considero Primò, quod Aristot. patefacturus suam curam, & diligentiam, ait: Inquirimus autem speculari, & cognoscere; vtitur autem his tribus vocibus, quia dum accuratè de re aliqua loqui cupimus, Primò dubitando quærimus, indagantibus enim veritatem, operęprecium est, primò bene dubitare, ut dicitur in prima Philosophia; Secundo loco per media speculamur; Tertiò, cognoscimus; quem ordinem suo loquendi modo patefecit Aristot. Considero Secundò, quod ait Naturam, & Substantiam eius, ait Naturam, dicendo modum considerandi: nam considerandа est Anima à naturali Philosopho, ut est Natura, & principium operandi Animalium; addit, & Substantiam, indicando rem considerandã, & explicandam per Definitionem; Insuper, ait Naturam, & Substantiam, quia præcipua conditio Naturæ est, ut sit Substantia rerum natura constantium, ut patet ex 2. Phys. Insuper Natura dicitur ut principium operandi, Substantia uerò pro fundamento, & absoluto; Hinc duarum tradendarum Definitionum, Prima explicat essentiam, quæ est actus corporis; Altera quæ sint eius opera; Simplicius ait: Cum Anima sit conditionis mediæ, partim iuncta cum Sensilibus, partim cũ superis intelligibilibus, per Primum, dicitur Natura, per Alterum, Substantia; At, errat: nam hoc posset dici de sola Mente, Aristot. autem inspicit totam Animam; Præterea, Mens nec Definitur, nec consideratur ut iuncta cum superis, sed solum ut principium Animalium, ut dixit Aristot. Considero Tertiò, quod Aristot. proponens Secundo loco consideranda eà quæ secundum se accidunt Animæ, ait deinde, indicando ordinem, at non apparet quo loci id faciat; Aiunt nonnulli, id fieri in paruis naturalibus; Hinc Aristot. sub initium libri de Sensu & sensili, colligit se Animam declarasse, & proponit declarandas communes, & proprias operationes animalium omnium, & ultram habentium; Profectò, hæc sententia magna ex parte uera est, quia Aristot. huiusmodi affectiones magna ex parte explicat in paruis naturalibus; ex quo patet, hoc proœmium etiam illis esse commune, non tamen omninò est approbanda, tum, quia affectiones attinentes ad Mentem, non in eis, sed in 8. de Anima declarantur; tum insuper, quia in libris de Anima, aliæ quoquæ nonnullæ declarantur, ueluti, quod Anima non sit diuisa per uaria membra Corporis, tanquam per plures principes sedes, sit locus specierum, recipiat species sine materia, & similes; Propterea, inquiens has esse declarandas deinde, indicat post Definitionem & explicationem Substantię, siue in libris de Anima, siue in paruis naturalibus, nam in libris de Anima eas explicat quæ sint intimiores Animæ, reliquas uerò in paruis naturalibus, sic proponit declaranda cum attinentia ad Definitionem, tum ad Demonstrationem, primò tamen attinentia ad Definitionem: quia hæc est medium ostensionis, & principium declarationis affectionum; Considero Quartò, quod Aristot. in Tertia parte diuidens affectiones Animę, inquit quasdam uideri proprias, alias per eam esse communes Animalibus, Pro notitia autẽ animaduertendum est, quod opus potest dici proprium, uel partis contradistinctę ab alijs, ut proprium oculorum uidere, est aurium, audire, uel unius Animalis contradistincti ab alijs, ueluti Aristot. sub initio libri de Sensu & sensili diuidit affectiones in communes omnibus Animalibus, ut Sentire, & proprias quorundam, ut Memoria; Vel Tertiò, ipsius Animæ contradistinctę à Corpore in qua significatione modo Aristot. utitur nomine Proprij, & Communis; Insuper, hoc Tertiò modo, loquendo de

Primum cõsiderandum.

Natura & Substantia.

Simplicius.

Opus quomodo proprium dicatur.

proprijs

proprijs & communibus Animæ affectionibus, dico, non operationem esse uerè & primò propriam, sed facultatem operandi, ut non uidere sed facultas ridendi est, uerè propria hominis; Considero Quintò, quod Aristot. diuidens, partim uidetur redundans, partim diminutus, redundas primò, quia affectiones propriæ Animæ non attinent ad Physicum, qui solum considerat communia Corpori, Diminutus uerò, quia etiam dantur affectiones quæ per Corpus competunt Animæ, ut somnus & uigilia; Pro Solutione dico, affectionum Animæ quædam sunt eius propriæ, aliæ communes, Propriæ sunt duplices, uel sunt propriæ absolutè, ut intelligere separatarum Mentium, & motorum cœli, & de his Aristot. non loquitur: quia non attinent ad Physicum; uel non sunt penitus propriæ, sed uidentur, ut intelligere, & uelle, quæ competunt homini, & non sunt propriæ absolutè, quia egent Phantasia existente in Corpore, uidentur autem propriæ, quia fiunt sine instrumento corporeo, & facta comparatione cum alijs, & hæ ad Physicum pertinent, & referuntur ab Aristot. ideo non est redundans. Ex aduerso, affectiones communes, uel prodeunt ex Anima, & attingunt Corpus, uel prodeunt ex Corpore, & attingunt Animam; primæ dicuntur affectiones Animæ per originem, aliæ per necessariam conspirationem, ambæ enim hoc habent commune, ut non competant Animali sine Anima; & propterea Arist. non est diminutus. Demum Sextò considero, quod Andronicus nitebatur ostendere librum de Interpretatione non esse Aristotelis, quia in principio eius libri notiones animi nuncupantur animi passiones, quod ait non fieri in libris de Anima; sed erratt, quia Aristot. cum hoc in loco, tum in 3. libro de huiusmodi passionibus latè sumptis pro Animæ operationibus uerba facit.

5 *Dubitatio.*

Solutio.

6 *Andronic⁹*

OMNINO autem & penitus difficillimorum est accipere aliquam fidem de ipsa, cũ emm sit quæstio communis & multis alis, dico eam quæ est circa Substantiam, & quid est, fortassis alicui videbitur una quædam Methodus esse de omnibus, de quibus volumus noscere Substantiam, veluti eorum quæ sunt secundum Accidens propriorum Demonstratio, quare quærenda erit ea Methodus; Si autem non est una quædam, & communis Methodus de ipso quid est, difficilius erit negocium, oportebit enim de unoquoque accipere quis sit modus; Cum autem manifestum fuerit num Demonstratio aliqua sit, aut Diuisio, aut alia aliqua Methodus, adhuc multæ occurrent dubitationes, & deceptiones, ex quibus oporteat quærere, alia enim aliorum sunt Principia; veluti Numerorum, & Planorum.

Contex.4.

Contex.5.

DATE FACTA præstantia & utilitate considerationis Animæ, insuper declarato consilio, & ordine; Intentio Aristotelis modo est, referre difficultates quæ considerationem hanc reddunt difficilem, & obscuram; cuius intentionis Ratio est, ut iuuenes solertes reddat attentos, segnes verò tanquam ignauum genus longè à præsepibus arceat; Insuper, quia cognitio difficultatis est principium exactæ considerationis, & nos cautos reddit; demum, ut cognitionem hanc tanquam arcanum, & recondituin aliquid, magnifaciamus, præclara enim ardua sunt, & quæ cum difficultate parantur, pluris sunt. Diuiditur Con-

Intentio.

Ratio.

Diuisio.

textus

textus in duas partes; In Prima ponitur hęc Conclusio. Omnino, & penitus difficillimorum est accipere fidem, & certitudinem aliquam assequi de Anima; In altera declaratur Conclusio per attinentia ad Methodum indagandi Definitiones rerum, nam Methodus indagandi Definitiones, vel est una, veluti propriorum secũdum accidens, hoc est, propriarum affectionum vna est Methodus, quę dicitur Demonstratio, & tunc quęrenda erit ea Methodus; quę inquisitio duas includit difficultates; Vna est, quęnam sit ea Methodus; Altera in vsu, & applicatione eius ipsi Definibili erit posita, nam variorum varia sunt principia; si verò fuerint plures, tunc negocium redditur difficilius; nam Primò erit noscendum, quot, & quę sint; Secundò, quę earum congruat rei Definiendę; Tertia difficultas versabitur in vsu, & applicatione, nam variorum varia sunt principia, veluti rerum Geometricarum & Arithmeticarum earum principia sunt Puncta, & Lineę, harum verò Vnitas; Definitio autem est resolutio rei definibilis in sua principia.

ANNOTATIONES

Primò considerandum. Gradus facilitatis & difficultatis.

CONSIDERO Primò, noscenda in hunc ordinem distribui, dantur enim facillima ut Sensilia propria, in quibus Sensus non decipitur, facilia, ut cætera proximè Sensilia, difficilia, ut Materiatæ Substantiæ, difficillima ut Anima, & eminentiores Formæ, cum quibus Anima per Mentem nectitur, singuli gradus sunt prædicti latitudine, ideo Anima non dicitur absolutè difficillima, sed inter difficillima numeratur & infimum inter ea obtinet gradum, difficilius enim à nobis motores Cælorum, & Deus noscuntur, & Anima præsertim ratione Mentis cum difficultate noscitur, nec apparet an prædita sit opere proprio, vel ne, de qua dicebat Plato; nos eam inspicere tanquam Marinum Glaucum, undis, & tempestatibus nostri Corporis, tanquam procelloso Maris agitatum, & deformatum; Dubitatio est de materia, & infinito, quæ difficiliora videntur, quamvis non sint supra Animam elevata, nam infinitum: dicitur secundum se ignotum; Respondeo, hæc esse obscuriora ex parte sui, at non ob id nobis difficiliora: nam materia per transmutationem, per Analogiam, & per negationem facilius noscitur; similiter, facilius noscitur infinitum, ut est natura una apta noſci, & dicitur id, in quo semper est aliquid ultra accipere; & quamvis Arist. numeret Animam inter difficillima cognitu, non ob id secum pugnat, cum prius ei certitudinem tribuerit, est enim certa ex sui natura, & conditione, ea tamen certitudo, à nobis cum summa difficultate attingitur; Considero Secundò, quod Arist. air, difficillimum esse assequi de ea fidem aliquam, ait fidem, hoc est certitudinem, vel signo, vel ratione quavis acquisitam, & ait fidem, indicans, quod si de ea fidem aliquam difficillimè assequi valemus, longè minus valemus assequi exquisitam scientiam; Ex quo elicere valemus, nos egere supero lumine, ut lucidè conditionem certam Animę valeamus inspicere, quo cum caruerit Arist. iure fatetur difficillimum esse certi aliquid de ea assequi; & cũ dicatur difficillima cognitu, potest fieri comparatio vel universè internoscenda, vel solum in genere Physicorum, quęvis fiat, semper sententia servatur vera, ut ex dictis patet; Considero Tertiò, quod Arist. oritur à difficultate pertinente ad Methodum, quia hęc est instrumentum, quo muniti ad scientiam accedere tenemur, & dicitur dubitatio non propria Animę, sed communis multis alijs, hoc est, cunctis rebus Definiendis, instrumenta enim Logica communia sunt, & quamvis de illis agere sit officium Logici, non Physici, tamen declarata in Logica, debent deinde in Scientijs contrahi, præcipi, & applicari, & hæc est, pedia, hoc est, recta institutio ad Scientias; Hinc Arist. difficultatem hanc nõ distinctè soluit, sed congruẽte Methodo vtens eam elucidabit, & hæc dubitatio dicitur referri ad Substantiam, & Quid est, indicando non solam Substantiam contradistinctam ab Accidente, sed

Plato.

Dubitatio.

1 2 3

essen-

essentiam omnem explicandam per Definitionem; Considero Quartò, quod de Methodo indagandi Definitiones variæ fuerunt Veterum opiniones; Tribuitur Hippocrati, quod putarit Methodum indagãdi Definitiones esse Demonstrationem; Plato in Sophista, Protagora, & Philebo, magni facit Diuisionẽ; quas duas opiniones modo refellit Arist. ipse autem in 2. Posteriorum, Compositionem approbauit, quã denotat, dum addit: vel alia aliqua Methodus; Si autẽ absolutè quæritur, quot, & quæ sint; Respondeo, distincta ratione & pro vsu vario esse tres enumeratas, præcipuam tamen esse Compositionẽ: nam pro indagandis & ordinandis Differentijs, & ne pars aliqua dimittatur, conducit Diuisio, quæ quamuis ab Arist. pro relato vsu approbetur, videtur tamen reijci, quia per eam nil ostenditur, sed solum Differentiæ referuntur, vt dicitur in 2. Poster. & in 1. de partibus Animalium, carpitur nimium curiosa & semper bimembris Diuisio; Secundò, conducit Demonstratio, quatenus per Definitionem dicentem propter quid, ostenditur altera, quæ explicat quid, & uniuersa Definitio; est Demonstratio tota, ut dicitur in 1. Poster. nec propterea potest ostendi Definitio de Definito, cum reduplicatione, nimirum, quod eius sit Definitio, sed solum absolutè quod ei competat, & de eo verè dicatur; Definitio autẽ quæ est principium Demonstrationis, nullo pacto ostendi potest, sed solum ex Sensu notis colligi, & rationibus Dialecticis approbari potest, vt dicitur in 1o. Nicomachiorum; Tertiò, maximè conducit Compositio, & ab Arist. in 2. Poster. cæteris præfertur, quia Compositio est progressus, ex inferioribus ad superiora, redigendo in unum, & componendo inferiora sub Sensum cadentia, nobisque notiora, qua Compositione, ex singularibus Sensui conspicuis, colligimus attinentia ad speciẽ, & ex speciebus componendo colligimus attinentia ad genus qua uia progredientes, dicimur componere; hæc præfertur, quia per notiora nobis nos ducat, tametsi tamen considerat Auerroes in 1. de partibus Animalium cap. 1. Diuisionem maximè conducere pro indaganda Definitione seiunctorum à Materia; quia non cadunt sub Sensum; Compositionem verò in rebus materiatis; Aristot. vtitur pro indaganda & tradenda Animæ Definitione, singulis his Methodis, præsertim tamen Compositione. Considero Quintò, quod Arist. ait propriorum secundum accidens vnicam esse Methodum, quæ dicitur Demonstratio, ait propriorum ex accidenti, quia proprium duplex est; vel secundum Essentiam, & hoc est Definitio, vt dicitur in Topicis; vel ex Accidenti, & dicũtur Affectiones, & Accidentia secundum se; At, oritur dubitatio, quia Methodus ea cognoscendi non vna est, sed multiplex, datur enim Ostensio, Quia, & propter Quid, & vtraque subdiuiditur, ut patet ex 1. Poster. Soluitur, dicendo quod Demonstratio est genus ab vno, quod vno communi nomine denotatur; Insuper, dũ absolutè est sermo de ostensione affectionum, denotatur Demonstratio per causam, & propter quid, qua sola absolutè dicuntur sciri; Considero Sextò, quod male Arist. videtur dubitare de Methodo indagandi Definitiones: nam ut uiæ non est uia, ita nec methodi methodus, Definitio autem dicitur methodus noscendi quid res sit; Hinc nonnulli ex hoc elici existimarunt, Definitionem non debere iudicari methodum, & præsertim, quia methodus est cum ratione, & discursu, quo caret Definitio, & solũ dicitur esse id, quod res est, & propterea Definitio uidetur respondere rei demonstrabili, non autem Demonstrationi; At, hi conspicuè falluntur: nam id cui competit Definitio Methodi, debet censeri methodus, huiusmodi autem est Definitio; quod ostenditur: quia Methodus est via, qua ex notiore ducimur in notitiam obscuriorit, hoc autem competit Definitioni, quod patet autoritate Arist. qui in 1. Metaph. 48. ait omnem doctrinam fieri per prænota, siue sit per Definitionem, siue per Demonstrationem, oportet enim ea ex quibus constat Definitio, prænoscere, & esse nota; Insuper in 6. Topic. cap. 1. & 3. inquit Definitio est clarissima interpretatio, & uti debet notis, cum tradatur ut per eam definienda reddantur nota. Similiter in 2. Poster. legitur, ut in Demonstratione oportet reperiri formam Syllogisticam, ita in Definitione

4 *Methodus indagãdi Definitiones.*

Diuisio.

Demõstrat.

Compositio.

5 *Dubitatio.*

Solutio.

6 *Dubitatio.*

At Definitio sit methodus.

Error quorundam.

tione clarum, adeò, ut clarum eius dicamus rem esse, nec dere formæ Syllogisticæ, quæ no thodus est. Quod autem Definitio respondeat Demonstrationi, non autem rei de monstrabili, conspicuè dicitur ab Aristotele 2. Poster. cap. 3. quo loco inquit nos scire Demonstratione, & Definitione, & propterea unoquæritur, an sint idem, vel distinguantur. Rationes aduersæ diluuntur. Dicebatur ad methodum non dari methodum; Respondeo primò id esse falsum, velut enim ex una ad alteram esse potest, Insuper, dico id contingere distincta ratione, nam consideratur duplex progressus; Vnus pro indaganda Definitione, in quo progressu Definitio respondet demonstrabili, quem progressum modo considerat Arist. Alter est ab Definitione ad Definitum, quatenus per Definitionem id redditur notius, qui progressus est per notiora, respondet Demonstrationi, & est methodus; Addebatur, non esse methodum, quia est sine motu & discursu; Respondeo, pro methodo non requiri motum illum, dicitur tamen de methodo diuisiua. Quomodo contrariorum una principia sint. Considero Septimò, quod Aristoteles esse Contextu voluit contrariorum unica esse principia, quod non videtur ad rem facere, quia non dantur principia Animæ, sed ipsamet est principium. Respondeo, quamuis Anima sit principium Animalium, tamen etiam eius, ut est Subiectum libet, & Definiri debet, dantur principia, nam actus primus est principium entis, explicans formam, Corpus Physicum organicum est principium in genere materiæ, cuperacius sint finis cuius gratia; Ex quo patet, Aristotelem ea cuncta tribuere Animæ quæ Subiecto competunt: nam ei tribuit quod sit Definienda, quod ei competant affectiones, ut in Contextu præcedente, & quod ei competant principia, similiter etiam ei competunt partes, iure itaque statui meretur Subiectum.

Contex. 6. *PRIMVM autem fortasse necessarium est distinguere in quo genere sit, & quid sit, dico autem num hoc aliquid, & Substantia sit, aut Quale, aut Quantum, aut aliud quoddam dictorum Prædicamentorum. Adhuc autem num eorum quæ sunt potestate, vel potius actus quidam, non enim parum differt.*

Intentio. Diuisio. Expositio. DVBITAVIT Philosophus de methodo pro indaganda uniuersa Definitione, loquitur modo de eius usu, qui cum referatur ad genus, cum remotum, tum proximum, ideo Contextus diuiditur in partes duas; In Prima est sermo de genere remoto, In Altera de proximo, ait in prima parte; Primum fortasse distinguendum genus, nam hoc est id quod primo sumendum est in Definitione, ex cuius diuisione eliciendæ sunt Differentiæ; Addit (fortasse) quia hic non est locus proprius explicationis; Insuper, quia id est faciendum si progredimur diuidendo, at, dum progredimur componendo, & inferiora in vnum redigendo, id debet fieri postremo loco, ut dicitur in 2. Poster. ait, (in quo genere, & quid sit,) tũ, quia genus explicat quid, tum insuper, quia si caruerit uniuoco genere, saltem sit communie ab uno, denotante quid, nunc Substantia, uel Quale, uel Quantum, mentionem facit de his tribus, Primò, quia sunt genera principalia; Secundò, quia hæc sunt genera ad quæ Veteres Animam rediger bant, Pythagoras & Plato, dixere esse Substantiam; Zenocrates Numerum, & Quantum, alij Quale, ut uel calorem, uel harmoniam; Constituto communi genere, ad proximum est descendendum, omne enim genus diuiditur per actum & potentiam, nam hæc sunt Communia eorum quæ sunt principia, & propterea in omni genere locum habent, & cum Arist. modo non decernat in quo sit genere, non denotat diuisionem sui Substantiæ competentem, per corporeum & incorporeum, ut malè putat Philo-

ponus

ponus, sed aptam competere omni generi, & uritur hoc loquendi modo, an sit eorum quæ sunt potestate, quia potentia latitudine est prædita; addit, uel potius actus quidam, ait potius, quia hoc est uerum, dicit actus quidam, quia actus est multiplex, & Anima non est actus secundus, sed primus, & plurimum refert statuere Animam actum, uel potentiam, quia sunt Differentiæ ualde oppositæ.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod iure aliquis ambigere posset, quomodo primò accipiendum sit, in quo genere sit Anima, cum Anima sit Forma; quæ est principium generis, non autem species aliqua eius; Soluitur per duo fundamenta; Primum est, quod Substantia usurpatur dupliciter; Primò, pro contradistincto ab Accidente; & hoc nõ est genus uniuocum, sed ab uno, & dicitur de Forma, de Materia, & de Composito, sub quo genere est Anima; Secundò, usurpatur pro genere uniuoco Prædicamenti Substantiæ, & hoc est Corpus conflatum ex communi materia mortalium, & materiata forma, cuius generis actus & potentia siue forma, & materia, sunt principia: nam aliquid potest esse in genere, uel à latere, ut Differentiæ, uel infrà, ut Individua, uel per similitudinem, ut æterna, uel directè, ut genera, & species, uel suprà genus, ut principia, adeò, ut Anima sit species Substãtiæ in prima significatione, in altera uerò redigatur ad Substantiã tanquã principiũ eius. Considero Secundò, in dubiũ uerti posse id quod dixi, diuisionẽ per actũ, & potentiã, pertinere ad genus proximũ, siue ad differẽtiam id constituens, quod videtur falsum, cum actus & potentia sint cõia cunctis generibus, & super ea elcuata, cũ sint principia eorum, ut patet ex 12. Metaph. Respondeo, actum & potentiã, considerari dupliciter; Vel uniuersè ac ita diuidunt Ens, eoque sint minus communia; Vel cum contractione ad distincta Prædicamenta, ueluti gratia exempli, ad Substantiam, ac ita actus, est Forma, potentia est Materia ex quibus consurgit Compositum, & propterea Arist. in 2. de Anima, sumpta Substantia, eam diuidit in Materiam, Formam, & Compositum; Actus dum refertur ad Substantiam ab uno dictam, sub Substantia ponitur, & dicitur Substantia, ac ita eam contrahit: dum uerò refertur ad Substantiam pro genere Vniuoco, quod est Substãtia composita, sic non ea tota est, sed pars, & propterea genus proximum constituit; contradistinctum à potentia. Considero Tertiò, quod Arist. ait esse quærendum, num Anima eorum sit quæ sunt potestate, uel potius actus quidam, per hoc uidetur deiotare, nonnullos putasse Animam esse eorum quæ sunt potestate, at non apparet quinam illi fuerint; Insuper, cum actui opponatur potestas, & ei quod est potestate, opponatur id quod est actu, cur nõ utrumque eo modo sumpsit quo opponuntur, sed dixit, num sit eorum quæ sunt potestate, uel potius actus quidam? De Prima difficultate dico, Veteres putasse Animam ex eo constare, quod pro materia sumpserunt, ueluti Thales Milesius, Animam censuit esse Aquam; Diogenes Aerem, Heraclitus Ignem, materiæ autem conditio est potestas; De Altera dico, Formam rectè dici actum; id autem quod est actu, & compositum; Ex aduerso, materia minus rectè dicitur potentia, quia potentia solũ est ex parte fundamenti, ut autem est potentia, non est, & propterea rectius loquimur dicendo materiam esse potestate præditam; nam potentia ultra essentiam materiæ, solum addit rationem, quæ non constituit Compositum.

1. Considera tio. Quomodo Anima cõpetat Genu

Esse in genere quid sit.

2 Dubitatio. Solutio.

3

Solutio.

CONSIDERANDVM autem si Anima est apta diuidi, uel ne; & num Anima omnis sit consimilis speciei, uel ne; & si non, utrum specie differant, aut genere, equi enim

Contex. 7.

nunc de Anima loquuntur, & quarum attinentia ad illam, de humana solum videntur uerba facere.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

DVBITAVIT Philosophus Primò de methodo; Secundò de vsu methodi, & simul de his quę Animam antecedũt, nimirum de genere remoto, & proximo; Nunc aũt de his dubitat quę considerãtur iuncta Animæ, & simul cum ea sunt Præsens Contextus secatur in quatuor partes: In tribus primis partibus proponit dubia, in Quarta refert opinionem Platonis, ut indicet iure optimo de propositis esse agendum; Inquit in Prima parte considerandum esse, num Anima sit apta diuidi, vel ne, nã cum sit expers Corporis, non videtur apta diuidi, tamen quia re uera ei competit diuisio aliqua, & diuisio potest esse, uel in partes consimiles, ut diuisio aquę, uel in dissimiles, ut diuisio manus, ideo Secundò quæritur, num Anima omnis sit consimilis speciei, vel ne; Et quia distincta specie, possunt differre, vel sola specie, vel etiam genere, ideo Tertio quæritur, num distinguantur sola specie, vel nedum specie, sed etiam genere. Quarto loco rationem affert considerationis huius tertię difficultatis, & est, quia Plato de sola hominis Anima videbatur verba facere, ac ita Animas non videbatur secernere specie, quod tamen ab Aristotele uerum non iudicatur.

ANNOTATIONES.

Diuisio Animæ.

1 CONSIDERO Primò, Animæ uarias tribui diuisiones, ea enim, vel est Corpus vt putarunt plurimi Veterũ, vel Corporis experalis est Corpus, vtique poterit diuidi ut Corpus: at, quia re uera non est Corpus, ideo primò cum pendeat ex Corpore, ueluti Sensus, poterit diuidi secundum extensionem, ut per diuisionem uuæ, diuiditur albedo; Insuper, diuidebatur ab Academicis, in utentem & formantem; Tertiò diuidi potest in partem fungentem officio Materiæ, & in partem fungentem officio Formæ, ut Mens diuiditur in Mentem agentem, & Mentem patestare; Quartò considerari potest diuisio eius per distincta membra, ut Academici, & Galenus, Hepati tribuunt facultatem nutriendi, Cordi irascendi, Cerebro mouendi, & iudicandi; Quintò potest cõsiderari diuisio eius secundum facultates, tanquam totius uarijs facultatibus præditi; Sextò ei tribui potest diuisio vniuersalis, in contenta sub ea, ut Entis in Prædicamenta genere distincta, Generis in Species, & Speciei in distincta Numero; Sic Anima diuidi potest in æternã & mortalem, & mox subdiuidi mortalis, in iudicãtem, & iudicij expertem; Septimò potest considerari diuisio Animæ, quæ sit resolutio eius in sua principia, ut Plato in Timeo eam resoluit in Numeros & Geometrica, quorum modorum diuisionis Animæ, nonnulli approbantur ab Aristotele, nonnulli reijciuntur;

2 Considero Secundò, quod dum Aristot. primò dubitat an Anima sit apta diuidi, vel ne, confusè dubitat de diuisione, qualiscunque ea sit, quæ valeat Animæ competere, & quia præsertim Animæ competit diuisio, quæ est vniuersalis, in contenta sub ea, ideo aliæ duæ

3 difficultates quæ adduntur attinent ad hoc diuisionis genus; Considero Tertiò, nonnullos putasse, omnem Animam esse mortalem, ut Alexander, Alios omnem esse immortalem, vt Pythagoras, & quidam Academicorum, ex horum sententia, & per horum principia, Animæ non sunt distinctæ genere; Nonnulli autem putarunt quasdam esse mortale, Mentem autem siue Animam ex se rationis compotem, esse immortalem, sicuti nos etiam affirmamus; ex qua sententia Animæ distinguentur genere, quin ut dicitur in calce 10. Metaphysicæ, æterna & mortalia sunt seiuncta genere, in Prædicamentis enim sola mortalia verè locum habent; Hinc Aristot. in 2. de

Anima,

Anima, Contex. 21. de Mente ait, esse aliud Animæ genus; Considero Quartò, quod Aristot. inquit: Qui autem nunc loquuntur de Anima, de humana solum videntur uerba facere, &c. Aut Philoponus, non denotari Platonem, quia ipse distinctè de parte mortali, collocata in pectore, & de æterna, collocata in capite, uerba fecit, sed potius denotari Democritum, qui omnem Animam ex eisdem atomis esse conflatam existimabat; Similiter Thales Milesius, omnem Animam dicebat Aquam; Diogenes Aerem; Heraclitus ignem; At hoc non est approbandum: quia Aristot. per eos qui nunc, non Vetustiores, sed Platonem denotare consueuit, qui nunc temporis florebat, denotat itaque Platonem; At dubium est, quomodo Plato de sola hominis Anima loquatur, cum de quauis Animæ parte & facultate cum in Timeo, tum in libris de Republ. uerba faciat; Inquiunt nonnulli, de sola hominis Anima loqui, quia loquendo de ea, loquitur de omni, cum ea sit prædita omni Animæ facultate; at, hoc non satisfacit: quia ob id non esset reprehendendus, tam enim gradus singulos explicasset; Præterea, per Animã hominis ea denotatur quæ est propria hominis, huiusmodi autẽ est sola Anima rationis particeps & immortalis. Propterea dicamus, Platonẽ nomine Animæ denotare solam eam, quæ est compos rationis, hanc Definit, quod sit Numerus se mouens, eandem resoluit in Numeros, & principia Geometrica, & eam unà cum Pythagora, ait meare per corpora diuersorum Animalium, cæteras, non Animas dicebat, sed idola, uestigia, & umbras Animæ: nam, ut ex igne prodit calor, ita ex Anima uestigium eius; Et cum Plato Animam diuidat per partes Corporis, dicebat Iamblicus, eum secernere simulachra, non Animas; Plotinus autem, in lib. de dubijs Animę, cap. 23. ait secretionem illam fieri ob instrumenta uaria quibus eget; Auerroes disp. prima contra Alguz. dub. 8. inquit inquietam Animam ex Platone unam esse & antiquam, solum diuisam diuisione Corporum, ut etiam dixere Numenius, Speusippus, & Zenocrates; Ex quia Plato hęc latenter, suo more protulit, & cum metaphoris iunxit, ideò Aristot. utitur eo modo loquendi, quod de sola hominis Anima uidetur uerba facere; Considero Quintò, cum Aristot. dubitet, num omnis Anima sit eiusdem speciei, indicare uidetur, uerè Animam esse in Prędicamento Substantiæ, tanquam speciem eius; Insuper, cum indicet (ut dixit) posse dari Animam distincti generis, qualis dicitur Mens, indicat dari uaria genera Substantiæ, cum tamen unicum statuatur Prædicamentum eius; De Prima difficultate dico, Animas posse dici eiusdem, uel distinctę speciei, per reductionem ad propriè sumptas species uiuentium, tanquam principia earum; De Altera dico, Prędicamentum & genus suprenum, Substantię, uniuocum, esse unum, at, genera uel uniuoca, uel ab uno, uel dicta propriè, uel per similitudinem, esse plura: nam primò datur Substantia latissimè sumpta, hæc diuiditur in genus mortalium, & genus æternarum Substantiarum; Insuper, hoc in genus Substantiarum separatarum, & genus Corporum Cęlestium.

Philoponus.

Quomodo Plato de sola hominis Anima loquatur.

Dubitatio duplex.

Solutiones utriusque.

CAVENDVM autem, ne nos lateat, utrum una eius sit ratio, ut Animalis, uel uniuscuiusque uaria, ut Equi, Canis, Hominis, & Dei; Animal enim uniuersale, aut nihil est, aut posterius; similiter si aliud quippiam communiter prædicetur. Contex. 8.

Intentio. *Ratio.* *Diuisio.* *Expositio.*

DVBITAVIT Primò Philosophus de methodo indagandi Definitionem, & de eius uno cum relatione ad genus; Insuper, de Anima Definibili; Nunc Tertiò congruentem seruans ordinem; dubitat de Definitione ei respondente, an sit una, uel multiplex; Ratio, cur de hoc dubitet est, quia cōditio Subiecti est, ut sit unū, uel uniuocè, uel unitate ab uno, ac ita eius una sit Definitio; & quia hoc est tanquam principium, & si in hoc certaremus, in uniuersa hac Scientia deciperemur, ideo iure ait cauendum, ne nos lateat. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima dubitat; In Altera Rationem affert, qua suasi nonnulli, possent putare Animæ non competere unam communem Definitionem. Dubitatio itaque hæc est, num Animæ una sit communis Ratio, siue Definitio, uel potius singularum uaria; Et quia Compositum confusè est nobis notius, ideo utitur exemplo Animalis, inquiens, num sit danda una communis Definitio Animæ Animalis uniuersè sumpti, uel potius distincta Equi, Canis, Hominis, & Dei; Adfert mox in altera parte Rationem pro ea parte, quod non detur una communis Ratio, uel saltem, quod primò indaganda non sit: nam Definitio debet respondere Definito, Animal uniuersale, uel est nihil, quia uniuersale seiunctum, non datur, & propterea, non datur una communis Ratio; Vel est aliquid posterius singularibus, dum consideratur ut Mente seiunctum, & ita non erit eius Definitio primò indaganda, sed refulgebit ex notitia suorum priorum.

ANNOTATIONES.

Cur non fit mentio de Anima Plāta.

VARIA se offerunt consideranda, quæ simul cum digna scitu, tum difficilia sunt; Considero Primò, quod Aristot. referens gradus Animæ Animalium, ait, ut Equi, Canis, Hominis, & Dei, non ait Plantæ, idque duplici ratione; Prima est, quia consideratio Animæ, præsertim refertur ad Animal, ut patet ex 2. Contextu; Altera est, quia multi Veterum putarunt Plantas non per Animam nutriri, & crescere, sed per Naturam, quorum sententia reijcitur in 2. libro; Ait autē, Equi, Canis, Hominis, & Dei, denotans quatuor principales gradus, per Equum, facultatem concupiscendi, per Canem, irascendi, per Hominem, ratiocinandi, per Deū, Mentem. Considero Secundò, non constare, quid denotetur nomine Dei; Nonnulli aiunt denotari Mentem agentem, de qua agitur in 3. libro; & ex eorum sententia, est Deus; At, errant, tum, quia falso putant Mentem agentem, esse Deum, ut patebit ex 3. de Anima, tum insuper, quia Aristot. non numerat gradus Animæ in eodem existentes, sed in varijs, ut Equi, Canis, Hominis, & Dei, referens Deum uniuiens distinctum ab Homine, tum Tertiò, quia Deus non dicitur Animal; Simplicius putat denotari Cælum, quod & à Platone frequenter, & ab Aristot. in 2. de Cęlo, Contextu 17. nomine Dei denotatur; Alij aiunt denotari Demones; Puto ego denotari uniuersè & indefinitè omne uiuens supra conditionem Hominis eleuatum, quodcunque sit, & ita loquitur, quia præsertim inspicit modum loquendi Platonis, qui Corpora supra conditionem Hominis eleuata, consueuit nomine Dei denotare, & putabat Animæ omnium unam esse Rationem, & Definitionē, omnem enim dicebat esse Numerum se mouentem, & mediare inter Naturam & Mentem, & in eadem principia uel Arithmetica, uel Geometrica resolui, ut ex Timeo patet. At, oritur dubitatio, quia quod est supra Hominem, ut est præditum facultate eminētiore, non attinet ad Physicum, quare non rectè numeratur inter consideranda in his libris: Respondeo, si Anima rationalis esset eadem omnium, ut putabat Plato, similiter eius una erit Ratio, unaque Definitio, ut una Definitione à Platone definiebatur; at, si conditio Animæ eorum fuerit varia, similiter Ratio, & Definitio uaria erit, vt iudicatur ab Aristotele, ex cuius senten-

Quid nomine Dei denotetur. *Simplicius.* *Opinio propria.* *Dubitatio.* *Solutio.*

sententia Anima Dei, hoc est, collocatorum suprà Hominem, ad Physicum nullo pacto pertinet, Anima Equi, & Canis, omninò ad Physicum, Animа autem Hominis, partim attinet, partim non, nam, vt earum est vna Ratio, ad Physicum pertinet; Plato omnium putabat esse Idæam vnam, & propterea Rationem vnam; qua de re, Aristot. hoc in loco solum dubitat, & nil decernit. Considero Tertiò, quod Aristot. inquit Animal uniuersale, uel nihil esse, vel posterius; Similiter, si aliud quippiam communiter prædicetur, quæ verba frequenter in Philosophorum congressibus referuntur, & varias includunt difficultates, pro earum explicatione considerabo primo duplex Vniuersale; nimirum, Vniuocum, & ab uno. Considerabo Secundò, an ea sententia de vtrisque sit uera; perpendam Tertiò, an Animal sit genus vniuocum. Demum, resolutionem referam eius difficultatis, num Vniuersalia sint res, uel puræ notiones. Pro primi itaque elucidatione Tertio loco considero, Vniuersale esse triplex; Ante rem, ut Ideæ; post rem, ut communes notiones ab Animo formatæ, & in re, Primum est Metaphysicum, sæpè rejectum ab Aristot. Alterum Logicum; Tertiũ Physicum, de quo nobis hic est sermo, Hoc Vniuersale in rebus, est duplex; Vel Vniuocum, quod propriè dicitur Vniuersale; Vel ab uno, & ad unum, quod minus propriè Vniuersale est; Hæc duo Vniuersalia quadruplici differentia inuicem secernuntur: Prima est, quia Vniuersale Vniuocum, verè est Natura una, in singulis eadem, id autem quod est ab uno, est Natura non una, sed in singulis uaria, hinc Aristot. in 3. de Republ. cap. 1. inquit: Commune eorum quæ sunt ab uno, aut nil penitus est, aut uix; Addit uix, quia est unum unitate ab uno, non autem Vniuocè; Similiter, in 3. Physic. Contextu 4. ait Aristot. Prædicamentis nil esse commune, ab eis distinctum, & propterea id non uerè est Vniuersale, nec distinctè noscitur, nisi ex notitia contentorũ sub eo, & propterea illis assentiendum non puto, qui aiunt, quod cum Ens sit conceptus simpliciter simplex, non potest confusè nosci, sed solum distinctè, immò assero, confusissimè nosci, ante quam noscantur ea, de quibus dicitur, nec rectè dicitur conceptus simpliciter simplex, cum sit multiplici uarietate præditus; At obijciet aliquis, quia Aristot. in 2. de Anima, Contex. 68. eis quę sunt ab uno, tribuit Naturam unam, inquiens, Ignem, Aerem, & Cælum, esse perspicua, quatenus in eis est Natura una, perspicuum autem dictum de Cælo & mortalibus, est ab uno. Inquit Zimara, eorum esse conceptum unum, at, non Naturam unam, errat autem, tum, quia Arist. ait Naturam unam; tum insuper, quia conceptus dicitur unus, uel multiplex, ut Natura quæ concipitur est una, uel multiplex; Ideo dicamus, eorum quæ sunt ab uno, esse naturam unam, at, non Vniuocè, sed unitate ab uno, quæ est unitas tenuis, nã ex 5. Metaphys. unum dicitur uel numero, uel specie, uel genere, uel ab uno; Secunda differentia Vniuocorum ab his quæ dicuntur ab uno, est, quia primum Vniuocorum est totũ Vniuersale, quo perempto, pereunt reliqua, primum verò eorum quæ sunt ab uno, non est totum Vniuersale, sed id, de quo primò dicitur, quo dempto, demuntur alia, vt in Ente se habet de Substantia; Tertia differentia est, quia Vniuocorum affectiones primò competunt Vniuersali communi, & de eo demonstrantur, affectiones verò eorum quæ sunt ab uno, primò competunt ei uni, ex quo reliqua pendent, & ad quod referuntur; Hinc consuevit Aristot. in eorum explicatione inspicere primum, ut patet de Demonstratione, Definitione, & similibus, & sub initium quarto Metaphys. de his loquendo, dixit sermonem esse de Primo. Quarta differentia est, quia Vniuocum præditum est propriè sumptis differentijs, de quibus, genus non prædicatur, vt dicitur in quarto Topicorum, Loco 18. & iure, cum sit pars una speciei, contradistincta ab altera; Vniuersale autem ab uno, non differentijs, sed modis & gradibus quibusdam est præditum, de quibus dicitur, non enim est Natura una distincta, quæ sit pars contentorum, sed in singulis est totum quoddam, de quo commune ab uno dicitur, ideo Arist. 4. Metaphys. Contex. 3. inquit: idem est Homo, ens Homo, & unus Homo. Considerandum modo Quarto loco est, an sententia

3 *Quomodo Animal uniuersale, vel nihil, vel posterius.*

3 *Vniuersale triplex rem.*

Differentiæ inter Vniuersale Vniuocum, & ab uno.

Differ. 1.

Dubitatio.

Zimara.

Solutio.

Differ. 2.

Differ. 3.

Differ. 4.

An uniuersale cũ Uni-

nocum, tum ab vno sit posterius.

ab Arist. prolatâ, quòd Animal Vniuersale, vel nil sit, vel posterius, vera sit de utroque Vniuersali; Alex. in 1. Naturalium qq. cap. 11. de vtroque vniuersali esse veram affirmat, & iure optimo profectò: nam si loquimur de eo quod est ab uno, conspicuè est vera, id enim absolutè nil est, quatenus non est Natura vna, quæ eadem sit in omnibus, sed solum est notio à nobis ex contentis selecta, quæ sic dicitur aliquid posterius; Similiter, uera est de Vniuersali Vniuoco, quod si consideretur tanquam Idæa morè Platonis, & Vniuersale seiunctum, nihil est, nec reperitur; si autem consideretur ut actu seiunctum per nostrâ Mentem, dicitur aliquid posterius, quia primò competit singularibus, mox, per nostram Mentē seiungitur, considerando conditionem & essentiam rei seorsum à conditionibus indiuiduantibus; Insuper, dicitur aliquid posterius, quia primò consideratur essentia rei absolutè, mox, ut ei accidit quod sit Vniuersalis & communis multis, uel particularis; ut ait Alexander in 1. Nat. qq. cap. 11.

Dubitatio.

Sed oritur dubitatio, quia Arist. hoc in loco non comparat Vniuersale cum singularibus, quia singularium non est Definitio, sed genus cum specie, quærens, num Anima uniuersè, vel secundū distinctas species sit Definienda; Augetur dubitatio, quia si de genere loquitur, id quod dictum est de Vniuersali sumpto pro Idęis, ad rem non facit: quia Plato, non genera, sed solum specierum affirmabat dari Idæas; Respondeo, quemadmodum Vniuersale comparatum cū singularibus, vel est nihil, vel posterius, ita genus comparatum cum specie, nam species tunc seruat conditionem singulatium, cum sit pars generis; Insuper id quod additur de Idæis etiam ad rem facit, tum, quia Plato Animæ uniuersè sumptę, unam ponebat Idæam, & omnem putabat eiusdem conditionis, ut patefeci in præcedentibus, tum insuper, quia confusè nunc affertur, Vniuersale seiunctum non dari, quodcumque sit; At, adhuc oritur alia controuersia, quia sæpè dicitur, Vniuersalia esse priora, & superiora, quę rectè una cum Alexandro soluitur ab Auerr. in 12. Metaphys. 27. dicente Vniuersale esse prius secundum Mentem, at esse posterius secundum esse absolutè in rerum natura; Quintò

Solutio.

Alia dubitatio.

Solutio.

5

An Animal & viuens sint vt genus considerada.

considerandum occurrit, An Animal, & uiuens, debeant censeri genera, vel ne; ex una parte ea sæpè pro generibus referuntur, ex altera non uidentur posse dici genera, quia cum Anima non sit quid Vniuocum, sed ab uno, ut dicitur in 2. libro nec Animal, nec uiuens, Vniuocum aliquid erunt, & ob id non valent dici genera; Confirmatur: quia Arist. hoc in loco numerans Animalia, numerat Equum, Canem, Hominem, & Deum; at Homini & Deo nil est commune Vniuocum; Respondeo, Animal, Animatum, & Viuens, distincta ratione posse dici genera, & non genera, Vniuoca, & ab uno, dum enim Animal consideratur ut per Sensum tactus uniuersè constituitur, Vniuocum est, similiter, dum consideratur Viuens ut constitutum per facultatem nutriendi, at, dum considerantur ut prædita uarijs Animæ gradibus, & facultatibus, solum sunt ab uno, non Vniuoca, & præsertim, dum dicuntur de æternis, & mortalibus, quibus nil puto esse commune Vniuocum; Supereſt modo ut Sexto loco considerem, num Vniuersale censeri debeat pura nostrę Mentis notio, à nobis formata, vel potius res aliqua per Naturam producta, & hoc est idem, ac quærere, an dentur Vniuersalia realia, de qua re litigant Logici, & ob id nōnulli nuncupabantur Reales, alij Nominales; Quæstio hæc est longa, & perplexa, ego tamen sententiam quam iudico ueriorem, breuissimè referam; Non loquor de Idęis, de quibus alibi cumulatè disserui: nec de Logicorum secundis Notionibus, sed de Vniuersalibus quę in re esse dicuntur, & in Scientijs considerantur; hæc duplicia esse dicuntur; uel potestate, ut ante quam intelligantur; uel actu, qualia sunt cum Mente fuerint secreta; hoc nos docet Arist. in 3. de Anima, inquiens Officium Mentis Agentis esse, reddere ea quę fuerint potestate intelligibilia, actu; ego de utrisque loquar, ordiens tanquam à priore, ab Vniuersali potestate, quod duplex excogitari potest; uel enim est potestate ad actū Naturæ; vel ad actum Mentis agentis: primum est, veluti, si in Vniuerso unicus reperiretur Mulus, cum tamen plures sint apti esse; Alterum est, essentia rei materiatæ,

6

An Vniuersale sit pura notio.

Vniuersale duplex.

Vniuersale potestate.

cum

sum condõnibus indiuiduantib. iuncta, de his quinq; profero Cõclusiones Prima est.

1 Datur in Vniuerso ex natura rei, Vniuersale potestate.
2 Hoc nõn reperitur positum seorsum à singularibus.
3 Idipsum re, & fundamento, non est distinctum à singularibus.
4 Est distinctum à singularibus Ratione, & ipso esse.
5 Multitudo Indiuiduorum actu, competens Naturæ Vniuersali, ex parte Naturæ est Accidens, multitudo uerò potestate, est in Ratione eius, at Vniuersalis est.

Prima Conclusio satis est conspicua: nam inquit Arist. in 1. de partibus Animalium, quæ pluribus insunt, ea dicuntur Vniuersalia; Confirmatur per id quod dicitur in 1. Posterior. dari naturam in multis, ex qua elicitur conceptus Vniuocus uerus de multis; hoc Vniuersale est id, de quo est Scientia, & quod Definitur; Hinc Alexander in 1. Natural. qq. cap. 3. inquit Definitionem esse singularium, secundum commune quod existit in eis; Nec obest id quod legitur in 7. Metaph. 58. nullum Vniuersale est substantia, & in Contex. 57. Substantia est propria eius, cuius est Substãtia, nam loquitur eo loci Philosophus, de Vniuersali actu, & Idæis, contra Platonem. Altera Conclusio erat; Vniuersale non seorsum subsistit à singularibus; de hac cõsentiunt omnes Peripatetici, & Academici, dum id seorsum ponunt, non loquuntur de ea cõsimili essentia, quæ est in singularibus, & participatio ab eis nuncupatur, sed de Idæis, de quibus ego alibi cumulatè differui. Tertia Conclusio erat; Id Vniuersale re, & fundamento non est distinctum à singularibus, pro cuius confirmatione inquit Aristoteles in 7. Metaphys. 57. Nullum Vniuersale existit à singularibus seiunctum; & Cont. 28. Homo non est sine carnibus & ossibus; De hoc Vniuersali loquens Alexander in 1. Natural. qq. cap. 3. & in 1. de Anima, cap. 25. inquit: Eadem Natura quæ cũ conditionibus indiuiduantibus est singulare, sine eis est Vniuersale. Et Arist. in 1. de Cælo, 92. inquit: qui dicit Cælum, dicit Formam, qui hoc cælum, Formam cum Materia; indicans, eandem utriusque esse naturam; hinc, scies Vniuersale, dicitur scire eius singularia, & Vniuersale denotat quid, suorum singularium, at, si esset seiunctum, solum diceretur secundum denominationem: quare essentia particularium est Vniuersale potestate, & considerata in materia, est potestate remota, in Phantasia uerò, proxima; Nec obest quod dicatur, singularia esse mortalia, Vniuersale uerò esse æternum: nam ambo intereunt in partibus, & seruantur secundum totum; Hinc Alexander in primo Naturalium qq. cap. 3. inquit Vniuersalia seruari æterna successione singularium, & generatione, ut dicitur in 2. de Anima. Quarta Conclusio erat; Vniuersale est distinctum Ratione à singularibus, hinc unum uerè negatur de altero, eorum Definitio est uaria, similiter, varia est conditio, unum enim est communicabile multis, non alterum, & opponuntur inuicem, ex 1. Poster. sunt obiecta uariarum facultatum, unum Sensus, alterum Mẽtis, ex 1. Phys. 49. nam multa sunt idem fundamẽto, & pro absoluto, quæ inuicem distinguuntur ratione, ut patet ex 3. Phys. de actu agentis & patientis; Quinta Conclusio erat; quod multitudo actu est Accidens, potestate uerò est in ratione essentiæ rei Vniuersalis; hoc est id quod dicitur ab Aristotele in 1. de Cælo, 92. Forma materiata, vel est multiplicata, vel est apta multiplicari; Et Alexander in 1. Natur. qq. cap. 3. & 11. ait Prædicatum Vniuersale uerum est, etiam si unicũ reperiatur singulare, ut Socrates est Homo; At oritur dubitatio, si datur ex parte rei ea Natura quæ ex se non est singularis, alioquin non esset apta multiplicari, ac insuper ea communicatio actu, ei est accidens, ut ait Alexander ex se quid erit? nam omne quod est, uel est Singulare, vel Vniuersale, si ea natura est neutrum, nil erit; Scotus in 2. Sentent. dist. 3. q. 1. inquit esse unam unitate quadam media, quæ sit minor unitate Numeri, maior uero unitate Speciei, & apta contrahi ad utramque; Multi carpunt Scotum, quia hęc unitas media nullibi est posita ab Aristotele, at, re uera ea sententia est similis sententiæ Alexandri in 1. Natur. qq. cap. 3. & 11. solum differunt modo loquendi, & rectius loqueremur, dicentes eam esse unitatem Metaphysicam, quæ reci-

1. Concluſ.
Alexander.
2. Concluſ.
3. Concluſ.
Alexander.
4. Concluſõ
5. Concluſ.
Dubitatio.
Scotus.

procatur

procatur eam Entè, antecedentem omnem distinctam, & subordinatam vnitatem, redigitur tamen ad Vniuersale sumptum pro Obiecto intellectus, vt etiam redigitur à Scoto, & iure: nam omnis Essentia absolutè considerata, dicitur esse quoddam Vniuersale; Sic itaque Primò consideratur Essentia rei secundum se; Secundò, eam tanquam affectio sequitur facultas, ut sit apta multiplicari, & contrahi per conditiones Indiuiduorum cum quibus iuncta est. Tertio redditur particulare actu, natum Mente seiungi, & dicitur Vniuersale potestate; quæ multiplicatio ei est Accidens, cum ualeat sine ea seruari. Quartò sequitur abstractio per Mentem; ac ita constituitur Vniuersale penitus actu, quod quatènus vltimo loco per Mentem constituitur, dicitur ab Aristotele in hoc Contexu posterius; Et hæc de Vniuersali potestate.

De Vniuersali actu.

Loquens modo de Vniuersali actu, pro eius elucidatione similiter quinque profero Conclusiones; pro quarum notitia accipio Vniuersale dici actu duplicitèr; Vel sui conditione, & Natura; Vel per Mentem, à qua seiungitur; per Naturam rem duplicitèr; vel quia sui conditione sit à materia seiunctum; uel quia actu sit multis communicatum; his assumptis, Prima Conclus. hæc est.

1 Datur Vniuersale ex parte rei, per Naturam actu multis communicatum; Hæc patet exemplo Hominis, Leonis, & similium.

2 Datur Vniuersale actu sui conditione, à materia seiunctum, quod à singulari non est distinctum, sumendo Vniuersale pro quauis Essentia absoluta Formæ; Hæc Conclusio patet exemplo separatarum Formarum, in quibus conditio Vniuersalis ab ea singularis non distinguitur.

3 Datur Vniuersale munere Mentis actu, à singulis separatum; quod patet exemplo Viri sapientis, cuius Mens dicitur singula facta.

4 Non datur Vniuersale rerum materiatarum, per naturam secretum, quales à Platone iudicabantur Ideæ; Hæc patet ex dictis in consideratione Idearum.

5. Vniuersale Mente seiunctum, per rem ab eo denotatam, est res sui natura existens, per actum uerò secretionis, est aliquid Mente elaboratum, de quo actu est uera sententia Auerrois in 12. Metaphysicę Cont. 4. Mens facit Vniuersale in his quæ sunt; Et minus rectè carpitur à Scoto, in 2. Sentent. dist. 3. q. 1. insipiciente non hoc sed rem denotatam: nam Ens rationis, est ea notio Vniuersalitatis, in cuius Ratione est, dici de pluribus, quæ actio Mente formatur, à Natura autem nil producitur in cuius Ratione sit dici de multis, sed solum producitur rei Essentia, cuius affectio est, ut possit multiplicari, dum indefinitè consideratur, nox actus multiplicationis est Accidēs eius, ut Hominis ridere; Similiter actus secretionis per Mentem, est Accidens eius, ut docet Alexander in 1. Natur. qq. cap. 11. Hinc Auerroes in 7. Metaphysicæ 46. rectè inquit, Vniuersalia esse prædita conditione rei existente extra Animam, & Qualitate ei accidente; Et in paraphrasi Metaphysicę libro 2. inquit: Dum Mens abstrahit Formas, & apprehendit Essentias earum, tunc accidit eis in Mente Vniuersalitas, non quia Vniuersale sit Essentia formę; sic Vniuersalia sunt secundę notionis, ea uerò quibus accidunt, & quę denotantur, sunt primę. Ex his elicio Primò, Vniuersalia distincta ratione dici posse cum primę, tum secundę notionis; insuper, cum Essentias, tum Accidentia; Elicio Secundò, sine controuersia, Vniuersalia posse dici cum priora, tum posteriora singularibus, nam Vniuersale secundę notionis, absolutè est posterius; Vniuersale autem primę notionis, dum consideratur secundum esse, est posterius, secundum Mentem uerò, & rationem, est prius, ut ex sententia Alexandri dicitur ab Auerroe, in 12. Metaphysicę 27. Insuper, ut docet Alex. in 1. Natur. qq. cap. 12. Vniuersale comparatum cum uno singulari, est prius, at; comparatum cum omnibus indefinitè sumptis, est posterius, & eis destructis, destruitur, ut docet Arist. in Prędicamento Substantię; Demum elicitur, quomodo sententia Aristot. in præsenti Contextu, dicentis Animal Vniuersale, uel est nihil, vel posterius, sit uera, cum de Vniuersali Vniuoco, tum de eo quod est ab vno

Auerroes.

Quæ colligantur ex dictis.

Alexand.

PRETEREA, si non multæ sunt Animæ, sed partes, num oportet quærere prius Animam totam, vel partes; Difficile autem est explicare quæ earum distincte sint inter se; Et num partes, oportet quærere prius vel earum opera, vt num intelligere, vel Mentem, & sentire, vel sensitiuum, & sic de reliquis; si autem prius opera; Insuper ambiget aliquis, num opposita his, prius sint indaganda, veluti sensibile, sensitiuo, & intelligibile, facultate intelligendi. Contex. 9.

DVBITABAT Philosophus in Contex. 7. An Anima sit apta diuidi; & quia Anima considerari potest vel vniuersè in cunctis viuentibus; vel cum contractione in eodem viuente, in præcedentibus proposuit dubia attinentia ad Animam vniuersè consideratam; modo verò intentio eius est dubia proponere magis pertinentia ad Animam in eodem consideratam. Imaginari possumus Animam in viuente tribus præsertim modis diuidi; Primò secundum extensionem, de quo distinctè non dubitat; quia commune est omni Formæ materiatæ extendi; Secundò secundum diuisionem membrorum principalium, ut diuidebatur à Platone, de qua ut etiam de prima, solum confusè dubitauit in Contex. 7. Tertiò, cum in vno Animali una sit Anima prædita varijs facultatibus, de his variæ se offerunt difficultates, quæ Philosophus in præsenti Contextu refert, & proponit; & cum difficultates sint quatuor, iure Contextus in quatuor partes diuiditur; In quarum Prima ait, cum in eodem Animali non multæ inueniãtur Animę, sed partes, & facultes eiusdem Animæ, Prima dubitatio occurit de ordine, num primò agendum sit de tota Anima, postea de partibus, uel uice uersa; Secunda dubitatio pertinet ad partium distinctionem, quia non constat quæ earum distinguatur ab altera; ueluti Veteres Sensum interum à Mente non secreuerunt; ad hanc difficultatem etiam ea redigitur, quæ sint illæ facultates quæ in uiuente, sine alijs reperiri ualeãt, ueluti dicitur de facultate nutriente, quod ualeat sine alijs seruari, ut in Plantis, & de Sensu tactus, quod reperiatur sine sequentibus Sensibus, ut in nonnullis Stirpanimalibus. Vt pertinet ad Tertiam, & Quartam difficultatem, considerandum in attinentibus ad Animam, tria consideratu: Facultatem nimirum, Opus ex ea prodiens, & Obiectum; Et loquendo de methodo cognoscendi, siue uia, oritur Tertia dubitatio num prius agendum sit de Operibus, quam de Facultate, uel vice versa. Insuper, considerando Obiectum, oritur Quarta dubitatio, num prius sit explicandum Obiectum, mox Opus, uel uice uersa, & est idem, ac si quæratur num ex prioribus sit progrediendum ad posteriora, uel uice uersa. Intentio. Diuisio.

ANNOTATIONES

CONSIDERO Primò, quod Arist. Facultates Animæ nuncupat Mapia, hoc est, particulas; & dicit particulas, quia non sunt Accidentia, sed ab Essentia Animæ solum ratione distinguuntur; vtitur autem diminutiuo, vt etiam in 3. de Anima, 41. tum, quia unius Animę multę sunt, tum insuper, quia rei in corpore minus proprię competunt partes, & præsertim Menti hoc competit, quia non extenditur, sed ubi est, tota est, & paucis competit. Considero Secundò, quod Aristoteles inquit: Si non multæ animæ, sed partes, quia in distinctis uiuentibus, dici modo aliquo possunt distinctæ Animę, vt Nutriens in Plan- *Prima Consideratio. Cur facultates dicantur particulæ.*

ta, Sen-

tu, Sentiens in Animali; at, in eodem uiuente, non sunt duæ Animæ, sed particulæ, & potentiæ eiusdem; Plato uidebatur etiam in eodem dicere Animas distinctas, quia loco eas seiungebat, uerũ ut aiunt Plotinus & Iamblichus, Plato diuidebat non
3 Animam, sed idola, uestigia, & umbras Animę, necnon instrumenta eius. Considero Tertiò, quod iure Arist. ambigit, num prius tota Anima, vel potius partes debeant explicari: nam rationes adsunt pro utraque parte, ex una enim apparet, primò esse agendum de tota Anima, quia totum est nobis notius, & secundum intentionem est natura prius; ex aduerso apparet, prius esse agendum de partibus, tum, quia sunt initia totius, & totum resulget ex notitia earum, tum insuper, quia Anima est totum ab uno, quod dicitur posterius partibus, & non distinctè noscitur, nisi ex notitia ea-
4 rum; Vt pertinet ad Secundam partem, Considero Quartò loco, quod Arist. in 3. de Anima, 41. inquit plurimas esse Animæ particulas, nec constare quæ inter se distinctæ sint, Arist. in hoc Proœmio uarias excitat difficultates, quarũ Solutiones in progressu resulgebunt ex ordine, & methodo quibus utetur, & ex suæ opinionis explicatione; Quintò consi-
5 dero, quod Arist. Obiecta facultatum Animæ hoc in loco nuncupat Oppositа, opponuntur enim oppositione Relationis, nonnunquam ea appellat Subiecta, vt in 2. de Ortu & interitu, Contex. 7. & in 2. de Anima, nam subiciuntur iudicio facultatum noscentium, animaduertendum tamen, quod loquendo de eo in quod tendit appetitus, magis propriè dicitur Finis, loquendo de eo in quod tendunt facultates noscentes, rectè dicitur Obiectum & Oppositum; loquendo uerò de alimento relato ad facultatem nutrientem, magis propriè dicitur Subiectum, in quo
6 ea facultas operatur; Considero Sextò, quod cum Arist. Primam difficultatem proposuerit attinentem ad ordinem, mox Tertiam. & Quartam attinentes ad methodum siue uiam, has potius mouit, loquendo de partibus Animæ, quam de tota, quia Ope-
7 ra, & Obiecta proximè sunt partium Animæ, non totius; Considero Septimò, quod Arist. loquens de Quarta difficultate, eam proponit comparando Obiectum cũ Opere, & exemplum affert ei non respondens, sed solum indicans comparationem inter Obiectum, & facultatem, nam inquit: Si prius explicanda sunt Opera, ambiget aliquis, num Oppositа his, prius sint indaganda, veluti Sensile, sensitiuo, & Intelligibile, facultate intelligendi; Philoponus inquit Arist. uti uocibus minus propriè, at; hoc non uidetur dicendum, cum Arist. accuratissimè semper utatur uocibus propriis; Propterea puto data opera id ab Arist. fuisse factum, ut difficultatem Quartam necteret cum Tertia, ambæ enim difficultates attinent ad methodum, & dubitatio, in hoc est posita, num progrediendũ sit per priora, vel potius per posteriora, & ideo quamuis Quarta dubitatio uerseretur inter Obiectum, & Opus, nectendo tamen eas simul, est dubitatio, num debeamus ordiri à posteriori, nobis notiore, veluti à Sensili, uel potius à priori, nimirum à Sensitiuo.

Obiecta facultatũ Animæ dicũtur. Oppositа.

Philoponus.

Sententia propria.

Contex. 11.

VIDETVR autem nedum cognitio ipsius Quid est, utilis pro noscendis causis eorum quæ Substantijs accidunt: veluti in Mathematicis quid rectum, quid curuum, & quid Linea, & Planum, ad noscendum quot rectis, Anguli, Trianguli, sint æquales, sed etiam vice versa, Accidentia summoperè conducunt pro noscendo Quid res sit; Cum enim decernere poterimus ex Phantasia de Accidentibus, aut omnibus, aut pluribus, tunc de Substantia quoq; aliquid asserere quam optime poterimus, omnis enim demonstrationis Principium est, ipsum Quid est; Quare ex quibuscunq;

Defi-

Definitionibus non accidit vt Accidentia noſcantur, nec coniicere de illis eſt facilè, conſpicuum eſt eas Dialecticè, & inaniter eſſe traditas.

EA Quæ obſcuram reddunt cognitionem Animæ, vel antecedunt, vel comitantur Animam, vel ſequuntur; Propterea Ariſtot. rectum ſeruans ordinem, ordiebatur ab antecedentibus, dubitans de methodo indagandi Definitionem, de eius vſu, & de genere remoto, & proximo; Secundò, deſcendens ad ea quæ comitantur Animam, dubitabat de Diuiſione, & partibus Animæ, necnon de ordine, & methodo ſeruandis in earum explicatione; Nunc Tertiò, deſcendens ad ea quæ ſequuntur, dubia proponit attinentia ad Animæ affectiones, vt nos in cunctis excitet, dirigat, & nobis pateſacias Animæ cognitionem omni ex parte eſſe arduam, vt pateſaciendum propoſuit in 4. Contextu. Diuiditur præſens Contextus in tres partes: In Prima proponitur duplex via per quam in rerum noticiam ducimur; In Secunda ſermo eſt de via, quæ eſt à poſterioribus ad priora; In Tertia, de via quæ eſt à prioribus ad poſteriora: Inquit in Prima parte, nedum priora, veluti Definitio & cognitio ipſius Quid eſt, ſunt vtilia pro noſcendis cauſis eorum quæ accidunt Subſtantijs, primum, affectionum, veluti, noſcere quid ſit rectum, quid curuum, quid Linea, & quid Planum, conducit, vt noſcamus hanc Trianguli affectionem, quod tres eius anguli ſint æquales duobus rectis, & conducit progredienti per priora, & per cauſas, quæ explicantur per Definitionem, quæ vel extrinſecus, vt principium ſupponitur, vel accipitur pro medio Oſtenſionis, ſententiam è conuerſo, Accidentia ſumopere conducunt pro indaganda Definitione, ea methodo quæ eſt per poſteriora, & notiora nobis; Propoſita duplici via, in Secunda parte loquitur de via quæ eſt per poſteriora, inquiens: Cum enim decernere poterimus ſecundum Phantaſiam de Accidentibus, vel omnibus, vel ſaltem pluribus, primum, magis proprijs & connexis, quia in rebus effectis refulgent cauſæ, tunc de Subſtantia quoque aliquid quam optimè enunciare poterimus, nam tunc ex Senſu conſpicuis, valebimus elicere Definitionem; Cum Philoſophus vtrũque progreſſum tetigiſſet, & rationem attuliſſet eius qui eſt à poſteriori, in Tertia parte rationem affert alterius: quia ille eſt qui Scientiam parit, & præſertim id facit, quia dixerat: Cum decernere poterimus de Accidentibus ſecundum Phantaſiam, indicans, quod in eo progreſſu Accidentium non habemus Scientiam, ſed confuſè ſolum & per Senſum cognoſcimus, ideo inquit: Omnis enim Demonſtrationis quæ abſolutè, & verè Demonſtratio ſit, principium eſt cauſa, quæ explicatur per Definitionem; ex quo infert, eas Definitiones per quas non cognoſcimus Accidentia, nec per eas coniicere valemus attinentia ad illa, eſſe Dialecticas, & inanes, quia carent, fine Definitionum, qui eſt Scientiam parere, explicando Quid, de Definito, & Propter Quid, de Accidentibus eius.

Intentio.

Diuiſio.

Expoſitio.

ANNOTATIONES.

VARIA ſcitu digna ſe offerunt perpendenda, Conſidero Primò, quod cum in Scientijs detur duplex via & Methodus, de qua loquitur Ariſto. in 1. Poſterior. ideo iure in 1. Nicomachiorum, cap. 4. ait, dubitaſſe Platonem, qua via ſit progrediendum, ortum ducit hic duplex progreſſus ex nexu ſecundum Eſſentiam affectionum ſecundum ſe, & principiorum eius, quæ explicantur per Definitionem, & ob id inuicem reciprocantur, & ex vno infertur aliud, & vice verſa, per vnum progreſſum noſcimus Quia, & eſt per priora nobis, per alterum Propter Quid, & eſt per priora abſolutè, & ſecundum Naturam; Nos iuncti Senſibus, cogimur ordiri ab his, quæ ſenſum

Conſider. 1.

Diſtantia ratio progrediendi per priora & poſteriora.

sum mouent, separatæ verò Mentes, eleuatæ supra Corpora, & Sensum; cuncta noscunt, vt refulgent in causis; Insuper Mathematicus progreditur per priora, Physicus verò magna ex parte per posteriora; demum, insipiens, & indagator, eleuatur per posteriora, sapiens verò per priora, vt dicitur in 6. Topicorum. Considero Secundò, quod Aristot. inquit cognitionem ipsius Quid est, esse utilem pro noscendis causis eorum quæ accidunt Substantiis; At, hoc est dubium: quia ipsamet Definitio dicitur causa eorum Accidentium, quæ sunt secundum se, & quorum est Ostensio, nil autem dicitur sibimet utile, sed alteri; Respondeo, Aristot. iure ita loqui, Primò, quia quamuis Definitio explicet causas Accidentium; tamen distincta ratione, & distinctorum dicitur Definitio, & causa, & propterea ut est Definitio Subiecti, dicitur utilis pro noscendis causis Accidentium; Secundo, quia non tota Definitio, sed ultima Differentia dicitur causa, ut Rationale ipsius risibilitatis; Tertiò, quia sæpè ea non est satis, ut patet de Eclipsi Lunæ, pro qua requiritur externum aliquod, vt terræ interpositio. Quartò, quia sæpè causæ explicatæ per Definitionem, sunt communes, quæ per proprias sunt contrahendæ, & nonnunquam vna affectio proximè pendet ex altera, per quam proximè ostendi debet; Et quemadmodum Aristot. per Substantiam denotat essentiam rei Definiendæ, ita per Accidentia ea denotat quæ sunt secundum se. Considero Tertiò, quod Aristot. explicans progressum à priori, vtitur exemplo Mathematico, & iure: quia Mathematicus (vt dixi) præsertim per priora progreditur, cuius rei ratio affertur ab Auerr. in 2. Physic. 84. dicente id euenire, quia Mathematicus versatur in Quanto, quod non est causa efficiens; hinc per eius opera progredi non ualemus; verum hoc non est satis, quia saltem posset per affectiones eleuari ad principia; Simplicius inquit id euenire, quia Definibilia Mathematica, sunt Accidentia communia, nobis notiora affectionibus, in Physicis verò sunt Substantiæ latentes, quæ per Accidentia conspicua refulgent; At, ratio solum sumpta ex re considerata, non est satis, quia res eadem considerari potest cum à Physico, tum à Mathematico, quæ tamen vt consideratur à Mathematico, est certa; in certa verò, ut à Physico, ueluti motus Cæli, idem addenda est varietas modi considerandi, nam Mathematicus considerans rem ut Quantam, non considerat interna & latentia Principia, quæ tenetur considerare Physicus cuncta considerans cum relatione ad Corpus Physicum, idque ut tale est. Considero Quartò, quod Aristot. explicans exemplo in Mathematicis progressum ad priori, inquit: ut quid rectum, quid obliquum, quid Linea, quid Superficies, conducunt ut noscamus quot rectis anguli Trianguli sint æquales, facit mentionem de Definitionibus cum affectionum, tum Subiecti, quia de utrisque prænoscendum est Quid, ut patet ex 1. Poster. Sed oritur dubitatio, quia Triangulum esse præditum tribus angulis æqualibus duobus rectis, non ostenditur per Definitiones eorum quatuor quæ retulit Aristot. sed per angulum externum æqualem duobus internis ei oppositum, ut patet ex 32. Demonstratione 1. libri Euclidis. Soluitur dupliciter; Primò, dicendo, per id exemplum noluisse Aristot. referre proprium medium Demonstrationis eius passionis, sed solum indefinitè dicere id ostendi per Definitiones quæcunq; sint; Secundò, dicendo, quod quamuis proximè id non fiat, per eas Definitiones, longè tamen id fit per eas, quia pro eius affectionis notitia requiritur ut eas omnes prænoscamus, & ob id Aristot. dixerat Definitionem conducere pro noscendis causis affectionum, & in 2. Physic. 68. affirmauit Demonstrationes Mathematicas vltimò resolui in Quid est, & Euclides in Principijs suorum librorum, refert Definitiones eorum quæ ei inseruire debent, pro Demonstrationum resolutione. Considero Quintò, quod Aristot. inquit Accidentia plurimum conducere pro noscendo Quid est; Accidentia conducunt, quia effecta patefaciunt Principia sua, cum eorum sint umbræ, & imagines, dicuntur autem conducere plurimum, quia non exactè ea patefaciunt, sed solum manifestant quia sint, & confusè indicant conditionem eorum; exactè autem noscimus Quid est, per conspirationem trium methodorum, de quibus supra,

Dubitatio.

Solutio.

Cur Mathematicus progrediatur per priora.

Auerroes.

Simplicius.

Dubitatio.

Solutio.

Quo Accidentia conducant ad cognitionem Quid est.

ſuprà, & in progreſſu à poſteriori ea Accidentia per quæ progredimur, non diſtinctè noſcuntur, ſed per Senſum, ideo dicuntur noſci ſecundum imaginationem, & id fit per Accidentia, non ex accidenti, ſed ſecundum ſe, non communia, ſed propria, non remota, ſed proxima; Hinc Themiſtius carpit Chriſippum qui Deos per Templa, Altaria, & Idola Definiebat; Inſuper, id fieri debet per Accidentia, uel omnia, uel quædam: nam utimur uel omnibus, uel pluribus, ratione uarietatis ingeniorum addiſcentium, obſcuritatis rerum Definiendarum, & maioris uel minoris conſpicuitatis Accidentium. Conſidero Sextò, quod Ariſtot. inquit omnis Demonſtrationis principium eſſe Quid eſt, ſiue Definitionem; Eandem ſententiam profert 11. Metaphyſicæ, cap. 6. & 13. Metaphyſ. cap. 4. & in libris Poſteriorum oſtenditur Definitionem eſſe medium Demonſtrationis; Ratio eſt: quia medium eſt cauſa, quæ per Definitionem explicatur; At oritur dubitatio, quia in 1. Poſteriorum, non ſola Definitio, ſed etiam Suppoſitio, & dignitas dicuntur principia Demonſtrationis; Præterea, frequenter medium Demonſtrationis eſt cauſa uno nomine denotata, unum autem nomen non eſt Definitio, ut dicitur in 6. Topicorum. Præterea, in 2. de Generat. Animalium, cap. 4. inquit Ariſtot. Principium Mathematicorum eſt Quid eſt, Phyſicorum verò plura, ſed modo uario, ut Efficiens, & alia; Hinc in 2. Poſteriorum, omne genus cauſæ dicitur poſſe eſſe medium Demonſtrationis. Pro Solutione dicamus, Ariſtotelem conſiderare propriè ſumptas Demonſtrationes, quę fiunt per Principia propria, per quas affectiones, præſertim ex intimis principijs prodeuntes, oſtenduntur; Inſtantia ſumpta ex uarietate principiorum Demonſtrationis, quæ dicuntur Dignitates, Suppoſitiones, & Definitiones, loquendo de communibus Dignitatibus, dico eas eſſe communes regulas conſpicuas, ex Senſu notis depromptas; ut oē totum eſt maius ſua parte; de nullo ſimul dici põt eſſe, & nõ eſſe; de quolibet uera eſt affirmatio & negatio, qui has inficiaretur, indicaret ſe inopẽ Senſuũ; his cõprobantur principia propria Demonſtrationũ; ducendo ad earũ Oppoſita, & ad conſpicuè abſurda, & his muniti, ualemus accedere ad rectè apprehendendas Scientias; ut in 4. Metaph. cap. 3. monet Ariſtot. & in 2. Moralium Eudemiorum, inquit in Mathematicis ſolum reperiri principia ſimilitudine quadam, nam potius ut dixi, ſunt communes Regulæ, ex Senſu notis depromptæ, & Plato cum in 6. tum in 7. de Repub. negauit hæc propriè eſſe Principia, & ſi quę dantur, quæ verè ſint Principia, ea uim habent Definitionis cauſam explicantis; loquendo de Suppoſitione, ea uel non eſt primum principium, uel uim habet ex Definitione, nam eadem diſtinctia ratione, dici poteſt Definitio, & Suppoſitio; dum enim Definitio nectitur cum Definito, & ex ea conſtituitur Enunciatio dicens eſſe, uel non eſſe, tunc Suppoſitio dici poteſt. Addebatur, frequenter medium eſſe cauſam uno nomine denotatam; Reſpondeo, eam cauſam, ſiue differentiam poſtremam, includere uim Definitionis explicantis uel Quid, uel Propter Quid; cum debeat per Definitionẽ explicari, omnis enim cauſa Definitionem ingreditur explicantem uel Quid, uel Propter Quid. Conſidero Septimò, quod Ariſtot. inquit: Ex quibuſcunque Definitionibus non contingit Accidentia noſcere, nec facilè de illis conijcere, conſpicuũ eſt, quod ſunt Dialecticæ, & inanes; Dicuntur Dialecticæ, quia ſunt per communia, & per patientia non Scientiam, ſed Opinionem; dicuntur inanes, quia per eas non conſequimur proprium finem Definitionis, qui eſt patefacere quid ſit res Definita, & propter quid affectionum eius; & ait: nec noſcere, nec facilè conijcere, quia per Definitionem noſcimus Accidentia proxima, & propria, conijcimus remota & communia, noſcimus conſpicuè fluentia ex ea, conijcimus quæ latenter, noſcimus quæ prodeunt ex cauſa interna, conijcimus quæ ex æterna; Conſidero Octauò, ex dictis elici, quæ ſit ſententia Ariſtotelis de medio Demonſtrationis, nam abſolutè & propriè loquendo, medium eſt Ratio & cauſa paſſionis, ut ſæpè ait Ariſtoteles, nam Scire eſt rei quæ Demonſtratur cauſam cognoſcere, & quod illius eſt cauſa, & tunc nos arbitramur ſcire, dum cauſam primam nouerimus, per

6 *Quomodo Definitio ſit Principiũ omnis Demonſtrationis.*

Dubitatio.

Solutio.

Plato.

7 *Definitiones Dialecticę, & inanes.*

8 *Medium demonſtrationis.*

quam res est, vt frequenter inquit Aristot. & in 2. Poster. hæc causa dicitur Ratio primi termini, & frequenter (vt hoc in loco) nuncupatur Definitio, & id fit, tum quia per Definitionem explicatur, tum, vt pateat nexus Demonstrationis & Definitionis, tum Tertiò, vt pateat ordo explicandarum quæstionum: nam primò per Definitionem explicatur Quid, mox per eandem replicatur Propter Quid Affectionum, adeò, vt eadem Definitio explicet Quid Subiecti, & Propter Quid Affectionum, & dicatur Definitio vtriusque, rectius tamen relata ad Subiectum, dicitur Definitio, relata verò ad Affectionem, dicitur Ratio, & causa, non autem propriè eius Definitio, vt conspicuè docet Aristot. sub initium 8. Metaph. veluti Animal rationale explicans Quid sit Homo, & Propter Quid risibilis, quamuis sit Definitio explicans Propter Quid risibilitatis, rectius tamen dicitur Ratio, & causa eius, quam eius Definitio, vt plurimum Definitio Subiecti est medium, non autem semper, vt patet dum per terræ interpositionē ostenditur Eclipsis de Luna, semper tamen mediū est Ratio, causa, & Definitio Propter Quid Affectionis, & semper pro medio accipitur cum hac reduplicatione, vt est Ratio, causa, & Definitio Propter Quid eius. Hinc rectius sentiunt, qui inquiunt medium esse Definitionem affectionis, denotando non Definitionem explicantem Quid eius, alioquin esset petitio in principio, sed explicantem Propter Quid, quam dicentes tale medium esse Definitionem Subiecti, vt præsertim patet de affectionibus, quarum actus producitur ab externo, & per id externum proximè ostenduntur; Pro quarum notitia considero Nonò, reperiri nonnullos, qui penitus reijciunt affectiones ex externo prodeuntes, & inquiunt cunctas prodire ex Subiecto, & ex internis principijs; at, conspicuè decipiuntur, dum enim consideramus æternitatem motus Cœli, ex motore separato prodeuntem, eclipsim Solis à Luna productam, similiter eclipsim Lunæ ex terræ umbra pendentē, inspicimus huiusmodi affectiones ex Subiecto id solum habere, vt ei non repugnent, causam verò principalem ex qua prodeunt, & per quam Demonstrantur, inueniemus esse externam; Et loquendo de eclipsi Lunæ, si consideramus Lunam ex parte sui, vt aptam priuari lumine, cum id recipiat ab alio, profectò, hoc non est proprium Lunæ, sed commune cunctis recipientibus lumen ab alio; at, si consideramus actum, adeò, vt adsit externa causa, quæ definito tempore impediat luminis Solis receptionem, hoc est proprium Lunæ, & hoc pendet ex causa externa, & de huius ostensione loquens Aristot. ait ostendi per æternam causam, & inquit eorum quę sępè fiunt esse Demonstrationem, dum definito tempore necessariò ex definita causa prodeunt, referendo semper actum ad causam externam; at de re hac alibi latius disserui. Decimo considero, ex Aristotele elici in Scientijs concedendum esse Regressum, & præsertim in Scientia de Natura, in qua per conspicua opera eleuamur in notitiam Naturæ, & principiorum, mox iudicantes ea esse Principia, & causas, per eas si reciprocentur, inferimus opera, & affectiones, nam vt sciamus, non sat est noscere causam, sed etiā noscere debemus q eius sit causa, quod nobis competit in Regressu, damnatur Ostensio circularis quæ omninò sit consimilis, vt partes circuli consimiles sunt, at Regressus dissimilitudine præditus conceditur, & præsertim, quia in Regressu adest varietas quæstionum, nam per Opera noscimus primò esse principiorum; mox per inuenta principia, ostendimus propter quid Operum; Consideratur Regressus triplex; Primò cum varietate affectionū, adeò, vt per affectiones cōspicuas, eleuemur ad causas, mox per cās descendamus, non ad easdem, sed ad latentiores affectiones; Secundò, dum per unam affectionem inferimus causam, cum qua reciprocatur, mox eandem causam per alia media elucidatiùs, & per eam comprobatam reuertimur ad eandem affectionem; At neuter est propriè Regressus: quia vel non est ad idem, vel id non fit virtute primi, vt rectè iudicarunt Alexand. & Auerroes in 2. de Cœlo, 51. Hinc minus rectè sentit Simplicius, dum in 2. de Cœlo Contex. 59. aduersus Alexandrum eos quoque esse Regressus affirmat; Tertiò itaque modo fit propriè Regressus, dum ex reciproca affectione nobis con-

Cur mediū Demonstrationis dicatur definitio.

Definitio Subiecti est medium vt plurimum.

Quomodo dentur affectiones ex externo prodeuntes.

10.

De Regressus.

Triplex Regressus.

Proprius Regressus quis dicatur.

bis conſpicua quod ſit, inferimus eſſe cauſæ, & mox per eſſe cauſæ inuentum, inferimus propter quid eiuſdem affectionis, ſic ſemper progredimur per nota & inuenta, nec requiritur noua ratio pro cauſæ elucidatione, ſed ſolum animaduerſio quod hæc ſit cauſa, ea uero ſit res effecta, utitur Philoſopus ſæpè hoc Regreſſu, & præſertim in 8. Phyſ. 53. in 1. de Ortu & interitu, Contex. 51. 52. & alibi.

EST etiam de paſſionibus Animæ quæſtio, num ſint omnes communes & habentis, vel detur aliqua ipſius Animæ propria, quod ſanè accipere neceſſarium eſt, non tamen facilè: videtur autem plurima, neque agere, neque pati ſine Corpore, vt iraſci conſidere, cupere, & denique ſentire: Maximè autem ſimile proprio eſt intelligere, quod ſi hoc etiam Phantaſia quædam ſit, aut non ſine Phantaſia, non continget utique hoc ſine Corpore eſſe. Contex. 12.

DVBITAVERAT Philoſophus Primò de antecedentibus; Secundò de inſitis; Tertiò, dubitat de ſequentibus, hoc eſt, de paſſionibus: nam dixerat Accidentia plurimum conducere ad noſcendũ Quid eſt; Et quia poſſet putare aliquis, ea omni ex parte eſſe cõſpicua, ideo intentio Ariſt. eſt, manifeſtare ea quoque difficultatẽ includere, & ob id Animæ cognitionẽ apprimè eſſe arduam. Diuiditur Cont. in Tres partes In Prima proponitur dubitatio, & eſt, num paſſiones Animę omnes ſint cões, & habẽtis, hoc eſt Corporis, uel detur aliqua propria Animę; Quod dentur affectiones proprię Corporis, ut colores, ad rem non facit; quod dentur affectionis aliquę communes, ex ſe patet, ideo eſt dubitatio ſolum, an detur aliqua, quę ſit Animę propria; In Secunda parte manifeſtat qualis ſit hæc dubitatio: nam eſt ardua, & utilis, & utilitas patebit ex ſequenti Contextu; In Tertia parte patefacit de quibus non ſit, & de quibus ſit dubitatio, nam de attinentibus ad appetitum iraſcendi, qualis eſt Ira, & confidentia, & ad appetitum concupiſcendi, qualis eſt cupiditas, & uniuersè de attinentibus ad Senſum, vt contradiſtinguitur à Mente, non eſt dubitatio: quia conſtat eſſe communes de attinentibus autem ad Mentem, eſt dubitatio, quia intelligere maximè eſt ſimile proprio, ſumendo Mentem, ſiue non diſtinguatur ſiue diſtinguatur à Phantaſia, ideo inquit: ſi intelligere eſt quædam Phantaſia, vt putarunt Vetuſtiores, vel non eſt ſine Phantaſia, non continget intelligere competere Menti ſine Corpore. *Intentio.* *Diuiſio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, dubium eſſe quid Ariſt. denotet per paſſiones Animæ; ait Simplicius Animæ in ſe manenti competere operationes ab eius eſſentia non diſtinctas, quę nõ paſſiones ſunt, ſed actiones, & ita latent, vt Anima, de quibus Ariſt. non loquitur, ſed de competentibus Animæ progreſſę cum perpeſſione, quę nobis ſunt notiores, & ad Animæ cognitionem nos eleuant; hinc ab Ariſt. paſſiones nuncupantur. At, errat: nam ſi Ariſt. eas ſolas operationes acciperet, quæ fiunt cum paſſione, proculdubio ſupponeret non eſſe ſine Phantaſia, & conſtaret eſſe communes; inſuper, ſi Anima alijs abſolutè proprijs eſſet prædita, illæ ſolæ abſolutam eius conditionem patefacerent, non aliæ; Inſuper, *Primum.* *Quid denotetur per paſſiones.* *Simplicius.* *Euerſio.*

male colligeret, quod si hęc passio Mentis non est sine Phantasia, quod nequeat separari, ut enim separari ualeat, sat est, ut una sola actio eius sit propria, vt patet exemplo Nautæ; Quare dicamus, Aristotelem absolutè loqui de munere Mentis, de quo sæpè ait fieri sine instrumento corporeo, & officia Animæ nonnunquã actiones, nonnunquam passiones appellat, quia utrũque uidentur includere; Considero Secundò, quod cum Arist. dubitet, num actiones Animæ sint communes Corpori, esse commune quinque modis contingere; Primò, quia à Corpore excitentur, vt Somnus, & Delirium; Secundò, quia spiritus & partes corporis alterentur, & permutentur, vt patet de Ira, & Timore; Tertio, quia efficiantur instrumento corporeo, ut Visio; Quartò, quia Corpus conducat tanquam medium, vt cutis & caro pro tactu, Quintò, ut pendeat ex aliquo existente in Corpore, vt intelligere ex Phantasia; Arist. indefinitè denotat quemcunque horum modorum; Per esse autem proprium, Tria intelligere ualemus; Primò, quod competit uni facultati, vel parti contradistinctę ab altera, sic facultatis sentiendi, proprium est sentire, appetendi, appetere; Secundò, propriũ dicitur quod cum eo reciprocatur cuius est proprium, ut ridere, est proprium Hominis; Tertiò, quod ita competat uni, vt pro eo fungendo non egeat alio, in qua tertia significatione Arist. dubitat, num Animæ competat officium, & actio propria; Considero Tertiò, quod Arist. ait considerationem hanc esse necessariam, & arduam; hoc autem dicit, ut nos inuitet per utilitatem, & per difficultatem reddat attentos, non enim tenemur esse attenti in difficultatibus inanibus & inutilibus. Dicitur necessaria, non absolutè, sed ex suppositione, si notitiam conditionis Animæ assequi cupimus, nam omnis nostra cognitio ortũ ducit a Sensu propterea, si cupimus notitiam assequi principiorum latentium, est necesse, ut noscamus attinentia ad eorum officia; Insuper, ex resolutione huius difficultatis, elicimus cognitionẽ illius, num Anima sit apta seiungi à Corpore, an pertineat ad Physicum, quomodo sit Definienda, & num sit Vniuocum quoddam, vel ab vno; Considero Quartò, quod accuratè Arist. Opera refert communia Corpori, nam de Operibus Animæ nutrientis, mentionem non facit, tum, quia constat esse communia, tum, quia adhuc non patet ea esse Opera Animæ, vel Naturæ; tum Tertiò, quia Animam considerat cum relatione ad Animal, ut patuit ex 2. Contex. supersunt Sensus & Mens, ab eo distincta, Sensus vel appetit, vel sentit, appetitus est duplex, vnus irascendi, ad quem pertinet Ira, & confidentia, alter concupiscendi, ad quem pertinet cupere, si sentit & iudicat, denotatur per sentire, superest officium Mentis, quod est intelligere, & uelle, denotatũ per intelligere, & nomine Mentis denotat indefinitè quæcunque ea sit, siue sit Phantasia, ut putarunt Veteres, siue aliquid distinctum ab ea, ut declarabitur in calce 2. de Anima, secundum sectionem Auerrois. Considero Quintò, quod iure Arist. ait maximè simile proprio esse intelligere, & iure: nam uersatur circa seiuncta à materia, & circa Vniuersalia eius officio seiuncta; Insuper, non læditur Mens à uehementi intelligibili, præterea, non utitur instrumento Corporis, non fit cum permutatione spirituum, & Corporis, præterea, dũ attenti speculamur, non percipimus affectiones Sensuum tanquam à Corpore secretas; Insuper, Prophetæ diuinandique spiritu concitati, multa proferunt quæ ipsimet non persentiunt, quod indicat id competere Menti sine ulla corporis conspiratione; Similiter, voluntas cum libera sit, ex nullo alio pendet. Considero Sextò, quod Arist. inquit: Si intelligere est imaginatio, aut non sine imaginatione, non contingit id quoque sine Corpore esse; loquitur cũ conditione, quia hic non est locus explicandi, sed dubitandi; Insuper, utitur disiunctione, quia (ut rectè considerat Auerroes) de nostra Mente duo sunt dubia; Primum; an sit Phantasia, & egeat instrumento corporeo, ut censuit Empedocles, Democritus, & Anaxagoras; Alterum, si differt, an necessariò ea egeat, si dicitur primum, mortalis erit, si alterum, erit immortalis, quęritur, quid per Corpus denotet? ait Simplicius, denotari uel hoc, vel quoduis aliud Corpus, veluti Vehiculum, uel Aerum, uel aliud, in quo cum Sensu

Sententia propria.

2 *Esse commune multiplex est.*

Esse propriũ triplex est.

3 *Quõ consideratio ardua & necessaria.*

4 *Opera communia quænam.*

5 *Cur intelligere uideatur maximè proprium.*

6 *Duo dubia de nostra mẽte.*

Quid per Corpus denotetur.

su & imaginatione reperitur; At hoc non est dicendum: quia Arist. semper Animam refert ad Corpus instrumentarium, qualia non sunt Academicorum Vehicula. Propterea putandum est, Aristotelem denotare Corpus humanum, organicum, pro facultate imaginandi requisitum.

SI igitur operum aut perpessionum Anima aliquod sit eius proprium, fieri potest vt separetur; si autem nil est eius proprium, nequit separari, sed vt recto quatenus rectum est, multa accidunt, veluti tangere aream Sphæram Puncto, non tamen tangit separatum rectum. Contex. 13.

DIXERAT Philosophus considerationem operum animæ esse arduam, & vtilem, ostenso de quo sit dubitatio; Intentio eius modo est vtilitatem patefacere, quatenus ex notitia operum, eleuamur in cognitionem conditionis Animæ. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima proferuntur cum conditione duæ Regulæ; In Altera illustratur exemplo secunda Regula; Prima Regula est; Si Anima est prædita passione, aut opere aliquo proprio, continget eam separari à Corpore; Altera Regula est; Si nil est Animæ proprium, non est apta separari; Hæc Secunda Regula illustratur exemplo: nam si Anima opere proprio non est prædita, tunc se habebit perinde ac rectum, cui cum competat hæc conditio, vt tangat Sphæram æreã, hoc est exactissimè rotundam Puncto, non tamen id faciet rectũ secretum à suo Subiecto, cum sit aliquid materiatum ex Subiecto pendens, similiter Anima non fungetur officio suo seorsum à Corpore.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Aristotelem proferre duas Regulas, easq; enunciare non absolutè, sed cum hac conditione, si habet, uel non habet opus proprium, quoniam hic non est locus explicandi, sed dubitandi, solum id facit, vt tanquam notam patefaciat reciprocationem operis proprij, & separationis; At dices, vbi patefaciet Arist. num intelligere sit opus proprium, uel nè? Respondeo, Arist. de humana Mente duo patefacere; vnum est, quod non egeat instrumento corporeo, vt in 3. de Anima, Cont. 6. & in 2. de Gener. Animal. cap. 3. ex quo infert, posse separari, in eodem 3. de Anima, Cont. 7. & extrinsecus accedere, in 2. de Gener. Anim. cap. 3. Alterum est, quod sine Phantasia nihil intelligat, ex quo infert, quod peremptæ Phantasiæ, pereant habitus eius, & quod nõ reminiscamur, & nequeat reperiri sine aliquo corpore, cum tamen id quod est, ab interitu sit immune, vt patet ex 3. de Anima, 20. necnon ex 1. Cont. 65. nam Arist. nullam Mentem nouit, quæ alicui Corpori non esset iuncta, hinc Mentes Cælorum numerauit numero orbili; adeo, vt de humana Mente Arist. duo proferat, quæ primo intuitu inuicem pugnare videntur, cum tamen utraque sint consentanea opinioni eius; Vnum est, quod sit separabilis, ut æternum à mortali, vt in 2. de Anima 11. & 21. & in 3. Cont. 20. Alterum est, quod cum egeat Phantasia, nequeat separari, adeò, vt operetur sine ea eodem modo quo coniuncta operatur, non autem quod nequeat separari vt perpetuum à mortali; hinc ex ipsomet Aristotele elicitur conspicua Solutio rationis eorũ qui ex hoc Contex. putant elici humanam Mentem ex opinione Aristotelis esse mortalem: quia sine Phantasia non intelligit, cum tamen ipsemet Arist. in Contex. 20. 3. de Anima, dicat esse æternam, & immortalem, & nil intelligere sine Phantasia dum est coniuncta, at

1. Consider.

Dubitatio.

Vbi declaretur an intelligere sit opus proprium.

Deceptio Aristot.

Solutio rõnis aduersũ Immortalita tẽ Animæ.

2 de hoc latius in lib. de humana Mente; Considero Secundò, Primam Regulam esse hanc; Si aliquod operum & passionum Animæ est proprium, contingit separari; Ratio & fundamentum Regulæ est: quia opus magis pendet ex alio, quam principium eius, quare si id separari potest, longe magis Principium, & Essentia principij poterit seiungi; insuper, si habet opus proprium cum separetur, & seorsum existat, non erit frustra: nam poterit operari; Considero Tertiò in verbis, quod Arist. ait, si aliquod opus sit proprium, ait aliquod, quia vt sit apta separari, & seorsum existere, sat est ut unum opus sit eius proprium, vt pater exemplo nautæ, qui quamuis officio nautæ sine naui fungi nō valeat, tamen quia vt homo operatur sine naui, potest seorsum à naui existere, & operari, & nomine operum & passionum Animæ singulas vniuersè intelligere debemus quæ Animæ competunt, alioquin nō possumus ex eis absolutè conditionem Animæ colligere, & easdem denotat Arist. quas denotauit in præcedente Contex. dum de illis dubitauit, non alias, ut minus rectè exponit Simplicius, qui nititur inuitum Aristot. ducere in sententiam Platonis; hinc plurima profert quæ cum Principijs Aristotelis conspicuè pugnant; Considero Quartò, quod Aristot. inquit: contingit separari, siue fieri potest, vt separetur; at, cur ait, contingit, nonne est necesse? Philoponus tria dicit; Primò, quod Aristoteles considerauit Animam non semper esse separatam; At, cum separabile respiciat futurum, nil refert si pro præsenti non sit separata; Ideo Secundò dicit, Aristotelem inspicere vniuersam hominis speciem, à qua omni ex parte non separatur; at, si tota species periret, separaretur. Hoc etiam non satisfacit: quia separari consideratur in interitum singulorum, non totius speciei: nam species æterna ponitur, & non contingit ut intereat; Addit Tertiò, vsurpari contingens pro necessario, at, tunc Arist. voce minus propria fuisset vsus. Propterea dicamus, quod Aristot. ait: contingit, considerans id quod est ex parte eius, & quod ex antecedente colligi debet, ex eo enim elicitur, quod separari possit, non autem quod necessariò separetur, ueluti posset nauta in naui perire, & non separari; Similiter, motores Cælorum ex se possunt existere sine Orbe, nunquam tamen existunt; Et Aristotelis hoc in loco, per posse, uel non posse separari, non denotat immortale, uel mortale, non enim de hoc loquitur, sed posse, uel non posse, ut ad eam pertinet existere seorsum à Corpore, ut prius dixi. Considero Quintò, Secundam Regulam esse hanc; Si nullum opus est Animæ proprium, non contingit eam separari; Ratio Regulæ est: quia si seorsum existeret, non posset operari, & propterea esset frustra: nam id cuius est opus, est gratia operis, ut dicitur in 2. de Cælo, Deus autem & Natura nil faciunt frustra, vt dicitur in 1. de Cælo; Hæ sunt duæ Regulæ iunctæ virtute reciprocationis terminorum, qui sunt habere opus proprium, & separari; de quibus id verificatur, quod si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis, sic Aristot. per opera magis conspicua eleuat in notitiam conditionis Animæ; tradita autem Regula Secunda, affert exemplum eius, non autem primæ: quia Secunda Regula respondet opinioni Aristotelis; ipse enim hoc veri nouit, quod Mens sit immortalis, censuit tamen non intelligere sine Phantasia, quod intelligendum est, dum est coniuncta. Considero Sextò, pro explicatione exempli, quod Aristot. accommodatissimo utitur exemplo: nam pro patefacienda conditione humanæ Mentis, quæ est essentia sine materia, cuius officium est intelligere, quo fungi non valet dum coniuncta est, sine Phantasia organica, accipit rectum, qua rectum, considerando illud Mathematica abstractione seiunctum, ad Reduplicatio suprà Formam cadit, & ea affectio est recti, non cum sensili materia iuncti, sed secundum propriam formam considerati, solum præditi materia Mathematica, quæ est continuum, & partes, & hoc rectum respondet humanæ Menti, quæ sensilis materiæ est expers; Ex altera parte accipit Sphæram æream, materiatam, quæ indicat essentiam materiatam, quæ est Obiectum Mentis, ei oblatum per materiatū Phātasma; ut itaque tangere Puncto Sphæram æream est affectio recti abiuncti à materia

Regula prima. *Ratio eius.* *Simplicius.* *Cur ait contingit separari.* *Philoponus.* *Opinio propria.* *Regula secunda.* *Ratio.*

ria Physica, non tamen id facit seorsum à materia, ita intelligere est affectio immateriatæ Mentis, cum tamen eo officio non fungatur eodem modo seorsum à Corpore; Præterea, sumpsit Sphæram æream, quia æs est maximè capax rotunditatis, & sumpsit materiam Physicam, ut denotaret contactum Physicum, qui est cum materia sensibili, non Mathematicum, qui est cum sola materia intelligibili secundum imaginationem; Insuper, exemplum est accõmodatissimum: quia intelligere in indiuiduo est positum, ut dicitur in 8. Metaphys. Contex. 10. in 12. Metaphys. Contex. 51. necnon in 3. de Anima, cui respondet contactus recti in Puncto, & in indiuiduo positus. Et, Aristot. semper nomine recti denotat rectum vt rectum est, hoc est, consideratum secundum Formam seorsum à materia sensili cum sola intellectili: nam affectio eius est propria; hinc minus rectè Philoponus, & Simplicius inquiunt, primò per rectum denotari concretum, dum dicitur, recto ut rectum, competere ut Spheram tangat Puncto, mox abstractum, dum dicitur id non facere separatum rectum; at errant: quia reduplicatio denotat rationem propriam & formam, ac insuper tangere Puncto, est affectio eius, & absurdum est, quod Aristot. utatur eadem uoce in distincta significatione; & quamuis nomen recti sit concretum, nil refert, tum, quia nomen (concretum) significat primò formam, ut dicitur in 8. Metaph. Contex. 7. tum insuper, quia includit saltem materiam Mathematicam. Confidero Septimò, quod ratio præcipua qua vtuntur putantes ex opinione Aristot. humanam Mentem esse mortalem, quæ ex his Regulis elicitur, à uarijs soluitur modo uario; Ratio ita formatur. Humana Mens caret opere proprio, igitur non contingit eam à corpore separari; Assumptum patet: quia non intelligit sine Phantasia; Consequutio deducitur per Secundam Regulam. Simplicius negat Assumptum, tribuens Animæ manenti actiones manentes, sine ope Phantasię; quæ sententia est Academica, non Peripatetica, nullibi, Aristot. de illa fecit mentionem, sed frequenter oppositum enunciauit, quod nil intelligit sine Phantasia, & in 1. de Anima, 65. negauit Mentem intelligere, & affirmauit intelligere Hominem, quia necessaria est Phantasia. Auerroes similiter negat Assumptum, inquiens Menti competere opus proprium, quia quamuis egeat Phantasia, tamen non utitur instrumento corporeo; At, id non est satis: quia Aristot. conspicuè affirmauit, quod si Mens vel est Phantasia, uel non intelligit sine ea, opus non est proprium, Multi Latinorum inquiunt Menti ex sui conditione, competere opus proprium, ex accidenti tamen, ut iunctæ corpori, egere Phantasia, Philoponus inquit id, (non sine) tria denotare; uel indifferentiam, adeò, ut nec conducat, nec obsit, ut ambulaui in Sole, at, non sine umbra, uel insuper, necessarium instrumentum, ut uideo, non sine oculo; uel Terebo, impedimentum, ut nauigaui, at non sine periculo. His assumptis aiti dum Aristot. inquit, si intelligere non est sine Phantasia, non contingit separari, id, (non sine,) denotat necessarium instrumẽtum; dum uerò in 3. de Anima, ait non intelligere sine Phantasia, denotat impedimentum ob infortunatum nexum cum Corpore, & Animæ peregrinationem; At, hæc leuissima sunt, cum enim Arist. de necessitate Phantasię semper utatur eodem loquendi modo, non est putandum quod uaria denoter; Insuper, cum Phantasma dicatur perinde se habere ad Mentem, ac Sensile ad Sensum, non debet iudicari impedimentum, sed necessariò requisitum; Insuper, connexio actus cum potentia, & perfectionis cum perfectibili, non debet iudicari infortunata, sed secundum naturam, Sententia Latinorum supra relata amplecti debet, & ita intelligi debet Aristot. in 3. de Anima dum dicit, quod non intelligit sine Phantasia, hoc est dum est coniuncta. Confidero Octauò, quod cum ego dixerim Aristot. duas reciprocas formare Regulas, vt etiam Philoponus existimat, Themistius tamen, & Auerroes putarunt formari Rationem à destructione Antecedentis, pro distinctione Consequentis, hunc in modum: Si Animæ competit opus proprium, contingit eã separari, quare, si non habet opus proprium, non contingit separari, & cum contra Regulas Logicas sit, à destructione Antecedentis, ideo dubitant, quomo-

Exemplum sumptum ex Sphæra tangente Plan.

7

Solutio rationis quæ ex hoc Contextu elicitur.

Auerroes.

Latini. Philoponus.

Sententia propria.

8

Ratio à destructione Antecedentis.

quomodo id fecerit Aristot. & soluētes inquiunt, in his quæ ex Accidenti iūcta sunt, non quidem oībus, sed dū Antecedens est tanquā totū, Consequēs verò pars, quia de structionē totius, sequitur destructio partis, non aūt cōtra, progrediendū esse à destructione Antecedentis, ad destructionē Consequentis, non cōtra; & eiusdem opinionis est etiam Simplicius in 1. de Cęlo Contex. 11. veuntur exemplis, veluti, Si Dion nauigat, contingit bene nauigare, non nauigat, igitur non contingit bene nauigare; at, non contra, non contingit bene nauigare, igitur non nauigat, non sequitur. Similiter, si accedens est Animal, contingit ut sit homo, solū necessitatem includit, destruendo Antecedens, non autem Consequens; Ego profectò non inspicio in Aristotele vllam rationis formam; sed solum reciprocationem inter habere opus proprium, & contingere separari, & concesso quod vtatur Ratione à destructione Antecedentes, dicendum esset, id posse fieri ob reciprocationem terminorum, & ratione materiæ, vt argumentari licet in secunda figura ex ambabus affirmatiuis, dum termini fuerint reciproci; Insuper, cum Regulæ Logicæ argumentandi, sint semper, & in omni materia ueræ, præsertim id iudicari debet de illis duabus, quæ sunt à destructione Consequentis, & à constructione Antecedentis, quæ, sint fundamenta Figurarum Syllogismorum; hinc dico, ueras esse in omni materia; Nec obsunt exempla in oppositum relata: nam dum inquiunt si Dion nauigat, contingit bene nauigare, dico debere semper considerari Consequens, ut pendet ex Antecedente, ac ita omnis conditionalis vera, etiam est necessaria, & uerti potest in Vniuersalem, veluti de omni nauigante dicimus, quod potest bene, & non bene nauigare, quatenus nauigat; propterea, si non continget bene nauigare, non nauigat. Similiter de altero exemplo dicendum est, nam dum aiunt si accidens est Animal, contingit ut sit homo, hæc necessaria est, quia Animali ut Animal est, non repugnat vt sit homo, veluti etiam Talpę, vt Animal est, non repugnat uidere; hinc destruendo Consequens, dicere nalemus, non contingit ut sit homo, igitur non est Animal: At, obijcier aliquis, quomodo in re tam conspicua uiri illi sapientes hallucinati sunt? Respondeo, id eis contigisse, quia Consequens potest considerari dupliciter; uel absolutè; uel cum connexione cum antecedente, & relatione ad illud, in conditionalibus, & in consequutionibus, debet considerari ut pendet ex Antecedente, ac ita Regulę illę Logicę semper sunt uerę, illi autem Consequentia considerarunt absolutè, & propterea secus loquuti sunt; At quæritur, cum Consequens pro necessitate formæ argumentandi debet considerari cum relatione ad Antecedens, concesso quod considerentur absolutè; quomodo se habebunt Consequutiones: Dimissa opinionum relatione, dico quatuor dandas esse Regulas; Prima est: Si Antecedens & Consequens æquantur, licet argumentari à destructione vtriusque, vt, si est homo, contingit vt sit risibili; Altera Regula: si Antecedens est communius, & tanquam totum, solum licet argumentari à destructione Antecedentis, ut si Dion nauigat, contingit bene nauigare, & si hoc accedens est Animal, contingit vt sit homo. Tertia Regula: dum Consequens est communis, nullo modo argumentari licet, ut si est homo, contingit ut ambulet. Quarta Regula: Dum Antecedens, & Consequens penitus ex accidenti sunt iuncta, & neutrum est ut totum, vel vt pars alterius, nulla formari potest necessaria Consequutio; vt si est Animal contingit vt sit nigrum; At de his satis.

Sententia propria.

Instantia. Solutio.

Quatuor Regulæ.

1
2
3
4

Contex. 14.

VIDENTVR autem Animi passiones omnes esse cum Corpore, Ira, mansuetudo, Metus, Misericordia, Fiducia, ad hæc Gaudium, & Amare, & Odire, nam vnà cum his patitur aliquid Corpus, quod ex eo indicatur, cum graues, & non obscuri casus accidunt, nihil irritamur, aut timemus: Interdum

terdum autem etiam ab exiguis mouemur, dum turget Corpus, & ita se habet, veluti dum irascimur. Adhuc autem magis hoc est manifestum, nullo enim imminente terribili, passionibus commouentur timentis.

LOQVENS Philosophus de Animi affectionibus dicebat attinentes ad Sensum conspicuè esse communes Corpori, solum dubias esse attinentes ad Mentem, de quibus cum verba fecisset, redit ad eas Sensuum, confirmans rationibus id quod dixerat; Diuiditur Contex. in Tres partes; In prima profertur Conclusio; In Alijs duabus, duæ afferuntur rationes pro Conclusionis approbatione. Conclusio hæc est; Animæ passiones omnes, denotando eas quæ præsertim passiones nuncupantur, & ad appetitum sensitiuum pertinet, videntur & experientia constat esse cum Corpore, eique esse communes, ut etiam dixit in præcedentibus; hæ, nedum egent Sensu existente in Corpore, sed etiam efficiuntur instrumento Corporeo; In Secunda parte id ostendit, primò hac ratione: illæ passiones pro quarum productione commouetur, & patitur Corpus, sunt communes Corpori, Animi perturbationes sunt huiusmodi, quare sunt communes Corpori; Maior est conspicua, Minor ostenditur exemplo iræ, mansuetidinis, metus, misericordiæ, & fiduciæ, quæ attinent ad appetitum irascendi; Similiter gaudij, amoris, & odij, quæ magis pertinent ad appetitum concupiscendi, quibus dum afficimur, turbamur, agitantur spiritus, pallescimus, erubescimus, incendimur, non facit mentionem de attinentibus ad facultatem nutriendi, ob rationes in præcedentibus relatas; Quod ex eo indicatur, &c. Hæc est Secunda Ratio, quæ ita formatur: Quæ sequuntur temperamentum, eiusque varietate variantur, sunt communia Corpori, affectiones Animi, siue propensiones ad eas, sunt huiusmodi, quare sunt communes Corpori; Maior est conspicua, temperamentum enim ad Corpus pertinet; Minor ostenditur experiẽtia: quia interdum hoc est, de nonnullis loquendo quorum sanguis est crassior, & frigidior, cum graues & non obscuri casus accidunt, hoc est conspicuè & vehementer irritantur, iniurijsque afficiuntur, non irascuntur, nec turbantur, contra uerò iuuenes bilioſi, etiam ab exiguis excitantur, & ob leuissima, irascuntur, dum Corpus eorum sui propria conditione turget, spiritibus calidis, & facilè mobilibus est præditum, & perinde est affectum, ac affecti sunt homines dum irascuntur, tunc enim rubei redduntur, & oculi fulgent; Insuper, idipsum confirmatur: quia viri atrabilioſi, sibimet pericula fingunt, & nullo imminente periculo uehementer timent, adeò, vt constet timorem illum sequi temperamentum, & qualitatem humorum eius; cum contra, viri audaces, etiam in conspicuis periculis timorem abijciant.

Intentio. Diuisio. Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Arist. unum refert fundamentũ, quo præsertim utuntur illi qui Physionomiæ dant operam, id autem hoc est; Quicunque sui temperamento, & Corporis constitutione ita sunt dispositi, ut disponuntur illi qui aliqua animi perturbatione afficiuntur, iudicari debent ad eam perturbationem proclines, veluti, quia timentes pallescunt, hinc sui conditione pallidi, iudicantur timidi, & quia iratorum oculi fulgent, & facies rubea est, hinc qui sui corporis constitutione sunt tales, iudicantur irascendi; nam corporis temperamentum sequuntur, non quidem mores, sed propensiones ad eos, quæ ratione, & assuetudine corrigi possunt. Consideró Secundò, quod quamuis Animi perturbationes sunt affectiones Animalis, quod est Corpus Physicũ, & ut ca-

Considero. 1 Fundamentum Physionomiæ.

2

dunt

dunt sub Scientiam, pertineant ad Physicum, & in paruis naturalibus considerari debeant, tamen Aristot. non fuit curæ in Physicis distinctè de illis loqui, sed ei, vt etiam de metallis, & fossilibus fuit satis in Physicis solum communia principia patefacere, derelinquendo distinctiorem eorum explicationem alijs, quibus inseruire debent; Sic de Animi perturbationibus distinctius loquitur in Ciuili Scientia, & adhuc distinctiùs in Rhetoricis, numeratur tamen inter Opera Aristotelis liber de Ira, qui ad manus nostras non venit, & inter libros paruorum naturalium numerãdus esset, est enim affectio Animalis. Considero Tertiò, cum Aristot. duplici ratione ostenderit Animi perturbationes esse communes Corpori, eisdem rationibus etiam uti Galenum, in libro quod Animi mores sequuntur Corporis temperamentum, præsertim cap. 8. necnon Epicurum, & Lucretium: inquiunt enim ea animi officia per quæ Corpus commouetur, & sequuntur modo aliquo temperamentum Corporis, iudicari debent communia, Mentis officia sunt huiusmodi, quare sunt communia; Minor ostenditur: quia incumbentes Scientijs & speculantes, debilitantur, minuuntur spiritus, coctiones eorum impediuntur; Insuper, varietate temperamentorum variantur ingenia, molles carne, dicuntur ualere Mente, & in 3. parte Problem. 1. Atrabilioſi dicuntur valere ingenio; Languente Corpore Mens titubat, sunt itaque Mentis officia communia Corpori, nec ea intelligit & uult, sed homo, & ob id Mens quoque cum Corpore languet; Soluitur hæc instantia ab Arist. in 1. de Anima, 66. dicente, ipsum intelligere, & speculari, marcescere, alio quodam interius corrupto, nimirum Phantasia, ipsum autem impassibile est, &c. Insuper, commoueri spiritus, & humores Corporis contingit dupliciter; vel ratione sui, vel ratione famulantis, & connexi, per passiones Sensuum id fit ratione propria eorum, per officia Mentis id fit ratione Phantasiæ famulantis, & comitantis, hoc nos docet Aristot. in 1. de Anima 64. inquiens, non tanquam motu in Anima existente, sed aliquando quidem vsque ad illam, aliquando verò ab illa, nam motus sunt in Sensuum organis. Et in 7. Physic. affirmauit, motum attingere quidem Sensus, at non Mentem, hinc à vehementi intelligibili non læditur, & varietates ingeniorum sequuntur varietatem Phantasiæ, quæ organica est, non Mentis, quæ instrumento non eget. Considero demum, de Animi perturbationibus, varias esse difficultates, veluti quid sint, quot numero sint, quæ sint, cui competant, an conueniant soli homini, vt putarunt Stoici, vel etiam iumentis, & feris, an sint toto genere praua, & euellendæ, vt dixêre Stoici, vel corrigendæ, vt Peripatetici, an sequantur temperamentum, vt putauit Galenus, & aliæ similes, quas ego silentio prætereo, cum exactè in Ciuili scientia de his verba fecerim.

Cur Animi perturbationes distinctius à Ciuili Scientia considerẽtur.

Ratio Galeni & Epicuri pro animi interitu.

Solutio.

Contex. 15.

Si autem ita se habent, manifestum est quod passiones, rõnes in materia sunt, quare termini quoque tales esse debent, vt irasci, motus quidam est, huiusmodi corporis, aut partis, aut facultatis, ab hoc gratia huius; Et propterea munus Physici est considerare Animam, aut omnem, aut talem.

DVBITABAT Aristot. de passionibus animæ, tum vt patefaceret cognitionem animæ omni ex parte arduam, tum, vt ostenderet per eas nosci conditionem animæ, tum tertiò, vt patefaceret animam esse definiendam per corpus, & ad Physicum pertinere, ideo explicatis prioribus; modo de hoc tertio in præsenti Contex. uerba facit. Diuiditur Contextus in tres partes, quatenus ex eo quod patefecit passiones animæ esse communes corpori, tria colligit; primum est ex dictis patere passiones animæ esse rationes, & formas materiatas, cum sint communes corpori; alterum est, si passiones sunt materia-

Intentio. Diuisio. Expositio.

materiatæ formæ, definitiones quoque earum debent esse tales, adeò, ut materiam includunt, quia definitiones explicant rem definitam, ac ei sunt eædem, & solum distinguuntur ratione, quod intelligi debet de exacta definitione, nam formæ Mathematicæ materiatæ sunt, cum tamen à Mathematico sine sensili materia definiantur; similiter à Dialectico, & hoc patet exemplo iræ, quæ à Physico definitur per omne genus causæ; Colligit tertiò, Physici munus esse considerare animam, uel omnem, uel talem, nimirum, cuius passiones sint communes materiæ & corpori; quod deducitur hunc in modum: Id cuius passiones sunt communes corpori, & per materiam sensilem definiendæ, ad Physicum attinet, animæ passiones sunt communes materię, & per corpus Physicum sunt definiendæ, igitur anima uel omnis, uel talis, nimirũ cuius affectio sit communis materiæ, ad Physicum pertinet.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. loquens modo de communibus affectionibus, solum vtitur nomine passionis, non actionis, quia maximè in eis refulget passio ab obiecto, & perturbatio spirituum, & per commune, id intelligit, quod fit instrumento corporis, & cum eius passione, & permutatione, ut semetipsum declarat, adeò, vt egeat corpore pro suo esse, & muneris functione, non autem ut solum egeat pro suo fungendo munere, aliquo existente in corpore, ut mens eget Phantasia; ex eo autem, quod pendeat ex corpore sit natura, & ad Physicum pertineat; hic iure colligit Physici officium esse, agere de anima, aut omni, si cuiuslibet passiones fuerint modo relato communes; & quia mentis non eo modo sunt communes, ideo addit, (aut tali,) excludendo mentem, ne secum pugnet, cum in primo de parpartibus animalium, ostenderit eam ad Physicum non attinere, ueluti etiam paulò sub initium 6. Metaph. eodem loquendi modo usus est: nam anima eatenus pertinet ad Physicum, quatenus est natura, eatenus est natura, quatenus est finis generationis & ex materia pendet, si ex materia non pendet, suprà naturam eleuatur, & ad Diuinum pertinet; Ex quo patet errare eos, qui inquiunt Arist. addere, (aut tali,) pro excludendis animis Cęlorum, nam Arist. de ea anima loquitur, de cuius passionibus uerba fecit, & quam affirmauit esse principium animalium utilem cognitu, & arduam. Considero Secundò, quod Arist. ait passiones esse rationes in materia, hoc est, essentias materiatas, & formas ex materia ex pendentes, Academici hunc ordinem considerant; menti tribuunt Idæas; animę rationis compoti rationes; naturę semina; materiæ participationes & umbras; Arist. quas illi dicunt umbras, statuit res sui generis præcipuas, quæ cum sint essentiæ, sunt ratio per quam res est, & talis est, quę per definitionem explicatur, definitio autem terminus dicitur, tum, quia est principium supremum & indemonstrabile, in quod definibile resoluitur, tum insuper, quia perinde ac terminus essentiam rei ea lege circumscribit, vt nil alieni includat, nilq; excludat proprij; Considero tertiò, quod ex ratione ex qua Arist. colligit animam attinere ad Physicum, uidetur etiam posse colligi, motores Cælorum ad Physicum pertinere, quia motus qui est actio eorum, est communis corpori, & per cũ ita agitatur cæleste corpus, ut per iram & metum spiritus? Respondeo, aliud esse mouere corpus, & pro suo fungendo munere egere corpore, motores Cælorum mouent quidem cælum, at pro eo mouendo non egent instrumento corporeo, nec pendent ex corpore, hinc seruantur immobiles, anima autem nutriens, & sentiens, vtuntur instrumento corporeo, pendent ex corpore, & una cum eo permutantur, insuper, prima actio superarum mentium est intelligere, & mox intelligendo mouent sine ullo corporeo instrumento. Considero quartò, quod Arist. utens exemplo Iræ, indicat eam exactè definiendam esse per omne genus causæ, inquiens: vt irasci motus quidam est talis corporis,

1

2

Ordo Academicus.

Definitio dicitur terminus.

3

Dubitatio.

Solutio.

4

corporis, aut partis, aut passionis, ab hoc gratia huius; ait irasci, ut id accipiat quod magis est concretum, magisque passionem præsefert, quam ira; ait motus quidã est, quia est accensio, & cum sit appetitus, etiam est motus, ut dicitur in 3. de anima, & hæc est forma, addit materiam, inquiens: talis corporis, aut partis, aut facultatis, nã pro materia passionum animi nonnunquã accipitur corpus totum, ut risibilitas, est facultas hominis nonnunquam pars, vt ira est accensio sanguinis in corde; nonnunquam facultas, ut ira est motus facultatis irascendi, quæ facultas cum patiatur, & una commoueatur fungitur etiã officio materiæ, quæ ab iniuria permutatur; & minus rectè Philoponus nomine facultatis dixit denotarem calorem naturalem, nã ita Arist. esset diminutus, & calor qui est spiritus, denotatur nomine partis; addit, ab hoc, gratia huius, denotando causam efficientem, & finem. Considero quintò, ex eo quod dictum est de Iræ definitione, uaria posse colligi: nam Arist. utitur terminis infinitis, ut indicet ad omnia posse referri, & præsertim, quia non quæritur modo quæ sint istę causę, sed solum ex quo genere petendæ; Insuper colligitur exactam definitionem, ex omni genere causæ debere constare, ut simul pareat, quid, per internas, & propter quid, per externas: hoc tamẽ magis proprium est affectionum, qualis est Ira, quam subiecti, & substantiæ, ut considerauit Auer. in 6. Metaphys. necnon in 2. Poster. Ratio prima est, quia demonstratio & accidentium, non substantiæ, hinc eorum definitio est tota demonstratio, ut dicitur in lib. Poster. Secundò, quia causa efficiens affectionum secundum se, est specie & nomine distincta; & magis latens, ut causa, efficiens eclipsis, iræ, & similium ideo debet explicari, at, definientes hominem, superuacaneum esset dicere, quod gignatur ab homine, ut etiam definientes calorem, non dicimus gigni à calore, quia nil ignotum patefaceremus. Tertiò, quia affectio frequenter pendet ex sua causa, pro esse, & conseruatione, vt eclipsis ex Terræ interpositione; at non fit Substantia ex sua causa efficiente; Quartò, ut ad finẽ pertinet, substantia magis est sibimet satis, & gratia sui, & præsertim est finis generationis, & affectionum, cum contra affectiones magis sint ob aliud, sed cum præsertim id competat affectionibus, modo tamen aliquo etiam competit substantijs, veluti patet de anima, definitione, in 2. de anima, Cont. 13. & in 8. Metaph. t. 2. Philosophus loquens de substantia & de Physicis cunctis, ait definiti per omne genus causæ, & utitur exemplo definitionis hominis. Considero sextò, cum sensui competant iudicare instrumento, & affici perturbationibus, quę harum passionum debeat iudicari magis communis corpori, posse iure optimò in dubium uerti; at, brevibus dico, perturbationes magis esse cum corpore complicatas; Ratio prima est, quia iudicium est actio magis spiritalis, & propria animæ, quam perturbatio. Secunda, quia non adeò fit cum commotione materiata partis & spirituum, ut perturbatio. Tertia quia perturbatio supponit motum in sensu factum, non autem iudicium supponit perturbationem: Quarta, quia perturbationes magis sequuntur temperamentum, minusque sunt in nostra facultate; Quintò, quia (ut ait Themistius) intemperies corporis minuit iudicium sensuum & facit perturbationes; Hinc Arist. magis de perturbationibus est loquutus; & de illis præsertim patefacit esse communes corpori.

Qua colligãtur ex Iræ definitione.

Cur affectio præsertim p omne genus causæ definiatur.

Dubitatio. 6

Solutio.

Contex. 16. *VARIO autem modo definiet vnumquodq; horum Dialecticus, & Physicus; veluti quid est Ira; Alter appetitum mutui doloris afferendi, vel aliquid eiusmodi; alter feruorem sanguinis, aut calidi, circa cor. Horum autem alius quidem materiam accipit, alius verò speciem, & rationem, hæc quidem ratio, hæc autem rei, necesse est autem hanc esse in materia huiusmodi, si erit, veluti domus, ratio una talis erit, quod*

sit operimentum prohibens interitum ab imbribus, ventis, & fomitibus incensionis, altera explicat lateres, lapides, & ligna, alia verò in his formam ob hæc. Quæ itaque harum est Physica? num quæ circa materiam, rationem autem ignorans, an, quæ circa solam rationem; an magis quæ ex utrisque? Iam verò quænam est utraq; earum?

PATEFECIT Aristot. animam ad Physicum pertinere, & per materiam esse definiendam; nunc verò intentio eius est, distinctius manifestare quomodo Physicus tenetur definire, quod vt exactius efficiat, comparat inuicem uarios definiendi modos, seligens illum qui proprius est Physici; Diuiditur Contextus in quinque partes, quæ patebunt in earum explicatione; ait in prima, vnumquodque horum quorum facta est mentio, & quæ considerantur à Physico, modo uario à Physico, & Dialectico definitur, nam Physicus versatur in proprio genere, Dialecticus uagatur per omnia; in 2. parte elucidat suam sententiam exemplo definitionis Iræ, inquiens: ueluti quid est Ira; alter, nimirũ Dialecticus, dicet esse appetitum mutui doloris, seu vindictæ, uel aliud simile; alter, nimirum Physicus, esse feruorem sanguinis, aut calidi circa cor; horum Physicus materiam explicat, alter uerò, nimirum Dialecticus, accipit speciem, siue formam, & rationem: nam forma dicitur rei ratio & etiam definitio, per communia & externa, dicitur potius ratio & causa, quam definitio, vt docet Arist. in 8. Metaphys. Verba quæ sequuntur uno modo leguntur à Plutarcho Lydo, & Philopono, alio à Simplicio, at parum refert, à primis leguntur (hæc quidem ratio, hæc autem rei,) hoc est, definitio illa Dialectica, est ratio, & per formam, illa uerò Physica, est rei, hoc est cõtracta per materiam propriam; à Simplicio uerò leguntur (Ratio quidem rei) hoc est definitio Dialectica est ratio, & forma rei, quam necesse est in tali materia esse, si erit, hoc est, non reperitur seorsum à materia; Veluti Domus, &c. Hæc est pars tertia, in qua idipsum patefacit exemplo definitionis domus, quæ nonnunquam per formam, & finem definitur, quod sit integumentum ad arcenda incommoda, quæ à ventis, imbribus, & æstibus, afferi solent; Alia, materiã explicans, ait, lapides, lateres, & ligna; his tertia accedit, quæ formam explicat in definita materia, gratia eorum; Vsus est exemplo Iræ, & domus, vt patefaciat ea quæ dicit, cum, de affectionibus, tũ, de earum subiecto vera esse. Quæ itaque horum est Physica, &c. Hæc est pars quarta, in qua quæritur, quænam relatarum trium definitionum sit Physica? & soluens ait esse tertiam ex utrisque conflatam: nam Physicus ita definit, ut considerat, at considerat corpus Physicum cum transmutatione, ad quam conspirat omne genus causæ, ideo definit per omne genus; hinc in 2. Phys. ostenditur eum respondere pro omne genus causæ, & in 8. Metaphysicæ, Contex. 12. legitur Physica per omne genus causæ esse explicanda; Iam uerò quęnam est utraque earum, &c. Hæc est pars quinta, in qua cum supersint duo alij modi definiendi, vnus per rationem, & formam, alter per materiam, quærit, quinam sit uterque, hoc est ad quem pertineat.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò quod cum corpus vt Physicum & mobile, præditum sit omni genere causæ, iure naturalis Philosophus tenetur per omne genus causæ definire, maximè propria tamen eius ut ab alijs contradistinguitur est cõsideratio materiæ, quia vnà cũ ea cuncta cõsiderat, hinc Aristot. secernens illum à Dialectico, ei tribuit quod per materiam definiat, cum ta-

1. Consider.

Quæ causa magis propria Physicæ

men mox dicat ei competere definitionem, quæ est ex utrisque. Considero Secundò, nomen Dialecticę vsurpari quatuor modis; Primò, pro tota Logica, cum sit communis ars argumentandi; Secundò, pro parte eius docente loca, & regulas disputandi de quouis proposito problemate probabilia, quod fit ab Aristotele in libris Topicorum; Tertiò, pro usu eius, & applicatione quam considerantes dicimus Dialecticum, Sophistam, & Metaph. per omnia vagari; Quartò, pro consideratione sublimi & liberâ, & resolutione vsque ad prima, procul à quauis suppositione, Arist. hoc tribuit Metaphysico, Academici autem, & Stoici Dialectico distincto à Logico, Academici Dialecticam nuncupãt acumen, & apicẽ scientiarum, ut patet ex Sophista, & ex 7. de Rep. Platonis, & ex Plotino Ennea. 1. lib. 3. sic prisci sapientes & Dialectici, & sapientes nuncupabantur, in eandem significatione eo nomine vtebantur Stoici, vt elicitur ex Alexandro in 1. Topicorum, quam definientes, dicebant esse scientiam bene dicendi, bene dicere autem dicebant esse uera dicere, quod sapientis est proprium, ita Stoici Dialecticam numerabant inter partes Philosophiæ, nulla facta mentione de Metaphys. ex quo patet, minus rectè nonnullos Logicos autoritate Platonis, affirmare Logicam esse scientiam, & partem Philosophię, cum Plato non de Logica id dixerit, sed de Dialectica in hac quarta significatione; Aristot. autem hoc in loco loquens de Dialectica definitione, utitur nomine Dialecticæ in tertia significatione, pro methodo qua utimur progrediendo per singula, hęc non seiuncta, & seorsum reperitur, sed permiscetur cum scientijs, & vagatur per eas, & conducit nõnunquam ad parandum, & excitandum, nonnunquam ad confirmandum, frequenter autem supplet uices instrumentorum scientiæ, dum ob rei difficultatem exactè demonstrare & definire non ualemus; Præsertim tamen nectitur cum Metaphys. triplici ratione; Primò, quia in eodem cum ea uersatur; Secundò, ob liberum indagandi modum utrique competẽtẽ; Tertiò, ob difficultatem Metaphysicæ; hinc Auer. 7. Metaphys. Contex. 2. & 11. ait plurima in Metaphys. Dialectice proferri; & Scotus in 1. Metaphys. q. 3. affirmauit, in Metaphysica non reperiri ostentionem quæ absolutè sit Metaphys. Considero Tertiò, quod in dubium id vertitur, quod ab Arist. dicitur, Dialecticum definire per formam, nam definitio per formam est præcipua, cum officium sit definitionis explicare formam, in præcedentibus autem Cont. 11. definitiones Dialecticas nuncupauit inanes; augetur dubitatio, quia Dialecticus etiam per materiam & alias causas definire ualet, cum per omnia liberè uagetur; Insuper dubitatur quia Arist. prius dixit passiones animi esse rationes in materia, & per materiam definiri, modo autem dixit Dialecticum Iram definire sine materia; Prosolutione accipio definitionem sex modis posse dici secundum formam; Primò Mathematicè, explicando Mathematicam formam; Secundo Metaphisicè, vt explicat absoluram essentiam, & id quod res est, essentia autem rei dicitur forma eius. Tertiò Logicè, vt est per genus & differentias, genus autem dicitur forma communis, differentiæ uerò formæ proprię; Quartò, Dialecticè, ut est per commnia quædam, externa, & approbata; Quintò, Physicè, ut est per formam contradistinctam ab altera parte, quæ est per materiam, ex quibus integra definitio consurgit; Sextò, vt conflata ex causis externis, nimirum, ex fine, vel efficiente, quæ cum materiam non includat, relata ad alteram includentem materiam, dicitur secundum formam, & est principium demonstrandi alteram; His assumptis, soluens difficultatem, dico non omnem definitionẽ secundum formam esse inanem, hoc est, non parientem scientiam, sed eam quæ est modo quartò, & Dialectico; Addebatur, Dialecticum per omnem causam definire posse, & nonnunquam uti definitionibus rectè formatis, respondeo, dum id facit, eisque vtitur, non eas accipit ut ex propriè sumptis causis constitutas, sed tanquam ex communibus, & populariter approbatis, & ideo dicitur definire per formam, sumendo formam, vt communem, & contradistinctam à proprio interno, & contrahente; Insuper dicebatur, passiones debere definiri per materiam; Respondeo, propriè, & exactè,

2 *Nomen Dialectica quatuor modis vsurpari.*

Academici.

Stoici.

Vtilitas rõnum Dialecticarum.

Nexus Dialectica & Metaph. Scotus.

3 *Quomodo Dialecticus definiat per formam.*

Dubitatio.

Solutio.

Definitio sex modis est secundũ formam.

Solutio.

exactè quod nõn seruat Dialectieus; Considero quattò, definitionem sępè diuidi ab Aristotele in explicantem formam, & explicantem materiam, vt hoc in loco, & in calce 2. Physic. At, cum detur etiam definitio ex externis, ut ex efficiente & fine, veluti eclipsis Lunæ, dicitur terræ interpositio, cur etiam non numeratur definitio per causam efficientem; & definitio per finem? Insuper, quæ est ratio quod definitio conflata ex externis, dicatur secundum formam, & ad eam redigatur, cum forma sit causa interna? Respondeo, potissimam rationem ex hoc petendam, quia definitio consideratur cum relatione ad demonstrationem; hinc dicitur, uel Principium, uel conclusio, vel tota demonstratio; & quia ex forma infertur materia, non autem ex materia forma, hinc ea quæ est principium demonstrationis, siue fuerit verè ex forma, siue ex externis, dicitur secundum formam, & in relatione ad demonstrationem redigitur ad eam; Insuper, cum proprium Definitionis sit explicare quid est, & hoc constet ex materia & forma, iure diuisio definitionis ex his petenda est quæ sunt propria definitionis, non ex alienis; His accedit, quod efficiens, & finis actus sunt, actus autem ad formam pertinet; Præterea, forma & finis eadem numero esse ualet, & efficiens quod simul est cum re effecta; eamque conseruat; & officio formæ fungitur; Insuper, commune est omni definitioni, compositorum explicare materiam & formam, non autem commune est omni, explicare causam efficientem, & finem, diuisio autem ex eo petenda est, quod commune est omni, & ad id cætera sunt redigenda; Demum, causæ externæ dicuntur ratio, & propter quid, constituens demonstrationem, vt dicitur sub initium 8. Metaphys. internæ uerò, denotant quid, pertinens ad definitionem. Ex his elicio, iure definitionem diuidi in traditam per formam, & traditam per materiam, & iure conflatam ex causis externis, redigi ad eam quę dicitur secundum formam; hinc in definitione causę externę, sumuntur loco differentiarum quę dicũtur formę, magis propriè tamẽ, definitiones affectionum diuiduntur, in dicentem quid, & propter quid, in definitionem, & rationem eius, in principium & conclusionem, in causam, & id cuius est causa, ut sępè diuiduntur ab Arist.

4 *Diuisio Definitionis.* *Dubitatio.* *Solutio.*

Contex. 17.

AN non est aliquis qui versetur in passionibus materia non separabilibus, vt non separabiles sunt, sed Physicus in ijs omnibus quæ talis corporis, & talis materiæ opera, & passiones sunt, circa quascunque autem quæ non sunt huiusmodi, alius: Et in nonnullis quidem versatur Artifex, vt Faber, vel Medicus: In non separabilibus autem, quatenus non talis corporis sint passiones, sed ex abstractione, versatur Mathematicus, secundum autem quod separatæ, primus Philosophus; At redeamus vnde recessimus, dicebamus quod passiones Animæ non separabiles a Physica materia Animalium, tales sunt, vt furor, & timor, non autem vt linea, & planum.

Intentio. *Diuisio.* *Expositio.*

QVM detur definitio ex materia, ex forma, & ex utrisque, & ad Physicum hęc tertia pertineat, quęrebatur, cuius disciplinę sint reliquę; Et pro lucida solutione Aristot. manifestat in quibus definibilibus, & quomodo singulę disciplinę versentur; Diuiditur Contextus in quinque partes; in prima loquitur de Physico; in 2. de particularibus Artificibus; in 3. de Mathematico; in 4. de Metaphysico; in quinta, redit ad principale vnde recesserat; Inquit in prima parte; In passionibus materiatis, & non seiunctis, vt cum corpore Physico iunctę sunt

uniuersè in omnibus, solus Physicus uersatur, qui considerans corpus Physicum, tenetur considerare affectiones omnes eius; In secunda parte loquens de particularibus Artificibus, ut de fabro, & medico, hi considerant quidem passiones materiatas, sine secretione, at differunt: quia non considerant omnes eodem considerandi modo; In tertia, loquens de Mathematicis, ait versari in materiatis, consideratis tamen non considerato subiecto, & sensili materia; In quarta, de Metaphysico, ait eleuari ad separata, eaque considerare ut secreta à materia; At, cum digrediens de variis definiendi modis sit loquutus, rediens ad id unde receserat, inquit, ex dictis patere, animi passiones esse tales, qualis est ira, & furor, adeò, ut sine definita materia, & instrumento, nec esse, nec definiri ualeant, non autem sunt ut linea, & planum, hoc est, ut Geometrica, quę cum definitam materiam non exposcant, definiri, & considerari possunt, non considerata materia.

ANNOTATIONES.

Consideratio prima. Forma triũ generum.

CONSIDERO. Primò, formas esse trium generum; nonnullę adeò sunt materiatę, ut certã sibi materiam exposcant; Alię sunt materiatę quidem sed indifferentes, nullique definitę materię additę; tertię sunt sui conditione seiunctę, hæ ad scientias relatę, ita se habent, ut primę absolutè sint Physicę, secundę Physicę & Mathematicę, tertię Metaphysicę; Considero Secundò,

2 *Metaphys. includit Scientiam Sapientiam, & Intelligẽtiam.*

quod cum Metaphysica includat scientiam, sapientiam, & intelligentiam, & ob id dicatur scientia capite prędita, ratione intelligentię eleuatur ad abiuncta, per quam eleuationem distinguitur ab aliis, & mensuratur sua prestantia; Ratione scientię, considerat ens, ut ens, quod propriè est substantia composita; ratione sapientię, quę ex utrisque consurgit, in utrisque uersatur, ut latius patefeci in Scientia Ciuili, loquens de habitibus mentis; hoc in loco Aristot. inquit uersari in secretis à materia, referens

3 *Sex modi definiendi.*

id quod potissimum eius est, per quod à cęteris præsertim secernitur; Considero Tertiò, sex esse modos uarios definiendi; Primò, Logicus definitionem considerat, ut constat ex genere, & differentijs, & per genus & differentias dicitur definire; Secundò, Dialecticus, per communia progrediens, dicitur definire per formam, ut apparuit; Tertio Physicus considerat omnem materiatam formam corporis Physici, & definire ualet per omnem genus causę; Quartò Mathematicus considerat formas materiatas indifferentes, ut quantę sunt; non considerata sensibili materia; Quintò, particulares Artifices qui subijciuntur uel Physicę, uel Mathematicę, considerant & definiunt formas materiatas, non quidem omnes, sed quasdam quę eis inseruiunt, easque nectunt cum materia sensibile; & referunt in proprium finem, quem optant, ueluti medicus in sanitatem, perspectiuus, in officium uidendi, in quo quinto gradu etiam locatur Ciuilis Philosophus, qui in attinentibus ad summum hominis bonum uersatur, & à Physico principa uaria recipit, & hę omnes huius quinti gradus disciplinę, potiores definitiones ex suis superioribus recipiunt, pauca permutando, & contrahendo; Sextò Metaphysicus munere intelligentię, & sui supremi capitis, in separatis uersatur, eaque definit nulla facta materiæ mentione, dicendo, quod sint puri actus sui essentia, actiones indiuiduè se intelligentes, & simi-

4 lia; Considero Quartò, quod aliud est dicere, scientiam esse de abstractis, & esse ex abstractione, esse de abstractis, soli Diuinę scientiæ, siue Metaphysicæ competit, esse autem ex abstractione, tribuitur Mathematicæ, quia quamuis scientia omnis modo aliquo abstrahat, sola tamen Mathematica considerat formam materiatam, non considerata materia & corpore Physico, & ob id dicitur exacta, & certa, quia non subijcitur inconstantiæ materiæ; Considero quintò, ex dictis conspicuè elici solutionem

5 *Solutio difficultatis.*

propositæ difficultatis; quærebatur, cum definitio ex utrisque conflata, congruat Physico, reliquæ duę ad quem pertinent? Solutio est, quod conflata ex sola materia, à

ria, à nullo accipitur, materia enim ex se est ignota, & solum unà cum forma conducit pro compositi declaratione, ea autem quæ solum formam explicat, à Dialectico, Mathematico, & Metaphysico traditur, definiente abstracta, & ab his modo vario, vt apparuit; Considero sextò, quod Aristot. in calce Proœmij redit ad id, ob quod 6
de uarietate definitionum, & definientium verba fecit, loquebatur enim de passionibus Animi, vt patefaceret duo; vnum erat, Animam attinere ad Physicum; alterum, quomodo esset definienda; quod cum patefecisset, iure colligit passiones animæ non esse tales, qualis est linea, & superficies, quæ sine Physica materia definiri possunt; Considero septimò, quod quamuis Proœmij Philosophici hæc sola sit necessaria con 7
ditio, unde proponatur, de quo est agendum, ita enim proponitur scopus in quem ingenij aciem dirigere tenemur, tamen ob præstantiam, difficultatem, & utilitatem cognitionis animæ, Aristot. latissimo Proœmio est usus, in quo auditores reddidit benevolos, attentos, & dociles, benevolos quidem, proponens considerandã rem præclaram, manifestans præstantiam eius considerationis, vtilitatem, & curam propriã; Reddit attentos, patefaciens summam difficultatem cum utilitate & præstantia iunctam, nam difficilia, & inania negligenda sunt; reddit dociles, patefaciens ordinem seruandum, methodum indagandæ definitionis, modos progrediendi per priora & posteriora, & modum definiendi Animam; quibus absolutis, Proœmio finem imponit. Considero octauò, morem fuisse Aristot. frequenter absoluto Proœmio, uagari per opiniones Veterum, ut patet ex Proœmio Metaphysicę, ex Proœmio 1. Physicorum, ex eo etiã 1. de Ortu & interitu, & ex hoc, & iure optimo profectò: nam utrique commune est parare auditores ad cognoscendam ueritatem, Proœmium parat, proponens id, de quo est agendum; Disputatio autem aduersus Veteres, parat expurgando animos ab erroribus, excitãdo ingenia, dirigendo, nobisq; præbendo copiã principiorum, & sententiarum conducentium pro ueritatis inspectione; Hinc Arist. per vniuersum primum librum, de uarijs ad Animam attinentibus aduersus Veteres exactissimè disputat; Placeat Deo, vt veritatem nobis liceat intueri.

Cõditio proœmij.

8

Cur Philosophus vagetur per opiniones Veterum.

FINIS PRIMI LIBRI.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

SECVNDI LIBRI DE ANIMA LVCIDISSIMA EXPOSITIO.

ANNOTATIONVM VARIETATE AMPLIFICATA.

Contex. 1. QVAE à Prioribus de Anima tradita sunt, dicta sint, rursus autem tanquam à principio reuertamur, enitentes determinare quid est Anima, & qua sit communissima eius definitio.

Intentio. CVM Philosophus cumulatè vt ei licebat, ad verioris opinionis indagationem auditores parasset, intentio eius modo est ex propria opinione de Anima verba facere, & in hoc Contex. nectens dicenda cum dictis, ea quæ dicta sunt, colligit, & dicenda proponit, indicans finem primi libri, & principium secundi, & ob id,

Diuisio. diuiditur Contextus in partes duas; in prima colligens decursa

Expositio. in primo libro, ait: Quæ à prioribus Philosophis de Anima mortalium viuentium, vel voce, vel literis tradita sunt, dicta sint, hoc est cumulatè (vt ad rem facit) sunt relata, considerata, & magna ex parte reiecta; proponens autē in altera parte ea quæ dicenda sunt, ait: Rursus, quia nil ex propria sententia decretum est, tanquam à Principio vniuersæ considerationis animæ, enitamur accuratè & pro facultate patefacere quid sit Anima, cum uniuersè, tum secūdum omnes eius gradus, ordientes à communissima & eius Definitione.

ANNOTATIONES.

1. Consider. Quid per Priores intelligendum. CONSIDERO Primò, ut attinet ad primam partem, quod Arist. ait: Quæ à prioribus tradita sunt, uoce priorum denotans, nedum Vetustiores, ut Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, & similes, uerum etiam Platonem, & Zenocratem, cum quibus latè disseruit, quos alibi denotauit per eos, qui nunc; dixit tamen priores, inspiciendo maiorem partem, & indicando principale consilium suum, ac etiam manifestando opinionem eorum non esse inuentum illorum, sed ab alijs eam suscepisse, & præsertim à Pythagora, & ait, (tradita sunt,) indicans, se non leuiter, & per aliorum relationes eas retulisse, sed accuratè, ut

2 ab ipsismet autoribus traditæ, prolatæ, uel scriptæ fuerunt; Considero Secundò, vt pertinet ad secundam partem, quod Aristot. ait: Rursus, tanquam à principio reuertamur, tentantes, &c. ait, (rursus,) siue (iterum) quia redit ad pertinentia ad easdem

Qū tanquā à principio. quæstiones, nimirum, quid, & qualis sit Anima, ait, (tanquam à principio,) quia hactenus solum parauit animos, nunc vult instituere, hactenus uersatus est in alienis, nunc

uersari

uestari uult in proprijs sententijs, apparuit hactenus quid Anima non sit, modo est declarandum quid sit, hactenus ea retulit per quæ excitamur, & sententijs abundamus, nunc eis est utendum; Insuper, tanquam à Principio, quia ordietur à diuisione generis, tanquam principij, & à communissima Definitione, quæ principium dicitur minus communium; vtitur autem particula, diminutionem indicãte, inquiens, (tanquam,) quia hactenus quoque aliquid operis effecit, cum saltem excitauerit, & parauerit, & ait, (tentantes,) siue (enitentes,) quæ uox conatum denotat, indicando simul difficultatem rei, & curam propriam, Græcè ἐπιχειροῦντες, & consimile est ei quod legitur in Procemio primi Meteorum, quo loci inquit Philosophus: De his quidem dubitabimus, hæc verò attingimus, nam in arduis voluisse sat est; patefaciẽs autem consilium suum ait: Quid est Anima, indicans id totum quod explicandum sibi proponit, & est Anima vniuersè, & singulatim explicanda, & quæ sit eius communissima ratio, indicans primum à quo sit ordiẽdum, adeò, vt primò obiectum adæquatum, mox id quod est origine primum, nobis proponat; Considero tertiò, ex hac 3
secunda parte duo elici; primum est, quod Aristot. id seruat quod est pollicitus in 3. Contex. Procemij, inquiens, se primò indagaturum naturam, & essentiam Animæ, mox, quæ accidunt circa eã; Alterum est, solutio difficultatis propositæ in Cont. 8. an danda sit communis Animæ Definitio, vel propria singulorum graduum: nam indicat faciendum esse vtrumque, ordiẽdum tamen à communissima Definitione; Con- 4
sidero quartò, quod Arist. videtur peruertere methodum definiendi approbatam in 2. Poster. quæ erat per compositionem, progrediendo ex speciebus ad genus, & dicebat ita vitari æquiuocationes, & progredi per notiora nobis; Confirmatur: quia in 8. Contex. Procemij dixit, Animal vniuersale, vel nil esse, vel posterius, quare uel non est definiendum, vel posterius, & idipsum dicendum est de Anima; Vt pertinet ad pri mam partem difficultatis, dico secus se habere de methodo indagandi definitiones, secus de illis in ordinem redigendis; dum indagamus definitionem rei communis, inspicimus contenta sub ea, & ex his quæ communia sunt contentis, elicimus definitionem illius communis, at, dum in ordinem definitiones redigimus, primò tanquã principia proponimus communia, vt sæpè monet Arist. Ratio est: quia in methodo sequimur nostrum cognoscendi modum, in ordine uerò sequimur rationem, & naturam; Pro altera parte dico, vniuersale, secundum separatam subsistentiam, esse nihil; ut uerò mente secretum est, posterius secundum esse, prius uerò secundum rationem, & ideo eius definitio primò in ordine distinctæ cognitionis ponenda est; Considero, quintò, quod Arist. videtur secum pugnare: nam in Procemio Contex. 11. dixit definitiones Dialecticè traditas, esse inanes, illæ autem dicebantur traditæ per communia, nunc verò communissimam sibi indagandam proponit; Respondeo, aliud esse definitionem dari per communia, & definitionem esse rei cõmunis, & communem, nam hæc per propria rei communis esse potest, illa uerò dicitur per populariter approbata, & externa; Insuper, definitio communis sine proprijs, est leuis, conducit tamen pro distincta cognitione contentorum sub ea, & cum Philosophus dicat indagandam esse cõissimam Animæ definitionem, indicat se non ita carpendum, ut ab eo in Procemio carpebatur Plato, qui de sola hominis Anima uidebatur uerba facere.

An Aristot. peruertat methodum definiendi.

Solutio.

Cõtrouersia.

Solutio.

DICIMVS itaque vnum quoddam genus eorum quæ sunt, substantiam esse, huius autem aliud quidem vt materiam, quæ secundum se non est hoc aliquid; Aliud vt formam, & speciem, per quam iam dicitur hoc aliquid; & tertium, quod ex his. Est autem materia quidem Potentia, species autem Entelechia, & hæc duplex, vna quidem vt scientia, altera vt speculatio. Contex. 2.

POLLI-

Intentio. PROLLICEBATVR se primò daturum communissimam Animę definitionem, ut autem id seruet, utitur methodo diuisiua, conducente pro inueniendis, & ordinādis cunctis partibus definitionis, vt dicebatur in 2. Poster. Insuper, vt seruet prȩceptum traditum in eodem 2. Posterior. & approbatum in Contextu 6. Procemij, accipit primò commune genus ad quod redigitur, id autem est substantia, iam enim in primo libro eorum explosæ sunt opiniones, qui Animam esse accidens existimarunt. Diuiditur *Diuisio.* Contextus in tres partes; In prima accipitur substantia, quæ dicitur unum quoddam genus eorum quæ sunt; In secunda parte substantia secatur in materiam, formam, & *Expositio.* compositum, hoc est in duo componentia, & conflatum ex eis; materia ex se non est hoc aliquid, hoc est completum secundum se subsistens; forma quoque non est hoc aliquid, sed est id per quod aliud est hoc aliquid; compositum est hoc aliquid hoc est, completum, & secundum se subsistens; forma tamen est id, per quod compositum est hoc, idest secundum se subsistens, & aliquid; hoc est, particulare, & definitæ Naturæ. In tertia parte circumscribuntur membra simplicia, ex quorum notitia refulget compositum, nam materia dicitur potestas, forma dicitur Entelechia, siue actus, & perfectio, qui actus est duplex; unus quidem forma, vt scientia; alter actio, vt speculatio; ille dicitur actus primus, hic verò secundus. Hæc secunda explicatio membrorum est causa primæ, nam quia materia est potestas, ideo secundum se non est hoc aliquid; & quia forma est actus, est causa ut compositum sit hoc aliquid.

ANNOTATIONES.

1. Considerandum. Quid nomine Substantiæ intelligendum. CONSIDERO Primò, quod cum Arist. accipiat substantiam, ad quam Anima redigitur, & dicat esse unum quoddā genus eorum quę sunt, nomine substātię duo intelligere ualemus; vel substantiam latè sumptam, quę est genus quoddam ab uno, & dicitur de omni contradistincto ab accidente; vel substantiam pressius sumptam, pro genere uniuoco, principalissimo inter decem Prędicamenta, & utrumque probabiliter intelligere ualemus; si putamus denotari primum, diuisio in materiam, formam, & compositum, erit generis ab uno dicti, in contenta sub eo, de quibus dicitur; verius tamen puto, debere intelligi uniuocum genus Prædicamenti substantiæ, & quod diuisio sit in totum, & componentia illud, adeò, vt sit tanquam assumptio totius, & resolutio in principia id constituentia, de quibus tribus deinde dicitur nomen substantiæ dictum ab uno; & cum Arist. dicat unum quoddam genus eorum quæ sunt, esse substantiam, non ita loquitur, quia non sit propriè genus, ut deberemus dicere, si primam expositionem approbatemus, sed ob generum multitudinem, quo loquendi modo etiam est vsus in primò Phys. 50. & 56. inquiens: Substantia unum quoddam genus est Entis. Considero 2 Secundò, quod Arist. circumscribit materiam, & formam per relationem ad hoc aliquid, & iure: nam ut dicitur in Prædicamento substantiæ; Hoc aliquid, est substan- *Hoc aliquid quid.* tia particularis, completa secundum se subsistens, & cum sit compositum quoddam, est nobis notius, & magis communi consensu iudicatur substantia, & per id definienda est Anima, & est id, cuius gratiā parantur partes: materia secundum se, & ex parte sui, non est hoc aliquid; Ratio est: quia est potestas, & in 7. Metaph. 7. dicitur non quid, non quale, non quantum, in primo tamen Phys. 66. dicitur magis hoc aliquid, quam priuatio, tum, quia uerè sit hoc aliquid, sed quia est pars compositi, & est ens secundum se, quod non competit priuationi; *Plato.* Plato tamen dicebat materiæ, & Idæis conuenire pronomina ostensiua, ueluti, hoc, & aliquid, quia non intercunt, sed seruantur; & Arist. loquens de materia, ait: Vt materia, indicans nedum primā, sed materiam omnem vt materia est, nam materia proxima Animalium, veluti caro dū consideratur

ſideratur ut materia, non eſt hoc aliquid, ſolum eſt hoc aliquid, dum conſideratur ut compoſitum, & cum materia non ſit hoc aliquid, forma quoq; nõ eſt hoc aliquid, niſi ſit forma à materia ſecreta, quæ eſt totum ex ſe completum, & ſecundũ ſe ſubſiſtens, differt tamen à materia, quia cũ ſit actus, & perfectio, eſt id, per quod cõpoſitũ eſt hoc aliquid; Ex quo conſpicuè patet, formam eſſe principale principiũ cõſtituens individuũ, vt in lib. de Materia cumulatè patefeci. Cõſidero Tertiò, qđ Ariſt. exactius explicans materiam, & formam, id facit per potentiam, & actum, nam hæc eſt propria eorum conditio, & eſt cauſa tributorum eis, per priorem deſcriptionem (vt dixi) Materia dicitur poteſtas in recto, nam de materia dicere valemus, & quod ſit poteſtas, & quod ſit poteſtate; Ratio eſt: quia poteſtas dupliciter conſideratur; vel pro gradu entis, pro fundamento, & abſoluto, ac ita materia eſt poteſtas; Secundò, pro ſuperaddita relatione ad formam, & agens, & tunc dicitur poteſtate, tanquam prædita ea relatione ſuperaddita; hic tamen, cum conſideretur propria eius conditio, comparata cum conditione formæ, rectè dicitur poteſtas, de qua legitur in 1. Phyſic. 82. quod, vt eſt poteſtas, non perit; De forma dicimus ſolum, quod ſit actus: quia eſſe actu, tribuitur compoſito, non autem ei tribuitur eſſe poteſtate, ſolum de forma nonnunquam dicimus eſſe actu, vel, quia actu continent alia, vt in 12. Metaph. Auerroes ait cuncta eſſe poteſtate in prima materia, actu autem in primo motore; aut per relationem ad id, ut ſit extra ſuam cauſam, & actu ens, ut calor in aqua actu eſt, quod etiam dicitur de materia, ea enim actu eſt id, quod eſt; Inſuper, etiam de forma dici poteſt, quod ſit actu, dum operatur: quia tunc eſt prædita actu ſecundo. Conſidero Quartò, vt pertinet ad diuiſionem ſubſtantiæ, in materiam, formam, & compoſitum, quod iure aliquis ambigere poſſet, cur ita diuidatur, cum genus debeat diuidi diuiſione bimembri, per differentias oppoſitas conſtituentes ſpecies. Inſuper, in dubium verti poteſt, num ſolum diuidatur ſubſtantia mortalis, uel etiam includatur æterna, veluti cælum. Reſpondeo, iure ab Ariſtot. ſubſtantiam ita diuidi: nam ſi diuideretur per differentias, in ſpecies, non inuenirentur attinentia ad Animam, cum enim ea ſit actus, & actus non ſit ſpecies alicuius Prædicamenti, ſed principium vniuſcuiuſque, vt dicitur in 12. Metaph. iure non debuit ſubſtantia in ſpecies diuidi, ſed ita enumerari, vt appareret reſolutio eius in ſua principia, poſſet autem diuiſio redigi in bimembrem, dicendo, ſubſtantiam eſſe vel ſimplicem, vel compoſitam, ſimplicem autẽ, vel materiam, vel formam; at, inquit Ariſtot. in 1. de partibus Animalium, non eſſe neceſſarium, ut ſemper diuiſio ſit bimembris. Quærebatur inſuper, num includatur ſubſtantia æterna? Dicendum, quod non, niſi quatenus nectitur modo aliquo cum mortali, veluti humana mens: nam Ariſt. accipit Prædicamentum ſubſtantiæ, in Prædicamentis autem ſola mortalia continentur, ut alibi patefeci, & præſertim, quia attinentia ad cælum, ad rem non faciebant, cum ſermo ſit de ſola mortalium Anima. Conſidero Quintò, quod Ariſtot. formam reſoluit & permutat in actum, quæritur, cur id faciat? & num ex hoc eliciatur humanam mentem ex opinione Ariſtot. eſſe formam formantem hominem? Reſpondeo, id feciſſe, primò, ut diſtinctius patefaceret conditionem formæ; Secundò, ut traderetur diuiſio per actum primum & ſecundum, ac inde appareret Animam non eſſe actum ſecundum, ſed primum, quæ diuiſio formæ non congruebat; Et dum quæritur, an eliciatur quod mens formet? aiunt nonnulli eſſe ei, quia Ariſtot. ait formam eſſe id, per quod compoſitum eſt hoc aliquid, anima ad quam pertinet etiam humana mens, eſt forma, quare per eam compoſitum eſt hoc aliquid, huiuſmodi autem eſt ſola forma formans; At, hi conſpicuè aduerſantur Ariſtoteli, qui in Contextu 11. dicet, ex dictis non patere an Anima ita ſit actus, ut nauta nauis; Ratio autem ſoluitur: quia Ariſtot. id profert de forma tota, non de parte non organica, ideo dicit quaſdam partes nil prohibere quod ſeparentur, quia nullius corporis ſunt actus, hoc eſt, non utuntur inſtrumento corporis. Inſuper, Ariſtot. eam formam inſpicit, quæ eſt Phyſicæ conſiderationis, mens autem ex ſe, non eſt Phyſicæ

Forma principium principale Individui.

3

Materia eſt potentia.

Quo forma ſit actus & actu.

4

Dubitatur de diuiſione ſubſtantiæ.

Solutio.

5

Cur forma dicatur actus.

Solutio.

conſide-

consideration is, sed solum redditur particula Animæ, & fungitur officio mortali; his accedit, quod quamuis (falsò tamen) Arist. non puret mentem formare materiatum hominem, putat tamen constituere gradum hominis eminentiorem, quod constitutum, modo aliquo dici potest hoc aliquid. Considero sextò, descendens ad diuisionem actus in primum, & secundum, quæri posse, cur ita actum diuidat, & non potentiam? insuper, quæ sit ea forma quæ dicitur entelechia, siue perfectio, & actus nũ sola forma substantiæ, vel etiam accidens? insuper, nũ sola forma materiata, vel etiam separata à materia? Respondeo, potentiæ distinctionẽ prodire ex distinctione, actus, & per eam refulgere, sat est itaque actum diuidere, & indè refulget potentia duplex; una, ad actum primum; altera, ad secundum, nimirum ad muneris functionem, ut etiam Arist. in 8. Phys. 31. manifestat, Quærebatur, an dicatur de accidente; Philoponus, & Lodou. Boccaf. id negant, quia non dicitur perfectio substantiæ, solum aiunt dici de formis Artificiosis, quia sunt imitationes substantiæ; at, errant: nã omnis forma, vt est forma, ita est actus, & perfectio. Insuper, Arist. in 5. Phys. Contextu 3. & in 11. Metaphysicæ, diuidit id quod est, per actum, & potentiam, & actum denotatum nomine entelechiæ, distribuit in decem Prædicamenta, insuper, motum appellat entelechiam, & frequenter eo nomine omnem actũ denotat, & hoc in loco scientiam dicit actum primum; omnis itaque forma, vt est forma, ita est actus, & perfectio, forma tamen substantiæ est actus simpliciter, accidentium verò secundum aliquid; Similiter dico, entelechiæ nomen competere formis separatis, & ex materia non pendentibus, quod indicat Arist. in 12. Metaphys. 49. quo loci loquens de Deo, illum appellat entelechiam primam, & in Cont. 11. huius libri, ait adhuc non constare, an Anima, ita sit actus, ut nauta nauis, indicans actum, quem entelechiam dicit, esse duplicem, materiatum, & non pendentẽ ex materia; Ex quo conspicuè refulget error Portij, qui in libro de humana Mente, ex eo quod Mens ab Arist. dicitur entelechia, colligit esse materiatam formam, & mortalem, putans entelechię nomen ab Aristotele solum tribui materiatis formis. Confirmatur: quia ab Arist. ens secatur per actum, & potentiam, separatę formę non sunt potentia, quare sunt actus, qui ab Arist. ubique nomine entelechię denotatur. Considero septimò, quod cum etiam separatę formę denotentur nomine entelechię, dubitari posse, num in eis locum habeat distinctio in actum primum, & secundum? Respondeo, in eis quoque seruari, non tamen semper pro absoluto distingui, nam essentia huiusmodi formarum, absolutè actus primus est, actio verò qui est actus secundus, vel est transiens, ut motus, vel est immanens, vt intelligere, & uelle, & utraque dici potest actus secundus, quatenus supponit primum, actio tamen transiens, est actus secundus absolutè distinctus à primo, primus autem nonnunquam sola ratione distinguitur, ueluti in Deo idẽ est intelligens, intellectio, & id quod intelligitur, & sola tantũ ratione distinguuntur.

Diuisio actus in primum & secundum.

Entelechia quid.

De actu primo, & secũdo separatorum.

Contex. 3

SVBSTANTIAE autem maximè esse videntur corpora, & horum Physica, hæc enim aliorum sunt principia; Physicorum autem, hæc quidem habent vitam, hæc autem non habent, vitam autem dicimus esse secundum se, nutritionem, accretionem, & deminutionem includentem. Quare omne corpus Physicum, vita præditum substantia erit, substantia autem sic vt composita.

ASSVM.

ASSVMPTO Prædicamento, ad quod tanquam principium principalis speciei redigitur Anima, eoq; diuiso, id explicauit quod pertinet ad genus definitionis Animæ, nimirum ad actum; Nũc autem intentio eius est, uersari in attinentibus ad differentias: & quia forma refertur ad id quod formatur, & debet anima per materiam definiri, ideo differẽtiæ ex corpore, & materia, ut nobis notiore, sumuntur, hinc Arist. corpus diuidit, ut id eliciat quod in definitione accipi debet. Diuiditur hic Contex. in quinque partes, ut quinque ea sunt, quæ de subiecto & corpore profert. Inquit in prima parte, quod facta comparatione inter tria membra, in quæ diuidebatur substantia, corpora maximè videntur esse substantiæ, hæc enim (omnium consensione) substantiæ sunt. In secunda parte comparatis inuicem corporibus, corpora Physica, omnium consensione maximè dicuntur substantiæ; nam corpora uel sunt Physica, uel artificiosa, vel Mathematica, hæc ad rem non faciunt: quia non sunt substantiæ, corpora autem artificiosa, id substantiæ quod includunt, ex corpore Physico habent, ac ita non ratione propria, sed munere Physici, substantiæ sunt. Ostenditur hoc à Philosopho: quia id quod est principium alterius, adeò, ut id aliud, solum sit substantia per illud, magis est substantia, quia est talis, ratione propria; At, corpus Physicum est principium, & fundamentum artificiosi, & id totum substantiæ quod includit artificiosum, habet ex Physico, quare Physicum maximè est substantia; corpus Physicum etiam est principium Mathematici, cum sit subiectum eius, at, Mathematicus abstrahit ab eo, & propterea non est substantia, corpus Metaphysicũ non datur re distinctum à Physico, & si daretur, falsa esset sententia Arist. hoc in loco, quod corpus Physicum sit principium aliorum, nam id potius Metaphysico conueniret, neque ob id semper principium magis est substantia, ut patet de materia, quę est principium compositi, & de Elementis, quæ sunt principia mixtorum, sed debet intelligi ut explicaui, & per id diluuntur huiusmodi instantiæ. Tertiò, sumpto corpore Physico, id diuiditur in viuens, & non uiuens, nam genus supremum Prædicamenti substantię, est corpus conflatum ex materia prima, & ei iuncta forma, hoc autem est corpus Physicum, mortale, quod primò diuiditur in simplex, & mixtũ; mox, mixtum, in non viuens, & uiuens; uiuens, in sentiens, & non sentiens; sentiens, in id quod non mouetur motu secundum locum, & id quod mouetur; hoc demum, in expers rationis, & compos. Aristoteles autem eam sumpsit diuisionem, quæ suo consilio inseruit, & per quam apparet genus supremum, constitutum per animam, & est corpus naturale, uiuens. In quarta parte uitam circumscribens, ait: Viuere dicimus, quod secundum se nutritionem, accretionem, & diminutionem includit; Accipit viuere, quod est concretum & cum muneris functione iunctum, tum, quia est notius, tum insuper, quia Anima nutriens semper operatur, & accipit uitam ex Anima nutriente prodeuntem, quia est communis cunctis mortalibus, & constituit genus viuentium, & supponitur à reliquis gradibus, simul indicans se solum de mortalium anima verba facere; ait dicimus, indicans se ex propria sententia loqui, nam multi Veterum id officium tribuerunt naturæ; insuper ait, dicimus, indicans hanc esse uitam popularem, per quam constituantur Plantæ; per sensum, sine motu, Stirpanimalia; per sensum cum motu, animalia rationis expertia; per rationem, homo; per secretam Mentem, motores Cęlorum; uera tamen sapientum uita est ea rationis, & mentis, de qua legitur. Da mihi Domine intellectum, & uiuam. Et ait, secundum se, denotans duo; primò, reduplicationem: nam hæc competunt uiuenti, vt uiuens est; secundò, exclusionem, non propriæ nutritionis, qualis est ea ignis. In quinta parte, pro conclusione colligit, omne corpus Physicum uiuens, substantia erit, sicut composita; quæ conclusio ita ex dictis colligitur; Omne corpus Physicum est compositum, & maximè substantia, omne uiuens est corpus Physicum, quare omne uiuens est compositum, & maximè substantia; Hoc autem colligis, vt pateat quod

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

Diuisio Prædicamenti Substantiæ.

Vera vita quam sit.

nam

nam sit illud corpus in definitione Animę assumendum, & indicet per definitionem patefieri, animam esse substantiam, cum constituat corpus Physicum uiuens, quod maximè substantia est.

ANNOTATIONES.

1. Consider. Viuere multipliciter accipitur.

CONSIDERO Primò, vt pertinet ad circunscriptionem vitæ, quod viuere dicitur multipliciter, vt legitur in Contextu 13. nam vita sequitur Animam, ut affectio eius, non secus ac lumen accensam candelam, & quicunque gradus Animæ adsit, statim eo præditum, dicitur viuere; sic homo dicitur viuere uitam Plantæ, Stirpanimalis, Animalis, & Hominis; sumpsit tamen gradum primum, tanquam communem; At, oritur dubitatio; Cum Aristoteles describens dicat nutritionem secundum se, num excludatur vita fœtus in vtero existentis: nam uidetur excludi; quia non uidentur fœtus secundum se nutriri, cum per uenam umbilici alimentum elaboratum eliciant ex uenis matris. Respondeo, minimè excludi, dum considerantur ut propria Anima præditum; id enim quod rei competit per propriam formam, dicitur competere secundum se, hinc quamuis etiam plantę ex terra hauriant alimentum, idque elaboratum, tamen dicuntur secundum se nutriri & crescere. Considero Secundò, quod cum uitæ opponatur mors, viuentia uniuersè dicuntur mori, dum hac facultate priuantur; magis tamen propriè mors tribuitur Animalibus, quia magis conspicuè eis competit uita, cuius mors est priuatio, magis propriè autem de plantis dicimus, reddi aridas; Inter uiuentia Homo maximè omnium, & minimè omnium dicitur mori, maximè quidem, quia pluribus uitæ gradibus priuatur, minimè uerò, quia id quod proprium eius est, ab interitu est immune. Ex dictis elicio duo; primum est, quod uirtus uitalis quæ à medicis à naturali, hoc est, à nutriente secernitur, redigitur ad nutrientem, nutriens enim ea est, per quam uiuere dicimur, & ea quæ à medicis uitalis dicitur, ex qua prodit uigor, & pulsus arteriarum, est excessus quidam, & eminentia nutrientis. Alterum quod elicitur est, Cor esse sedem Animæ nutrientis, nam sedes ea est, quæ ultimò priuatur facultate, Cor ultimo moritur, quare est sedes Animæ nutrientis, cuius priuatio mors est. Considero Tertiò, pro attinentibus ad præsentem Contextum, tria supereſſe diluenda magni momenti dubia; primum est, an Anima sit substantia; alterum, quid magis sit substantia, num materia, uel forma, uel compositum; tertium, quotuplex detur corpus.

Dubitatio.

De Fœtu in utero.

2. Mors quib. magis propriè tribuatur.

Homo maximè & minimè moritur.

Vis vitalis ad nutrientē redigitur.

Cor sedes Animæ nutrientis est.

3. Tria dubia principalia.

Quæritur primò, an Anima sit substantia, id enim dubitatione non caret: nam quod est in subiecto, & eo quidem actu, accidens est, proprium enim est substantiæ in subiecto non esse; Anima est in subiecto, vt dicitur in Contex. 4. & eo quidem actu; quare est accidens. Præterea, potentia est qualitas, & accidens, Anima autem est potentia, cum sit principium nutriendi, sentiendi, &c. quare qualitas, & accidens est; Confirmatur: quia actus & potentia sunt eiusdem generis, nam oppositæ eiusdem generis sunt, actus autem secundus Animæ, est accidens, quare & Anima; Præterea, sanitas, uita, & esse Animalis, ad idem pertinere uidentur, nam sanitas ad uitam pertinet, uiuere autem uiuentibus est esse, at, sanitas accidens est; hinc nonnulli Animam dixêre harmoniam, alij calorem, nonnulli temperamentum, quæ omnia accidentia sunt. Pro resolutione primò referam quorundam sententias; secundò, patefaciam rationibus Animam esse substantiam; tertiò, dubia soluam. Ait Philoponus, Aristotelem sumpsisse Animam esse substantiam, ex euersione opinionis eorum qui illam putarunt accidens, aduersus quos disseruit in primo libro; cui addere debemus, Aristotelem consueuisse nonnunquam acquiescere euersioni errorum, & partem oppositam sine alia ratione approbare, dum res ea ex se satis fuerit nota, veluti in 2. Physic. pro approbando Casu & fortuna, nulla est usus ratione, sed solum euersione aduersarum

An Anima sit substātia.

Resolutio quæstionum. Vnde pateat Animam esse substantiā.

sarum rationum. Inquit Auerroes, non valemus putare Animam esse accidens, vt dat- *Auerroes.*
nobis prima cognitio naturalis: nam duplex consideratur in nobis cognitio; vna pri- *Duplex cognitio.*
ma, altera secunda; prima cognitio est, dum progredimur ex sensu conspicuis, & per
ea eleuamur ad causas; secunda est, dum rem per principia ostendimus, & ratione
comprobamus; prima, est magis Physica, & nobis per naturam insita; altera, magis
artificiosa; ex sensu itaque conspicuis, elicimus Animam non posse esse accidens, quę
autem ea sint, mox apparebit; Inquiunt alij, nisi detur actio aliqua Animæ non pen-
dens ex corpore, & æterna, & nisi appareat Animam posse à corpore seiungi, nulla
aderit ratio qua possit ostendi aliud præter materiam, esse substantiam, sed defendi
cum Veteribus poterit, solam materiam esse substantiam. At, conspicuè falluntur:
tum, quia id medium est obscurius, quam quod Anima sit substantia; tum, quia sic
formæ, quæ non possent separari, non iudicarentur substantiæ; tum demum, quia Ari-
stot. hoc medio nunquam vtitur, immò, affirmabit, rectè sensisse Veteres, qui Animã
putarunt non posse esse sine corpore. Pro secunda parte dico, formas substantiæ,
& præsertim Animam, esse substantias, satis patere, & ex sensu conspicuis elici, non
adeò tamen patere, vt errare non valeamus, & confirmatione aliqua non egeat: nam
affectiones & opera quæ clariora sunt, eam veritatẽ patefaciunt; forma est actus, ma-
teria est potestas, actus autem longè præstat potentiæ, variata forma, variatur nomẽ
absolutum, & definitio substantiæ compositæ; forma est principale principium mo-
tus corporum, natura constantium, & affectionum eorum; Et loquendo de Anima, *Ostenditur Animam esse substantia.*
ea valet in se conuerti, noscendo seipsam, valet aduersari corpori, & obsistere propen-
sionibus ex eius temperamento prodeuntibus, largitur esse viuenti, & constituit Ani-
mal, quæ sunt substantiæ principaliores, iudicat nedum accidentia, verum etiam sub-
stantias, est dux, moderatrix, & domina compositorum mortalium, quæ sunt substan-
tiæ, est causa viuentium in triplici genere causæ, nimirum, formæ, finis, & efficientis,
vt ostenditur in hoc secundo de Anima, præterea, valet recipere habitus, cum mora-
les, tum rationis, valet liberè efficere opposita, & ad opposita mouere, quæ ei non
competerent, si esset accidens; Iure itaq; dixit Auerroes, nos id nosce re prima natu-
rali cognitione, ac insuper addit: Opinamur enim substantiam præstare accidẽtibus,
& Animam præstare accidentibus cunctis, hic existentibus, quasi dicat: Quod præstat
vniuerso generi accidentium, apud nos existentium, non est accidens, Anima est hu-
iusmodi, vt per opera patet, non itaque est accidens, loquitur tamen de accidẽtibus
hic existentibus, tum, quia hæc ea sunt accidentia per quæ dixerat nos eleuari in no-
titiam Animæ, tum insuper, quia apud nos reperiuntur accidentia omnium generũ;
Superest modò, vt præcedentia parte rationes aduersas diluamus. Dicebatur primò, *Diluũtur rationes aduersæ.*
eam esse in subiecto, & eo quidem actu existente. Respondeo, esse in alio, non vt ac-
cidens, sed vt partem essentiæ, illud constituentem, & esse in alio, non vt propriè in
subiecto completo, sed tanquam in materia, quæ est potestare ad esse actu simplici-
ter; & quamuis includat aliquem actum, ille tamen disponit ad ulteriorem, id autem
quod dirigitur ad formam substantiæ, propriè dicitur materia, vel primà, vel proxi-
ma, non autem subiectum, vt id accidentium. Dicebatur secundò, Animam esse po-
testatem, quæ qualitas est. Respondeo, potestatem consideratam pro absoluto, non
distingui à fundamento, anima est potestas pro absoluto sumpta, & est potestas non
facilè operandi, sed absolutè, huiusmodi autem est forma substantiæ. Addebatur,
quod actus, & potestas sunt eiusdem generis. Respondeo, id non debere intelligi,
nec esse verum de potestate sumpta pro principio operandi, & eius opere, alioquin
Deus, & motus ex eo prodiens, essent eiusdem generis, sed debere intelligi de actu
& potentia, quæ competunt omni generi, & sunt principia eius, & reducuntur ad
formam & materiam, vt patet ex 12. Metaphys. de potentia agendi, & opere, solum
dicere valemus, quod extrinsecus ea potestas id efficere valet, quod efficitur. Adde-
batur, quod sanitas, pia, & esse, ad idem pertinent. Respondeo, sanitatem nec-hi

quidem cum uita, quæ modo aliquo sumpta, est esse viuentium, differre tamen ab ea quia sanitas, & ægritudo, ad temperamentum, & dispositiones corporis pertinent, non ad esse, & substantiam. Dixit Philosophus substantiæ maximè esse videntur corpora, ideo considerandum proposuit, num iure corpora quæ composita sunt, maximè censeri debeant substantiæ. Accipio primò, quinque posse fieri comparationes, Prima uersatur inter substãtias abiũctas, & materiatas; Secunda, inter æternas, & mortales; Tertia, inter vniuersalia, & singularia, siue magis & minus communia; Quarta, inter varias species sub eodem genere positas; Quinta inter compositum, & materiam ac formam eius; & hęc modo fit, & ad rem nostram facit, de qua latè Philosophus in 7. Metaph. verba fecit, nũc solũ obiter præfert compositum; Sententia est dubia, cum enim substantia non recipiat magis, & minus, ex Prædicamento substantiæ, & essentia in individuo sit posita, ex 8. Metaph. Contex. 10. & in substantia non sit ordo; ex 7. Metaph. 43. non uidetur dicendum, unam esse magis substantiam altera. Pro elucidatione primò referam opiniones; secundò, explicabo sententiam propriã; tertiò, dñuam rationes aduersas. Veteres putarunt solum Materiam esse substantiam, ac eam putarunt esse corpus, tum, quia eam solam putarunt æternam, cætera verò dixerunt fieri, tanquam affectiones eius; tum, quia ea sola iudicabatur secundũ se subsistere, cæteris subijci & substerni, reliqua uerò ei accidere, & adesse, ab abesse, sine interitu illius. Hanc opinionem Pythagoras, Plato in 10. de Republ. & Arist. in 7. Metaph. & alibi cumulatè reiecerunt, ideo in 7. Metaph. Contex. 8. legitur, Materiam non posse maximè iudicari substantiam, nam separabile, & quod quid esse, uidentur maximè conuenire substantiæ; propterea compositum, & forma, uidentur magis substãtię; Ego itaque in ea sententia cumulatè reiecta, non morabor. Supposita itaque, ea tria esse substantias, quæritur, quæ eorum magis? & dubitatio uertitur inter formam & compositum; Alexand. in 12. Metaphys. Cont. 15. Simplicius in 1. Physic. Cont. 53. & 79. & in 2. Phys. 4. composita tribuunt principatum; eiusdem opinionis etiam est Scotus, Aristot. hoc in loco id affirmat, & in 7. Metaph. Com 15. ait Videtur substantia inesse manifestissimè composi. Ratio est: quia est totum, absolutum, omni ex parte perfectum, verè hoc aliquid, per se subsistens, subiectum accidentium, in cuius gratiam sunt parata materia, & forma. Scotus id ostendit, quia forma duplicem includit imperfectionem; vnam, quia est pars; alteram, quia est in alio, quas excludit compositum; hinc dicitur forma totius undiq; perfecta, Confirmatur, quia continet formã, & aliquid ultra; Insuper, forma materiata, cum egeat materia, vel ea eget pro sui perfectione, uel pro deminutione, vel pro neutro; ac, proculdubio ea eget pro sui esse, & perfectione: nã pro eo solo vnum dicitur altero egere; quare, compositum erit perfectius. Insuper, compositum est id, quod uerè gignitur, & ubi id absolutè est finis generationis, & cũ sit totum, est perfectũ, ex 1. de Cœlo, & est sic vltimum generatione, est primũ perfectione. Plato tamen sequens Pythagoram, principatũ tribuebat formæ, & Hoienem esse dicebat Aiam rationis compotem, & solum formæ dicebat dari Idęã, quæ est essentia, & perfectio rei, Materiam dicebat fœminã, & malã; ut etiam Plotinus; Huius opinionis, nimirũ, quod forma præstet, fuit Auerroes, quẽ sequuntur, Zimara, & alij multi; In 7. Metaph. Contex. 7. innuit hanc rõnem: propter quod unumquodque, id magis est, per formam compositum actu est id quod est, quare præstantiori modo forma est essentia, & substantia. Insuper, dum aliquid est ab uno, id quod est primũ, est maximè tale, substantia de illis tribus, dicta est ab uno, quare primum est maximè substantia, primum autẽ est forma, per quã unumquodq; est id qđ est; Insuper, cũ perfectio ad actũ pertinear, diminutio & imperfectio ad potentiã, quo aliquid liberius est à potentia, eo est perfectius, huiusmodi autẽ est forma, Ideo forma, & finis, veluti in idem numero, finis autem est perfectio; Hinc Arist. in 8. Metaphysicæ Cont. 7. & 8. ait nomen concretum primò denotare formam, secundariò compositum; Et Alexander in 7. Metaph. 12. necnon in 1. de Anima, cap. 2. ait perfectionẽ in

forma

Quæ magis substantia.

Quinque comparationes.

Dubia proponuntur.

Elucidatio dubiorum.

Opiniones aliorum.

Alexand. Simplicius. Scotus.

Ratio pro cõposito.

Ratio formæ Platonis.

forma esse positam. Demum, hoc confirmatur conspicua autoritate Arist. in 7. Metaph. Cont. 7. dicentis: Si forma prior est, & magis ens, quam materia, eo quoque quod ex utrisque est, prior erit, ob similem rationem. Res itaq; satis est dubia; pro cuius resolutione quod facere sum pollicitus in secunda parte, accipio primò; Cum quęratur quod eorum trium magis sit substantia, id (magis) uel refertur ad proprietatem substantię collocatæ in Prædicamento; uel ad absolutam eius dignitatem, & prestantiam; uel tertiò, ad originem, quę sit origine prior; vel quartò, ad conditionem substantię ut absolutè dicitur substantia; modo prefertim sermo est de prestantia absoluta. Accipio secundò, conditionem substantiæ, ut collocatæ directè in Prędicamento, hanc esse, vt constet ex materia, & forma, hinc Aristotelis in 12. Metaphysicæ, actum & potentiam siue materiam & formam, statuit principia Prędicamentis. Conditionem uerò substantię absolutè, vt substantia est, esse duplicem; vnam, vt sint subiecta, alterã, ut sit hoc aliquid, & separetur, ueluti nos docet Arist. nam in 5. Meraph. Contex. 15. ait: nonnulla dicuntur substantię, quia non de Subiecto dicuntur, sed alia de ipsis, ut Elementa, Animalia, & cætera corpora; ex quo elicitur conditio prima; Alia substantię dicuntur, quod hoc aliquid significent, & separabilia sint, & est altera conditio; idipsum confirmat Arist. in 8. Metaph. Cont. 3. inquiens: Materia est substantia, quia subijcitur, forma uerò quia significat hoc aliquid, & ratione separatur. Similiter, in 7. Metaphys. Contex. 8. inquit: Separabile, & hoc aliquid, uidentur maximè inesse substantię; & cum duę sint conditiones, pręcipua est secunda, quę magis absoluram prestantiam indicat, ut patet ex 7. Metaph. Contex. 8. His assumptis, pro resolutione dico, inter materiam, formam, & compositum, vt substantię sunt, non propriam posse fieri comparationem: quia non vniuocè sunt substantiæ, sed ab uno, & propterea inspiciendo uaria, valemus uaria enunciare; Hinc quatuor profero Conclusiones. Prima est; magis substantia per subijci absolutè, & esse prius origine, materia est; Altera; magis substantia per subijci, quod denotet perfectionem, est compositum, quia subijcitur accidentibus terminatis, & etiam prædicationi, quod non competit materiæ; Tertia Conclusio; magis substantia per esse hoc aliquid secundum originem, & causam, forma est, per hanc enim compositum est hoc aliquid, vt dixit Arist. Quarta Conclusio; magis substantia perfectione absoluta, est compositum, id enim est hoc aliquid, secundum propriam formam, & secundum denominationem, & absolutè est separabile, secundum se subsistens, est completum, est forma totius, est subiectum prædicationum, plura includit, & propriè est in Prædicamento. Quæ Conclusiones, partim ex se, partim ex dictis conspicuæ sunt; Supereſt modò, ut rationes aduersas diluam; Nam dicet aliquis: esse secundum causam, est præstantius, hoc autem non composito, sed formæ competet, & propter quod vnumquodque, id magis est; Respondeo, id esse verum, dum primum, & causa non includitur in alio, at, forma includitur in composito, sic Deus est præstantior Mundo, at non est præstantior coniuncto; Quare longè minus forma materiata præstantior erit, quæ & propriè est pars, & pendet, quæ non competunt Deo. Addebatur, in his quæ sunt ab uno, primum maximè esse tale, id autem competit formæ; Respondeo, id esse uerum, dum primum non includitur in altero, & est causa totius esse alterius, at, forma includitur in composito, & non est causa essentiæ materiæ. Addebatur, formam immunem esse à potentia, & imperfectione; Respondeo, in cõposito reperiri potentiam sumptam pro fundamento, & est essentia materię, quę cum ex se sit ens, ex se bona est, poteria autem pro superaddita relatione, quæ est imperfectio, & priuatio, excluſa est per formę præsentiam; Nomen concretum, ut Animal, primo denotat Animam secundum originem, at, nõ secundum absolutam perfectionem; Afferebantur uerba Arist. in 7. Metaphys. 7. prędicentis formam composito; Respondeo, ea uerba ita legi ab Auerr. ut paulò ante retuli; at, ab Alexandro & Simplicio, vt elicitur ex eo in primo Phys. illa uerba referente, sic leguntur: Propterea, si-

Resolutio Primum qd accipitur.

2

Duæ conditiones substantiæ.

Concl. 1.

2

3

4

Soluuntur rationes aduersæ.

Verba Aristot.

forma est prior quam materia, & magis ens, id quoque quod ex utrisq; est, prius erit, ob similem rationem; &c. adeò, ut non dicat formam præstare composito, sed compositum præstare materiæ, quod nobis non aduersatur; quæ lectio est præferenda, cum ob autoritatem Alexandri, & Simplicij, apud quos Contextus erant puriores, tum, quia eo loci intentio Aristotelis erat, reijcere opinionem Veterum, præferentium materiam; & ratio ibi formata, pro eo vim habet; At, dicebatur, substantiam non recipere magis, & minus; Respondeo, id esse uerum secundum essentiam, at non secundum existentiam, ex 8. Metaphys. Insuper, id esse uerum secundum latitudinem Prædicamenti, at, non secundum longitudinem, ut patet ex Prædicamento substantiæ; Tertiò, id esse uerum, de substantia dicta vniuocè, at, non de dicta ab uno; Addebatur ex 7. Metaph. 45. in substantia non esse ordinem; Respondeo, id nobis non aduersari; nam sermo eo loci est de essentia absoluta rei, quę non est ordo differentiarum, sed ultima differentia est id totum esse proprium, quod rei conuenit.

Quotuplex sit corpus.

Postremo loco considerandum proponebatur, quotuplex sit corpus; nam Aristot. indefinitè dixit corpus Physicum esse principium cæterorum corporum, quot autem sint cætera corpora non patet; Tria sunt genera corporum, quæ ab omnibus concedunter, nimirum, Physica, Mathematica, & Artificiosa, Auicenna primò, mox Magnus Albertus in 5. Metaph. tract. 3. cap. 2. & in 1. Physic. cap. 3. quartum addunt genus, idque appellant Metaphysicum; hi putant dari formam corporis quæ substantialis sit, coæuam materiæ, ex qua, & materia, aiunt consurgere primam compositionem, nullo accidente præditam, quam mox sequantur dimensiones termino destitutæ, quæ tertio per formam Physicam terminentur, & constituitur corpus Physicum, sensilibus proprijs præditum; Ex prima compositione inquiunt constitui corpus Metaphysicum, quod est essentia pura; per dimensiones sequentes corpus Mathematicum; per formas Physicas, & sensilia propria, Physicum; per Artificiosas demum, corpus Artificiosum reliqua supponens; Sic corpus Metaphysicum potest abstrahi à reliquis, non autem contra: quia prius potest abstrahi à posterioribus, non uice uersa; Nituntur hoc Metaphysicum corpus approbare; primò, quia datur corpus quod est genus Prædicamenti substantiæ, non includens accidens, ne sit unum ex accidenti, hoc, cum nō sit sensile, non est Physicum, nec Mathematicum, nec Artificiosum, ut patet: quare est essentia pura, & corpus Metaphysicum; Confirmatur: quia substantia est prior accidente, tempore, natura, & cognitione, ex 7. Metaphys. Contex. 4. & quod est secundum se, est prius eo quod est ex accidenti quare corpus pro sola substantia, est prius quouis includente accidens. Demum, cum consideretur corpus vt ab Artifice, Mathematico, & Physico, ita à Metaphysico, & dentur tria reliqua corporum genera, non debemus inficiari dari hoc quartum. Hanc opinionem approbandam non puto: nam primò nititur fundamento inani, quod detur forma corporis coæua materiæ, ut in libris de Materia patefeci, ea enim penitus est explodenda. Præterea, minus rectè putāt, corpus Mathematicum includere corpus Metaphysicum, & primam materiam, cum Mathematicus abstrahat à substantia, vt dicitur in 11. Metaphysicæ necnon in 12. Contex. 45. & solum continuum, & partes, ab Arist. dicantur materia Mathematicorum. Præterea, si daretur id corpus Metaphysicum, prius Physico, falsa esset sententia Aristot. hoc in loco relata, quod corpus Physicum sit principium aliorum, id enim competeret corpori Metaphysico, ut patet: nam per corū principia, corpus Physicum esset principium Mathematici, & hoc Physici; Præterea, corpus Physicum non quauis Physica consideratione includit accidentia actu, ut patet dum definitur, sat est, ut ea includat potestate; Insuper, omne corpus, includens primam materiam, dicitur sensile, ut patet ex 1. de Cælo, omne enim sensile in materia est; insuper, est conflatum ex duplici natura, id autem quod est huiusmodi, Physicum dicitur, non Metaphysicum, Confirmatur; quia Physicus valet resoluere in primam materiam, & propterea omne compositum usque ad eam Physicum est, & præsertim,

De corpore Metaphysico.

Approbatio.

Reprobatio.

cum

cum utraque pars eius sit natura. Ex his itaque patet, per hanc opinionem minus rectè declarari corpus Mathematicum, & Physicum, & maniter addi Metaphysicum ab his distinctum. Pro resolutione itaque, proferens quod sentio, ita dicendum puto. Corpus duplex est: vnum Mathematicum, quod accidens est, ad Prædicamentũ quantitatis pertinens, & a G æc s στερέον hoc est, solidum nuncupatur; alterum Physicum, & hoc pariter est duplex; Vnum cæleste, simplex; alterum, mortale ex duplici natura conflatum; hoc corpus Physicum est subiectum corporis Mathematici, & potest dupliciter considerari; uel consideratione Physica, ut est corpus natura constans: vel consideratione Metaphysica vt est ens, adeò, vt corpus Metaphysicum & Physicum idem sint, & solo distinguantur modo considerandi, qua ratione concedi potest; at, non vt statuebatur ab illis; Artificiosum corpus non addit distinctam corporeitatem, sed solum distinctam corporis Physici dispositionem, & propterea rectè Auerroes in 3. Metaphys. 17. inquit nullum dari corpus præter Physicum, & Mathematicum; sic itaque corpus est vnum, nimirum Physicum, cætera includens; sunt duo, distinguendo Mathematicum; sunt tria, addendo considerationem Metaphysici distinctam; sunt quatuor, numerando cælum vt distinctum à mortalibus; & demum, sunt quinque, considerando Artificiosum, vt superaddens dispositiones ab Artifice ei tributas. Rationes aduersæ facilè diluuntur. Dicebatur Primò, corpus Prædicamenti substantiæ non esse Physicum, quod falsum est: nam conflatum ex duplici natura, Physicum est, & sat est vt includat accidentia potestate, à quibus Physicus etiam valet abstrahere: Addebatur, substantiam esse priorem accidente, & compositum secundum se, esse prius composito ex accidenti; hoc mihi non obest: quia primam statuo compositionem ex duplici natura; addo compositionem cum accidente esse duplicẽ; vel cum accidente completo, & terminato; vel in completo non terminato, & disponente; ea compositio sequitur formam substantiæ, hæc antecedit ut famula, & disponens. De consideratione Metaphysica quæ postremo loco afferebatur iam dixi, nec mihi obest.

Resolutio.

Diuisio corporis.

Corpus Artificiosum.

Soluuntur rationes.

QVONIAM autem est corpus huiusmodi, vitam enim habens, non vtique erit corpus Anima, non enim corpus est eorum quæ de subiecto dicuntur, sed potius tanquam subiectum, & materia; Necesse itaque est, Animam substantiam esse, tanquam formam corporis Physici, potestate vitam habentis: substantia autem entelechia; talis igitur corporis entelechia est; hæc autem dicitur dupliciter; vna, vt scientia, altera, vt contemplatio; Patet itaque, quod est vt scientia, ex eo enim quod inest Anima, inest somnus & vigilia, vigilia proportione respondet contemplationi, somnus verò habitui dum non operatur.

Contex. 4.

DIVISA substantia in materiam, formam, & compositum. Resoluta forma in actum, & hoc diuiso in primum, & secundum, & assumpto corpus maximè videri substantiam, & præsertim Physicum, quod & uiuens, & non viuens esse potest; Intentio Philosophi modò est, ex diuisionibus elicere membra sibi inseruientia, & ex eis constituere definitionem Animæ. Diuiditur Contextus in tres partes; in prima assumpto corpore viuente, ostenditur corpus non esse Animam, sed formam eius; in secunda colligitur definitio, & substan-

Intentio.

Diuisio.

tia quæ est forma, transfertur & resoluitur in actum; in tertia diuiditur actus in primum, & secundum, & accipitur primus pro genere Animæ. Inquit in prima parte: Cum detur corpus Physicum, uita præditum, & ob id Animam includens, id corpus non est Anima; & hæc formatur Ratio: Omnis Anima, cum alterius sit Anima, est in eo vt in subiecto, nullum corpus Physicum est in alio ut in subiecto, sed tanquam subiectum, igitur nullum corpus est Anima; Et quia uniuersalis negatiua simpliciter reciprocatur, nulla Anima est corpus; Maior patet: nam per Animam corpus formatur, terminos & figuram recipit, denominatur uiuens, & Anima pereunte remanet. Minor etiã est conspicua, corpus.n. subijcitur motui, accidentibus, & formis cuiũ ctis, quibus pereuntib. frequẽter seruatur. Necesse igitur Aiam, &c. In hac secũda parte colligitur definitio Animæ, & est: Substantia & forma, corporis Physici, potestate vitam habentis, quæ forma, & substantia, dicitur entelechia, siue perfectio, & actus; Ratio ita formatur; Omnis substantia vel est composita, vel materia, vel forma, Anima est substantia, & non est materia, nec corpus, quare est forma corporis, non Artificiosi, nec Mathematici, quare Physici, non carentis vita, sed viuentis, nam vita animam sequitur, & eius est coæua comes; Et cum Anima sit substantia tanquam forma, hæc entelechia, siue actus, dicitur, & in actum vt commune genus resoluitur; Hæc autem dicitur dupliciter, &c. In hac tertia parte actum in quem resoluerat formam substantiæ, diuidit in primum, & secundum; actus primus est tanquam scientia, hoc est, forma; secundus est, vt contemplatio, hoc est functio muneris, Anima est actus vt scientia, hoc est primus; quod ostenditur hac Ratione; Id, per quod viuenti competit functio muneris, eiusq; priuatio nõ est functio muneris sed principium eius, Anima est huiusmodi, quare &c. ostenditur Minor ab Arist. nam ex eo quod Animali competit Anima sentiens, ei competit somnus, & vigilia, quæ sunt functio muneris; qualis est uigilia, & eius priuatio qualis est somnus, vigilia est vt contemplatio, somnus verò tanquã actus primus, & habitus non contemplans; Posset etiam idipsum colligi ex dictis, quia formae est actus primus, Anima est substãtia quæ est forma, quare est actus primus. Insuper, quod seruatur sine alio, non est id aliud, Anima seruatur sine muneris sui functione, quare non est functio muneris, siue actus secundus. Demum, id colligitur ex primis verbis sequentis Contextus, quæ sunt: Prior autem generatione in eodem scientia est, & ratio ita formatur: Id est Anima, quod in viuente, vt viuens est, generatione est prius, scientia, hoc est actus primus in eodem, generatione est prior secundo, Anima itaque primus est actus, non secundus.

Expositio.

Ratio.

Ratio. Quod actus non sit forma.

Ratio.

ANNOTATIONES.

Prima ratio. Quid denotetur nomine corporis.

CONSIDERO primò, quod Aristot. ostendit corpus non esse Animam, non constat quid nomine corporis denotet, num partem viuentis contradistinctam ab Anima; uel congregatum ex anima & corpore; Philoponus, Simplicius, D. Thomas, Ægidius putant denotari partem; Alexand. Themistius, & Auerroes compositum. Dicamus, quod dum Aristot. primò ait: quoniã est corpus, vitam habens, denotat compositum, faciens mentionem de attinentibus ad vtranque partem; mox verò dum ait: non est corpus anima, accipit corpus pro ea parte, cui vita vt forma respondet, cui competit, ut sit subiectũ, & anima est in eo ut in subiecto. Considero secundò, quod Aristot. ostendens corpus non esse Animam, simul patefacit nec esse materiam, nec compositum: nam Anima non dicitur subiectum, sed in subiecto, ea autem duo non sunt in subiecto, sed subiecta; dicitur tamen Anima esse in subiecto, ut etiam in 2. Physicorum Contex. 4. Natura quæ est forma, dicebatur esse in subiecto, quod intelligi debet, ut forma in materia, quæ differt ab accidente, nam accidentia terminata sunt in subiecto simpliciter,

citet, actu, & completo, non forma. Insuper accidentia iuncta, subiecto, non constituunt tertium, quod sit simpliciter, & absolutè aliud, ut constituit forma; Deinde, Accidentia terminos recipiunt à subiecto, forma verò eos illi largitur Demum; accidens recipit esse, quia eius esse, est alteri hærere, forma largitur esse; Postremò accidens saltem imaginatione potest seiungi sine interitu rei, non autem forma. Considero tertiò, Aristotelem modò id seruare, quod seruandum dixit in sexto Contex. Proœmij, nam dicebat: Cum genus animę sumperimus, esse inquirendum, num anima sit eorum quæ sunt potestate, uel potius entelechia: nunc id seruans, ait entelechiam esse, & utens exemplo somni, & uigiliæ, id demonstrauit de sensu, ad quem ea pertinent, at, quemadmodum de parte sentiente ostenditur quod sit, entelechia, ita de reliquis, nam eadem est ratio; & pro indaganda definitione, nectit simul Philosophus diuisionẽ, & compositionem: nam diuidens substantiam, corpus, & actum, mox per compositionem progrediens, per sensu conspicua, elicit pertinentia ad Animam. Considero quartò, quod Arist. inquiens Animam esse substantiam ut formam, transfert, eam in entelechiam, inquiens: Substantiantia autem entelechia; at, cur id facit, nonne clarius fuisset dicere Animam esse formam? Ait Alexand. id factum fuisse, quia dubium erat num anima per actionem, uel per principium actionis esset definienda, nonnulli enim definiuere per motum; at, hoc non satisfacit: quia similiter id patefieret, dicendo, quod sit forma. Simplicius ait id fieri pro distinctione a formis abiunctis, quæ dicuntur sui essentia actio, hoc etiam non satisfacit, quia in abiunctis actio transiens absolutè distinguitur vt motus, immanens verò distinguitur saltem ratione, Philoponus ait id fieri quia formæ nomen etiam dicitur de accidentibus, nomen verò entelechiæ, solum de substantijs & earum imitationibus, at hoc iam in precedentibus est reiectum, Dicamus Aristot. id fecisse, primò, vt distinctius explicaret genus Animæ, resoluendo illud in supremum; Secundò, vt pateret ex anima prodire actiones, nam actus primus refertur ad secundum, tanquam principium eius; Tertiò vt refulgeret ratio ob quam ex anima & corpore fieret vnum, id enim euenit, quia Anima est actus, corpus potentia. Considero quintò, quod Aristot. ait corpus non esse Animam, nec vice versa, Animam esse corpus, quod tamen sine approbatione prærer eundum non est; Ego autem tria faciam; primò de hoc referam opiniones, secundò, falsas reijciam; tertiò, dubia soluam; Ordiens ab opinionibus. Iam in libro de placitis Veterum Philosophorum, capit. 14. in capita redigi opiniones Veterum de essentia Animorum, propterea nunc solum in eo capite uersabor, quantium Animam esse corpus, & id quidem vel simplex, ut Heraclitus censuit esse Ignem, Thales Milesius Aquam, Diogenes Aerem, Anaximander medium inter Ignem & Aerem; Vel compositum, vt Parmenides ex Igne & Terra; Empedocles ex quatuor Elementis; Democritus, Leucippus, Epicurus & Lucretius, ex Atomis; Nam cum Principia rerum debeant esse communia cunctis, Veteres ex eo, vel ex eis principijs, ex quibus cætera gignuntur, Animam quoque confici existimarunt, quæ cum sint corpora, nil constituere ualent nisi corpora. Præterea, cum Anima iudex ex rerum, & cognitio fiat per simile, est necesse, at ea quæ noscenda constituunt, etiam constituãt Animam; Hinc enunciauit Empedocles, Terra Terram noscit, Aquam Aqua, Æthere Æthera, Ignem Igne, Amore Amorem, item lite; Similiter Plato in Timeo, simili noscit simile affirmauit, vt ei tribuit Aristot. in primo de Anima, 26. Præterea, nisi Anima esset corpus, quomodo recipere & seruare ualeret per memoriam rerum imagines, & species, quæ in solis corporibus recipi, & seruari posse uidentur. Præterea, nil ualet mouere aliud, nisi id tangat, & mouetur, Nil tangit, & mouetur, nisi corpus, Anima mouet corporea, quare tangit, & mouetur, & propterea corpus est. Præterea, quod egeruia, per quam progrediantur, est corpus, Anima ea eget, nam experientia constat, dum clauduntur uię à corde ad reliqua membra, non posse Animam in corde residentem ad ea progredi, & ob id priuantur sensu, & motu; Lucretius ea sententiã,

Esse in materia, & esse in subiecto.

3

4 *Cur forma mutentur in entelechiã. Alexand.*

Simplicius.

Philoponus.

Sententia propria.

An Anima sit corpus.

sententia Epicuri, libro tertiò his Carminibus eandem sententiam nititur approbare.

Lucretius.

Hæc eadem ratio Naturam Animi, atque Animæ.
Corpoream docet esse, vbi enim propellere membra.
Corripere ex somno corpus, mutareque vultum,
Atque hominem totum regere, ac versare videtur.
Quorum nil fieri sine motu posse videmus,
Nec tactum porro sine corpore, nonne fatendum est,
Corporea natura Animum constare, Animamque,
Præterea pariter fungi cum corpore, & vnà,
Consentire Animum nobis in corpore cernis.

Et post pauca.

Ergo corpoream Naturam Animi esse necesse est,
Corporeis quoniam telis, ictuque laborat.

Exercitio. Ex tribus patere animã non esse corpus.

Hinc dicuntur nonnunquam Animæ edere uoces, & per umbras: inspici, quod eis sine corpore non cõpeteret. At, horũ opinio illudenda potius, quã accuratè reijciẽda est, cuius mendaciũ ex tribus præsertim refulget, nimirum, ex conditione corporis, & Animę, ex operibus, & ex affectionib. utriusque; Ordiens à conditione, nullũ corpus perficit aliud, uel ab alio perficitur, Aïa corpus perficit, non itaq; est corpus, Corpus nõ meat per corpus, Anima effunditur per vniuersum corpus viuens, quare nõ est corpus; Præterea, ex corpore & corporeo, non fit vnũ secundũ se, ut conspicuè fit ex Anima & corpore; Præterea, si Anima est corpus, uel simplex corpus est, uel mixtum, non simplex, quia apud nos non est aliud simplex corpus præter Elementa, quorum nullum est Anima; non mixtum, quia Anima non constat ex partibus, quę non sint anima; Præterea, omne corpus sub sensum cadit, proprio motu mouetur, locum exposcit in quo vel secundum, uel præter naturam reperiatur, quę non competunt Animę; Similiter, omne corpus cui competat anima, figura aliqua propria est terminatum, animę nulla conuenit propria figura, omne corpus alteri iunctum reddit illud maius, anima hoc non facit, ueluti etiam per eius recessum corpus non minuitur. Præterea, cum id refulserit ex conditionibus & affectionibus utriusque, idipsum elici potest ex operibus: nam potentius corpore, & quod præest corpori, idque regit, & gubernat, non est corpus, Anima regit, dirigit, & gubernat corpus, ergo, &c. Insuper, corpus quo est maius, eo est potentius, at Anima ad centrum & in indiuiduum deducta, potentior euadit, ut patet de externis sensibus contractis in communem, tanquam in centrum indiuiduum. Insuper omne corpus per naturam ad vnum oppositorum est definitum, ab anima prodeunt opposita; corpus non mouet, nisi id primò moueatur, anima non primo mouetur, quia si moueretur, vel moueretur à se, vel ab alio; non à se, quia nil se mouet; non ab alio, quia tunc id aliud esset anima. Præterea, si anima esset corpus, non esset iudex corporum, non se nosceret, nec ratiocinaretur, nam iudicium spirituale est, & in indiuiduo positum, ratio uersatur in uniuersali, mens abstrahit à materia, & à corpore, & supra corpora cuncta extollitur, tribuere autẽ hęc corpori, est insipere. Præterea, corpus non operatur sine tempore, anima momento iudicat, corpus non ubique operatur totum, sensus ubique totus sentit; Demum, id patet ex perceptione doloris, & uoluptatis, nam si lędatur digitus, statim Anima tota lęsione afficitur, at, si lędatur pars corporis, partes aliæ à lęsione sunt immunes.

Aristotelis. Themistius. Pythag. Plato.

Rectè itaque Arist. ait, Animam non esse corpus, rectè etiam argumentatur Themistius, inquiens quod id est Anima, quo uiuens distinguitur à non uiuente, at, non distinguitur corpore, non itaque est corpus; Sic etiam Pythagoras, & post eum Plato,

in 10.de Rep. negarunt animam esse corpus. Rectè etiã enunciauit Plotinus: Si Anima esset corpus, temperantia, iustitia, sapientia, & prudentia, non essent uirtutes eius, non enim hæ sunt uirtutes corporis, sed alicuius supra corpus constituti. *Plotinus.*

Rationes aduersæ, vel sunt inanes, uel id solum ostendunt, quod Anima sit iuncta corpori, egeat instrumento corporeo, & ex eo modo aliquo pendeat; Dicebatur primò, Animam ex communibus corporum principijs constitui, quod longe abest à verò, Anima enim est forma, & principium, non autem conflata ex eis: nam compositã ea sunt, quæ ex principijs constant, & quorum propriè est generatio. Ratio sumpta ex cognitione, reflectitur ab Arist. in 3. de Anima, quia recipiens debet eo esse nudatum quod recipere debet, & solum debet esse id potestate. Addebatur ratio sumpta ex receptione, & conseruatione specierum quę consimiliter reflectitur, quia corpus recipit & seruat principales formas, non spiritales imagines, quę ab actu cognitionis non distinguuntur; sic sensus dicitur recipere species sine materia, & longe magis mens. Ratio sumpta ex motu, soluitur; nam quod mouens primò moueatur, est verum de motore corporeo, de incorporeo sat est, vt sit prędituin facultate mouẽdi, & tangat tactu facultatis, & est necesse in ordine mouentium, ad huiusmodi motorem deuenire, ut patet ex 8. Physicorum, Anima egreuia per quam progrediatur ratione spiritum, & communis instrumenti, non ratione sui. Rationes ex Epicuro, & Lucretio deprompte solum indicant Animam sentientem non esse sine corpore, & instrumentis materiatis egere; Demum addebatur, Animas nonnunquam uideri, & audiri, Arist. diceret, eas esse imaginationes inanes, ex timore, vel ex alia animi perturbatione prodeuntes; Academici dicerẽt, vel esse Dęmones aereos, vẽl Animas suis uehiculis iunctas, nam quis quęro Animę est proprius color, quę figura, quę uoxà Colligamus itaque, Animam esse quidem formam, & actũ corporis, sui tamen conditione expertem corporeę dimensionis, & propterea inaniter formidabant nonnulli ex relatione Platonis in Phedone, ne eorum Anima à uentis dissolueretur, dum ex crasso corpore prodiret. *Rationes aduersa diluũtur.* *Aristoteles Academici.*

PRIOR autem generatione in eodem scientia est; Propterea Anima est entelechia prima corporis Physici, potestate uitam habentis; huiusmodi autẽ est, quod fuerit instrumentarium, instrumenta etiam Plantarum partes sunt; sed valde simplicia, ut folia cooperiunt pericarpium, pericarpium fructum, Insuper, radices ori sunt similes, utraque enim alimentũ trahunt. *Contex. 6.*

PROGREDIENS Philosophus methodo diuisiua, cum compositione iuncta, traditis distinctionibus ei conducentibus pro constitutione definitionis Animę, intentio eius modo est, definitionem colligere, & perficere; Et in hoc Contex. quatuor facit; nam primò comparat actum primum cum secundò; mox colligit definitionem Animæ; tertiò potestate uiuens permutat in instrumentarium; quartò ostendit etiam corpora plantarum esse instrumentis prædita; Primò itaque, ut patcat Animam esse actum primum, comparat primum, cum secundo, inquiens primum esse origine, & generatione priorem, & formatur hęc ratio: Ille actus ex quo uitalia opera prodeunt, est origine prior operibus, Anima est ille actus, ex quo uitalia opera prodeunt, quare est origine prior, & ob id dicitur actus primus; Secundo loco, colligens definitionem Animæ inquit: Propterea Anima est entelechia prima, corporis Physici, potestate uitam habentis; primò col- *Intentio.* *Diuisio.* *Expositio.*

collegerat eam esse formam, modo autem quia formam resoluerat in entelechiam, iterum eam colligens, ait esse entelechiam primam, & ex diuisione corporum elicit Physicum, quod dixerat maximè uideri substantiam, & ex diuisione Physicorum, elicit uiuens, & addit, potestate uitam habentis; Tertio loco, ut distinctius explicet potestate uitam habens, ait esse organicum: nam organa parata sunt pro actu secundo, ac ita dicuntur facultate, uitã & secundum actum includere; & quoniam huiusmodi organa minus apparent in Plantis, cum in eis simpliciora minus distincta, obscuriusque dearticulata, inueniantur, ideo de illis id ostendit, & præsertim id facit, quia de Animalibus cumulatè id patefecerat in libris de historia, & partibus Animalium; Insuper, cum Philosophus id ostendat de Plantis facultate, id ostendit de omnibus, quia facultates Animæ Plantarum, sunt communes cunctis uiuentibus mortalibus.

ANNOTATIONES.

1. *Considerat.*

Quo actus primus sit prior secundo

CONSIDERO Primò, quod cum Arist. inquit: Prior autem generatione in eodem scientia est, hoc est, actus primus est generatione prior secundo, in eodem; ait (generatione) & origine, quia tempore non semper antecedit, ut patet de Anima nutriente; Insuper ait (in eodem,) nimirum ex potentia ad actum tendẽte, quia in uarijs potest secus se habere: nam actus secundus scientiæ docentis, est prior actu primo addiscentis; Sed pulchra est dubitatio, nũ in motoribus Cælorum actus primus sit origine prior secundo; Simplicius, & Philoponus aiunt id esse uerum de mortalibus; At, nos distinctius dicamus, actũ motorum Cæli, esse duplicem; unum transeuntem, ab essentia distinctum, qui profectò est posterior origine; Alterum immanentem, ab essentia sola ratione distinctum; & considerando illam distinctam rationem, ratio intelligentis respondens actui primo, est prior ratione intellectionis, respondente actui secundo. Considero Secundò, in dubium uerti posse, quod actus primus sit prior generatione: nam priora generatione in mortalibus, sunt posteriora dignitate, actus autem primus est præstãtior secundo, quare non prior origine. Confirmatur: quia habitus qui est actus primus, generatur præcurrentibus uarijs actionibus, qui sunt actus secundi. Insuper, mens dicitur nobiscum, & cum phantasia necti per actum intelligendi, quare actus intelligendi qui est secundus, antecedit origine in nobis primum. Respondeo, ordinem perfectionis debere considerari in eodem principali quod gignitur, ita seruatur quod facultas in perfectionem tendat, nam forma considerata sine sui muneris functione, est imperfectior quam considerata unà cum ea; Insuper, dum dicitur habitum gigni per præcurrentes actiones, id non obest: quia actus primus dicitur prior eo secũdo actu, qui prodit ex illo, non qui illum parit; De mente dico, eam primò necti nobiscum per Naturam, secundariò per operationem, inspicere autem tenemur nexum per Naturam;

Dubitatio.

Actus motorum Cæli.

2

Actus primus sit prior generatione.

Solutio.

3 Considero Tertiò, quod Arist. ait: Instrumenta etiam Plantarum partes sunt, sed penitus simplices; partes, & instrumenta plantarum dicuntur penitus simplicia, facta comparatione inter organa uiuentium, non autem quod absolutè simplicia sint; Instrumenta, sunt materia proxima Animæ, quę tamen ab Anima postremam perfectionẽ recipiunt; Radices uerè sunt partes, & funguntur officio oris, & dicũtur partes sursum plantarum, collocatę deorsum; hinc homo dicitur planta auersa; folia herbarum partes sunt, arborum uerò minimè, sed sunt perinde ac pili animalium, & decidunt seruata integritate arborum; in Ficu tamen Indiano, & Palma Dactilorum seruant conditionem partium; fructus & eorum inuolucra, nequaquam dici possunt uerè partes, nam semen ab Arist. dicitur excrementum utile, hoc tamen in loco Arist. utens nomine partis, latè, & folia, & pericarpia, & fructus appellat partes. Con-

Folia & fructus nõ proprie partes arborum.

sidero

sidero Quartò, sententiam esse Aristot. in 2. de Cælo, 68. mortalia quò sunt præstantiora, eo pluribus actionibus assequuntur suam postremam perfectionem; ideo magis sunt prædita instrumentis; De æternis contra se habet, hinc homo qui cæteris præstat, exactioribus, & eminentioribus instrumentis est præditus; & manus eius dicuntur instrumenta instrumentorum, inseruientia rationi, manus enim non ex se instrumenta sunt, uerum insuper natam efficere cuncta instrumenta artium, & esse his uti; Et redeundo ad Plantas, in eis considerantur folia, inuolucra fructuum, & fructus inclusi, fructus & semen sola distinguuntur ratione, nam dicuntur fructus antecedentium plantarum, semina uerò sequentium, folia per naturam parata sunt tegere, & seruent pericarpia, hoc est inuolucra fructuum, quæ inuolucra deinde tegunt, seruant, & uirtute plantæ perficiunt fructum, sine semen; sic persica, pira, & poma, sunt inuolucra unà cum fructibus, ut uero ad radices pertinet, dicuntur fungi officio oris, rectius tamen dicerentur fungi officio uenæ umbilicis, per quam fœtus hauriunt alimentum elaboratum, ut plantæ ex terra per radices; Aristot. tamen plantas compara uit cum Animalibus absolutioribus, dixit autem in 2. de Generat. Animalium, fœtus uiuere uitam plantæ. Quinto loco unum grauioris ponderis considerandum occurrit: Nam cum Aristot. entelechiam, siue actum diuiserit in primum & secundum, omnes consentiunt actum primum esse formam; De actu secundo magna est altercatio; nonnulli enim aiunt esse formam operantem, Alij uerò solam operationem, siue functionem muneris; primæ opinionis fuit Auerroes, quem sequitur celeberrimus Mr. Antonius Genua, & alij nonnulli; nituntur suam opinionem approbare auctoritate, & ratione: nam Aristot. pro genere sumpsit substantiam, quam diuisit in materiam, formam, & compositum; mox accipit formam, quam dicit esse actum, & hunc actum diuidit in primum, & secundum, ex quo elicitur hæc Ratio; Actus secundus est actus, qui actus est forma, & forma est substantia, quare secundus actus est substantia, operatio non est substantia; sed forma operans, quare actus secundus non est operatio, sed forma operans; Insuper, in Contextu 5. Aristot. accipiens substantiam, & formam sumptam in Definitione Animæ, ait; Substantia autem actus, hic autem duplex; conspicuè Aristot. actum qui est substantia, in primum & secundum diuidit. Præterea, id confirmant ratione: nam Aristot. id denotat per actum secundum, quod ad rem facit; at, actum sumptus pro sola muneris functione ad rem non facit, nemo enim eam censuit esse Animam, sumptus uero pro forma operante, ei conducit pro excludenda sententia Platonis, & Xenocratis, qui dicebat Animam esse numerum se mouentem, dixerunt esse formam operantem; Profectò nisi ego Auerroem, & eius asseclas magni facerem, hanc opinionem potius negligerem, quam reijcerem, conspicuè enim pugnat cum Aristot. & cum Ratione: hinc nemo ex Græcis interpretibus in eam partem inclinauit, sed omnes constanter actum secundum dixerunt esse solam operationem, hoc conspicuè patefacit Aristot. qui exemplis illustrans actum secundum, ait esse contemplationem, incisionem, uigiliam, uisionem, semper remittit solam operationem, nunquam autem in formam operantem; Similiter, in 3. Physic. Aristot. definiens motum, ait esse actum moteris, at motus est sola operatio; Præterea, sequentes Aristot. quam dicit entelechiam, nisi ipse energiam, ut patet ex 3. Physicorum: nam motum, modo entelechiam, modo energiam appellat; At, Arist. in 9. Metaphys. energiam dicit esse operationem, & ab operis nomine fuisse deductam, quam inox docet in immanentem, & transeuntem; Præterea, consideremus quam inepte Aristot. diuisisset, ita enim actus qui est substantia, diuisus fuisset in formam, & formam operantem, & membrum unum includeretur in altero, si Arist. id denotare noluisset, quod ipsi censent, debuisset dicere, actus qui est forma, vel est cum operatione, vel sine, quod non dixit; Confirmatur: quia operatio cum sit ens, & non sit potentia, est actus, quare forma operans non est actus unus simplex, contradistinctus ab altero, sed est compositum ex utrisque, ex duobus autem actibus, non consurgit actus unus, sed unum compositum,

Fructus & semen.

De actu secundo quid sit.

Ratio quod actus secundus sit forma operans.

Euersio.

positum, quod non actus dicitur, sed esse in actu, vt rectè loquitur Aristot. qui ibi Contex. 53. & 56. huius libri, Animam operantem & habitum speculantem, nondicit esse actum, sed in actu, quod tertium est, & compositum. Præterea, cum Anima non sit actus secundus, sed primus, & Anima operans non sit actus primus, cum sint duo membra distincta diuisionis, Anima itaque operans non erit Anima, & qui speculantur, erunt sine mente, & cum Anima nutriens semper operetur, nunquam erit Anima, sed semper erit actus secundus, quod penitus est absurdum. Auerroes Contex. 5. laborauit pro hac instantia soluenda, & tria dixit; primum est, fortè dari Animalia quædam, quæ per aliquod tempus non nutriuntur vt ranæ magnæ, & serpentes degentes tota hyemæ in cauitatibus terræ sine receptione alimenti. Hæc solutio est inanis; primò, quia saltem dum operabitur, ei non conueniet definitio Animæ; Secundò, quia patebit in progressu Animam nutrientem semper operari, & dum Animalia extrinsecus alimentum non recipiunt, nutriuntur internis humoribus, ideo non contentus hac prima solutione, dat alteram, inquiens: nisi dentur huiusmodi Animalia quæ aliquando non nutriantur, tunc actus, siue perfectio sumpta pro genere partium Animæ erit æquiuoca, quia Anima nutriens erit actus semper iunctus cum operatione, reliqui gradus minimè, quæ solutio est deterior priore, quia Aristot. affirmat hanc ab eo traditam esse definitionem communem, pro cuius genere actum primũ assumpsit, & secundũ exclusit; Præterea, definitio dicitur propriũ, competens omni definito, & semper; at, si Anima dum operatur, non est actus primus, tunc quæcunque sit ea pars Animæ, definitio ei non conueniet, & modo erit, modo non erit Anima. Præterea sibimet non satisfaciens addit tertiò, quando fuerit nota distinctio inter vtrunque actum, nil obest eum accipere indefinitè in definitione Animæ, cum secus fieri non possit, indefinitè autem acciperetur dicendo Animam esse actum, nõ addendo primum, vel dicendo esse actum primum aut secundum, sed per hoc conspicuè carpitur Aristot. qui contraxit, & definitè dixit esse actum primum; nonnulli tamen exponunt hanc tertiam solutionem, sed Auerroes suis verbis conspicuè indicat id quod dixi. Nonnulli pro Auerroe soluunt instantiam de Anima nutriente, & inquiunt, quamuis ea continenter nutriat, non tamen semper auget, vel generat, sed ita seruatur quod sit actus primus. At, hi Primò aduersantur Auerroi; Secundò, tunc Animæ nutrienti ut nutriens est, non competet definitio Animæ; Tertiò, tunc cuilibet Animæ operanti non conueniet definitio; Colligamus itaque, actum secundum esse solam numeris functionem, & Animam semper esse actum primum, nam quamuis continenter operari valeat, nunquam tamen est ea operatio, sed principium eius, operatio enim non destruit principium operans, sed perficit, adeò, vt instantia de Anima nutriente semper operante, sit penitus inanis. Rationes aduersæ facilè diluuntur. Dicebatur primò, Aristot. accipere actum qui sit substantia, & illum diuidere, dum sum autem debet dici de membris diuidentibus, quare actus secundus est substantia; Primò reflecto rationem; Aristot. accipit formam pro tertio membro substantiæ, & eam appellat actum, forma pro tertio membro substantiæ est sola forma, non iuncta cum accidente, quare forma iuncta cum accidente, non debet prædicari de membris diuidentibus, & propterea actus secundus non poterit esse forma operans; Insuper soluens, dico, eam diuisionem Aristotelis, non esse diuisionem generis per differẽtias in species, sed esse resolutionem, cum enim Anima non sit species Prædicamenti, sed principium, vt inueniatur quid sit, debet fieri resolutio in principia; Ideo Aristot. accipit formam quæ est pars resolutionis substantiæ, & hanc formam quæ substantia est, resoluit in actum communem, mox actum illum communem, diuidit in primum & secundum, veluti si diceremus corpus Physicum esse ens, ens autem est duplex; substantia, & accidens, corpus est illud ens quod est substantia; sic Aristot. elevatus ad formam, ad substantiam, ad actum, ad communiora progrediendo per resolutionem, & actum illum, dictum de forma substantiæ, tanquam commune genus diuidit

Auerroes.

Definitio quo fundam.

Conclusio.

Diluuntur rationes aduersæ.

At

At addunt, actum ſumptum pro accidente, ad rem non facere, quia iam ex primo libro patet Animam non eſſe accidens; Reſpondeo, propterea quod apparuit debet per definitionem excludi, tribuendo Animæ quod ei competit. Inſuper, hoc conducit, vt pateat Animæ conditionem eſſe hanc, vt ſit principium operandi, ſiue actus ſecundi: Tertiò, ut diſtinctius refulgeat genus proximum animæ, quod eſt forma, per reſolutionem eius uſque in primum & ſupremum, non enim diſtinctè noſcimus, niſi uſque in prima reſoluerimus.

Contex. 7.

SI autem commune aliquid de omni Anima oportet dicere, erit vtique prima perfectio corporis Phyſici inſtrumentarij, propterea non oportet quærere ſi vnum eſt Anima, & Corpus, veluti neque cera, & figura, neque omnino vniuſcuiuſque materia, & id cuius eſt materia, vnum enim, & eſſe, quoniam multipliciter dicitur, quod propriè Entelechia eſt.

Intentio.

Diuiſio.

HACTENVS Philoſophus cuncta aſſumpſit, & explicauit quæ pro colligenda Animę definitione inſeruire ei debent, propterea intentio eius in præſenti Contex. eſt ea colligere, & modo aliquo comprobare; Diuiditur Contex. in partes duas; in prima communem definitionem colligit; in altera, eam comprobans, ait ex ea elici ſolutionem communis cuiuſdam difficultatis, quam Veteres per eorum definitiones ſoluere non valuerunt; Ait in prima parte; Si commune aliquid de omni Anima oportet dicere, hoc eſt, ſi danda eius eſt cõmunis definitio, quæ profecto eſt danda, cum ſubiectum debeat eſſe vnum, vel vnitiocè, uel ab uno, & una conſimili circumſcriptione definiendum, ea profecto hęc erit; Actus primus corporis, Phyſici, organici. Ariſtot. ter hanc definitionem colligit, ſemper aliquid permutans: nam primò colligit eam eſſe formam; ſecundò, formam permutat in actum primum; tertiò, poteſtate uitam habens, permutat in organicũ; modo uerò eam colligens cum poſtrema permutatione, indicat eam hoc modo ſibi magis ſatisfacere; Propterea, non oportet quærere, &c. Hæc eſt pars Secunda, conducens pro definitionis traditæ approbatione; dicebatur in Proœmio, eas definitiones per quas non refulget cauſa affectionum definiti, eſſe traditas Dialecticè, & inaniter; hinc definitio Subiecti, explicat quid illius, & propter quid affectionum eius, ex quo elicitur hæc Ratio. Ea definitio, per quam refulgent cauſæ affectionum, & diluuntur dubia, eſt rectè tradita, definitio Animæ tradita includit eas conditiones, ideo rectè tradita eſt; Per definitiones communes debent apparere cauſæ communium affectionum, per proprias, propriarum; Ex hanc communi definitione refulget ratio huius communis affectionis, quomodo ex Anima & corpore prodeat per ſe unum, ueluti ex cera, & figura, conſurgit una Artificoſa imago, nam ex eo quod dictum eſt, Animam eſſe actum, refulget conſpicua ratio, per actum enim res ſunt, & unum ſunt, ex quo conſpicuè refulget potiſſima ratio permutationis formæ in actũ. quia actus eſt ratio per quam res ſunt, & unum ſunt.

Expoſitio.

Ratio.

ANNOTATIONES.

Consideratio prima.

CONSIDERO primò, quod Aristot. cum conditione ait, si quid commune de omni Anima oportet dicere: nam in 8. Cont. Proœmij de Anima, dicebat cauendum esse, ne nos lateat, num Animæ sit ratio una, ut Animalis, uel potius singularum uaria, ideo nunc cum conditione loquitur, inquiens: si quid commune oportet dicere; & re uera oportet, nisi enim eius esset ratio una, uel uniuocè, uel ab uno, non posset esse subiectum unum scientiæ; Secundò, ita loquitur, quia nosci hanc communem definitionem non exactè, & distinctè explicare naturam, & conditionem Animæ, sed solum confusè; Tertiò, quia hoc non est uerè unum commune, cum non sit natura una, in cunctis eadem, & præsertim

Cur loquatur cum cõditione.

2 ob Mentem, quæ modo satis uario actus dicitur. Considero Secundò, quod Arist. in secunda parte ait, quod non oportet quærere si unum est anima, & corpus, indicãs ex definitione elici ueritatem & solutionem difficultatis; at, non constat quæ sit ea dubitatio. Magnus Albertus inquit, num sint unum, hoc est, num Anima fit corpus, iam enim constat quod non est corpus, sed actus corporis, quæ expositio non est approbanda, quia & per exemplum cerę, & figuræ, & per solutionem tradendam, patet Aristot. non denotare difficultatem, an Anima sit corpus, sed quomodo ex eis fiat unum. Dicamus itaque cum Themistio & Simplicio, difficultatem esse hanc, quomodo ex Anima & corpore fiat unum, ueluti ex cera & figura, quam non ualuere soluere Veteres, putantes Animam esse corpus: nam ex duobus corporibus, non secundum se consurgit unum. Considero Tertiò, dum quæritur, quomodo ex Anima & corpore fiat vnum, id posse dupliciter intelligi; primò, quæ sit ratio, ut secundum se nectantur, & fiat unum; secundò, quæ sit ratio, ut id compositum sit unũ; si intelligatur in prima significatione, tunc cum Aristot. in 8. Metaph. Contex. 16. dicendum est, non aliam esse rationem, nisi quia unum est potestate, alterum actus potestati respondens, quorum conditio est, ut nectantur pro tertij constitutione; Si uerò intelligitur in altera significatione, dicendum est, compositum esse unum, siue numero, siue specie, genere, ratione formæ; in prima significatione ei magis respondet exemplum sumptum ex cera, & figura; in secunda uerò; ei magis respondet id quod addit, unum enim, & esse, quoniam multipliciter dicitur, quod propriè actus est,

Magnus Albertus.

Sententia propria.

3

4 &c. Pro cuius explicatione considero Quartò, quod Aristot. in 4. Metaph. Contex. 3. inquit: idem est homo, ens homo, & unus homo, ex quo elicio, quod per eandem causam est homo, ens homo, & unus homo, & quia homo habet esse per formã, ideo per formam est homo, & unus homo, & ens homo, & hoc indicat Aristot. inquiens; Cum ens, & unum multipliciter dicantur, nam dicuntur secundum se, & ex accidenti, potestate, & actu, quod propriè, secundum se, & principale est, actus est, & propterea per actum, compositum est Animal, & unum Animal, ex quo elicitur, actum, & formam, esse principale principium indiuidui: nam forma una cum definita materia, tanquam cum causa sine qua non, constituit indiuiduum, seiuncta autem, per uarios gradus abstractionis, constituit uarios gradus uniuersalium. Considero Quintò,

Quomodo ens, & unũ dicãtur multipliciter.

5 entis, & unius, uarias esse distinctiones: nam diuiduntur in substantiam & accidens; Insuper, in decem Prædicamenta, in simplex & compositum, quæ distinctiones ad rem non faciunt, illę quę inseruiunt pro difficultatis solutione, sunt actus, & potentia, secundum se, & per aliud, nam actus propriè, & secundum se est unus, & ens, & est causa & ratio quod compositum sit tale, adeò, vt actus sit secundum se, & tanquam causa, compositum verò per participationem, & per aliud. Considero Sextò, quod

Distinctiones entis, & unius.

6 actus ab Aristot. dicitur propriè ens. & vnum, quod est dubium; Primò, quia ens est concretum deductum ab esse, siue essentia; Similiter, vnum ab vnitate, ideò non videtur competere formæ, quæ simplex est; Pro Solutione accipio, ens vsurpari dupliciter;

Quo actus sit propriè ens, & unũ.

citer; Primò latè, ut contradistinguitur à nihilo, & ita forma est maximè ens, secundariò compositum, tertiò materia. Secundò, vt est vox concreta, in qua significatione compositum est ens, Materia autem & forma, & maximè omnium Deus, non sunt entia, sed principia entis; Distinctionem hanc denotauit Aristot. in primo Phys. 70. inquiens: Vnum autem materia, non sic vnum, nec ita ens, vt hoc aliquid; hoc est, materia dicitur ens, & vna; at, non per denominationem, vt compositum; hinc Aristot. frequenter nomine entis compositum denotat, & hoc in loco, dum ait, quod forma est propriè ens, & vnum, id propriè non debet referri ad proprietatem uocis, quę concreta est, sed ad causam, & ordinem; Et præsertim etiam de ente, & vno euenit, vt cum denominante, tum de denominato dicantur, quia sunt communissima, non vniuocè, nec æquiuocè, sed ab vno, & ideo ordine quodam de vtrisque dicuntur. Insuper cum forma dicatur præsertim causa vt cætera sint entia, & vnum, etiam dantur causæ aliæ, inquit enim Aristot. in 4. Metaphys. tot vnius, quot entis nimirum compositi esse causa, nam eorum distincto genere quatuor sunt causæ.

Ens duplicitèr vsurpatur.

Aristot.

EXPLICATIO DEFINITIONIS ANIMÆ.

QVONAM definitiones sunt rerum essentiæ, & principia distinctę cognitionis, propterea singulę accuratè sunt perpendendę, & præsertim ea Animæ, ob præstantiam, vtilitatem, & difficultatē eius; & à nomine ordiens, Animus, & anima deducta sunt à nomine Græco, ἄνεμος, quòd spiritum, & tenuem sanguinem denotat, vel, quia nominis conditor Animam censuit esse spiritum, vel, quia cum spiritu eximia affinitate iuncta est, à Grecis dicitur Ψυχὴ à nomine Ψυχὸς, quod denotat frigus, vel ita nuncupata ab illis, qui animam putarunt esse Aquam, ut dicitur in 1. de Anima, 36. uel, ut putant Arist. & Plato in Cratilo, quia est causa vt viuens spiret, & egeat refrigeratione. Animam sequitur, ζῶν; ideſt uitā, ita dicta, à uerbo ζῶ hoc est, feruore, quia uita in corde cum feruore caloris iuncta est. Academici mentem nuncupant Solem, Animam rationis compotem lumen, vitam splendorē, naturam vmbram. Progrediendo à nomine ad definitionem, accipio primò ex 2. Metaphys. & 1. Nicomachiorum, quoduis definibile secum deferre proprium suæ definitionis modum, quo nos cōtenti esse tenemur, ideo indagantes communem definitionem Animę, eam debemus approbare, quæ conditioni eius est apta competere, & ea iudicanda erit perfecta in suo genere, quamuis non sit perfecta absolutè. Accipio secundò, Animæ mortalium uniuersè sumptæ, nō esse aptam competere definitionem absolutè perfectam, primò quia exactę difinitiones sunt compositorum, directè collocatorum sub genere, non simplicium & Principiorum, qualis est Anima; secundò, quia exactissimæ definitiones sunt postremarum specierum, absolutè perfectarum, non communium generum; tertiò, quia sunt vniuocorum, quæ uerè sunt natura una, non eorum quæ sunt ab uno, ut Anima; Iure itaque Auerroes in 7. Metaph. 40. & in 8. Metaph. 9. inquit Animam non esse aptā exactè definiri; Accipio tertiò, ex 6. Topicorum, definitionem esse eandem cum definito, & debere ei respondere; propterea, cum Anima sit commune ab uno, talis quoque esse debet eius definitio; Accipio quarto, Animam differre à mente: nam mens est aliquid absolutum, & non dicitur esse alterius, Anima uerò alterius est, nam animari est Anima, & propterea per illud aliud definiri debet, in quo est, nimirum, per corpus Physicum, & hoc seruari debet, cum ratione rei definiēdæ, ut patuit, tum, ratione modi considerandi, qui cum sit Physicus, non est sine materia; Dum definitur id quod est in alio, pro concreto materia fungitur officio generis, vt viuens est corpus, Anima præditum; At, dum definitur pro abstracto, explicans formam, est genus, materia uerò differentia; Anima itaque, sumpta pro forma, & pro abstracto, re-

Definitiones accuratè cōsiderandè.

Nomen Animæ.

Definibile secum defert propriū definitionis modum.

Anima non est apta definiri exactè.

Auerroes.

Definitio eadem est cum definito.

Anima à mente differt.

ctè dicitur entelechia, hoc est, actus, & perfectio, explicans formam, attinentia uerò ad materiam, & ad corpus, funguntur officio differentiarum, communem formam contrahentium, & quemadmodum Anima est commune ab uno, ita commune genus eius; At, perpendamus id commune genus quod ab Aristot. dicitur ἐντελέχεια; Ait Cicero in 1. Tuscul. & Academicarum qq. id nomen denotare perennem motū, ideo inquit: Cum Arist. nouisset Animam non esse vnum aliquod quatuor corporatorum Elementorum, iudicauit esse essentiam quandam quintam, ex qua Cœlum & Stellæ constāt, quam nouo nomine entelechiam appellauit, ut denotaret motum perennem, & continuum, quod nomen præsertim competit menti, hæc Cicero. quem sequuntur alij, qui aiunt deduci ab enteles echin, quod est integrum, minimeque interruptum habere. Profectò, nil dici potest cum Aristot. pugnantius, & nedum Græci omnes, uerum etiam potiores Latini interpretes, longe secus, & longe rectius sentiunt; fuit Cicero flumen eloquentiæ, & splendor Latinæ linguæ, at in referenda sententia Aristotelis frequenter labitur; Primò conspicuè decipitur, numerans Animam inter corpora, cum dicat constare ex quinta essentia, ex qua Cæli & Stellæ constant; Secundò, inquiens Arist. usum nouo nomine pro denotanda essentia Animæ, cum tamen conspicuè Arist. nomine entelechiæ statuat communissimum, pro denotando quouis actu, vel substantiæ, vel accidentium; tertiò, non primò id nomen tribuit menti, sed vniuerso generi formarum, & de mente dicet, quod nullius corporis est actus; quartò conspicuè Arist. in 1. de Anima disputat aduersus Platonem, tribuentem motum Animæ; quintò si Anima est essentia quinta, non igitur est perennis motus, qui est accidens; sextò, si Anima est motus perennis, igitur non est actus primus, sed secundus; septimò, cum Deus in 12. Metaph. 49. dicatur entelechia prima, Deus esset perennis motus; octauò, cum in 3. Physicorum motus vniuersè sumptus dicatur entelechia, tunc motus omnis definiretur quod esset perennis motus, quod conspicuè est falsum; nonò, cum entelechia in principio eiusdem libri distribuatur in decem Prædicamenta, tunc cuncta dicerentur fluere, & in motu esse posita; decimò; perennis motus non diuiditur ut entelechia in primum & secundum; mitto alia, nam error est conspicuus, & qui pro Cicerone hac de re pugnant, leuissima dicunt. Tria forte fuêre ob quæ Cicero minus rectè sensit; primò, non recta nominis scriptio facta per δ. secundò, sententia Platonis, & studium conciliandi; tertiò, consensio cū Stoicis, quos maximè sequutus est, illi autem Animam putarunt esse tenuissimum corpus. Colligamus itaque, entelechiam denotare non perennem motum, sed actū omnem vniuersè sumptū, siue substantia, siue accidens sit, quod nomen denotat uel perfectionis comprehensionem, ut ait Budæus, vel quod vnam perfectionem habeat, vt ait Philoponus, quod parum refert. Consuecuit Arist. formas separatas magis energias nuncupare, quia sunt sui essentia actio, iunctas uerò cum materia, entelechias, quamuis ea voce etiā in separatis utatur; At oritur dubitatio, quia Arist. in calce 8. Metaphys. inquit, ens, & vnum, non esse in definitionibus accipienda, cum sint communia cunctis; Respondeo, non esse accipienda in exactis definitionibus, at, in vniuersè sumptis, posse accipi; insuper, non debent accipi sine contractione, at, cum contractione; præterea, non debent accipi pro genere proprio, sed pro circumscriptione & resolutione eius, ut seruat Arist. Sequitur in definitione, (Primus) Actus quinque modis potest dici primus; primò absolutè, ut in 12. Metaphys. 49. huiusmodi est solus Deus; secundò, comparando genera materiatarum formarum, sic substātia primus actus est, accidentia, secundus, vt in 7. Metaph. Contextu 4. tertiò comparando inuicem formas substantiæ, sic formæ Elementorum sunt primi actus; quartò, comparando gradus Animæ inter se, & sic Anima nutriens, est gradus primus, & tactus inter sensus; quintò, facta comparatione inter formam, & opera eius, ac ita Arist. modo inquit Animam esse actum primum, excludendo opera, quę nec sunt essentia tota, nec ad essentiam pertinent; Cum Anima sit actus, patet ratio cur ex ea

Entelechia.

Cicero.

Euersio.

Cur Cicero deceptus fuerit. Sententia propria.

Dubitatio. Solutio.

Actus primus.

Quid elicitur.

& cor-

& corpore fiat unum; cum ſit primus, excluditur ſententia dicentium eſſe numerũ ſe mouentem; & cum ſit actus primus, indicatur quod ſit principiũ ſecundi, & quod ſit forma, finis, & efficientes. Occurrit inſtantia, quia in 3. de Anima, Contextu 5. Mentis conditio dicitur, ut ſit omnia poteſtate; Reſpondeo, id eſſe uerum, per relationem ad obiectum, non ad ſubiectum, At, hoc etiam dubitatione non caret, quia in Contex. 14. huius libri dicetur, mentem nullius corporis eſſe actum; Reſpondeo, nullius corporis, hoc eſt, nullius corporati inſtrumenti; Præterea, non eſt actus corporis ut materiata forma, ſed vt nauta, ex ſententia Ariſt. Inſuper inſtatur, quia diſpoſitiones, & formæ mixtorum conſimilium in corpore uiuente, ſunt actus priores Anima; Reſpondeo, regulas, definitiones, & enunciationes abſolutè prolatas ſemper debere intelligi ſecundum ſe, ut nos docet Ariſt. ſecundum ſe autem accipiuntur dum intelliguntur cum reduplicatione; hoc ſeruari debet in hac definitione; Anima itaque eſt actus primus corporis Phyſici, uiuentis, vt tale eſt, corpus autem Phyſicum uiuens, ſubſtantia eſt, hinc excludunt antecedentes diſpoſitiones, quę ſunt accidentia; Præterea, corpus Phyſicum organicum, vt tale, Animatum eſt, formæ mixtorum conſimilium, non ſunt actus eius, vt animatum eſt; Per hæc quæ dixi, reijcitur quorundam ſententia, dicentium definitionem eſſe diminutam, & debere addi, quod ſit actus ſubſtantialis; hoc non eſt dicendum, quia ſat eſt rectè intelligere definitionem, & inde refulgebit, quod ſit actus ad ſubſtantiam pertinens, ut dixi. Additur tertiò, (Corporis) ut refulgeat diſtinctio ab habitibus animi; inſuper, vt definitio reddatur Phyſica, & Anima per id definiatur cuius eſt anima, vt faciendũ dixit in Proœmio primi libri; Quartò dicitur Phyſici, pro diſtinctione à corpore Artificioſo, cuius artificioſa forma, eſt actus primus, & cum ſit actus corporis Phyſici, & internum principium motus eius, etiam eſt natura, & pertinet ad Phyſicum. Occurrunt dubia; Primum eſt, quia mens non eſt natura, ex 1. de partibus animalium; Alterum, quia plantæ per artem agriculturæ ſunt corpora artificioſa, cum tamen anima nutriens ſit prima earum perfectio; Prętерea, dicebant Aegyptij & approbabant Iamblichus, Proclus, Porphyrius, & alij viri celebres, poſſe arte formari ſtatuas ex definita materia, ſub definitis ſyderum aſpectibus, quæ Animam attraherent; hinc naturam dixere magam, ac ita Anima earum erit prima perfectio corporis artificioſi; Demum, corpus Phyſicum includit accidentia, per quę non eſt definienda ſubſtantia. Diluuntur hæc dubia; de primò dico, mentem dupliciter conſiderari; primò, ut eſt mens, ac ita non eſt natura, nec attinet ad Phyſicum; ſecundò, ut redditur particula Animæ, & vnà cum ea fungitur eodem officio, qua conſideratione participat conditionem naturæ, & eſt actus Phyſici corporis; de plantis arte elaboratis, dico, eas abſolutè eſſe corpora Phyſica, artẽ ſolum addere diſpoſitionem, ordinem, & accidentia. Ad id de ſtatuis allicientibus Animas, primo dico, eas ſtatuas eſſe corpora Phyſica, & artem ſolum addere accidentia; dico ſecundò, allicere non animas, ſed potius Dæmones; addo tertiò, Dæmones non eſſe actus primus earum, ſed ſolum inſinuari, ut etiam patet de hominibus vexatis à perniciosis ſpiritibus, in quibus ſunt Dæmones, non vt primi actus, ſed per ſolam connexionem, & inſinuationem; demum addo, apud Ariſtotelem id nullius eſſe roboris, quia Dæmones non nouit; Addebatur, corpus Phyſicum includere accidentia; Reſpondeo, ea quidem includere, non pro eſſentia, ſed pro exiſtentia, à quibus Phyſicus definiens abſtrahit; quinto loco additur, (Organici) pro diſtinctione à formis mixtorum conſimilium; hæc eſt differentia poſtrema, quæ in 7. Metaphyſicæ 43. dicitur totum id quod res eſt, & propterea ſupra hanc particulam præſertim debet cadere reduplicatio; Quid ſint inſtrumenta, patet ex 1. de hiſtoria Animalium, nam ſunt Membra quæ dicuntur partes viuentium diſſimiles, paratæ pro munerum functionibus; hinc legitur in 2. de partibus Animal. paſſiones fieri per ſimilia, actiones per diſſimilia; indicatur per hanc particulam, Animam non debere otio torpere, ſed teneri ſuo munere fungi. Occur-

Dubitatio. Solutio.

Euertitur ſententia quorũdam.

Corporis. Phyſici.

Dubitationes.

Solutiones dubitationũ propoſitarũ.

Organici.

Dubia. runt hæc dubia; primum, Anima est actus etiam corporis non organici, vt carnis, & neruorum, immò proximè nectitur cum spiritibus non organicis; alterum, nullus artifex debet per sua instrumenta definiri, cum sint extra essentiam eius; tertium, mens

Solutiones. non est organica; De primo, inquiunt nonnulli, nullam esse corporis viuentis partē, quæ non sit organica, alioquin non nutriretur, & omnis pars est prædita poris, & spiritibus, quæ instrumenta sunt; hi conspicuè aduersantur Aristot. qui in 1. de historia Animalium, cap. 1. tum in 1. de partibus, cap. 1. partes diuidit in organicas, & consimiles, nam est necesse in confiatis ex varietate partium, deuenire ad consimiles, organa nuncupantur membra, at non omnes partes membra sunt. Dicamus itaque, Aristotelem in singulis viuentibus considerare Animam totam, tanquam perfectionem vnā, eamque referre ad totum corpus, tanquam totum quod perficitur, propterea inspiciendum est totum, & integrum quod perficitur, & principale est, Anima est perfectio non spirituum, sed vniuersi corporis; vnà cum spiritibus, & vniuerso primo, & propriè tribuit esse, & ideo per illud est definienda, non per partes; Addebatur, artificem non definiri per instrumenta; Respondeo, Animæ & Artificum distinctam esse rationem, nam Artifex non est forma suorum instrumentorum, ideo non est per ea, ut per materiam definiendus, Anima verò nedum eis vtitur, eorumque est finis, verum insuper etiam est forma. Instantia sumpta ex mente, soluitur, dicendo, definitionem ei cō petere, non ut contradistinguitur ab Anima, sed, vt eius est particula, nos autem totā teneamur inspicere; his addo, quod quamuis mens proximè non utatur organo, maximè tamen est organica, cum præsit uniuerso corpori, & singulis facultatibus eius; Di-

Potestate vitam habentis. cebatur etiam in definitione; (potestate vitam habentis,) pro cuius explicatione tria sunt declaranda; primò, quodnam sit huiusmodi corpus, potestate vitam habens; secundò, quæ vita, & potestas denotetur, tertiò, num hæc sit differentia distincta ab organico, & vnà cum ea accipienda pro integra definitione. Quærebatur primò, quid denoteretur per corpus, potestate uitam habens? dicunt quidam, denotari corpus viuentis, contradistinctum ab Anima, ex quo, & Anima, consurgit uiuens: nam id est materia per quam definienda est Anima, quæ forma est; Ex aduerso, Themistius, Simplicius, Philoponus, & Auerroes, putant denotari compositum, actu uiuens: nam forma per id debet definiri cuius est forma, eius autem dicitur propriè esse forma, cui largitur esse, dat autem esse composito, non materiæ, hinc rectè ait Themistius: Forma tametsi in materia producitur, non tamen materiæ largitur esse, sed composito:

Formā non dat esse materiæ. nam ut ait Alexander, materia non eget forma ut sit, sed ut actu subsistat. Idipsum dicitur à Philopono, Contex. 9. & Aristot. in 2. Contex. dixit, compositum per formam esse hoc aliquid, Anima itaque, non est actus primus suæ materię, sed compositi, cuius operatio est actus secundus: nam actus primus, & secundus, eiusdem esse debent; Hæc etiam fuit sententia Plotini, qui Enneade 2. lib. 5. capit. 2. ait: Neque id quod est potestate, fit id, quod est actu, sed ex eo quod potestate prius erat, fit quod posterius est actu: nam quod actu exstitit, compositum est, ideo forma, compositi forma est; Hoc conspicuè affirmauit Aristot. Contex. 10. inquiens: potestate uitam habens, non est id quod caret Anima, sed quod eam habet; Præterea ait, idipsum esse potestate uitam habens, quod organicum, at, organicum includit Animam, non enim organum est sine Anima, ut dicitur in 7. Metaphys. 35. & in calce 4. Meteorum.

Dubitatio. At instatur, quia si actu uiuit, cur dicitur potestate uitam habentis, ideò Themistius ait, uiui; Philoponus ait denotari potentiam actui iunctā: nam currens dicitur posse currere, in libro de Interpretatione. Hæc sunt dubia quia in definitionibus enitendum, vti uocibus propriis; Insuper addit Philoponus, & approbatur à Simplicio, ita dici, ob corporis conditionem, cui uita non coæua & propria est, sed aduenit; Hoc etiam est dubium, quia aqua feruens, absolutè dicitur actu calida, quamuis fer-

Solutio propria. uor non sit eius proprius; Proptrerea puto dicendum, Aristot. dixisse, (potestate vitam habentis,) denotando potestatem ad actum secundum, qui non semper est Ani-

mæ

mæ iunctus, semper tamen est potestas apta illum producere, siue producat, siue non producat, ut homo semper est risibilis; hoc confirmo: quia Anima per eius opera est patefacienda, opus eius est uita; Insuper, Aristot. in præcedentibus circunscribens uiuere, id declarauit per actum secundum, inquiens esse, nutriri secundum se; demum hoc patet: quia Aristot. id explicat per organicum, at organicum ut tale est, refertur ad eius officia; Et dum forma definitur per compositum, etiam dicitur definiri per materiam in eo inclusam, & per eam definitur ut per notius. At, occurrit instantia, quia sic idem definiretur per idem, & Anima acciperetur in sui definitione; Laborauit Alexander pro soluenda hac instantia, & in 2. Natur. qq. cap. 3. tres affert solutiones; primò ait, fuisse sumptum (potentia uiuens) non ut partem definitionis; sed ut inde colligeretur organicum; solutio nulla est, quia etiam organicum includit Animam; secundò ait, per (potestate uitam habens,) non declarari quid sit Anima, sed quale sit corpus; Hoc etiam non satisfacit: quia si explicat corpus, etiam explicat Animam, quæ per id corpus definitur, & circulatio consurgit ex Anima in Animam; addit tertiò: per uitam, denotari, non Animam, sed actum secundum, at, cum denotetur actus secundus, per hoc non soluitur dubitatio, quia corpus potestate illum habens, & etiam organicum, includunt Animam; & iam dixi denotari uiuens, actu includens Animam, quare idem per idem definitur. Propterea dicamus, in descriptionibus principiorum non esse absurdum, ut definitum modo aliquo notiore includatur in descriptione eius, ueluti abstractum, definitur per concretum; natura per corpus Physicum, in quo includitur; principia per composita, ea enim cum sint confusa, sunt nobis notiora, per quæ noscuntur principia, ut dicitur in Proœmio 1. Physic. Secundò explicandum proponebatur quam uitam denotet Aristot. inquiens (potestate uitam habentis,) nonnulli putant denotari uitam pertinentem ad Animam nutrientẽ, nam in præcedentibus hanc descripsit, hoc approbandum non puto: quia Anima uniuersè sumpta, est principium uitæ, sumptæ uniuersè, actus autem nutritionis, est proprius partis, non totius, ideo dicet Aristot. in Contex. 13. quod uiuere dicitur multipliciter, & quicunque gradus Animæ adsit, id cui competit, dicitur uiuere; Puto itaque denotari uitam indefinitè sumptam, respondentem Animę, & gradibus eius indefinitè sumptis; In præcedentib. fuit satis Arist. declarare gradum primum vitæ singulis competentem, reliquos in progressu explicaturus est. Tertiò quærebatur, num ambæ illæ partes in definitione sint accipiendæ, nimirum, (potestate uitam habens, & organicum;) Censuit Simplicius esse sumendas ambas, & denotare duo distincta animæ officia; Primum est, formare instrumenta, denotatum per Potestate viuens; Alterum, eis uti, denotatum per Organicum; Hinc Aristot. vtrãque partem retulit, & in progressu explicabit; Ex aduerso Alexander in 2. Natur. qq. Cap. 8. Themistius & Philoponus, aiunt, sat esse, partem vnam accipere; quam sententiam ueriorem puto: nam Aristot. tradens animæ definitionem, formam, transtulit in entelechiam, & postremo, uitam habens, in organicum, inquiens: hoc autem est, quod est organicum, indicans has voces idem denotare; & hoc patet: quia inuicem reciprocantur; Insuper Aristot. nunquam simul ambas in definitione assumpsit, sed modo vnam, modo alteram; Præterea, regulam tradit Aristot. in 2. Poster. quam primum definitio reciprocatur cum definito, quiescendum esse, at, quauis earum partium posita, statim definitio cum Anima reciprocatur, quare altera non erit addenda; ex eadem regula etiam elicitur in definitione, non debere accipi duas partes, quæ inuicem reciprocentur, at, organicum, & potestate vitam habens, inuicem reciprocantur; Aristot. de vtriusque fecit mentionẽ, vt ex vno colligeret alterum, ut rectè dixit Alexander, nam ex potestate viuente, tanquam ex effectu, & notiore, infert organicum, & hanc particulam magis videtur approbare, cum loco postremo in definitione eam sumpserit, & collegerit: nam quia corpus est organicum, ideo est facultate præditum fungendi muneribus vitæ. Nec ratio à Simplicio relata obest, quia quamuis Anima

Dubitatio.

Alexander.

Solutio prima.

Quæ vita denotetur.

Viuere multiplex.

Tertia principalis dubitatio.

Simplicius.

Alexand.

Approbatio

Soluitur ratio Simplicij.

redditur particula animæ,& fungitur officio mortali. Quærebatur ſeptimò,& octauò,num ex definitione tradita eliciatur mentem eſſe mortalem, & formare corpus? Reſpondeo,minimè elici,vt conſpicuè dicet Philoſophus in Cont.11. & præſertim, quia definitio non competit humanæ menti ſecundum propriam conditionem, quia ſic non attinet ad Phyſicum, ſed modo ſæpè repetito. Dicebatur nonò, ex ſententia Plotini,definitionem hanc patefacere quid anima faciat, non quid ſit. Reſpondeo, cum dicatur eſſe actum primum,& addantur cætera patefacientia cuius ſit actus, rectè declaratur & quid ſit,& cuius,nam perfectibile patefacit conditionem perfectionis, & uita quæ eſt opus eius, explicat principium ſuum: & quemadmodum anima eſt commune ab uno, ita actus primus; & cum anima ſit uiuentis anima, rectè per id definitur;& cum ſit pars compoſiti,rectè per compoſitum nobis notius manifeſtatur; & cum definitio ſit rectè tradita, ex ea eliciuntur ſolutiones difficultatum, & ſeruantur ea quæ communi conſenſione ei conueniunt; Elicitur præterea, eam non eſſe corpus, ſed aliquid eius, non eſſe accidens, ſed formam ſubſtantiæ,non muneris functionem,ſed principium eius,& elicitur ratio,cur ſecundum ſe nectatur cum corpore,& cur id quod conſurgit,unum ſit,adeò, ut in ea nil debeat à Peripatetico deſiderari. Veteres eam circumſcripſere, uel per cognitionem, uel per motum, uel per tenue corpus,ut dicitur in 1.de Anima, animus rectè; nolo autem modo uerſari in referendis definitionibus ab alijs traditis. *Dubitatio. Plotini. Solutio.*

VNIVERSE igitur dictum eſt quid ſit Anima,ſubſtantia enim eſt quæ ſecundum rationem, hoc autem eſt, quod quid erat eſſe huiuſmodi corporis,ueluti ſi aliquod organorum Phyſicum eſſet corpus, ut dolabra, eſſet enim dolabræ eſſe, ſubſtantia ipſius & Anima hoc, ſeparata autem hac, non amplius dolabra eſſet, niſi æquiuocè, nunc autem eſt dolabra, non enim Anima eſt huiuſmodi corporis quod quid erat eſſe, & ratio, ſed Phyſici huiuſcemodi, habentis in ſe principium motus, & ſtatus. *Contex. 8.*

DATA communi animæ definitione, conſilium Philoſophi modò eſt, primò illam duobus exemplis patefacere,manifeſtando quomodo ea ſit actus corporis organici,mox declarare quale:num ſit corpus illud organicum quod dicebatur poteſtate uitã habere; In hoc Cont. habemus exemplum primum ſumptum ex inſtrumento artium,cum ſuppoſitione quod ſit corpus Phyſicum, per quod refulget quid anima non ſit. Diuiditur Contex.in duas partes; in prima profertur per modũ Epilogi id quod eſt comprobandum;in altera id comprobatur exemplo dolabræ;Inquit in prima parte,dictũ eſſe uniuersè quid eſt anima, uniuersè ait, non quidem uniuocè, ſed ab uno, & cum uarietate aliqua: nam dictum eſt ſubſtantiam illam eſſe, quę eſt rei ratio, nimirum forma; & explicans quomodo ſit rei ratio, inquit, quod eſt quod quid erat eſſe, ita definitur forma in 2.Phyſic.nam eſt id quod res eſt, natura rei eſſentia rei, & id quod per definitionem explicatur; Veluti ſi aliquod organorum eſſet corpus Phyſicum,ut Dolabra, &c. utitur exemplo ex artificioſis ſumpto, quæ nobis ſunt notiora, & cum ſint imitationes Phyſicorum, patefaciunt Phyſica,indicat quid non ſit,quia facilius eſt noſcere quid non ſit unumquodque, quam quid ſit; utitur ſuppoſitione, ſi eſſet corpus, & inſtrumentum Phyſicum, eſſet dolabræ eſſe, ſubſtantia eius, & anima, hoc, nimirũ prima perfectio corporis eius, & ſeparata anima à dolabra,non amplius dolabra eſſet, niſi æquiuocè, ut caput defuncti; Addit, nunc autem eſt dolabra; remouet, *Intentio. Diuiſio. Expoſitio.*

remouet modo suppositionē, inquiens quod nunc, hoc est absolutè, quamuis careat anima, est dolabra, quia Anima non est actus corporis artificiosi, sed Physici, prędicti interno principio motus & status.

ANNOTATIONES.

Prima Annotatio. CONSIDERO primò, quod anima dicitur ratio, substantia, & id quod est uiuens: nam forma est essentia propria rei, quæ per definitionem explicatur, quæ relata ad compositum, dicitur ratio per quam est id quod est, & unum est, relata uero ad affectiones, est ratio per quam competunt subiecto, & de illo demonstrantur. Inquit Simplicius, quod anima potius dicitur ratio, quam forma: nam forma est eminentior, est individua, & menti competit, ratio uerò respondet animæ cum quadam diuisione, & progressu ex uno in aliud; At, ipse more suo, sententias Academicas cum Peripateticis permiscet: nam hoc in loco non accipitur ratio ut contradistincta à forma, sed ut explicans formam, & tanquam formę definitio, ut patet ex secundo Physic. hinc Arist. primo sumpsit formam, quam mox explicauit per actum, substantiam, rationem, & id quod res est. Considero Secundò, magnam esse connexionem animæ cum instrumentis; anima enim formar instrumenta Physica, utitur eis, & est finis eorum, & ratio, siue mens hominis, quæ supra instrumenta est collocata, per manus producit instrumenta Artificiosa, & eis utitur, ideo iure anima per instrumenta Physica, ab ea formata, quæ etiam cum ea reciprocantur definita est, & modo per eadem explicatur. Considero Tertiò, quod Aristot. inquit Animam esse perfectionem corporis non artificiosi, sed Physici, in quo est principium motus & status: nam omne corpus Physicum est prædictum huiusmodi interno principio, præsertim tamen uiuens. Ratio est: quia in non uiuente unicum est principium motus, cum unica in eo sit forma; At, in uiuente duplex motus principium reperitur; Unum est natura infra animam collocata; Alterum est Anima quæ etiam natura dicitur, adeò, ut modo per unum, modo per alterum principium animalia moueantur, dum canis ruit, mouetur per primum principium, dum ambulat per alterum; In homine etiam reperitur principium tertium, quod refulget, dum arte mouetur, & saltat, id tamen non est natura, sed ars. Considero Quartò, cum Arist. dicat: nunc autem est dolabra, quod Auerroes minus rectè ea uerba exponens, digreditur, explicando quid nomen concretum primò denotet, quod cū ad rem non faciat, & alibi de eo sim loquutus, nunc silentio prætereo. Ratio autem quæ ex Contex. elicitur, ita formatur: Si dolabra esset corpus Physicum, instrumentarium, Anima eius esset prima perfectio corporis Physici organici, at, anima est id quod esset in dolabra, si ea esset corpus Physicum instrumentarium, quare, &c. Sed quia dolabra non est corpus Physicum, ideo perfectio prima eius differt ab anima, & sine anima est dolabra.

Simplicius

In homine tria sū. principia motus.

Ratio.

Contex. 9. *CONSIDERARE autem & in partibus oportet quod dictum est, si enim esset oculus animal, anima utique eius, unius esset, hæc enim substantia oculi est, quæ secundum rationem, oculus autem materia uisus est, quo deficiente, non amplius est oculus, nisi æquiuocè, ut lapidius, aut pictus, oportet autem accipere quod est in parte, in toto, uiuente corpore, consimili namque ratione se habet, ut pars ad partem, & totus sensus, ad totum corpus sensitiuum, ut huiusmodi est.*

ALTERO

ALTERO exemplo ſumpto ex inſtrumento Phyſico, patefacit Philoſophus Animam eſſe perfectionem primam corporis, Phyſici, organici. Ambo ſunt ex ſuppoſitione; Primum quod ſit Phyſicum; Alterum quod ſit Animal, vt id per quod oſtenditur, appareat diſtinctum ab eo quod oſtenditur. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima ſumpto oculo ſupponit quod ſit animal; In altera rationem analogicam format; Inquit conſiderare in partibus oportet quod dictum eſt; indicans rationem peti poſſe ex omni parte, ſelegit tamen oculum, & ſupponit eſſe Animal, integrum, & totum, quo ſuppoſito, inquit, videndi facultatem eſſe Animam eius, idque oſtendit: quia ea facultas eſſet eius forma, quæ dicitur ſubſtantia ſecundum rationem, ut apparuit, oculum uerò hoc eſt attinentia ad corpus, eſſe materiam; quod corpus deficiente facultate uidendi, non eſſet oculus, niſi æquiuocè, ut pictus, & lapideus; Aſſumpto hoc tanquam conſpicuo, formar rationem Analogicam hunc in modum; Vt pars ad partem, ita totum ad totũ, ſed uis uidendi quæ eſt pars, eſt forma, & perfectio prima partis, igitur Anima tota ſentiens, eſt perfectio prima totius corporis ſentientis, ut ſentiens eſt.

Intentio.

Diuiſio.

Expoſitio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Ariſt. ex partibus Animalis iure optimo ſeligit oculum, nam eſt pars externa, conſpicua, præſtantiſſima, maximè patefaciens conditionem Animæ, hinc Animorum feneſtra nuncupatur, & eſt tanquam totum quoddam ſeiunctum, rotunda figura prẽditũ, quod proprio mouetur motu, & muneris functio eius eſt ſpiritalis, maximè propria animę. Conſidero Secundò, ſupponi quod ſit Animal; at dices, nonne Animal eſt? nam ex forma ad formatum conſequutio eſt neceſſaria ex 2. Poſter. ueluti adeſt forma Aquæ, igitur eſt Aqua. Et in 1. de Anima aduerſus Platonem inquit Ariſt. non dicere Animal, id cui ineſt Anima, abſurdum eſt. Reſpondeo, Animal denotat totum, perfectum, & abſolutum, quod nomen parti non competit, ſed ſolum dici poteſt animata, viuens, & ſenſu prædita. Similiter, Anima denotat totum quoddam, & formam integram, vis videndi, non Anima, nec abſolutè forma eſt, ſed pars, & facultas Animę & portio formæ; ſic à forma tota, ad formatum, & à parte formæ, ad partem formati conſequutio eſt neceſſaria. Conſidero Tertiò, dum Ariſt. Primò ait: Si oculus eſſet Animal, uis uidendi eſſet Anima eius, per oculum denotat aggregatum ex parte corporea, & facultate uidendi, & per facultatem uidendi denotat non facultatem ad bene videndum, ex temperamento prodeuntem, ſed facultatem animæ ad uidendum abſolutè; dum uerò mox ait: Oculus materia uiſus eſt, ſiue eius facultatis, per oculum denotat partem corporis oculi, contradiſtinctum à facultate uidẽdi, ut rectè Alex. & Philoponus expoſuerunt; Simplicius tamen putat denotare cõpoſitũ, conſtitutũ per facultatẽ formatricẽ contradiſtinctã ab utente: nã more Academicorũ Aĩam diſtinguit in formantẽ, & formato vtentẽ; At, ex ſnĩa Ariſt. eiuſdẽ facultatis Animę officium eſt, formare inſtrumentum, & formato vti. Conſidero Quartò, Ariſtot. vti ratione Analogica, ex rationum ſimilitudine deprompta, quæ etiam reciprocatur: nam vt pars ad partem, ita totum ad totum, & vice verſa, vt totum ad totum, ita pars ad partem, vt inquit Ariſtot. in 1. de hiſtoria Animalium, cap. 1. Ratione hac Analogica illuſtrantur obſcura, hinc Ariſtot. in 1. Phyſic. 69. ait per eam declarari materiam, & per eandem ſæpè manifeſtatur Deus, dicendo, quod eſt vt Sphæra, vt Centrum, ut Sol, & ſic de multis. Conſidero Quintò, quod cum Ariſtot. dicat, Vt pars ad partem, &c. Quæri poteſt, quam partem denotet, & quæ pars ſit uis uidendi? Reſpondeo, facultatem uidendi poſſe dici partem vt eſt facultas Animæ, contradiſtinctam ab alijs, hoc tamen in loco denotari partem extenſionis, contradiſtinctã à tota

Cõſideratio prima.

Cur utatur exẽplo oculi.

2 *Solutio.*

An oculus ſit Animal.

3

4

5 *Vis uidendi quæ pars ſit.*

Anima

Duo elicium tur. Anima effusa per totum Corpus; Ex quo duo eliciuntur; Primum est, quod Anima ex materia pendens, non est tota in quauis parte, sed tota in toto, & pars in parte, vt suo loco patefaciam; Elicitur Secundò, potentiam Animæ esse ipsammet eius essentiam, alioquin non ὄψις hoc est vis uidendi esset Anima, sed id, cuius esset uis. Consido Sextò, aduersus hanc rationem uarias afferri instantias: nam Primò Aristot. *Instantia.* 6 uidetur progredi ex ignotiore, pars enim est ignotior toto; Præterea, sicut se habet de parte, ita de toto, Mens quæ est pars, est separabilis, & extrinsecus accedit, igitur & tota. Præterea, si ratio reciprocatur, dicam ego, tota Anima est perfectio totius hominis, igitur Mens quæ est pars, est perfectio partis eius. Demum, tunc Anima nutriens quæ est pars Animæ animalium, & sensus tactus, erunt perfectiones non totius, sed partis Animalium, quod tamen abest a uero. *Solutio.* Pro Solutione dicendum Primò, has non esse Demonstrationes, sed rationes probabiles, & exemplares explicationes; Addendum Secundò, rationem Analogicam in Mathematicis necessitatem includere, & præsertim ut pertinet ad Oppositiones, in Physicis uerò, ob uarietatē materiæ frequenter esse inconstantem; Addo Tertiò, rationem habere uim de partibus quæ sint eiusdem rationis, ut pertinet ad id de quo est sermo, & cum hac reduplicatione, ut partes sunt illius totius; Ex his elicio Solutiones. Instabatur Primò, quia totum est notius nobis, partibus. Respondeo, id non semper esse uerum, nam in 2. Poster. docet Philosophus, ex partibus nobis notioribus colligere definitionem totius per compositionem, sic in conficienda abstractione partes sunt nobis notiores, facta autem abstractione, contra se habet. Insuper, totum ut consimile, est notius, & magis mouet sensum partibus, at, dum fuerit dissimile, potest aliquid in parte magis refulgere, ueluti cum rotunditas competat omni stellæ; Aristot. in 2. de Cælo, ex eo quod competit Lunæ, infert competere singulis, & cum modo pars sit notior, modo totum, nonnunquam progredimur ex parte ad totum, nonnunquam contra. Secundò instabatur instantia sumpta à Mente, at, ad rem non facit, aliud enim est dicere, ut pars ad partem, &c. aliud dicere, ut se habet de parte, ita de toto: nam hoc est uerum de toto, & partibus consimilis rationis, at non dissimilis, ut est Mens; Et si quis dicat, ut pars ad partem, ita totum ad totum, sed Mens quæ dicitur pars Animę, nullius partis corporis est actus, igitur nec Anima tota, totius. Respondeo, id esse uerum de partibus extensionis, & de partibus Animæ, cui respondeat pars Corporis, alioquin non seruaretur ratio. Instantia de Anima nutriente, & Tactu, similiter soluitur: quia non sunt partes extensionis, & partes perfectionis totius Corporis, sed gradus Animæ, per quos gradus uiuentium constituuntur.

Contex. 10. *EST autem non carens Anima quod potestate viuens dicebatur, sed ea praditum; Semen autem, & fructus, potestate huiusmodi Corpus est; Vt igitur incisio, & visio, ita & vigilia actus est, vt autem visus et facultas organi, ita Anima est actus, Corpus autem est id quod potestate, & quemadmodum Oculus est pupilla, & facultas videndi, ita ibi Animal est Corpus & Anima.*

CVM duplici exemplo elucidasset Animam esse primam organici corporis perfectionem, modò consilium Philosophi est declarare, quid denotauerit per (potestate uitam habens,) quod in Organicum permutauit, & propterea simul explicat utrunque; & id facit, quia primò dixerat (potestate uitam habens) & in præcedente Contextu dixit, totam Animam se habere ad totũ Corpus sensitiuum, ut tale est, sensitiuum autem actu uiuit, ac ita uidebatur pugnantia protulisse: Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima explicatur (potestate viuens;) In Altera, colligens tanquam summam dictorum, patefacit quomodo Anima sit actus, Corpus verò sit potestate ad actum primum, & quomodo ex vtrisque consurgat viuens. Inquit in Prima parte, id (potestate viuens,) sumptum in Definitione, non denotare potestatem ad actum primum, adeo vt careat Anima, sed præditum Anima, & ob id potestate ad actum secũdum, veluti etiam sensitiuum: Et pro clariore explicatione patefacit quidnam sit potestate ad actum primum, inquiens semen, & fructum, ea esse, quæ sunt potestate ad actum primum, & ideo Anima non est prima perfectio eorum; Vt igitur incisio, visio, &c. In hac Secunda parte colligens dicta, ait incisionem securis, visionem oculi, & uigiliam totius Animalis, esse actus secundos, ad quos viuens dicitur potestate, & ob id non esse Animam, sed actiones eius; at, quemadmodum vis videndi, & facultas incidendi se habeat ad oculum, & securim, quorum sunt primi actus, ita Anima se habet ad uiuens, Corpus autem dicitur potestate ad actum primum, & quemadmodum ex facultate uidendi tanquam ex forma, & ex pupilla pro Corpore sumpta tanquam ex materia, consurgit oculus, ita ex Anima & Corpore Animal.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Aristot. conspicuè patefacere actum secundum, non esse formam operantem, sed solam muneris functionem: nam ait, huiusmodi esse visionem, incisionem, & uigiliam; & pro materia facultatis uidendi, accipit pupillam, Græcè κόρην, quo nomine humorem Crystallinum denotat, ut patet ex libris de partibus Animalium, quem humorem putat partem principalem oculi, in qua fiat uisio, & ob id illum sumpsit pro materia; Anatomici tamen per κόρην intelligunt partem mediam oculi, quæ sit uia ad humorem Crystallinũ, sed hoc ad hunc locum non pertinet. Considero Secundò, quod ut datur duplex actus, ita datur duplex potentia; Vna ad actũ primum; Altera ad secundũ; potentia ad actũ primũ, põt esse remota, & proxima; Arist. sumens semen, & fructũ, patefecit potentiam proximam ad actum primũ; Similiter, potestas ad actum secundum, cum proxima, vt in sapiente vigilante potentia ad speculandum, tum remota, vt in eo dormiente; Potentia ad actum primum, definit præsente forma, & consurgit potestas ad actum secundum, præsente actu secundo, non perit actus primus, sed perficitur, ac etiam seruatur potentia ad actum secundum, sumpta pro essentia animæ, & pro posse sequi, & vlterius operari, at, non pro posse trãsire ex non operari penitus, ad operari. Considero Tertiò, quod Aristot. pro materia proxima ad Animam, sumpsit semen, & fructum, quæ duo, sola ratione sunt distincta, dicitur enim semen futurorum, fructus præcedentium; Sed oritur Dubitatio, quia in 2. Phys. 31. semen dicitur causa efficiens, non materias Soluitur, quia semen est tanquam totum quoddã, constitutum ex genitura maris, & menstruis fœminę, constat enim ex partibus nonnullis crassioribus, & alijs magis spiritalibus, per eas fungitur officio materiæ, per has efficientis; Hinc nonnunquam dicitur materia, nonnunquam uerò efficiens. Considero Quartò, non leuem esse difficultatem, an semen sit præditum Anima, vel

Considera.

2 *Duplex actus, & potentia.*

3 *Dubitatio.* *Solutio.*

4

An semen sit prædictum Anima.

ne; Aristot. hoc in loco id negat, inquiens semen & fructum esse potestate ad actum primum, & non includere Animam; Pro notitia accipio, inueniri hæc nomina, Genitura, & est ea maris, Menstruum fœminę, semen, fructus, conceptus non separatus, & demum, conceptus separatus, dubitatio præsertim est de semine & fructu, includentibus attinentia ad materiam, & efficientem, de his ait modò Aristot. non includere Animam, nec esse Corpora actu viuentia, sed potestate; in 2. de Gener. Animalium, cap. 1. quærit habeatne semen Animam, vel ne? eadem ratio ac de partibus reddenda est, nec enim Anima vlla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, neque pars vlla esse potest, quod particeps Animæ non est, nisi æquiuocè; Insuper, capit. 3. ait Animam nutrientem in seminibus siue conceptibus nondum separatis reperiri, potestate statuendum est, non actu; de Anima quoque sentiente idipsum dicendum est, & de Mente, omnes enim potestate prius haberi, quam actu necesse est; Idipsum confirmatur rationibus; & Primò. Id quod operatur ut instrumentum agentis, non est prædictum Anima, semen operatur facultate parentis, & tanquam instrumentū eius, ut dicitur in 2. de Generat. Animal. cap. 1. non itaque est Anima prædictum: nam si esset ea prædictum, produceret ut agens principale: Præterea, à forma ad formatum, ex 2. Poster. necessaria est consequutio, at semen Quercus, uel Oleæ, nec Quercus, nec Olea est, quare non includit eorum Animam. Tertiò, non ei competit Definitio Animæ, quæ est, quod sit prima perfectio Corporis Organici, non enim semen est Corpus Organicum; Quartò, si esset animatū, non ex eo ut ex materia fieret Animal, vel Planta; Quintò, Anima nutriens semper operatur, semen uerò seruatur diu sine alimento, & nutritione. Sextò, alimentum non est animatum, semen est alimentum utile, sed redundans, nec decidens ex omni parte: Demum, assignatur tempus, in quo conceptus in vtero Animam recipit, quare prius ea caret; Non est itaque semen actu viuens, & anima prædictum, sed proxima potestate. Ex aduerso, Auicenna & Philoponus, putant esse prædictum Anima, & actu primo, solum potestate ad actum secundum, & proximè requisita pro eo; idque ostendunt: quia non viuens, non ualet producere uiuens, semen autem producit Animalia, & Plantas. Insuper, experientia patet, cepas, alleum, fabas, & similia, ex se edere furculos, & folia, etiam seiuncta à Terra, quod eis non competeret, si Anima nutriente carerent. Præterea, Aristot. in 2. de Gener. Animal. cap. 4. inquit Oua subuentanea, non ita se habere, ut lignum, & lapides, nam interitu aliquo pereunt, vt quæ vitam ante modo quodam participarent; & lib. 3. cap. 7. inquit: At nutriendi Animæ facultatem obtinent fœminę, & omnia quæ viuunt, vt sæpè dictum est, quamobrem, Ouum subuentaneum, & Plantæ conceptus perfectus est, ut uerò Animalis, imperfectus. Pro Solutione harum rationum accipio in semine non reperiri Animam, sed facultatem producendi eam, illi à parente tributam, adeò, vt per eam fungatur officio Parentis, tanquam instrumentum illius, non secus, ac lumen operetur virtute Cęli, & per interitum eius facultatis dicitur semen interire; hinc seruantur semina in loco arido, ne ea uis marcescat; Instantia Prima soluitur, dicendo, quod non viuens actu, prædictum facultate informatrice, vt instrumentum parentis, valet producere viuens; Instabatur Secundò, quia nonnunquam semina seiuncta à terra, ex se edunt furculos, & folia; Respondeo, id non facere sine præcurrente mutatione, id enim accidit marcescentibus partibus crassioribus fungentibus officio materiæ. Instantia de Ouis subuentaneis, quæ interire dicuntur, soluitur per iam dicta, nam intereunt pereunte ea facultate quæ modo aliquo mediat inter Animam, & absolutam eius priuationem. Colligamus itaque, semina carere anima, esse tamen prædita facultate proxima recipiendi & virtute producendi, eam tanquam instrumenta Parentis.

Auicenna. Philoponus.

Ratio.

Solutio.

Contex. 11

QVOD itaque Anima, aut partes quædam eius, si apta est diuidi, nequeat à corpore separari, conspicuum est, nam quædam partium animæ quarundam corporis partium actus sunt; At verò quasdam nil prohibet, quia nullius corporis actus sunt; Præterea, conspicuum non est si Anima ita sit actus Corporis vt nauta nauis; Figura igitur ita de Anima definitum, & circunscriptum sit.

Intentio.

ILLVSTRATA definitione, consilium Philosophi modo est patefacere quid ex ea elici, vel non elici ualeat: nam officium definitionis rectè traditæ est, ut p eã illa refulgeant quæ rei definitę competunt. Diuiditur Contex. in tres partes; In Prima manifestatur quid eliciatur; In Altera quid non; In Tertia epilogo colligitur quid sit declaratum; Inquit in Prima Parte, ex Definitione elici Animam, uel quasdam eius partes, si est apta diuidi, non posse à corpore separari. Ratio ita formatur. Illæ Animæ partes quæ partium Corporis sunt actus, nequeunt à Corpore separari, sed plurimæ sunt huiusmodi, ut patet: quæ à Corpore separari nequeunt; Maior ostenditur, quia (vt dicitur in 2. de Gen. Animal. cap. 3.) orgāni & facultatis eius, eadem est ratio, & propterea vt organum non seruatur sine eius facultate, nisi equiuocè, ita neque facultas sine organo; At uerò, quasdam nil prohibet, &c. Hæc est pars Secunda, in qua manifestatur de qua parte id non eliciatur, nimirum, de ea quæ nullius Corporis est actus, & id ostenditur duplici ratione; Prima est, quia ea particula qua Anima sapit & intelligit, non est actus alicuius corporis, hoc est partis eius, tanquam instrumenti, nam hoc dicitur pro opposito eius, quod dixerat quasdam non posse separari, quia partium corporis sunt actus; in reciprocis enim si affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis; Insuper, quia Mens ut particula Animæ, & unà cum ea est modo aliquo actus Corporis, ideo affert secundam rationem, & est, non posse ex data Definitione elici de Mente, quod non sit apta separari, quia adhuc non patet, an Anima ita sit actus, ut nauta nauis. Demum colligit se figura patefeciſſe quid sit Anima.

Diuisio.

Expositio.

Ratio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO. Primò, quod Aristot. cum conditione loquitur, inquiens: Si Anima est apta diuidi, nam partim est apta, partim non; Apta quidem est diuidi secundum extensionem, & secundum gradus & facultates varias, at; huiusmodi diuisiones ad rem non faciunt; dubium est, an secundum essentiam ita sit apta diuidi, ut sint essentiæ distinctæ, adeò, vt pars aliqua sit organica, & ex materia pendeat, alia non. Considero Secundò, sæpè sæpius Aristot. affirmare facultatem Animæ organicam, & organum, inuicem reciprocari, adeò, vt facultas organica non ualeat esse sine organo, nec organum sine organica facultate, facultas verò non organica potest separari. Hinc in 2. de Generat. Animal. cap. 3. ex eo quod Mens non sit facultas organica, inferebat extrinsecus accedere, & in eodem cap. necnon cap. 4. affirmabat, facultatis, & instrumenti eandem esse rationem, & in 3. de Anima, Contex. 7. inquit Mentem posse separari, quia non est instrumentaria, iure optimo itaque in hoc Contex. inquit, nil prohibere quasdam partes separari, quia nullius Corporis, hoc est corporei instrumenti ratione propria sunt actus. Considero Tertiò, quod cum Aristot. dicat

Prima Annotatio.

2 Facultas & organum inuicem reciprocantur.

3

Si nil prohibet Mẽtem separarietiã est necessarium.

dicat nil prohibere separari, ex eo inferri, quod necessariò sit apta separari, & immortalis sit, nam nisi esset immortalis prohiberet aliquid eam separari, quia in 1. de Cælo ostenditur nil mortale seruari posse æternum, & in 10. Metaphys. 26. nil ex accidẽti dicitur corrumpi, sed omne corruptibile necessariò interit. Insuper, in 8. Physic. 48. & 56. in natura semper id reperitur quod melius est, si nil pugnat id reperiri, & in attinentibus ad Mundi perfectionem, nil differt esse, & posse, & præsertim in æter-

4 nis, qualis esset Mens si nil prohiberet eam separari. Considero Quartò, quod Aristot. ait, ex hactenus dictis non patere an Anima ita sit actus, ut nauta nauis, ex hoc lucidè patet errare eos, qui ex dictis in præcedentibus affirmant elici, Mentem esse formam formantem, cum tamen Aristot. affirmet, actum indefinitè esse assumptum, adeò, ut adhuc non pateat quomodo sit actus, num formans, vel assistens; At, quæ-

Vbi declaretur quomodo Mens sit actus.

ret aliquis, quo loci Aristot. hoc patefaciet? Respondeo, dum manifestabit quæ pars sit Organica, & mixta cum corpore, & quæ non mixta, nec organica, vt in 3. de Anima, sic etiam declarabitur, quod Anima est ab vno, & propterea etiam actus. Con-

5 sidero Quintò, ex sententia Aristot. elici Entelechiam, siue actum esse duplicem, assistentem, & formantem, distinctio in ordinem ita est redigenda: Actus est duplex;

Actus duplex. Diuisio.

formans, & assistens; Insuper, & assistens est duplex; uel per selectionem, ut nauta nauis, uel per Naturam, & hic pariter est duplex; vel assistit Corpori æterno, ut motores Cælorum Cælo, uel mortali, ut ex sententia Aristot. Mens assistit homini, & cum assistat corpori mortali, & fungatur officio mortali, cum non pendeat ex Corpore,

6 pro esse, pendet tamen pro suo fungendo munere ex Phantasia. Considero Sextò, nautam dupliciter considerari, & ut nautam, & ut hominem, potest separari à naui, vt homo, at non ut nauta; Similiter, Mens dupliciter consideratur; Primò, ut Mens, & pro suo esse absoluto, acita est apta separari; Secundò, ut actus talis corporis, qua

7 consideratione non separatur. Considero Septimò, quod Aristot. colligit se figuratè circumscripsisse Animam, nam Descriptio est ab vno, & est communissima, & est

Quæ Anima sit definita.

perfecta in suo genere; at non absolutè, sed quæritur num ea sit Definitio Animæ hominis, uel potius Animæ uniuersè sumptæ. Respondeo, Aristot. considerasse Animam uniuersè, hinc patefecit etiam competere Animæ Plantæ, at, quia in homine omnes Animæ gradus reperiuntur, ideo definitio etiam cum hominis Anima reciprocatur.

Contex. 12.

QVONIAM autem ex obscuris quidem, manifestioribus autem, redditur certum id quod secundum rationem est notius, enitendum iterum est, ita verba facere de ipsa; Non omne solum quod sit, tenetur Definiendi ratio ostendere, vt faciunt plures Definitiones, sed causam includere, & patefacere; Definitio nuper tradita est tanquam Conclusio, vt quid est quadratio? Constitutio quadrati æqualium laterum, & rectorum angulorum, æqualis figura, altera in parte longiori; Huiusmodi Definitio est ratio Conclusionis; At, si dixero quod sit inuentio Lineæ quæ secundum rationem medietatem, ea tradet causam.

Intentio. Diuisio.

COMMVNEM Animæ Definitionem, Aristot. in præcedentibus leuiter per duo exempla, & elucidationem partium eius illustrauit; Consilium eius modò est, exactiore ratione, sumpta ex Definitione tradente Propter Quid, eandem ostendere. Præsens Contextus diuiditur in tres partes; In Prima Philosophus methodum tradit nostrendi Principia; In Altera in

quit

quit Definitionem traditam ſolum patefacere Quia,& danda eſſe Definitionem quę ſit cauſa; In Tertia diſtinctionem Definitionis in explicãtem Quia,& Propter quid, exemplo Definitionum quadrationis Quadranguli,manifeſtat; Ait Primò,enitendũ eſſe tradere alteram Definitionem,quæ ſit cauſa primæ, progrediẽdo per opera,quæ ſui conditione ſunt obſcuriora, nobis uerò notiora; Tradens autem cauſam ſui conſilij,inquit in Secunda parte,iure id eſſe faciendum:quia Definitio tradita,eſt Concluſio,& dicit Quia; at, ſcire eſt cauſam noſcere. In Tertia parte vtitur exemplo duarũ Definitionum quadrationis Quadranguli,quod eſt figura quatuor laterum, quorum duo oppoſita ſunt longiora,duo uerò breuiora,cui quadrationi dupiex competit Definitio; Vna explicans Quid; Altera cauſam, & Propter quid; Per Primam dicimus eſſe conſtitutionem figuræ rectorum angulorum,& æqualium laterum, quæ ſit æqualis Quadrangulo; Per Alteram dicimus eſſe inuentionem Lineæ, quæ ratione Geometrica mediet inter longiores & breuiores Quadranguli;gratia exempli,conſtituto Quadrangulo ex una parte quatuor pedum, ex altera nouem, linea media ſecundum proportionem erit ſex pedum, vt enim nouem ſe habent ad ſex, ita ſex ad quatuor, ſemper enim ſeruatur ratio ſeſquialtera; Si autem ex ea linea media conſtituent quadratum, id erit æquale Quadrangulo, ſemper enim includetur area triginta ſex pedum,vt patet exemplo,multiplicando latus unum per alterum. *Expoſitio.*



ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod cum Ariſt. aſſignaturus ſit alteràm Animæ communem Definitionem, quæ ſit ratio, & principium Oſtenſionis Primæ; pro ea indaganda, Primò, patefecit methodum noſcendi principia, quã tradit in 2.Contextu Proœmij Phyſicorum,pro noſcendis communibus Principijs Corporis Phyſici nam per Senſum eleuamur ad Rationẽ, & per notiora nobis ab priora, & notiora ſui natura & conditione;Mos autem Ariſtotelis eſt, dum ait progrediendum eſſe per notiora nobis, verba facere, non de ordine, ſed de uia, ſiue methodo, nam de ordine ſecus ſe habet, & ſecus loqui conſueuit,ut alibi patefeci; Et per notiora nobis contradiſtincta à notioribus, & prioribus natura,ſimpliciter, & ratione, denotat proximiora Senſibus,quæ magis ſub Senſum cadunt, ut in 1. Poſter. ſe declarauit, & hæc ſunt nobis primò nota,notitia confuſa: nam poſteriora nequeunt diſtinctè noſci niſi notis prioribus. Conſidero Secundò,quod Ariſt. ait enitendum eſſe ita progredi pro indaganda altera Definitione, quæ ſit Ratio & Principium; ait (enitendum) indicans difficultatem cognitionis Animæ, & curam propriam & diligentiam;utitur autem ea methodo,quia ut in 2.Phyſic.pro indaganda Definitione Naturæ, progrediebatur per diſtinctionem Phtyſicorũ, à non Phyſicis, ita pro colligenda Definitione altera Animæ, progredietur conſiderando differentiam uiuentium, à non uiuentibus, quę differentiæ ſumuntur ex nobis notis, & *Annotatio prima.*

conſpicuis; Non me latet, ab Auer. & à D.Thoma, hęc ſecus exponi; ſed morari, no-
3 lo in relationibus opinionum & euerſionibus earundum. Conſidero Tertio; ſępè ab
Diuiſio Definitionis. Ariſtot. tradi hanc Definitionis diſtinctionem, quæ eſt in Principium, & Concluſionem, in explicantem Quid eſt, Propter quid, in conflatã ex externis, & internis cauſis, vna eſt ſine cauſa, altera tradens cauſam, vna ignota diſtinctè, altera eã notificãs.
Dubitatio. Sed oritur Dubitatio, quia Ariſt. loquens de tradita Definitione, inquit carere cauſa, & ſolum dicere Quia, cum tamen conſtet ex Materia & Forma, quæ cauſæ ſunt,
Solutio. & explicent Quid, Reſpondeo, & pro Solutione duo accipio; Primum eſt, quod cauſę internę non abſolutè dicuntur Cauſæ, ſed Concauſæ: nam ſunt internę rei, & pendent ex externis, externæ uerò cum dominentur, & dirigant, abſolutè, nuncupantur Cauſæ. Alterum eſt, quod Definitio per interna ad duo refertur, nimirum, ad rem Definitum, & dicitur explicare Quid, & ad alteram Definitionem dantem Cauſam,
4 & dicitur ſolum denotare Quia, ut modo inquit Ariſt. Conſidero Quartò non le-
Dubitatio. uem eſſe difficultatem, quomodo eã diſtinctio Definitionis locum habeat in Mathematicis, & in Subſtantijs, nam in Mathematicis non uidetur poſſe ſeruari, quia ſolã conſiderant formam, neque etiam in Subſtantijs, cum uidetur ſolum conuenire affectionibus quæ demonſtrantur de Subiecto, ut ait Auerroes, in 6. Metaph. Contex. 1.
Solutio. in 2. Poſter. & in Epitomate Logicæ, Cap. de Demonſtratione; De Mathematicis dico, formam ad duo poſſe referri; Vel ad id cuius eſt forma, ac ita explicat Quid; Vel ad affectionem, ex ea prodeuntem, ac ita explicat Propter quid, ut patet de exemplo Definitionum Quadrationis; De Altera difficultate alibi latius ſum loquutus, nunc breuibus dico, eam duplicem Definitionem maximè propriè competere Affectionibus quarum propriè eſt Demonſtratio; Secundo tamen loco, etiam conuenire Subſtantijs; Hinc Ariſt. in 8. Metaph. Contex. 12. utitur exemplo Definitionũ ho-
Alia dubitatio. minis, ut etiam Simplicius hoc in loco; At, maior oritur Dubitatio, quia Ariſt. ſi o initiũ 6. Metaphyſ. ait particulares ſcientias ipſius Quid eſt, nullam facere rationem; Reſpondeo, particulares ſcientias id non facere ſub ratione eſſentię abſolutè, id enim eſt officium primi Philoſophi, poſſe tamen id facere cum contractione, per propriũ, conſiderandi modum, & cuncta colligendo ex ſenſu conſpicuis, ut in eodẽ loco Ariſt. affirmabat.

Contex. 13. *DICAMVS igitur principium ſumentes conſiderationis rei, ſecerni Animatum ab inanimo ipſo iure viuere, cum autem multipliciter dicatur viuere, dummodo vnum aliquid horum inſit ſolum, viuere dicitur, vt Mens, Senſus, Motus & Status ſecundum locum, inſuper & Motus ſecundum alimentum, & Accretio, & Deminutio.*

Intentio. INDAGATVR Philoſophus per notiora nobis, alteram Animæ Definitionem, progreditur per differentiam ſenſu conſpicuam, animantium ab inanimis. *Diuiſio.* Diuiditur Contextus in tres partes; In Prima profertur differentia; In Altera ait Viuere ſumptum pro differentia vſurpari multipliciter; In Tertia vt pateat hanc differentiam eſſe cõmunem ſingulis gradibus Animæ, ait, quod quicunq; eorum adſit, id cui competit dicitur uiuere; Sententia verborum adeò eſt cõſpicua, ut pro ea illuſtranda diutius non ſit immorandum.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Arist. incipiens exequi id quod est pollicitus, & utens methodo per notiora nobis, accipit Animantia ab inanimis distingui ipso Viuere; & quemadmodum Physica secernuntur ab Artificiosis, quia sunt prædita interno Principio Physici motus, ita Animantia distinguuntur ab inanimis, per Viuere, hoc est, quia sunt prædita interno principio uitæ, tanquam animarij motus. *Consideratio prima.* Considero Secundò, quod quæri iure optimo potest, quid denotetur per Viuere, num actus primus, vel potius secundus, & quænam sit hæc differentia, num secundum Essentiam, & maximè propriam, uel potius per Accidentia? *2 Quid per viuere denotetur.* Respondeo, per Viuere, denotari actum secundum iunctum cum primo, & patefaciente primum, adeò, ut ad primi notitiam nos eleuet; dum differentia consideratur ex parte secundi actus, est secundum se, in secundo modo dicendi secundum se, in quo Affectio dicitur de suo Subiecto, at, ex parte primi actus, est secundum se in primo modo, omnis secundus actus uitæ, est modo aliquo motus, minimè tamen propriè actus secundus Mentis, dicitur motus, ut minimè ea est natura, includit tamen motum aliquem, ob nexum cum Phantasia, cum qua iuncta, ratiocinatur, nam ut dicitur in 7. Physic. motus eleuatur usque ad sensum, ratione materiatorum spirituum & organorum quibus utitur. *Simplicius.* Simplicius rectè ait Vitam omnem esse iunctam cum Motu, at, ex eo minus rectè colligit Animam aptam esse excitari ad motum, & ob id rectè dici numerum se mouentem, Anima enim non ex se excitatur, sed ab Obiecto, nec propterea ex se moueri dicitur, adeò, ut discrimen inter Platonem & Arist. nõ in solis verbis sit positũ, sed in conditione rerũ. *3* Considero Tertiò, qđ Arist. inquit uiuere dici multipliciter, hoc est, ordine quodam, & ab uno: nam siue summatur Viuere pro actu primo, siue pro secundo, unus enim respondet alteri; & quemadmodum se habet de uno, ita de altero; hinc addit, quod quis animæ gradus adsit, id quod eo est præditum, dicitur viuere uitam, cum primam, tum secundam ei gradui respondentem: nam modò non accipitur Viuere pro actu facultatis nutrientis, ut in præcedentibus sed pro quouis actu graduum Animæ, adeò, ut si darentur prædita sola Mente, & ea dicerentur uiuere, ut inquit Aristot. *4 Viuere multipliciter accipitur.* Considero Quartò, quod Viuere dicitur multipliciter: quia uel usurpatur per Metaphoram, & sic salus dicitur uita, & multi dicuntur scripti in libro uitæ, cui opponitur mors pro damnatione; Vel usurpatur propriè, & tunc dicitur de uita pro actu primo, & pro actu secundo; Insuper dicitur de uita æternorum, & uita mortalium; Præterea, loquendo de ea uita quæ est mortalium, uel dicitur ut contradistinguitur ab actibus. Sensuum & Mentis, & est uita attinens ad Animam nutrientem, per quam constituuntur uiuentia, ut per Sensum sine Motu secundum locum, Stirpanimalia, per Sensum cum Motu secundum locum Animalia, & per rationem Homo. Vel usurpatur ut effunditur per omnes Animæ & uiuentium gradus, ut intelligi debet in hoc Contextu. *Alexander.* Alexander in 2. Nat. qq. cap. 25. explicat attinentia ad hunc Contextum, quæ prætereo: solum Quintò loco considero, quod cum tria in hoc Contextu proferantur, singula utilitatem præbent: nam Primò ex differentia elicitur Definitio Animæ; Secundò, ex eo quod differentia dicitur multipliciter, elicitur Definitionem dandam non uniuocam esse, sed ab uno. Tertiò ex eo quod dicitur, quicunque gradus Animæ adsit, præditum eo, dicitur uiuere: elicimus Definitionem, ex ea differentia colligendam esse communem; Vita respondens Animæ nutrienti; est communior, & prior origine, at, ea quæ respondet Menti, ut minus est Physica, ita est syncerior, & eminentior, de qua legitur: Da mihi domine intellectum, & uiuam; de qua Plotinus Enneade prima ait: Sæpè enunciatum est, perfectam ueramque uitam in intelligente natura uigere, cæteras uerò imperfectas esse, uitæque imagines; in qua significatione Plato in Gorgia refert, ab Euripide

ripide enunciatum fuisse, quis noscit utrum uiuere quidem mori sit, mori autem uiuere? nunc fortè re uera mortui sumus, audiui enim quondam à Sapiente, nos modo mortuos esse, Corpusque nostrum nobis esse sepulchrum.

Contex. 14. *PROPTEREA & vegetabilia omnia videntur viuere, videntur enim facultate & principio huiusmodi esse prædita, per quod crescunt, & minuuntur secundum opposita loca, non enim sursum quidem crescunt deorsum autem non, sed consimiliter secundum vtranque partem, & vndique, quæcunque semper nutriuntur & viuunt vsque in finem, quousque valent suscipere alimentum.*

Expositio. DIXERAT Philosophus quicunque gradus Animæ adsit, id cui competit, dicitur viuere; Intentio eius modo est, id ostendere exemplo Plantarum, quæ cum sola nutriendi facultate sint præditæ, dicuntur viuere.

Diuisio. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima ait vegetantia uiuere; In Altera id patefacit per opera.

Intentio. Ait in Prima parte: Propterea, quia id quod est dictum, est causa huius, & hoc est comprobatio illius, τοι φυόμενοι quæ nascuntur ut Plantæ, videntur viuere, hoc est, ex se constat per eorum opera quod viuunt, & ideo statim id patefaciens, ait in Secunda parte: videntur enim prædita facultate, quæ est Principium internum, per quod nutriuntur, & crescunt secundum omnem differentiam positionis, & viuunt quousque ualent susc ipere alimẽtum; ex quo elicitur hæc Ratio.

Ratio. Quibus competunt opera uitæ, dicuntur viuere, Plantis competunt, quare &c.

ANNOTATIONES.

Considero 1. CONSIDERO Primò, quod Aristot. de Plantis ait: Videntur viuere, Simplicius inquit, dici videntur ob vitam eorum obscuram & tenuem; at, hoc non est dicendum: quia Arist. putat eam propriè dici uitam, ideo ait: Videntur, quia id per opera constat, & propterea statim se explicãs, ait: Videntur enim facultate & Principio prædita, inquit Simplicius Animam mediare inter Mentem, & Naturam, Mens absolutè dicitur Principium, Natura facultas, Anima, quæ est media, participans conditionem utriusque, dicitur facultas, & Principium. Hæc consentanea sunt modo loquendi Academicorum, longe tamen absunt à modo loquendi Peripateticorum, Natura enim ab Aristot. definitur per esse principium motus; Similiter, facultas omnis per esse Principium Definitur, ideo cum modo dicat facultas, & principium, idipsum denotat, ac si diceret, facultas quæ

2 Definitur quod sit Principium. Considero Secundò, quod cum nutritio usurpetur

Nutritio dupliciter vsurpatur. dupliciter; Nonnunquam pro quauis ad generatione, vt dicitur nutriri ignis; Nonnunquam propriè, pro ea quæ pertinet ad Animam nutrientem, Aristot. vt propriè sumptam patefaciat, quinque numerat, quæ in sola propriè sumpta nutritione conspirant; Vnum est Principium internum; Alterum, quod nutriatur & crescat secun-

Quinque cõditiones. 3 dum omnem differentiam positionis; Tertium, quod quæuis pars seruata proportione, ideo ait similiter, & vndique; Quartum, ut id fiat semper quousque viuunt; Quintum, vt id fiat accedente alimento. Considero Tertiò, in dubium uerti id quod dictum est, viuentia eo vsque nutriri, quousque viuunt; quam sententiam etiam enun-

Dubitatio. ciauit Aristot. in 1. de Ortu & interitu, 41. id inquam est dubium, quia actus primus

non pen-

non pendet ex secundo, & propterea uidetur posse seruari sine eo; Insuper, in principio vitæ, primò parari debet alimentum, & concoqui, mox sequitur nutritio, at, dũ paratur alimentum, non nutrimur eo; Similiter in obitu, prius desinit viuens posse nutriri, quam viuere. Præterea, nil quod generatur seruatur per instans, & præsertim Substantia, quare facta vltra restauratione, adhuc uiuens uiuet. Præterea, Medici veluti Galenus in libro de tuenda sanitate, inter ægritudines numerant Atrophiã, quę est aspernatio alimenti, qua correpti, solum consumuntur non restaurantur. Auerroes Comm. 6. huius libri, id videtur concedere de nonnullis Animalibus, quę per multos menses non recipiunt alimentum. Nonnulli viri docti vtuntur distinctione nutritionis, ea enim vel sumitur pro conuersione alimenti, uel pro eius dispositione; viuentia aiunt nutriri semper, non cum conuersione alimenti, saltem cum eius præparatione; hæc solutio non uidetur approbanda: quia dum alimentum solũ paratur, viuens non reficitur, quare etiam si non pararetur per id tempus posset seruari. Præterea, vita se habet ad instar flammæ, at flamma nisi continenter reficiatur, extinguitur. Propterea dicendum puto, nutritionem ad duo posse referri; Vel ad insiti caloris, tanquam flammæ regenerationem, ac ita est necesse viuentia semper nutriri; Vel ad solidarum partium restaurationem, quam neque etiam in sanis putandum est esse continuam à principio vitæ vsque in finem. Hæc Solutio elicitur ex Aristotele, qui in libro de longitud. & breuit. vitę ait: Alimentum non sumentia Animalia & Plantæ, pereunt, consumit enim ut maior flamma minorem, sic naturale calidum materiam; Similiter, prope calcem libri de iuuentute, & senectute, ait calidum naturale continenter fieri, & propterea continenter egere alimento ex quo reficiatur, alioquin extingueretur. Conspicuè itaque ex his patet, Aristot. continuam nutritionem retulisse ad calidum uitale; Ac insuper apparet ratio necessitatis continuæ nutritionis, quia id calidum est tanquam flamma; Tertiò, etiam elicitur ratio, cur Metalla, & Lapides, seruentur sine nutritione, non autem viuentia: ratio enim est, quia in eis non reperitur calor uitalis qui infusus dicitur, qui continenter tanquam flamma reficitur, sed solum calor temperamenti eorum, hinc defunctæ esse dicuntur & Lucernæ extinctæ. Ex his elicitur Solutio aduersarum ratio num, Dicebatur Primò, actum primum non pendere ex secundo; Respondeo, non põ dere secundum esse, necessariò tamen operari, quia est agens per naturam, cuius conditio est ut agat, quando, & quantum potest, ac ita ratio reflectitur. De initio uitæ dico, calorem uitalem semper esse iunctum cum humore, cum quo, & ex quo, gignitur, & reficitur: nam eius generatio est productio ex eo humore, ut flammæ ex oleo, veluti apparet dum Lucerna accenditur, ea enim non accenditur nisi prius paretur oleum. De obitu dico, dum gignitur vltimum non ualens reficere aliud, id ut est vltimum nutritionis, ita restaurationis, adeò, ut cum negatione præsentis dicere debeamus, nunc non est restauratio & uita, & sine medio antea fuit. Addebatur, nil esse per instans, respondeo, id esse verum de individuis completis, & permanentibus, & instans consideratur tanquam terminus, non tanquam tempus in quo fit. De alimenti aspernatione patet Solutio, necessario enim tunc calor reficitur. Auerroes autem id dixit, minus rectè intelligens quid Arist. denotauerit per actum secundum, vt suo loco apparuit. Considero Quartò, id quoque in dubium uerti, quod ab Arist. dictum fuit, Plantas sola facultate nutriendi esse præditas, propterea sine declaratione prætereundum non est. Quæritur itaque, qua viuendi facultate Plantæ sint præditæ? qua de re tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media. Nonnulli putarunt Plantas carere Anima, qui in duas partes sunt diuisi, quidam dixerunt nutritionem, & accretionem, non Animæ, sed Naturæ distinctæ ab Anima, esse opera, cum efficiantur à calore, & efficientibus per naturam operantibus. Alij, veluti Plotinus Enneade 4. lib. 4. cap. 27. dixerunt, nutriri & crescere per Animam terræ, non secus ac pili, dentes, & vngues crescunt per Animam eius, cui insunt; Hunc semina statim iuncta tex-

Galenus.

Auerroes.

Solutio aliorum.

Euersio.

Solutio propria.

Cur sola uiuentia egeãt nutritione.

Solutio aduersarum rationum.

Quæ uiuendi facultate prædita sint Plãtæ.

ræ, incipiunt edere surculos, & nutriri, & Plantæ euulsę à terra, nec viuunt, nec nutriũtur; Similiter, Plantę nonnullæ sponte, & sine præcurrente semine ex terra prodeũt, ex non viuente autem, non valet prodire uiuens. Hinc referente Themistio in 2. de Anima, 18. affirmabant Stoici, Plantas nec Animatas, nec Animalia esse. Ex aduerso, Pythagoras, & cum eo Plato in Timeo, inquiunt Plantas quodam modo Animalia esse, & Sensu præditas, obtuso tamen. Similiter, Empedocles censuit Plantis Sensum quendam competere; Anaxagoras, & Democritus, putarunt uoluptate & dolore affici, & nedum Sensu, sed etiam imaginandi, & intelligendi facultate esse præditas, vt refert Marsilius Ficin. in lib. de Voluptate, cap. 5. Auerroes Comm. 15. ait putasse quosdam, Plantas vigilare & dormire. Aristot. se medium constituit, dicendo Plantas per propriam Animam nutriri, aduersus eos qui fuére primæ opinionis, & sola facultate nutriendi esse præditas, aduersus alios, & iure: nam ea facultas tribuenda est Plantis, cuius opera in eis apparent; at, conspicuè apparet, eas per internum principium nutriri, crescere, & generare, non autem alio Animæ officio fungi; quare putandum est, eas principio eorum operum, & non alio esse præditas, id autem principium est Anima nutriens, non ualent Plantæ nutriri per Animam terræ, cum terra nec viuat, nec sit Corpus Organicum, & si id esset, tunc Plantæ omnes essent eiusdem speciei. Prętereà, semina propria, & distincta Plantarum, per quæ gignuntur Plantę, patefaciunt Plantas Anima propria & distincta esse prędita; Insuper, semina nonnũ quam seiuncta à terra pullulant, non itaque id habent ex Anima terrę, Pili, Vngues, & Dẽtes, non sunt quoddam vnum, totum, & perfectum, semen edens, ut Plantę; Semina iuncta terræ, incipiunt nutriri, & crescere ob alimentum ex terra receptum, nõ ob Animam terræ. Ex aduerso, in Plantis nullum apparet Organum, nullumque officium cæterarum Animæ facultatum, nec ulla indigentia earum: competit quidem eis consensio quædam per Naturam, ob quam Natura nonnunquam denominatur Maga, ob antipathiam, & simpathiam refulgentem in ea, at non eis competit sensus cum iudicio, & nisi reperiretur Anima nutriens sine Sensu, non reperirentur in Mundo singuli rerum gradus, nec esset uniuersum.

Themistius

Aristot.

Planta non nutriuntur per Animã terræ.

Consensio Plantarum.

Contex. 15.

SEPARARI autem hoc quidem ab aliis potest, Alia verò ab hoc nequaquam in mortalibus; manifestum autem hoc, est in his quæ gignuntur, nulla enim præter hanc competit eis facultas alia Animæ.

Intentio.

Diuisio.

INDEFINITE dixerat Philosophus, quinis gradus Animę adsit, id cui competit, viuere dicitur; Insuper dixerat Plantas uiuere; Ideo intentio Arist. modò est, manifestare quis sit ille gradus qui in mortalibus est aptus ab aliis secerni, & patefacit esse facultatem nutriendi, per quam Plantę uiuunt; Contex. diuiditur in duas partes; In Prima profertur sententia; In Altera explicatur. Sententia est, Animam nutriendi posse separari, hoc est reperiri in aliquo uiuente, sine reliquis gradibus, at non uice uersa: explicatur autem exemplo Plantarum quę ea sola prędita sunt.

ANNOTATIONES.

Considerationis prima.

CONSIDERO Primò, quod Arist. prędita sola Anima nutriente appellat *φυόμενα*, hoc est, quæ gignuntur, sumpta denominatione à prestantissimo officio Animæ nutrientis; ac insuper ita appellantur, quia modo quodam sponte ex terra prodire uidentur, ut etiam fungi, & similia.

2 Considero Secundò, quod iure optimo hic Animæ gradus sine reliquis est aptus seuari,

uari, non uice uersa, nam est origine primus, est necessarius pro conseruatione caloris communis instrumenti graduum Animæ; insuper, est necessarius pro conseruatione, & perfectione Indiuidui, necnon pro conseruatione speciei, non autem reliqui. Considero Tertiò, quod Aristot. inquit reliquos gradus necessariò præsupponere nutriendi facultatem, & addit, in mortalibus: nam de Cælo secus se habet; Ratio est: quia in his quæ gignuntur, consideratur progressus ex imperfectio ad perfectius, qui est quidam ascensus, supponens inferiores gradus, in æternis contra se habet, in eis enim consideratur descensus, supponens præstantiora, ex quibus cætera pendent; hinc in ordine vniuersi, & in æternis, quod est prius origine, & Natura, est etiã prius perfectione, vt patet de Deo, & superioribus Mentibus. Insuper, æterna non egent facultate nutriente, cum sint eleuata supra generationem, & non egent instrumẽto vitalis caloris, nec vlla restauratione. Propterea, errarunt illi, qui dixerunt Cælum continenter reuolui, ut continenter nouis vaporibus nutriri possit; At, dubitabit aliquis; quia si sermo est de Anima mortalium, superuacaneum est addere in mortalibus; Respondeo, id esse additum clarioris explicationis gratia; insuper, ratione humanæ Mentis, quæ est infima separatarum Mentium, & nectitur cum Corpore mortali, de qua loquitur Aristot. in 3. libro, indicans, quod est verum de Mente iuncta corpori mortali, non de competentibus Cælo in quo residet sine indigentia præcedentium graduum.

Cur vis nutriens possit ab alijs seiungi. 3 *Cur addatur in mortalib.* *Dubitatio.* *Solutio.*

AT viuere ob hoc Principium competit omnibus viuentibus, Animal autem est ob sensum primò; Etenim quæ non mouentur, neque mutant locum, sensum tamen habent, Animalia dicimus, & non viuere solum. *Contex. 16.*

DECLARAVIT Philosophus, qui Animæ gradus sit origine primus, & valeat sine alijs reperiri; Modò verò pro eiusdem approbatione patefacit ordinem inter Animæ gradus, & facultates, & Primò inter nim nutriendi, & sentiendi, manifestãdo denominationes ex eis sumptas. Ratio intentionis est, ut pateat, per quæ constitui debeat altera Definitio, ac insuper, quæ facultates, quique gradus sint explicandi, & quo ordine. Diuiditur Contextus in tres partes; In Prima dicitur, per gradum Animę nutrientis constitui viuentia; In Altera per Sensum constitui Animalia, nam quamprimum adest Sensus, dicitur Animal; In Tertia id patefacit per Ostreacea affixa lapidibus, & Stirpanimalia, quæ cum sint prędita Sensu, quamuis non ita moueantur, ut locum absolutè mutent, sed solum contrahantur, & extendantur, tamen nedum dicuntur viuere, sed etiam Animalia nuncupantur. *Intentio.* *Ratio.* *Diuisio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Vniuersum ex sex rebus præcipuis gradibus constitui, quibus subsidet Materia, & præest Deus, dum enim eleuamur suprà Materiam, primò occurrit gradus eorum quæ esse dicuntur, & constituuntur per Formam quæ Natura est infra Animam posita; huic succedunt viuentia per Animam nutriendi; Tertiò Stirpanimalia constituta per Sensum, sine absoluto motu, ex loco in locum, quæ Arist. modo Animalia nuncupat. Quartò reperitur gradus absolutiorum Animalium per Sensum, cum distincta mouendi facultate constitutum; Quintò, occurrit Homo per Animam rationis comporem constitutus; supra quem in gradu Sexto reperiuntur Mentes motrices Cælorum, quibus eminen- *Considet. 1. Sex gradus Vniuersi.*

eminentissimè præest Deus; Primus & Sextus gradus ad rem non faciunt, solum de intermedijs debet esse sermo; hinc iure optimo Anima in ordine Vniuersi dicitur medium sibi optare locum. Considero Secundò, quod Arist. inquit per Principium nutritionis competere cunctis mortalibus ut viuant, accipiendo primum gradum vitæ, tanquam contradistinctum ab alijs. Ratio est: quia viuere Græcè dicitur ζῆν, hoc est feruere, feruor autem primò, & præsertim, pertinet ad Animam nutrientem, tū quia vita est prima animæ participatio in calido insito, tum insuper, quia hic est ille animæ gradus, qui per temperamentum, & calorē operatur; Insuper, quia per hunc gradum seruantur viuentia, quæ ob insitum caloris feruorem, egent nutritione; nec dicuntur corpora apta fungi aliquo animæ officio, nisi viuant. Considero Tertiò Galenum & Auicennam secernere facultatē Vitalem à facultate Nutriendi, quam Naturalem appellant, Vitalem tribuunt Cordi, ad quam pertinent vigor, & motus arteriarum; Alteram Hepati, ad quam pertinēt nutritio, accretio, & generatio. Plantis competit facultas Nutriendi, non autem Vitalis. Arist. Vitalem redigit ad eam nutriendi, hinc ait, per eam cunctis competere vitam, & utrisque communem sedem statuit Cor; Et iure optimo profecto Vitalis ad Naturalem redigitur, ambę enim per naturam, per temperamentum, & calorem operantur, & per ambas Corpus dicitur viuere, solum differunt per magis & minus, clarius, & obscurius: dum enim calor est tenuis, nec certam in Corporis parte sedem sibi expoſcit, ut euenit in Plantis, tunc calor remissior, & magis effusus, non adeò feruet, ut conspicuum efficiat motū: dum verò est intensior, magisque contractus in Cordis sedem, tunc feruet magis, roburque parit, & motum, adeò, ut vis vitalis approbata à Medicis, nil aliud sit, nisi exuperantia quædam, & excessus facultatis naturalis, non autem gradus Animę distinctus, ut alibi latius patefeci; Hinc Animalium membra, non dicuntur nutriri, nisi viuant, quod indicat, primum Animæ nutrientis officium esse, largiri vitam; Ex quo elicio, Animalia etiam sine pulsu arteriarum per moram aliquam posse viuere, dum calor, & facultas adeo est remissa, ut vitam largiri valeat sine motu, ut accidit in Plantis; Ex hoc insuper elicitur aliud, & est, privationem motus in præcordijs, non esse signum ex quo necessariò inferatur Hominem esse mortuum, ut in Phedone videtur putasse Plato, dum amici Socratis iubebant tangi præcordia ut noscerent an vitam obijsset: nā si adest illæ motus, adest vita, at non vice versa. Considero Quartò, quod Arist. inquit Animal, per sensum primò constitui, quod intelligi debet de Animali mortali, Mundus, & Cæli nonnunquam viuere, & Animalia nuncupantur, quia in facultate eminentiore, si non secundum propriam formam, saltem secundum eminentiā includuntur inferiores, hinc non vniuocè dicuntur aut viuere, aut Animalia, sed ordine ab uno, cuius ordinis aliud est primum dignitatis, à primo proprietatis nominis, nomina enim rebus nobis notioribus imponuntur, mox transferuntur ad alia. Considero Quintò, quod quamuis Plantis competat vita, quę ζωὴ dicitur, non tamen dicuntur, ζῶα, hoc est animalia quamuis hoc nomen deducatur ex illo. Ratio huius est: quia (vt Themistius, Philoponus & Simplicius aiunt) non formatur absoluta denominatio, nisi conspicuè ut adsit ex quo recipitur, ut quamuis omnis Homo currat, non tamen omnis denominatur cursor; His addo, quod multi putarunt Plantas non Anima propria esse præditas, sed viuere per Animam terræ, ideò solum viuere; non Animalia dicebantur; Ac oritur Dubitatio, quia Aristot. in primo de Anima, 87. inquit: Num dicere Aerem esse Animal; si ei insit Anima, absurdum est, quare consimili ratione absurdum erit, Plantas non dicere Animalia. Respondeo, rationem illā esse ad hominem, & vim habere aduersus Platonē, & Thaletem, qui Elementis Animam tribuebant præstantissimam, & præsertim vim habere aduersus Platonem, qui in Timeo Plantas nedum dicebat viuere, sed etiam esse Animalia, quare longè magis Aer dicendus esset Animal. Considerò Sextò, quod Aristot. ostendus per Sensum statim constitui Animal, inquit: Quæ non nouen-

tur

Cur per nutriendi facultatem viuamus.

Facultatem Vitalem redigi ad nutriē tem.

Sedes vitalis facultatis Cor.

Animal posse viuere et sine pulsu arteriarum.

Animal per sensum constitui.

Cur Planta non dicātur Animalia.

Dubitatio.

Solutio.

tur, nec mutant locum, hoc est, quæ non ita mouentur, ut absolutè locum mutent, sed solum contrahuntur, & extenduntur, ut Ostreacea, tamen quia prædita sunt Sensu, dicuntur Animalia; Quæritur, an re uera Animalia sint, uel potius media inter Plantas, & Animalia. Aristot. in 4. de partibus Animalium, capit. 5. ait ea esse ancipitis Naturæ, & comparata cum Plantis, esse Animalia, comparata uerò cum absolutioribus Animalibus, videri Plantas. Et in 8. de Histor. Animal. Cap. 1. inquit: Ambiges, Animalia ne sint, an Plantæ; Hoc tamen in loco, & in 3. de Anima, 45. nuncupantur Animalia; Hinc etiam quæritur, num inter Plantas & Animalia detur medium? Soluitur dubitatio, dicendo, medium, inter uaria posse considerari; Primò, inter Viuere & esse Animal vniuersè, & absolutè, ac ita non datur medium, sed absolutè nuncupantur Animalia. Secundò, facta comparatione inter Viuere, & esse Animal exactum, & perfectum, aptum distincto motu secundum locum, moueri, ac ita Ostreacea mediant, dicũtur Naturæ ancipitis, & à Græcis Zoophita, hoc est, Stirpanimalia nuncupantur, & in his refulget ea Regula, Quod parum distat, nihil distare videtur, & adeò sunt media, vt sine controuersia dici possint Animalia, non Animalia, stirpes, non stirpes, moueri, non moueri, prædita gustatu, & non prædita, similiter Phantasia prædita, & non prædita. Considero Septimò, cum Aristot. mentionem fecerit de Stirpanimalibus, in dubium uerti, qualisnam censeri debeat humanus fœtus in utero matris, num debeat dici Planta, uel Stirpanimal, uel Animal, uel Homo? Philoponus, expositione 3. Cont. & cum eo Zimara, aiunt esse Stirpanimal, & medium: quia Natura eleuatur per gradus, tendens ex imperfecto ad perfectum. Pro lucida Solutione, utendum est duplici distinctione; Prima pertinet ad tempus, nam conceptus in utero non statim est Anima propria præditus, nam mas post quadragesimum diem, fœmina post nonagesimum, percipitur in utero moueri, vt inquit Aristot. in 7. de historia Animalium, capit. 3. Altera distinctio est, aliud esse, dicere quod sit Animal, uel Homo, & quod viuat vitam hominis; Primum refertur ad formam; Alterum ad officium, & secundum actum; Ex his elicio duas Conclusiones; Prima est; Tunc fœtus est Homo, dum est præditus Anima propria Hominis; nam à forma ad formatum necessaria est Consequutio; Altera est, Viuens eam uitam uiuit, cuius exercet opera, sic in utero fœtus primò uiuit uitam Plantæ, mox Stirpanimalis, & hac ratione Homo decurrit per omnes uitæ gradus, & ob id fortè finxêre nonnulli, Animam Hominis migrare per Corpora variorum Animalium, inter quos fuit Pithagoras cum suis sequacibus; & eadem ratione Circes suis poculis Homines permutabat in iumenta, & feras. Pocula eius ea sunt, quæ delectant & appetitum alliciunt, trahit autem sua quemque voluptas.

Ar Stirpanimalia sint Animalia.

Dubitatio.

Solutio.

7

An humanus fœtus sit stirpanim.

Philoponus.

Solutio.

Concluſ. 1.

1

Homo valet viuere vitã omnem.

SENSVM autem primò inest omnibus Tactus, & quemadmodum vis nutriendi seiungi potest à Tactu, & omni Sensu, ita Tactus ab aliis Sensibus, vim nutriendi, siue vegetalem, eam dicimus Animæ partem, quam ea quæ gignuntur participant, Animalia autem cuncta videntur Sensu Tactus prædita, Contex. 17.

CONSIDERABAT Philosophus ordinem originis partium Animę, ut pateret quę earum antecederent, & possent sine alijs seruari; loquutus est de Anima nutriente, quæ absolutè est primá, cui cum proxiuè succedat Sensus, ordinem inter eos modo statuit. Consideratio huius ordinis magis pertinet ad finem 3. de Anima, quo loci distinctiùs explicatur, nunc tamen de eo est sermo, ut ex eis gradibus eliciatur altera Animæ definitio quæ constabit ex,

Intentio.

Diuisio. enumeratione partium Animæ, vt pateat de quibus in progressu sit agendum; In præsenti Contextu Philosophus quatuor profert Sententias; Prima est; Facta comparatione inter Sensus externos, Tactus est origine primus, & Animalibus primò competit, vt patet exemplo Stirpanimalium; Altera est; Vt vis nutriendi valet ab omni Sensu seiungi, vt patet in Plãtis ita, Tactus ab alijs Sensibus; Tertia est; Declaratio facultatis nutriendi; num sit ea quam vegetalia participant. Quarta est; Cuncta Animalia videntur, & apparent Sensu prædita, saltem Tactu, verba cuncta conspicua sunt.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Tactus cur origine primus. CONSIDERO Primò, Tactum esse origine primum, dignitate postremum, veluti etiã se habet de Obiecto eius; Ratio est; quia est Sensus maximè materiatus, hinc est extensus per vniuersum Corpus, vt patet eximius eum eo nexus; Præterea, est maximè necessarius pro vitandis læsionibus, nam vt dicitur in 3. de Anima, 63. Lædentia omnia, & contraria Corpora sunt; Præterea, dicitur Sensus alimenti, & ob id maximè necessarius pro esse, & conseruatione. Considero Secundò, in dubium verti posse, num in cursu generationis humani fœtus in vtero, ita Tactus sit origine primus, & secernatur ab alijs, vt in gradibus Animalium. Philoponus digrediens in expositione 3. Contex. id affirmat, & nonnulli illum sequuntur, alij negant; Pro Solutione absolutè adhæreo decretis Theologorum, affirmans in Homine vnicam Essentiam Animæ reperiri, præditam cunctis facultatibus, & à Deo infusam, quæ tamen defectu Organorum, non simul incipiat fungi muneribus singularum facultatum, adeò, vt ille ordo solum sit verus de actu secundò, non de primo. Puto tamen, Aristot. fuisse alterius opinionis; Ratio præcipua est: quia in 2. de Generat. Animalium, cap. 3. ait consimilem esse rationem Facultatis, & Organi, adeò, vt vnum non feruetur sine altero, at, fœtus apparet primò præditus Tactu, dum tamen oculi non sunt formati, & in eodem capit. inquit Philosophus, non simul gigni Animal, & Equum. Et in 7. de Republ. capit. 15. inquit prius absolui partem Animæ rationis non compotem, quam compotem, adeò, vt non visus sit putasse, singulas facultates simul gigni, sed vnà cum Organis earum, ordine aliquo: nisi dicamus simul gigni secundum essentiam, at non secundum facultatem proximè operandi.

Num in fœtu Tactus sit primus. Solutio.

Aristot.

Contex. 18. *QUAM ob causam vtrunque horum accidat, posterius dicemus: Nunc autem hoc dictum sit solum, quod Anima est horum quæ dicta sunt Principium, & his distincta est facultatibus nutriendi, sentiendi, cogitandi, & motu.*

Intentio. Diuisio. PRAEFACTA differentia viuentium à non viuentibus, declarato per omnem Animę gradum viuentia viuere, primò tamen per facultatem vegetalem, ostenso ordine originis, Primò absolutè, Secundò, inter Sensus, in præsenti Contex. Philosophus duò facit, Primò refert quid non sit ostensum; Secundò, quid ostensum. Ait Primò, non esse ostensum ob quam causam eueniat vtrunque horum, nimirum, quod vis vegetandi seiungatur ab alijs, & Tactus à reliquis Sensibus; nam ratio assignabitur in 3. de Anima, in Cont. 59. vbi sermo erit de facultate vegetandi, in 63. de ordine Sensuum. In Altera parte colligens tanquam fructum eorum quæ dicta sunt, inquit hoc solum esse dictum, quod Anima sit Principium relatorum

operum,

operum, & quod his gradibus distincta est, nimirum, Nutriendi, Sentiendi, Cogitandi, & Motu, nam hi sunt gradus principales, per quos quatuor uiuentium gradus constituuntur.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Aristot. tria nectere, nimirum, attinentia ad distinctionem & numerum principalium graduum Animæ, attinentia ad ordinem; & ad secundam Animæ Definitionem, & iure hæc tria nectit, cum enim secunda Definitio cōflari debeat ex gradibus partium Animæ, iure optimo ea tria nectenda sunt: nam id quod est ab vno, non distinctè noscitur sine notitia contentorum sub eo; Dum Philosophus ait Animam horum esse principium, indicatur Definitio Animæ, quæ est, quod sit Principium primum Vegetandi, Sentiendi, Cogitandi, & Mouendi; Dum inquit his ὥοισαι siue terminari, & distingui, indicatur distinctio; Considero Secundò, vt pertinet ad distinctionem Animæ in partes, quod Arist. loquens de facultate mouendi, non appellat motiuum, denotando facultatem, vt fecit de reliquis, sed motū, cuius varietatis duplex potest esse ratio; Vna est, quia (vt patebit in 3. libro) facultas mouendi non est distincta à reliquis partibus principalibus Animæ, sed est distinctū opus earum, ideo Arist. utitur nomine operis. Altera potior ratio est: quia Principium motus est Appetitus, qui in 3. de Anima, dicitur quidam motus, alibi tamen vt Contex. 27. etiam hoc principium appellat motiuum, hic tamen id describit per motum, denotans motum secundum locum, quo Animalia spontè mouentur; Vt verò pertinet ad partem dianoeticam, quę dicitur uia cogitandi, siue ratiocinādi, eo nomine Aristot. denotat νοῦν, vt patet ex 3. de Anima, cuius officium est intelligere, & ratiocinari, vtitur autem ea voce, ut denotet officium per quod magis nectitur cum Phantasia, & per quod magis attinet ad Physicum; in Contextu tamen 13. usus est nomine Mentis, quo etiam frequenter vtitur in sequentibus. Insuper Tertiò, ut pertinet ad numerum partium Animæ, considero hoc in loco quatuor numerari, vt patuit, quæ eo ordine numerantur quo explicantur; At, oritur dubitatio, quia partes videntur plures, nam in progressu Contex. 27. additur vis appetens. In 3. de Anima, additur Phantasia, in Contex. 41. & in Contex. 57. additur facultas consultandi; Præterea, adest; Memoria, & Reminiscentia; Distinctio itaq; videtur apprimè diminuta. Pro Solutione dico, inspiciendo varia, modo vario posse diuidi, absolutè enim in vno, Anima vna est, quæ dum consideratur secundum Essentiam, in partem æternā & mortalem diuidi potest; mox, si refertur ad Rationē, est triplex; vel penitus eius expers, vt Vis nutriendi; vel ex se eius compos, ut Mens; vel medio modo se habet, vt Appetitus, & Phantasia. At Tertiò, si refertur Anima ad gradus viuentium, qui per eam constituuntur, quadrimembris est eius distinctio; & hoc inspicit modo Aristot. Ratio est: quia indagabat Definitionem Animæ, considerando distinctionem uiuentium à non uiuentibus; Vis appetendi redigitur ad eam cognoscendi, quam distinguentes, dicemus esse quinque; Phantasia redigitur ad Sensum, quam distinguentes, dicemus esse sex, quibus si addimus facultatem seruātem, erunt septem; Facultas consultandi, ad Dianoeticam redigitur. Definitio Animæ in progressu explicabitur.

Consid. 1.

Definitio animæ secunda.

2

3 Numerus partium animæ.

Resolutio.

NVM autem vnumquodque horum est Anima, vel pars Animæ, & si pars, num sit apta separari ratione tātum, vel etiam loco, de quibusdam non est difficile videre; quædam autem includunt difficultatem; Veluti in Plantis quædam decisa videntur viuere, cum sint seiuncta ab inuicem, exi-

Contex. 19.

20

ſiente in eis Anima quidem vna actu in ſingulis Plantis, poteſtate autem pluribus. Idipſum videmus de aliis Animæ differentiis, veluti in inſectis dum diuiduntur, vtraque enim eorum pars eſt Senſu prædita, & motu ſecundum locum, ſi autem ſenſus adeſt, etiam adeſt Phantaſia, & Appetitus, cui enim ineſt Senſus, competit latitia, & triſtitia, quæ Senſum ſequuntur, hæc autem neceſſariò deſiderium expoſcunt.

Intentio. Diuiſio.

Expoſitio.

ANIMA mortalium vniuersè ſumpta, in quatuor gradus eſt diuiſa, ex quorum enumeratione conſurgit Secunda communis Definitio. Intentio Philoſophi modo eſt, conſiderare quibus ſit ea diuiſios, & in hoc Contextu tria facit; Primò, duo dubia proponit; Secundò, ait de quibuſdam partibus patere quid ſit dicendum, de nonnullis, nimirum de Mente, latere; In Tertia explicat de quibus pateat. Dubitat itaque in Prima parte Primò, num vnuſquiſque enumeratorum graduum ſit Anima tota, adeò, vt in homine quatuor inſint Animæ, vel potius iudicari debeant partes eiuſdem Animæ; & quia reuera in eodem iudicari debent partes, ideo Secundò, ſuppoſito quod ſint partes, dubitat, num ſola ratione, & relatione, inuicem ſecernantur, vel etiam loco, vt conſueuit Platoni tribuere, qui Hepati aptabat vim nutriendi; Cordi irascendi, & Capiti iudicandi, & mouendi, veluti etiam Galenus. Propoſitis difficultatibus, in Secunda parte de illis iudicium profert, inquiens de nonnullis patere quid ſit dicendum, de quibuſdam verò latere; In Tertia parte loquens de primis, ait: Vt in Plantis, &c. orditur à gradu Primo competente Plantis, & manifeſtat non in vna definita parte Plantæ reſidere, ſed effuſum eſſe per vniuerſam Plantam, ex quo patet, non loco ſecerni ab alijs gradibus in alijs viuentibus, quibus etiam alij gradus competunt: nam in Planta Anima actu vna eſt, effuſa per vniuerſam Plantam, poteſtate tamen eſt multiplex, quæ poteſtas in plurimis Plantis redigitur ad actum, ait (in plurimis) quia hoc non competit omnibus, vt experientia patet, nam partes quarundam, veluti Vitis, Fici, & ſimilium, abſciſſæ, & ſubplantatæ, viuunt, ac ita Anima vna, fit multiplex. Idipſum videmus accidere de alijs Animæ differentijs, nimirum, de ſentiente, & mouente, quod conſpicuè patet in Entomis, hoc eſt, inſectis, ſiue valde ſectis, quia omni in parte inciſuris ſunt prædita, vt Lacerta, Anguilla, Serpentes, Lumbrici terræ, & ſimilia, quorum partes diuiſæ, Senſu, & Motu ſunt prædita, adeò, vt pateat, Animam totam per vniuerſum Corpus eſſe effuſam, non autem partem vnam loco diſtingui ab altera, & cum pars quælibet abſciſſa ſentiat, etiam Phantaſia, & appetitu eſt prædita, ſenſum enim ſequitur uoluptas, & dolor, quæ ſunt perturbationes attinentes ad appetitum, appetitus autem non eſt ſine Phantaſia, ſi non exacta, ſaltem confuſa & imperfecta.

ANNOTATIONES.

Conſideratio prima. Dubitatio Simplicius.

Solutio.

CONSIDERO Primò, quod ſermo de Plantis ad rem facere non videtur, quia in eis vnicus reperitur Animæ gradus, propterea non eſt dubitandum an loco ſecernatur ab alijs; Simplicius ait ſaltem Plantis competere nutritionem, accretionem, & generationem, quæ non ſecernuntur loco; at, hoc non ſatisfacit: quia diſtincta illa officiorum principia, non ſunt relata pro diſtinctis, ſed pro unico gradu. Ideo dicamus, id quoque conducere quatenus oſtenditur facultatem nutriendi non uni ſoli parti competere, ſed per uniuerſam Plantam extendi, & propterea in illis quibus competunt alij gradus, non ſeceni loco. Conſidero Secundò, quod Ariſtoteles utitur exem-

2

plo

plo Entomorum, quæ insecta dicuntur; Nonnulli putant dici insecta, hoc est non secta, quia non sunt prędita distinctis, & uarijs membris, ut pedibus, manibus, & similibus, sed errant, nam dicuntur Entoma, hoc est, inciſa, & in partes diuiſa, quatenus uarijs inciſuris ſunt prędita, ut patet ex 1. de historia Animalium, cap. 1. Necnon ex libro 4. cap. 1. Dum Lacertæ diuiditur longitudo, quæuis pars, dummodo non ſit nimium parua, ſi pungitur, ſentit, ſenſum ſequitur lætitia & triſtitia, ob lædentia, & cõducentia, mox ſequitur appetitus uitandi aduerſa, & aſſequendi conducentia, appetitus autem una cum phantaſia, eſt principium motus, ut patet ex 3. libro. Conſidero Tertiò, quod Ariſtot. inquit: Si adeſt Sen[illegible], etiam adeſt Phantaſia; alibi tamen profert oppoſitum, ueluti in Contex. 32. & clarius in Contex. 156. huius libri. Solutio elicitur ex 3. de Anima, Contex. 56. nam Phantaſia eſt duplex; Vna imperfecta, competens ſingulis quibus competit Senſus; Altera exacta & perfecta, quæ ſolum competit Animalibus quę diſtinctè mouentur motu ſecundum locum, de qua duplici Phantaſia, eiuſque diſtinctione, alibi verba faciam, non enim hic eſt locus proprius eius cõſiderationis. Conſidero Quartò, ex his quæ ab Ariſtot. in hoc Contextu dicuntur, prodire difficultatem non leuem, accurataque conſideratione dignam, num Anima mortalium uiuentium, ſit tota in toto uiuente, & pars in parte, uel potius, ut eſt tota in toto, ita ſit tota in quauis parte. De qua difficultate quatuor ſunt opiniones, quarum Prima ſatis celebris eſt, eaque eſt Academicorum, putantium in quauis parte eſſe totum, nam cum ſit ſpiritale aliquid, ubicunque ſit, ſemper integra & tota ſeruatur; Plotinus Enneade 4. libro ſeptimo, cap. 5. id oſtendit, inquiens: partes Animæ, uel ſunt Anima, uel ne, ſi non, igitur Anima conſtabit ex non Anima, ſi ſic, quæuis itaque pars Animę erit Anima; Diuus Auguſt. in 6. de Trinitate libro, hac ratione utitur; Senſibile ibi ab Anima percipitur, ubi ſit paſſio, at ſentitur in parte patiẽte à tota Anima, igitur Anima tota eſt in parte. Simplicius in 1. de Anima, 39. idipſum oſtendens, ait per quãlibet Corporis partẽ oĩa, & tota tãgibilia percipimus, quare in omni Corporis parte Anima tota reperitur; Inſuper, uel in ſingulis partib. reperitur tota, uel nẽ, ſi non, tunc per partes uarias ſentiendo tangibilia uaria, nõ ualeret tactus inter ea noſcere diſcrimen; Hinc Porphyrius inquit: Anima caret quantitate, nam æquè clauditur anguſtis terminis, & replet amplißima; Proclus in Timeum inquit: Animæ unitas non impedit diuiſionem, nec diuiſio unitatem eius. Hinc Plotinus ait: Anima carens magnitudine, uniuerſę magnitudini adeſt; Marſilius Ficinus in 7. Platonicæ Theologię ait: Materiaris, & extenſis formis, non competit, ut quod uni parti ineſt, attingat alteram, polluitur pars una albedinis, non pollutis alijs, at, læſa una parte Animæ, tota læditur; Inſuper, ut ſe habet de uirtute Seminis, ita de Anima, ea in quauis parte eſt tota, & ex eiuſdem genituræ diſtinctis partibus diſtincta numero Animalia gignuntur. Hinc etiam de Anima uerum eſſe inquiunt, partem non eſſe minorem toto; Ariſt. quoque uidetur frequenter idipſum approbaſſe: nam hoc in loco dixit, Animam in tota Planta eſſe unam actu, facultate uerò eſſe plures, & reddi actu plures per ſolam diuiſionem quod non contingeret, niſi in quauis parte eſſet tota. Idipſum affirmauit in lib. de Iuuent. & ſenect. inquiens inſecta eſſe tanquam plura Animalia iuncta & colligata; Et lib. de Senſu & ſenſili, ac etiam in hoc libro, loquens de Senſu communi, inquit Animam iudicare tanquam Punctum indiuiduum, quod ei non competeret, ſi eſſet extenſa; Secunda Opinio eſt Alberti Magni, necnon Philoponi hoc in loco, qui conueniunt cum primis, quod Anima ubi eſt, tota ſit, & non extendatur, negant tamen eam eſſe totam in quauis parte uiuentis, ſed in parte aliqua Principali reſidere ueluti in Corde, uel alio quod eius uice fungatur, & inde effundere uires in alias per ſpiritus; Ariſt. etiam uſus eſt frequenter id approbaſſe, ueluti in calce libri de progreſſu Animalium, inquiens Animam perinde ac Principẽ in parte aliqua tanquam Arce reſidere, & in libro de Iuuentute & ſenectute inquit: Anima non eſt corpus, eſt tamen in aliqua eius parte principali, & in medio, tanquã

3 *Dubitatio de Phãtaſia.* *Solutio.*

4 *An Anima ſit in quauis parte tota.* *Opiniones quatuor.* *Prima.* *Plotinus.* *D. Auguſt.* *Simplicius.* *Porphyrius.* *Proclus.* *Marſilius Ficinus.* *Ariſtoteles.* *Opinio 2.* *Ariſtot.*

Princeps. Hoc nos docet experientia: nam si à parte principali ad alias clauditur iter, priuantur aliæ vitalibus facultatibus ex Anima prodeuntibus. Tertia est opinio D. Thomæ, in 1. parte Summæ, q. 76. dicentis Animam Animalium perfectorum, carere extensione, nec quantam esse, nisi ex accidente, nec diuidi posse, eam verò insectorũ, & Plantarum esse extensam ex accidenti, & posse diuidi, quod ita ostendit: Formæ quę non valent formare partem seorsum à toto, diuidi non possunt, nam quod ex accidenti diuiditur, remanet in partibus, easque format, Animę primi ordinis sunt huiusmodi, at, non illæ secundi ordinis, quare &c. Hi consentiunt de hoc, Animam non extendi per extensionem Corporis, quod profectò approbandum non puto, nam Aristoteles ostensurus in 9. Contextu Animam esse actum organici Corporis, ait: ut pars ad partem, ita totum ad totum, ex quo conspicuè elicitur, Animam esse totam in toto, & partem in parte; Confirmatur: quia si Anima ubi est, tota est, sine extensione, igitur anima tota non exposcit Corpus organicum, sed tota valet partem non organicam formare, anima enim in alio est, ut forma. Præterea, omnis forma eatenus est extensa, & apta diuidi, quatenus educitur ex potestate materiæ, & ex materia pendet, eamque format, at, Anima non educitur, & pendet ex una parte tota, nec eam seorsum format, quare non est in una parte tota. Confirmatur: quia Anima ita est in parte, vt ei dat esse, at, ei non dat esse totum, quare in ea non est tota; Præterea, formæ quæ recipiuntur intermedijs dimensionibus, materiarisque dispositionibus, & exposcunt definitam subiecti molem, extensæ sunt, huiusmodi autem est omnis Anima mortalis; Præterea, Aristot. in Contex. 20. dixit in Plantis Animam non esse vni parti addictam, sed extensam, adeò, ut sit actu una, potestate multiplex, ut etiam se habet de portione Aeris, & Aquæ; & id quod dixit de Plantis, & insectis indicauit esse verum de omnibus, alioquin non de omnibus ostendisset partes Animæ non secerni loco. Præterea, Arist. in 1. de Anima, 92. & in Contex. 21. huius libri, ait de Mente secus se habere, ac de reliquis partibus, cum enim Mens non sit Organica, nec pendeat ex materia non extenditur, nec diuiditur, quare reliqui gradus extenduntur, & diuiduntur. Demum, hoc luce clarius elicitur ex 8. Physic. 78. & 79. quo loci ostensurus Arist. motores Cęlorum esse formas à Corpore seiunctas, non materiatas, accipiens id quod est commune cunctis formis materiatis, ait in maiori mole maiores, in minori minores esse, & diuidi diuisione Corporum.

Opinio 3.

Ratio.

Euertitur id de quo consentimus.

Quid elicitur.

Ex his elicio, minus rectè eos putare qui inquiunt, in accretione, & deminutione animalium, Animam eorum suprà materiam eleuari, & modo extendi, modò contrahi, vt maius vel minus redditur Corpus, nam forma ex materia pendens, non transit ex Subiecto in Subiectum, & solum est in ea parte materiæ, ex qua educitur, & fluente materia fluit forma, & in parte noua forma reficitur, dum noua accedit materia; Hoc etiam patefecit Arist. in 2. Phys. 26. inquiens: alterius formæ altera est materia, quare si noua additur portio materiæ, noua consurgit portio formæ.

Resolutio.

Pro resolutione itaque difficultatis, affirmo Primo omnium rectè sentientiũ consensione Mentem & omnem formam ex materia non pendentem non extendi, & diuidi in partes, sed ubicunque sint, totas esse, quod enim ex aliquo non pendet, etiam non participat conditiones eius. At loquendo de omni forma mortali, & materiata, quatuor profero Conclusiones; Prima est; Dum forma materiata consideratur secundum gradus Essentiæ, ea ubi est, tota est, non enim est calidior vniuersa ignis Sphæra una scintilla eius; Ratio est: quia essentia rerum in individuo est posita, & se habet perinde, ac species numeri, vt dicitur in 8. Metaphys. Contextu 10. ac ita nec intensio, nec remissio, ei competit, neque extensio, & consideratæ in partibus Corporis, dicuntur formæ partis, non autem partes. Altera Conclusio est; Dum Anima consideratur secundum gradus suos varios, idipsum est dicendum, nam ubi vnus reperitur Animæ gradus, reperiuntur & alij ad eam pertinentes, sic sensitiuum non est sine vegetatiuo, nec motiuum sine illis, adeò, vt consideratæ potentia, vt est eadem cũ

1. Concluſ.

Ratio.

2

essen-

essentia,ubi est,tota est,& hæc conclusio pendet ex priore; Tertia Conclusio est; Si loquimur de facultatibus ab Animæ essentia distinctis, consurgentibus ex organorũ constitutione,quæ sunt principia non absolutè operandi, sed benè vel male operandi,hæ in partibus uarijs variæ sunt: hoc indicauit Aristot.in hoc 2.de Anima,82.inquiens Animal non per omnem partem corporis audire,quia non in omni eius parte reperitur instrumentum audiendi,non autem dixit, quia non reperiatur audiendi facultas,nec ob id facultas dicitur frustra ibi reperiri, quia sat est vt in congruente parte ei paratum sit instrumentum. 3 Quarta Conclusio,quę præsertim ad rem facit,est; Omnem Animam ex materia pendentem,secundum extensionem consideratam,esse aptam diuidi, partem esse in parte, & totam in toto,ut conspicuè in 8. Physic. 78. & 79.indicauit Arist.quo solo fundamento nixus, demonstrauit motores Cælorum à corpore esse seiunctos; 4 *Dubitatio.* At, dices, cum formæ infra Animam positę prodeant ex mixtione, & Anima dicatur superuenire mixto, & temperamento, nonne est aliqua differentia inter huiusmodi formas? *Solutio.* Respondeo,differentiam in hoc esse positã,quod formæ infra Animam collocatæ, cum non egeant spiritu,tanquam communi instrumento,non exposcunt in Corpore commune principium, & principalem sedem per quam seruentur,& operentur, Anima uerò id exposcit, & non ęquè primo respicit omnem partem Corporis,sed ordine aliquo. *Differentia inter Animã & formas inferiores.* Insuper, Anima ob eius præstantiam, & uarietatem facultatum, exposcit pro sui esse, & conseruatione,integritatem quãdam Corporis,& principalium partium eius, quam reliquæ formæ proximiores materiæ,non exposcunt; Hinc Arist. in lib.de Iuuent. & senectute dixit, Animalia præstantiora magis unitatem seruare, quam insecta, & hæc magis,quam expertia Animæ. *Aristot.* Rationes aduersæ diluuntur; dicebat Plotinus:Partes Animæ uel sunt Animę, uel ne; Respondeo, sunt partes extensionis consimiles, ex quibus consurgit totum. *Diluuntur rationes aduersæ.* Argumentabatur D.Augustinus: Sentitur passio in parte à tota Anima, igitur in ea parte est tota. Respondeo, id euenire ob connexionem extensionis cum principio, usque ad quod principium passiones spiritaliter deferuntur. Dicebat Simplicius:In omni parte sentiri totum sensibile,& omnia,quare in omni parte reperitur tota,alioquin non ualeret ea inuicem comparari;Respondeo,in omni parte Animam reperiri totam secundum essentiam, ut dixi, & ob connexionem,cum uno principio ad quod deferuntur per passiones,læsa una parte, læditur tota, & ob id fieri potest comparatio. Sententia Porphyrij, Procli, & Plotini, vera est de Anima rationali non pendente ex Corpore. Ratio ex Marsilio deprompta, quod læsa una parte,lædatur tota, iam est soluta,id enim pendet ex nexu totius extensæ Animæ, cum aliquo principio per commune instrumentum spirituum; Ratio sumpta ex Semine non obest, sat est enim ut virtus in omni parte sit tota secundum essentiam,sic quæuis pars ignis generat ignem; Similiter,non obest id quod dicitur ab Aristot. in Planta esse Animã actu unam, facultate verò plures, & esse tanquam uaria uiuentia iuncta, nam hoc quoq; est uerum de Elementis, ueluti Aqua in eodem uase est actu una numero, potestate plures,ut dicitur in 1.Topicorum,ac ita sunt tanquam individua plura iuncta. Similiter, uerum est quod iudicium in individuo fiat, tum quia in quauis parte est tota secundum essentiam, tum insuper, quia notio est aliquid spirituale, in individuo positũ; Similiter,cum sit ostensum,Animam per uniuersum Corpus esse extensam, alioquin non formaret totum,reiecta est opinio Alberti & Philoponi quæ id ueri includit, ut Animæ competat unitio, & nexus per unum principale membrum, ex quo spiritus, qui sunt commune instrumentum Animæ, prodeunt & effunduntur per uniuersum Corpus,& hoc nobis indicant impedimenta officiorum Animæ per ligamenta. At, argumentabatur D.Thomas:Quæ non ualent formare partem seorsum a toto, individua sunt,nec est pars in parte,& tota forma in toto. Respondeo, id euenire, non quia cum sint formæ materiatæ,non sint necessariò extensæ, sed ex indigentia communis instrumenti, & nexu cum principe aliqua parte Corporis, & per diuisionem

seruatur semper totum secundum essentiam, at, non totum secundum extensionem: dum consideramus essentiam, verè dicere possumus, partem non esse minorem toto, at nondum consideramus extensionem.

An diuiso viuente seruetur in parte eadē portio Animæ.

Resoluta principali difficultate, cum dixerit Aristot. in Planta Animam esse actu unam, potestate plures, & reddi actu plures per diuisionem, Cōsiderandum occurrit, num facta diuisione, in parte reperiatur eadem numero Anima, siue portio, quę prius reperiebatur, uel gignatur noua. Qui putant Animam esse totam in toto, & in quauis parte, inquiūt desinere primam & nouam gigni: quia Anima in ea integritate totius est posita, qua dissoluta, dissoluitur, hoc dicitur à Simplicio hoc in loco nam prima tota, nō seruatur sine Corpore toto; Hinc Marsilius Ficinus in 7. Platonicæ, 5. capit. Theologię, inquit Anima in insectis nō diuiditur, sed interit quamprimum ea cōpages Corporis dissoluitur, & statim fiūt in frustis nouę Animę ab Anima Mūdi. Sententiam hanc approbandam non puto: nam tunc ea esset interitus partium, & generatio noui Animalis, quæ à nullo fieri potest: nam Anima Mundi ab Aristot. non approbatur; Præterea, frustra fit per plura, quod potest seruari per pauciora. Præterea, si id esset, tunc consimili ratione amputato crure hominis, deberet noua refici Anima in reliquo Corpore, quod nemo diceret. Præterea, Aristot. inquit, Animam esse actu unam, potestate plures, at, non ea actu una esset, & potestate plures, si tota periret. Insuper, idipsum seruatur in Elementis, ut dictum est de Aqua. Dicamus itaque, in ac parte Lacertę, uel Plantę, seruari eandem numero partem extensionis Animę, quę primò reperiebatur, ea tamen primò iuncta alteri, solum erat pars, mox redditur tota, ut se habet de partibus Aquę primò iunctis, mox seiunctis. Insuper occurrit considerandum, num quando insecta, & Plantę diuiduntur, quęuis pars uiuens debeat dici Animal, & Planta: nam sententia est Aristot. in 1. de Anima, 86. Non dicere Animal id, cui inest Anima, absurdum est. Respondeo, & loquens primò de insectis, ueluti de Anguilla, & Lacerta, dico, quamlibet partem esse Animal totum secundum essentiam, at, non secundum integritatem Corporis; Loquendo autem de Plantis, dico, partem subplantatam & uiuentem, dummodo includat singulas partes requisitas pro integritate Plantę, esse Plantam totam, cum secundum essentiam, tum secundum integritatem Corporis; Quo autem modo debeat fieri diuisio, ut seruetur Anima in partibus, satis est conspicuum, requiritur enim ut in eis semper aliquid seruetur quod fungatur officio Cordis, id autem non adeò est contractum est definitum in insectis, & Plantis, ut in Animalibus absolutioribus, debet fieri diuisio longitudinis, non latitudinis, ne Cor diuidatur, & debet esse alicuius definitę molis, & ut seruetur, debet ei competere pars per quam recipiat alimentum.

Simplicius.

Marsilius.

Euersio.

Sententia propria.

An quæuis pars diuisi animalis vel plantæ, sit Animal vel Planta.

Solutio.

Contex. 21.

DE Mente autem & contemplandi facultate, nil adhuc manifestum est, sed videtur genus aliud Animæ esse, & hoc solum posse separari, vt æternum à mortali.

DVBITAVERAT Philosophus an relati Animę gradus dū in eodem reperiuntur, sint Animæ integrę, uel partes, & quia dum seorsū reperiuntur, ut nutriens in Planta, sunt Animę integrę, in eodem tamen Animali sunt partes, quęrebat, cum sint partes, num secernantur loco, uel sola ratione, & dixit de quibusdam patere quid sit dicendum, de nonnullis autem latere, manifestauit de quibus pateat, & declarauit Nutrientem, Sentientem, & Mouentem coextendi, & non distingui loco, ut putauit Plato, sed sola ratione; Modò uerò intentio eius est, declarare de quibus lateat, nimirum, de Principio Intelligendi & Cogitandi, cum enim quatuor gradus retulerit, & de tribus alijs uerba fecerit, superest solus hic quartus gradus, de quo tenetur

Intentio.

netur loqui. De quo Aristot. tres profert Conclusiones; Prima est, quod de Mente & facultate contemplandi, nimirum de hoc quarto gradu, nil adhuc manifestum est: num scilicet secernatur loco, & extendatur, vel ne; Altera est, quod consideranti eius officia, & conditiones, videtur aliud genus Animæ, & ob id non extendi, nec sola ratione, sed etiam essentia distingui; Tertia est, quod hoc solum genus Animæ videtur posse ab eo separari, in quo est vt perpetuum & immune ab interitu, à Corpore obnoxio interitui. *Diuisio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, non consentire interpretes quid denotet Arist. per Mentem & facultatem contemplandi. Madius, & Portius, Philosophi celebres, putarunt denotari non partem Animæ dianoeticam, cuius in præcedentibus pro quarta Animæ parte facta est mentio, sed vel Mentem agentem, quam dixêre esse Deum, vel actum intelligendi extrinsecus modo quodam nobis aduenientem, idque suadere nitebantur per contextum sequentem, in quo de opinione erit sermo ad dianoeticam attinente, tanquam de parte, de qua constet non secerni loco; At, hi longè à vero recedunt: nam Aristot. de gradibus Animæ loquitur, non de Deo, vel actu intelligendi, inquit enim quod videtur aliud Animæ genus. Insuper, idipsum patet per prima uerba sequentis Contextus, dum dicitur: Reliquæ autem partes animæ, &c. quæ indicant hanc de qua modo loquitur, esse partem Animæ; Præterea Aristot. de quatuor Animæ gradibus & partibus dubitauit, & dixit de quibusdam latere quid sit dicendum, & cum asserat de tribus reliquis patere, cogimur affirmare id de quo lateat, esse gradum quartum, attinentem ad Mentem. Præterea, si Mentem agentem quam putant Deum, denotaret, non solueret difficultatem de quo erat soluenda, se solueret de quo non est soluenda, & de quo nulla est facta mentio; Præterea, dicere de Deo quod uideatur aliud genus Animæ, & sit immortalis, apprimè est absurdum, nemo enim dubitat an Deus immortalis sit. Dicamus itaque Aristot. loqui de gradu quem numerauerat, & appellauerat Mentem & principium Intelligendi, quod ob uaria officia, uarijs denotatur nominibus, ut suo loco patebit; Nec obest instantia sumpta ex opinione, quia denotabitur opinio pertinens ad Phantasiam vt apparebit in eius expositione. Considero Secundò, quod Aristot. ait de Mente, & contemplandi facultate nil adhuc manifestum esse, at, contra, nonne data est communis Definitio? Respondeo, nil esse manifestum vt pertinet ad difficultatem propositam, quæ erat, an secernatur loco; insuper, nil esse manifestum quod eius sit proprium, sed id solum, quod est commune; Nec etiam esse manifestum quomodo sit actus, nec quatenus est uis contemplandi. Considero Tertiò, quod ait: Videtur genus aliud Animæ; Cum dicat (uidetur) dicebat Alexander referente Simplicio indicari dubitationē, nō absolutam resolutionem; Simplicius uerò inquit, quod accipi uidetur pro explorato, & manifesto, cui uidetur aduersari Aristot. inquiens nil adhuc esse manifestum. Propterea dicamus, nil de hoc fuisse hactenus explicatum, tamen per eius officia & conditionem uideri talem, ut absolutè, & distinctius in 3. libro explicabitur, non enim hic est locus proprius, & iure ais uideri genus aliud: nam ut dicitur in calce 10. Metaphysicæ, æterna & mortalia, sunt distincta genere, & nil habent commune Vniuocum, & ob id actus pro genere sumptus, non debet iudicari Vniuocus, sed ab uno. Considero Quartò, quod dicitur posse separari ut æternum a mortali, nam separari contingit quatuor modis; Vel cum sui interitu, & sine interitu Subiecti, ut nonnulla Accidentia dicuntur apta separari; Vel ut gradus prior, qui ualet seruari sine posteriore, ut uis nutriēdi, & Sensus Tactus; Vel ita, ut seorsum subsistat, ut uinum potest separari ab amphora; Vel Quartò, ut id seruetur incolume & immune ab interitu, post interitum Subiecti, in qua significatione

Consid. 1.

Opinio quorundam de Mente.

Euersio.

Sententia propria.

2 *Dubitatio. Solutio.*

3 *Alexand. Simplicius. Sententia propria.*

4 *Separari quatuor modis cōtingit.*

hoc in

Quæ elician tur.

hoc in loco intelligi debet; Ex quo elicio Primò; Mentem separari ab alijs, nedum Ratione, sed etiam Essentia, & non extendi, sed ubi est, tota est; Elicio Secundò, quod cum dicatur, posse separari, ualemus inferre, quod necessariò separetur: quia nil ex Accidenti corrumpitur, ut dicitur in 10. Meraphysicæ, Contex. 26. quare, si esset mortalis, non posset separari, sed dicitur posse separari, quare necessariò est immortalis.

Contex. 22.

RELIQVAE autem partes Animæ, manifestum ex his quod non ita sunt aptæ seiungi, vt quidam aiunt; Ratione autem quod alia, manifestum est. Sensitiuo enim esse & Opinatiuo, aliud est, cum Sentire distinguatur ab Opinari, similiter & cætera quæ dicta sunt.

Intentio.

Diuisio.

DIXERAT Philosophus de nonnullis partibus patere per opera, quod non secernantur loco, & de nonnullis latere; Declarauit Primò de quibus pateat, mox de quibus lateat; Nunc redit ad eas de quibus patere dicebat, inquiens patere de reliquis à Mente seiunctis. Diuiditur Contextus in tres partes; In Prima inquit: Ex his quæ dicta sunt, considerando earum officia, patere reliquas Animæ partes à Mente distinctas non seiungi loco, vt Plato existimauit. In Altera parte, inquit eas seiungi Ratione, Definitione, & ipso esse, quæ pro eodem frequenter vsurpantur. Quod autem ratione distinguantur ostenditur in Tertia parte; hunc in modum: Illæ facultates quarum officia ipso esse distinguuntur, inter se distinctæ iudicari debent, at, reliquarum partium officia inter se sunt ipso esse distincta, vt patet de officio opinandi, & sentiendi, quare etiam & facultates quarum sunt officia.

ANNOTATIONES.

Considerat. prima.

CONSIDERO Primò, quod cum Arist. dicat: Reliquæ partes, &c. conspicuè indicat id, de quo dixit esse genus aliud Animæ, & posse separari, non est aliquid ab Anima distinctum, sed pars eius, quæ nulla alia esse potest præter Mentem humanam, quæ ob officia varia denotatur varijs nominibus, ut enim ratiocinatur & cogitat, dicitur Dianoetica, vt intelligibilia apprehendit, dicitur Mens, & facultas Noetica, per primum officium magis nectitur cum Phantasia, per alterum magis eleuatur, magisque conditionem suam diuinam patefacit, hinc dum dicitur immortalis, nuncupatur Mens, & facultas contemplandi, quod officium contemplandi ad nostram Mentem pertinet, quæ in 3. de Anima dicitur particula Animæ, & in Contex. 15. legitur, quod Scientia Contemplatiua, & scibile idem sunt; At, Mens nostra, quæ dicitur potestate, ea est, quæ fit scibilia omnia, quare ea est illa pars, quæ in Contextu præcedente dicebatur Facultas Contemplandi.

Instantia.

Considero Secundò, aduersus id quod dixi, se offerre instantiam, relatam in expositione antecedentis Contextus, & non solutam: nam Arist. modo referens reliquas partes, refert opinionem quę ex calce huius libri pertinet ad Mentem nostram, quare id de quo Arist. tunc loquebatur, non erat Mens nostra.

Officium expositoris.

Officium fidelis expositoris est, per sententias conspicuas illustrare obscuras, at, qui de Mente humana sequuntur Alexandrum, oppositum efficiunt, nituntur enim per quædam obscura obumbrare conspicua. Conspicuè apparuit Arist. in præcedente Contex. loqui de humana Mente, quæ dicitur particula Animæ; Et dum obijcitur de opinione ad eam attinente,

Solutio.

Solutio elicitur ex ipsomet Arist. qui in 3. de Anima, Contex. 57. dupli-

cem

cem indicat esse opinionem, vnam cum Syllogismo, attinentem ad Mentem; Alteram pro interno iudicio, & sine Syllogismo, pertinentem ad Phantasiam; qua distinctione etiam vtitur Simplicius. Præterea, mos est Arist. dum disputat aduersus aliquem, uti approbatis ab eo, disputat modo aduersus Platonem, secernentem loco partes Animæ, Plato autem Phantasiam dicebat esse Opinionem complicatam cum Sensu. Considero Tertiò, quod satis conspicua se offert diluenda controuersia, nam ex una parte dictum est in præcedentibus ex sententia omnium Academicorum, Animam esse tota in toto animali, & totam in quauis parte; ex altera autem, Arist. tribuit Platoni, quod partes animæ secernat loco, ut sæpè eas secernere uidetur, quare non erit tota in quauis parte. Diluunt Academici omnes controuersiam hanc; Simplicius id facit per distinctionem ei familiarem, diuidendo in facultatem utentem, & formārem corpus, per facultatem utentem ait animam esse in quauis parte totam, per formantem uerò esse diuisam. Iamblichus utitur distinctione in animam & Vestigium, siue Idolum, & Vmbram animæ, verè anima est ea quę à Simplicio dicitur utens, Vmbra uerò, & Idolum, est ea, quæ dicitur formans. Plotinus inquit distinctionem pertinere ad instrumenta animæ, & eorum principia, non ad essentiam, & in idem redigitur. Considero Quartò, quod alia se offert dubitatio, nam inquit Arist. de multis animæ partibus patere, non distingui loco, ex numero quarum ait esse Sensum, at, de Sensu oppositum apparet, inspicimus enim uisum ab auditu loco secerni. Similiter ab odoratu, & gustatu. D. Thom. concedit has partes, siue facultates distingui loco, nam facultates distinguit ab Essentia animæ, sed conspicuè aduersatur Aristot. qui de Sēsu ait, non distingui loco. Propterea dicamus, distinctionem apparere quidem in instrumentis proprijs uariarum facultatum, per quę uarijs funguntur officijs, at, non in essentia animę & facultatibus quę sunt eędem cum essentia, & hoc elicichat Aristot. ex communibus operibus, ueluti ex Motu secundum locum, ex appetitu, & Sensu Tactus, quæ facultates, cum loco non sint seiunctæ, & secundum essentiam, ac pro fundamento, & absoluto non distinguantur ab alijs, ex materia pendentibus, absolutè elicitur, Sensum ab alijs non distingui loco; ex quo etiam eliceremus, potentias Animę sola ratione distingui ab essentia, ac ita esse extensas per vniuersum Corpus, non autem loco seiunctas, & in eis partibus fungi suis officijs, in quibus reperiuntur instrumenta eis famulantia. Considero Quintò, quod Aristot. format hanc Rationem: Opera facultatis Sentientis, & Opinantis sunt distincta, igitur & facultates; quæ consequutio videtur carere necessitate, nam ab eadem parte animæ, ut à nutriente, prodeunt uaria, nimirum Nutritio, Accretio, & Generatio. Præterea, inquit Aristot. in 2. Physic. ab eodem fieri contraria, ut à natra præsente, & absente, salus nauis, & naufragium. Præterea dicam, Opera sunt distincta secundum essentiam, igitur & principia; insuper, sunt distincta loco, ut uidere & audire, quare & principia, siue facultates, & partes. Pro Solutione tria accipio; Primum est, quod dum dicimus facultates distingui per opera, ea opera dupliciter possunt considerari; Primò, ut sunt effecta à principio efficiente, ac ita dicuntur signa distinctionis suorum principiorū; Secundò, cum relatione ad intentionem efficientis, qua consideratione dicuntur fines, nam id cuius est opus, est gratia operis, ut dicitur in 2. de Cælo, 17. & sunt causa distinctionis principiorum in genere finis. Accipio Secundò, dum ex distinctione operum elicimus distinctionem facultatum, inspici debent opera proxima & propria earum, quæ secundum se prodeant ex eis non ex accidenti. Tertiò, addendum est, non tantam requiri distinctionem principiorum, quanta est ea operum; Ratio est: quia pro operum distinctione uaria conspirant præter distinctionem principiorum; necessaria tamen semper est distinctio Rationis, sumpta ex uaria relatione, ad varia opera, veluti patet de distinctione Materiæ, relatæ ad Formas varias, ut dicitur in 1. de Ortu & interitu, 29. & in 4. de Cælo, 37. Ex his conspicuæ eliciuntur Solutiones, nam anima nutriens distincta ratione, augendi, generandi, & nutriendi principium

3 *Controuersia ad Platonem attinēs.*

Solutio. Simplicius.

Iamblichus.

Plotinus.

4 *Dubitatio de Sensuum distinctione.*

Solutio.

5 *Ratio Aristotelis.*

Dubitatio.

Solutio.

est.

est. Similiter, ab eodem non prodeunt contraria secundum se, & eadem ratione, siue modo se habendi, cætera iam sunt soluta.

Contex. 23. *ADHVC autem quibusdam Animalium omnia hæc insunt, nonnullis quædam horum, aliis autem vnum solũ, & hoc constituit differentiam Animalium; Cur autem id fiat, posterius est perscrutandum; Idipsum etiam de Sensibus accidit, nonnulla enim prædita sunt omnibus, alia quibusdam, quædam demum vno, maximè necessario, nimirum Tactu.*

Intentio. DICEBATVR partes Animę in eodem Animali distingui, non loco, sed ratione; Nunc uerò ut clarius patefaciat distinctionem & simul manifestet quomodo & partes, & Animæ totę dici debeant, quod in præcedentibus declarandum proposuerat, manifestat per uarios Animæ gradus, uaria uiuentia cõstitui, & hoc etiam summoperè conducit pro notitia secundæ Definitionis Animæ, ut distinctè pateat quomodo sit principiũ Nutriendi, Sentiendi, Mouendi, & Intelligendi, quia non in omnibus uiuentibus est principium omnium. Diuiditur Contextus in tres partes; In Prima proponitur ordo principalium partium Animæ, & est, quod quędam Animalia, ut Homo, cunctis gradibus sint prędita; Alia media, ut Iumenta, & Stirpanimalia, non cunctis, sed quibusdã; nonnulla, ut Plantæ, uno solo; per quos distinctos gradus Animæ, constituuntur distincti gradus Animalium; In Secunda parte ratio huius ordinis in calce tertij libri dicitur explicanda; In Tertia parte id quod apparet in principalioribus Animæ partibus, ait quod etiam seruari uidetur in Sensibus, ut est conspicuum de Tactu.

Diuisio.

ANNOTATIONES.

Consider. 1. CONSIDERO Primò, quod Arist. inquit ꝑ uariã participationem graduum Animæ, constitui differentias Animalium, debuisset dicere viuentium, quia Plantę non sunt Animalia, dixit tamen (Animalium) Primò, quia uiuens fuit definitum solum per attinentia ad Animam nutrientem; Secundò, quia plures & pręstantiores Animæ gradus, sunt illi Animalium; Tertiò, quia Anima consideratur præsertim cum relatione ad Animal; Varij gradus Animæ, dicuntur constituere differentiam, quia sunt formæ, differentia autem pertinet ad formam; Considero Secundò, cum Arist. dixerit uarietate graduũ Animę, constitui uarias differentias Animalium, & in superioribus includantur facultates inferiores, iure quæri potest, num uis nutriens hominis sit eiusdem speciei cum ea Plantæ; Similiter, num Phantasia Leonis sit eiusdem speciei cum illa Canis, uel Equi; Insuper, nũ uis uidendi uel audiẽdi unius, sit eiusdem speciei cum uirtute uidendi, uel audiendi alterius. Respondeo, facultatem Animæ esse eiusdem, uel distinctæ speciei, contingere dupliciter; Vel absolutè, & secundum essentiam, ac ita distinctorum numero, sunt distinctæ numero, distinctorum specie, sunt distinctæ specie. Ratio est quia Essentia est rerum propria forma, quæ uariorum est uaria; Vel considerari possunt secundum modum, & rationem propriam, per quam ad idem Obiectum referuntur; secundum quam rationem & formalitatem dici possunt eiusdem speciei. Considero quod hæc dici potest externa, illa uerò interna, hæc cũ relatione, illa absoluta. Considero Tertiò, quod cum Arist. constituat gradus, & ordinem externorum Sensuum, inquit Philoponus, Stirpanimalia solo Tactu esse prædita, Ostreas etiam Gustatu,

Cur dixerit Animaliũ.

2

An vis nutriens hominis sit eiusdẽ speciei cum ea Plantæ.

Solutio.

3

Philoponus.

ſtatu, Conchilia inſuper, Odoratum, Talpã Auditu ſine Viſu, at, cui competit Senſus Viſus, competunt omnes; Sed eſt dubitatio de Guſtatu, an cũctis competat; & de Apibus quæ ab Ariſt. in Proœmio Metaphyſ. dicuntur carere Auditu, cũ tamen ſint præditæ Viſu; at de his alius magis proprius occurret diſputandi locus.

QVONIAM autem id quo viuimus, & ſentimus dupliciter dicitur, veluti id quo ſcimus, dicimus enim hoc quidem Scientiam, id verò Animam, nam vtroq; horum dicimur ſcire; Similiter quoque id quo ſani ſumus, aliud quidem eſt ſanitas, aliud verò pars aliqua Corporis, aut totum; Horum autem Scientia quidem, & Sanitas forma eſt, & Species, & ratio, & vt actus recipientium. ea quidem ſcientis, hæc verò ſani, videntur enim efficientium actus in patiente, & diſpoſito recipi, Anima autem eſt id, quo viuimus & ſentimus, & intelligimus primò, Anima itaque ratio quædam erit, & ſpecies, at non Materia & Subiectum. Contex. 24.

INDAGABAT Philoſophus ſecundam Animæ Definitionem datam Propter Quid, ex diſcrimine animantium, ab inanimis, quod in vita dicebatur poſitũ, in qua vita quatuor conſiderabantur gradus per varios Animæ gradus conſtituti, ex quo elicimus Animam eſſe eorum principium; Sed quia Principium quo viuimus eſt duplex, ideo conſilium Ariſt. modo eſt patefacere Animam eſſe primum vitæ principium, & ex eo inferre quod ſit actus, & prima perfectio viuentis, quod dicebatur per primam Definitionem. Diuiditur Contextus in tres partes; In Prima profertur & explicatur Maior propoſitio; In Secunda Minor; In Tertia colligitur Concluſio. Ratio ita formatur: Omne primum uitæ principium, eſt forma, & prima perfectio viuentis, Anima eſt primum vitæ principium, quare eſt forma, & prima perfectio viuentis. Pro patefacienda Maiori propoſitione, diuidit Philoſophus principiũ quo viuimus in principale, & ſecundarium, principale eſt Forma, ſecundarium eſt Subiectum, & Materia; hoc illuſtrat duplici exemplo, Primum ſumitur ex Anima, & Scientia: nam ſcire dicimur, & Anima, ut Subiecto habitus, & ſcientia tanquã habitu & forma. Alterum ſumitur ex Sanitate, & Corpore, dicimur enim eſſe ſani, uel ſanitate tanquã forma, & actu primo, uel Corpore toto ſiue parte, ut oculo; & iure dicimur his duobus ſani, ſcire, & uiuere, nam forma quæ eſt principium primum recipitur in Subiecto rectè affecto, ex quibus duobus cõſurgit compoſitũ, quod abſolutè ſanum, ſciens, & uiuens denominatur. Sequitur Minor, dũ inquit Ariſt. anima eſt quo uiuimus, ſentimus, & intelligimus primò, nam ex ſe conſtat quod ea in alio eſt, non autem eſt Subiectum; prætermittit motum, quia uis mouens, non uerè eſt diſtincta, ex his colligitur Concluſio ut patet. *Intentio.* *Diuiſio.* *Ratio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod loquendo de principijs, uel loquimur de efficiente, & hoc diuiditur ab Ariſtotele in 8. Phyſ. 35. quia vel eſt mouens, vel quo mouet, & hoc diuiditur, quia uel mouet ſeipſo, uel alio, ut baculo. At, ſi loquimur de principijs internis, tunc id cui abſolutè competit denominatio, eſt compoſitum, hoc enim eſt id quod uiuens, ſanum, & ſciens de- *Conſider. 1.*

nominatur; Principia verò sunt Forma, & Materia, quæ id constituunt, quorum forma principale est, vt patet ex 2. Phys. hinc viuens his duobus viuere dicitur, & similiter denominatur Sapiens & sanus, præsertim tamen & primò per Formam, quia ea est illa, quæ largitur esse, & à qua primò recipitur denominatio, & iure quo viuimus, duplex tantum esse dicitur, quia duo sola sunt principia rem intrinsecus constituentia, ex quibus tertium consurgit compositum, & completum. Considero Secundò,

Cur quo viimus duo sunt.

2 quod dum dicimus formam esse principium primum quo compositum viuit, forma est duplex, vel formans, vel assistens, de formante præsertim vera est ea sentẽtia, quia operatio competit composito per principia illud constituentia, de assistente non est vera, nisi Subiectum necessariò conspiret, veluti, non dicimus Cælum intelligere Mente & Cælo, quia Corpus ad id non conspiret, dicimus tamen ex sentẽtia puratium cum Arist. humanam Mentem assistere, hominem intelligere Mente, & Subiecto ob necessariam conspirationem Phantasiæ. Confirmo hoc per Arist. qui in 2. de Cælo inquit, Cælum viuere, & dicitur viuere anima primò, secundò corpore; Similiter, in 8. Phys. Cælum dicitur ex se mobile, est autem tale anima assistente, & Corpore; includit itaque ratio Arist. uim de vtraque forma, discrimen autem patebit, dũ

3 explicabitur id quod est proprium humanæ Mentis. Considero Tertiò, pro declaratione secundæ Definitionis animæ, quod dũ definitur communi ab uno, potest quidem idem per communia ab uno explicari, ut fecit Arist. dans primam Definitionẽ; Idipsum posset seruari dum traditur secunda; nam dicere possemus animam esse primum uitæ principium, at, tum quia distinctius id explicatur numerando ordinatã, tum insuper, quia uiuere descriptum est tanquam proprium animæ nutrientis, ideo Arist. utitur enumeratione, ut etiam figura cum enumeratione definitur quod ea sit,

Galenus.

quæ termino, uel terminis clauditur; Et Ars Medendi à Galeno Definitur, quod sit Scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum, & alia plurima cum enumeratione definiuntur. Ex hac secunda definitione, & prima, consurgit integra definitio, quę est tota Demonstratio, solo partium ordine distincta, & est hæc. Anima est prima perfectio corporis Physici, Organici, qua primo uiuimus, sentimus, & intelligimus. Cõ-

4 fidero Quartò, quod cum anima dicatur esse primum quo uiuimus, in dubium uertitur, per quod genus causę tradatur hęc secunda animę Definitio, D. Tho. ait tradi per

Per quod genus causæ tradatur secunda Definitio Animę.

effecta, quæ sunt notiora nobis; at, hoc aduersatur Aristoteli qui in Contex. 12. proposuit indagandam eam Definitionem, quæ esset causa prioris, & traderet propter quid eius; Auerroes inquit non esse propriè demonstrationem, dum ex secunda infertur prima. At, nisi fuerit exacta demonstratio, tamen vt Arist. id seruet quod est pollicitus, debet esse ratio, & causa primæ Definitionis; Propterea dicendum puto,

Opinio propria.

secundam Definitionem constare ex externis, nimirum, ex causa efficiente, & fine, quales esse debent Definitiones explicantes Propter quid, nam dum dicimus animã esse primum principiũ, denotatur efficiens, dum addimus, nutriendi &c. denotamus opus, quod est finis eius cuius est opus; ut dicitur ab Arist. in 2. de Cęlo, 17. nã quamuis opus absolutè dicatur res effecta, dum tamen refertur ad intentionem operantis, dicitur finis, veluti latissimè patefecit Arist. in 1. Nicomachiorum, dum manifestauit ultimum finem Hominis esse actionem, ex uirtute prodeuntem; Sic itaque secunda Definitio explicat causam efficientem, & finem, dum tamen refertur ad primam, solum explicat finem eius, nam explicat cuius gratia uiuẽtibus sit tributa ea prima perfectio Corporis, non assignatur autem causa efficiens Animę, quia non habet causam efficientem æquiuocam, ex qua pendeat secundum esse, & conseruationem, ut affectiones quæ ob id per cãm efficientẽ definiuntur; Et cũ hæc secunda Definitio explicet finem primæ, etiam est per priora & notiora, cum nobis, tum Naturæ, nobis quidem, quia est per opera sensu conspicua, Naturæ verò, quia est per finem, qui est causa causarum: Nam finis excitat causam efficientẽ, ad permutandum materiã, pro educenda forma; secundum hanc explicationem Arist. id seruat, quod est pollicitus,

& pa-

& patet non secus ualuisse Animam rectè definire. Considero Quintò quod cũ Arist. 5
ostendat Animam esse in uiuente, tanquam speciem, & formam, Alex. à sufficienti partium enumeratione, nititur idipsum comprobare, nam unum esse in alio, contingit multipliciter, ut dicitur in 4. Physic. Contex. 23. Vel ut species in genere; Vel ut Genus in specie; Vel ut pars in toto; Vel ut totum in parte; Vel ut in uase; Vel ut in loco; Vel ut accidens in Subiecto; Vel ut miscibile in mixto; Vel ut materia in composito; Vel ut forma in formato; reiectis reliquis modis, colligitur Animam esse in uiuente tanquã formã: Plotinus uerò Ennea. 4. libro 3. cap. 20. inquirens modum quo Anima sit in uiuenti, Inquit non esse in eo, vt in loco; nec vt affectionem in Subiecto; nec ut partem in toto; nec ut totum in partibus; nec ut formam in materia; quia forma non valet à materia separari, Anima autem ualet, nam Anima solum in materia efficit speciem, tanquam Idolum sui, colligit, non Animam esse in Corpore, sed corpus in Anima, quia continere est officium præstantioris; insuper æternũ, non fluens, non est in eo quod fluit. Mox cap. 21. inquit esse in Corpore, ut nautam in naui, at, Artem in instrumentis, & tanquam Lumen in perspicuo, quod non permiscetur, & est ubique totum. Errat, cum excludat esse in alio tanquam formam, nam modus hic præstantiam denotat, cum dicatur perfectio, nec omnis forma mortalis est, sed solum materiata; insuper, tres Animæ gradus separari nequeunt, quare saltem de illis non rectè sentit. Propterea dicamus, uel consideramus modum proprium quo Anima est in uiuente, vel modum secundum metaphoram; si proprium, ea est actus primus, forma, & perfectio uiuentis; Per metaphoram uerò, dicere saltẽ de parte ualemus, esse in viuente tanquam nautam in naui, ut dicitur in Contex. 11. Insuper, ut Principem in Vrbe, ut dicitur in lib. de Progressu Animi & de Iuuentute & Senec. ut continens in contento, in 1. de Anima, 90. ut Deum in Mundo magno, ita Animam in paruo, ex 8. Phys. 17. ut totum in concreto quoniam est totũ id quod res est, ut id quod ex accidenti uehitur, in suo uehiculo, ut dicitur in 8. Physic. 51.

Approbatio Alexandri.

Plotinus.

Euertitur sentẽtia Plotini.

Sententia propria.

Considero Sextò, quod Arist. inquit uiuens uiuere Anima, & Corpore; dubium est, 6
quodnam sit illud quo secundario dicimur uiuere; Simplicius ait id secundarium esse compositum ex Anima, & Corpore, quod dicitur secundarium, quia id habet ab Anima, & confirmat suam essentiam, quia altera pars compositi non est id quo uiuimus, sed quo uiuere possumus; At, errat: nam compositum non est id quo uiuimus, sed est ipsum uiuens; Insuper Arist. conspicuè exemplis manifestat id aliud esse Subiectum, nam uiuens est compositum, Principia quibus viuit, sunt componentia, uiuit Animal Anima ut forma, corpore ut recipiente, & materia, & ob id addit actum, & formam recipi in Subiecto disposito, & alterius formæ alteram dixit esse materiam, in 2. Phys. 26. & dum Corpus est formatum per id ut per Subiectum, & recipiens, dicitur compositum uiuere. Considero Septimò, quod cum Anima dicatur primum principium quo uiuimus, sentimus, & intelligimus, Arist. videtur Definitionem tradere, soli Animæ Hominis competentem, nam Definitio debet reciprocari cum Defitio, reciprocatur autem cum sola Hominis anima, ut consideranti est conspicuum, ac ita uidetur labi in eorum errorem, qui loquentes de anima, de sola ea quæ Hominis est uerba fecerunt, ut dicitur in Procemio. Respondeo, Aristot. considerare animam mortalium secundum uniuersam eius latitudinem, & modo eam Definire cũ enumeratione singulorum graduum, cum autem id quod est ab uno, per enumerationem Definitur, tunc secundum uniuersam enumerationem, reciprocatur cum uniuersa latitudine, secundum enumerationem propriæ alicuius partis reciprocatur cũ ea, adeò, ut Definitio simul sit & una, & multiplex, ut etiam id, quod est ab uno, & unum, & multiplex iudicari debet. Considero Octauò, iure aliquem dubitare posse, quia dixi Definitionem esse per finem, cum sit per opus; at, dicet aliquis, si Definitio per opus, est per finem, tunc Demonstratio Quia, erit per causam, & Propter Quid, cum sit per effecta, quę opera sunt, & fines. Respondeo, opus considerari du-

Simplicius.

Euersio.

7 *An sola Hominis Anima Definiatur.*

Solutio.

8 *Dubitatio.*

Solutio.

plicitèr; Vel ut extrinsecus effectum; Vel ut est in facultate, & intentione agentis; Prima consideratione est res producta, & est medium in Ostensione Quia, Altera verò est finis; Ex quo elicio, sentire, nutriri, & alia sumpta in Definitione, debere accipi pro facultate, non pro actu, hinc Arist. ait sensitivum, & primum principium, quo sentimus, denotando facultatem, & dum denotatur finis, & intentio, semper debet considerari relatio ad opus proximũ principale, & quod æquetur facultati; Et si quis adhuc obijciat, quia dicendo Principium quo intelligimus, hoc etiam competit motoribus Cælorum; sunt enim Principia intelligendi; Solvitur assignando quatuor differentias; Prima est: quia Arist. denotat illud intelligere, quod subordinatur facultati nutriendi, & sentiendi; Secunda, quia Aristot. ait esse Principium quo intelligimus, non quod intelligit, Mentes Cælorum absolutè ipsemet intelligunt, non Cælli per eas; Tertia differentia est, quia dicitur primò, pro distinctione a Principio secundario, quod non consideratur in mentibus Cælorũ; Quarta, quia inquit *Ratiocinamur*, hoc est cogitamus, sive ratiocinamur, quod est illud opus, per quod humana Mens distinguitur à Mentibus Cælorum, & iure optimo etiam illud accipit, cum per illud Mens maximè nectatur nobiscum & reddatur particula Animæ.

Alia dubitatio.

Solutio.

Contextus.

TRIPLICITER enim cum dicatur Substantia (ut diximus) quarum una est Species, altera Materia, tertia, quæ ex utrisque, quarum materia quidem Potentia est, species Actus, quod verò ex utrisque est Anima praditum, non est Corpus actus Anima, sed ea Corporis cuiusdam. Et propterea rectè opinantur qui putant, neque sine Corpore esse, neque Corpus aliquod Animam: Nam Corpus profecto non est, sed est aliquid Corporis, & propterea est in Corpore, & in Corpore tali, & non ut Veteres, qui cum Corpore eam nectebant, non vlterius decernentes cum quo, & quali, cum tamen appareat, non quoduis, recipere quoduis, hoc autem rectæ rationi sit, cum vnius cuiusque actus, in eo quod potestate est, & in materia propria, sit natus fieri; Quod itaque actus quidam est, & ratio potestatem habentis, vt sit huiusmodi manifestum ex his.

26

Narratio.

Diuisio.

Expositio.

VM Philosophus primam animæ Definitionem per attinentia ad secundam comprobaverit, ut finem congruum imponat communi considerationi animæ, consilium eius modo est, colligere tanquam summam quandam eorum quæ hactenus sunt declarata; & dividit præsens Contextus in quatuor partes; In Prima formatur hæc Ratio: Omnis Substantia vel est materia, vel forma, vel compositum; anima est Substantia, & non est compositum, nec materia, quare est forma, & actus materiæ, sive Corporis talis, ut dictum est, & quia hoc colligebatur in calce præcedentis Contextus, ideo modo profertur per modum causæ, dicendo: Tripliciter enim &c. Et quia dixit animam esse actum Corporis talis, nimirum, Physici, & Organici, ideo in secunda parte commendat sententiam primò Pythagoræ, mox Platonis, dicentium, animam non esse Corpus, ut minus rectè putarunt vetustiores Philosophi, non tamen posse esse sine Corpore, cum sit aliquid eius, nimirum actus, & perfectio. Et quia Arist. sententias Veterum etiam ab eo approbatas, nixus est semper in parte aliqua corrigere, ut appareat eos eminus

tantum inſpexiſſe ueritatem, eamque leuiter attigiſſe, ideo in Tertia parte relatam ſententiam in eo corrigit, quia indefinitè dixerunt animam eſſe in Corpore, & non decreuerunt quale nam debeat eſſe illud Corpus, ſed dicebant migrare per uaria animalium Corpora, & modò eſſe in uehiculo Oſtreaceo, & craſſo, modò in Aereo, modò in Aethereo, quod eſſe falſum ita oſtendit: Vniuſcuiuſque actus in propria & definita materia natus eſt recipi, anima eſt actus quidam Definitus, quare in propria, & definita materia apta eſt recipi, non ſine diſcrimine in qualibet, ſed in Corpore Phyſico, & Organico; Et propterea in Quarta & poſtrema parte, Epilogo colligens id quod oſtenſum eſt, inquit ex dictis patere, animam eſſe actum, formam, & rationẽ, Corporis poteſtate uitam habentis.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO. Primò, quod Ariſtot. duplici methodo patefecit animam eſſe formam, & perfectionem; Prima ſumpta eſt ex diuiſione ſubſtantiæ, & mutua partium comparatione, cuius uis in hoc eſt poſita, dum reperitur compoſitum ex duobus, Vnum eorũ eſt actus & perfectio, Alterum, poteſtas nata perfici; at datur uiuens conflatum ex anima, & Corpore, & Corpus cum ſit potentia, non eſt perfectio animæ, quare anima eſt perfectio, &c. nam id quod eſt actus, eſt perfectio, forma eſt actus, materia potentia, quare forma, qualis eſt anima, eſt perfectio Corporis. Altera ratio eſt per cauſam in genere finis, vt patefeci in eius explicatione, hæc autem non propriè eſt per cauſam, ſed potius per mutuam comparationem membrorum Subſtantiæ, vt rectè ſenſit Themiſtius, quamuis Auerroes ſecus ſentiat. Conſidero Secundò ex præſenti Contextu patere Definitionem traditam ſolum competere animæ iunctæ Corpori, nam ſi etiam ſeiunctæ à Corpore competeret, non poſſet Ariſtot. ex ea elicere animam non poſſe eſſe ſine Corpore; Et ſi quis obijciat, quia tunc omnis pars animę cui competit tradita Definitio eſſet mortalis, ſed Definitio competit etiam Menti; Reſpondeo, id non colligi; Primò, quia quamuis Mens vt particula Animæ, non ſit apta ſeparari, quia anima alterius eſt anima, tamẽ poteſt ſeparari ratione propria, ut eſt Mens; Secundò, quia ex ſententia Ariſtot. nec Cælorum Mentes reperiuntur ſine ſuo proprio Orbe, veluti etiam neque Corpus ſine loco. Conſidero Tertiò, quod Ariſt. inquit vniuſcuiuſque actum in proprio & definito Subiecto eſſe natum reperiri, quod id intelligi debet de Subiecto proximo & proprio; Hinc Ariſt. in 4. de Cælo 37. inquit materiam primam eſſe quadruplicem hoc eſt quatuor primis facultatibus prædictam, quatenus quatuor ſunt primæ ſimplicium Corporum formæ, & in 2. Phyſic. 26. affirmauit Alterius formæ alteram eſſe materiam, quod præſertim verũ eſt de formis ex materia pendentibus, ex quo conſtat eas non poſſe ex uno in aliud Subiectum migrare, & in ea ſola materiæ parte reperiri, ex cuius poteſtate ſunt eductæ.

Conſideratio prima.

Vis rationũ.

Ratio 1.

2

Conſider. 2.

Definitio ſolum competit Animæ iunctæ Corpori.

Conſider. 3.

FACVLTATVM *Animæ quæ dictæ ſunt, nonnullis quidem inſunt omnes, aliis nonnulla earum, quibuſdam vna ſolum: Facultates dicimus nutriendi, ſentiendi, appetendi, mouendi ſecundum locum, & ratiocinandi; Plantis ineſt ſola facultas vegetandi, aliis cum hac, tum ea ſentiendi, cui autem vis ſentiendi competit, etiam competit ea appetendi. Appetitus autem eſt cupiditas, irascendi fa-*

Contex. 27.

cultas & voluntas. Animalia cuncta vno ex Sensibus sunt praedita, nimirum Tactu. Cui autem competit Sensus, eidem competit latitia, tristitia, delectabile, & triste, quibus autem haec competunt, etiam com
28 *petit cupiditas, haec enim est appetitus rei delectabilis. Insuper autem alimenti sensu pradita sunt, nam Tactus est sensus alimenti, cuncta enim viuentia siccis, humidis, calidis, & frigidis nutriuntur, quorum Tactus sensus est, reliquorum verò sensilium ex accidenti, nil enim ad alimentum conducit, nec sensus, nec odor, nec color, sapor autem est vnum quoddam tangibilium; Fames autem & sitis, sunt concupiscentia; Fames autem quidem calidi, & sicci, sitis verò, frigidi, & humi-*
29 *di; Sapor autem est condimentum horum. De his posterius est decernendum, modo hoc dictum sit, quod Animalibus tactu praditis competit appetitus; de Phantasia verò non patet, at posterius erit decernendum; Insuper, quibusdam prater haec ineſt vis mouendi secundum locum, aliis verò Cogitatio, & Mens, vt Hominibus, & si quid aliud huiusmodi est, aut etiam honorabilius.*

Intentio. *Ratio.* ABSOLVTA declaratione animæ mortalium vniuersè consideratæ, descensurus ad gradus, & species eius, patefacit primò facultates animæ esse subordinatas, & constituere uarios gradus uiuentium; Ratio huius intentionis est quadruplex; Prima, ut pateat quæ, & quot sint hæ subordinatæ facultates, de quibus est agendum; Altera, ut pateat ordine esse præditas, & esse ab uno, ac inde refulgeat necessitas distinctæ explicationis earum; Tertia, ne videatur de sola Hominis anima loqui, ut Platoni in Procemio obijciebat, sed de gradibus singulis singulorum viuentium; Quarta, ut offerendo nobis gradus uiuentium, tradat confusam quandam notitiam graduum animæ, quæ paret ad distinctam, nam composita confusè sunt notiora, & forma refulget per ea. *Diuisio.* Diuiditur vniuersus Contextus in tres partes; In Prima referuntur gradus uiuentium. In Altera numerantur facultates animæ; In Tertia, manifestatur quod cui competit Tactus, necessariò competit Appetitus, idque ostendit duplici Ratione: Inquit in prima parte, Facultatum animę quibusdam uiuentibus competere omnes; Alijs quasdam; Nonnullis vnicam; Numerans autem in Secunda parte has Facultates, ait, nutriendi, sentiendi, appetendi, mouendi secundum locum, & ratiocinandi; *Expositio.* Explicans in Tertia parte gradus facultatum, & uiuentium, inquit Plantis solam competere facultatem vegetalem, Stirpanimalibus competere hunc, & sensum, & tradit hanc Regulam: Quibus animalium competit Sensus, necessariò competit Appetitus; *Regula.* Pro qua patefacienda, numerat Primò tres gradus appetitus Animalium, qui sunt cupiditas, appetitus irascendi, & voluntas; mox, assumpto Animalibus omnibus competere Sensum Tactus, *Ostensio.* duplici Ratione eam Regulam ostendit; Prima est: Cui competit lætitia, & tristi-
1 tia, competit appetitus, nimirum cupiditas; Prędito Tactu, competit lætitia ob con-
2 sentanea, & tristitia ob aduersa, quare & appetitus. Altera Ratio est: Cui competit sensus alimenti, competit appetitus, cui competit Tactus, competit sensus alimenti, quare & appetitus. Maior patet per Definitionem Famis, quæ est appetitus calidi, & sicci; & Sitis, quę est appetitus frigidi & humidi. Minor ostenditur, quia Tactus est sensus calidi, frigidi, humidi, & sicci, quibus nutrimur: nam ex eis nutrimur ex qui-

bus

bus constamus, & ea appetimus per sensum alimenti, quibus nutrimur, colores, odores, & soni, nil faciunt pro alimento, sapor dicitur condimentum alimenti, non id quod primò nutrit; Et quoniam hęc referuntur sine ratione, Philosophi autem conditio est, nil sine ratione proferre, vt Iuris prudentes sine Lege, ideo se excusans, ait, posterius de his agendum esse certius, nimirum in 3. de Anima, necnon in libro de Sensu & sensili. Absoluit mox relationem sequentium graduum, inquiés quibusdam Animalibus ultra Sensum & Appetitum, etiam competere Motum secundum locũ, ut Equis; Alijs vim cogitãdi, quę Dianoetica dicitur, & Mentem, veluti Homini, & si aliquid sit huiusmodi, vel etiam honorabilius, veluti si darentur Heroes, & Dęmones, de quibus, num dentur, nil decernit; sed solum cum conditione loquitur; De Phantasia etiam, num cunctis competat, quibus competit sensus, sub dubio derelinquit, inquiens posterius esse explicandum.

ANNOTATIONES.

DIRO exactiore notitia attinentium ad præsentem contextum quatuor præsertim se offerunt explicanda; Primum est, quotuplex sit Appetitus; Alterum, an Tactus sit Sensus alimenti; Tertium, an rectè definitę sint Fames, & Sitis; Quartum, quid denotauerit Aristot. per simile Homini, vel etiam honorabilius. Ordiens à Primo, quia cuncta optant bonum, quatenus ex bono, tanquam parente pendent, & à bono seruantur, & perficiuntur, propterea, quot sunt gradus rerum ex bono pendentium, tot gradus appetitionum, qui hunc in modum rediguntur in ordinem; Appetitus vniuersè sumptus, vel est mortalium, uel æternorum, Appetitus mortalium, vel est sine cognitione, vel cum cognitione, si est sine cognitione, vel est solum directio, & ordo in formam, cum potestate iunctus; sic materia formam appetit, qui appetitus sequitur conditionem materiæ ordinatæ in formam per potentiam & priuationem, ei iunctam; Vel est inclinatio in proprium locum, sequens formam rei; Sic Elementa appetunt suum locum; Vel Tertiò, est suctio alimenti per naturam, ob indigentiam, ut Plantæ appetunt; Si verò fuerit cum cognitione rei quæ optatur, vel est cum cognitione Sensuum, vel Mentis, si Sensuum, vel est rei delectabilis ad Corpus pertinentis, ut alimenti, Veneris, & similium, & dicitur cupiditas; uel est rei magis ad Animum attinentis, ut uictoriæ, gloriæ, & similium; & dicitur Animositas, siue appetitus irascendi, Græcè θυμὸς si fuerit appetitus Mentis, uel est ipsius finis, & dicitur uoluntas, uel ordinatorum in finem, & dicitur selectio, Græcè prohæresis; Si ex aduerso appetitus fuerit æternorum, uel est sine cognitione, uel cum cognitione, si primum, talis est appetitus Cęli, quod cum sit facilè ad motum in orbem, & ad recipiendum lumen à Sole, dicitur vtrunque appetere, tanquam sui perfectionem, ex sui natura & conditione; Si verò fuerit cum cognitione, vel est Mentium collocatarum sub Deo, vel est ipsius Dei; Si subordinatarum Mentium, vel est ipsius finis, vel ordinatorum in finem; Si ipsius finis, dicuntur appetere Deum, ex quo pendet earum perfectio, ac ita dicuntur appetere redda ei similes; Si fuerit ordinatorum in finem, ita dicuntur appetere motum Cęli, & curam Mundi, tanquam famulæ inseruientes Deo; Si verò fuerit appetitus Dei, quia ei soli hoc competit, vt nullo egeat, ideo ei soli competit, vt pro se nil appetat, sed solum pro alijs, & priuatio quam expoſcit appetitus, non in Deo, sed in alijs locum habet; hoc appetitu inquiunt Philosophi Deum appetere perfectionẽ Mundi, & à nostris Theologis dicitur, Deum uelle omnes homines saluos fieri; in Diuinis solum seruatur voluntas ad Mentem pertinens, & selectio secundum eminentiam, non autem appetitus concupiscendi & irascendi attinentes ad Sensum nisi per Metaphoram, vt dum dicimus irasci Deum ob peccata, & placari per preces, cum tos sint appetitionum gradus,

Quatuor cõsideranda.

Quotuplex sit Appetitus.

προαίρεσις

gradus, Aristot. tres numerat ad Animalia mortalia pertinentes, nimirum appetitum concupiscendi, irascendi, & volũtatem, denotans per voluntatem etiam selectionem.

2 *Cui cognitio eidem appetitus competit.*

Considero Secundò, quod Aristot. ostendens cui competit Sensus, competere Appetitum, loquitur de appetitu sequente cognitionem, & vniuersè verum est, quod cui competit cognitio competit appetitus, etiam loquendo de Cœlorum Mentibus, vt apparuit; Arist. autem id ostendit de primo gradu cognitionis, qui est per Sensum Tactus, & de quo minus apparet; & cum id ostendat duplici ratione, vnà sumpta ex delectatione, altera ex sensu alimenti, ambæ vim habent de cupiditate, ea enim duo ad cupiditatem pertinent, & iure: nam cupiditas est prior origine, & magis materiata, appetitus verò irascendi elatior est, ille absolutè competit cunctis Animalibus, alter verò, aut Stirpanimalibus, & Vermibus non competit, aut adeò obscurè, vt elicere valeamus eis non competere, sic rectè dicimus primum appetitum esse voluptatis, &

3 *An Tactus sit sensus alimenti.*

alimenti. Considero Tertiò, quod in dubium vertebatur sententia prolata ab Aristotele, quod Tactus sit sensus Alimenti; & iure: nam aduersatur primò Experientiæ, deinde Autoritati, postremo Rationi; Experientiæ quidem, quia dum volumus iudicare conditionem vini, vel cibi, gustatu vtimur, non tactu; Autoritati verò, quia Aristoteles sub initium lib. de Sensu, & sensili, inquit Calidum, & frigidum, efficere accretionem & diminutionem, nutrit autem cibus ea ratione, qua gustabilis, nam cuncta aluntur dulci, vel simplici, vel permixto; Et in 1. de Ortu & interitu legitur, Alimentum vt est Substantia, nutrire, vt Quantum, augere. Demum aduersatur Rationi: quia si tactus esset sensus alimenti, omne quod nutritur, deberet esse præditum sensu Tactus, qui tamen non competit Plantis; Insuper, omne Corpus tangibile deberet nutrire, si nutriret vt tangibile, quod tamen non est verum, vt patet de Elementis, Metallis, & Venenis; Ex aduerso est Aristot. hoc in loco, & in 2. de Ortu & interitu, ait nos ex eis nutriri ex quibus constamus; Insuper, ille dicitur sensus Ali-

Solutio.

menti, quo percipimus indigentiam eius, & per quem excitatur appetitus alimenti, huiusmodi autem est tactus, & hoc confidetur nunc Philosophus; Pro Solutione dico, esse sensum Alimenti, contingere dupliciter; Vel vt finis, & excitantis appetitum; Vel vt ordinati in finem; Primo modo Tactus, altero Gustatus est sensus alimenti; De Primo patet: Nam alimentum est Substantia congruente temperamento prædita, quod temperamentum circunscribit Substantiam eius; Insuper solum per Sensum Tactus excitatur in nobis Fames, & Sitis, quo Sensu os Ventriculi exactissimè est præditum; Alterum quoque est conspicuum, nam per Sensum gustatus percipimus sapores, qui (vt ait Aristot.) sunt condimentum alimenti, prodiens ex con-

Galenus.

gruente eius temperamento. Hinc iure optimo Galenus, in lib. de Simplicium medicamentorum facultatibus ait saporem maximè omnium secundarum qualitatum indicare temperamentum mixti; Colligo itaque Sensum Tactus esse sensum alimenti, vt finis, vel proximè iuncti cum eo, illudque circunscribentis, & tanquam iudicem, cuius cognitionem sequitur Fames, & Sitis. Ex his elicitur Solutio aduersarum rationum, nam vt ad gustatum pertiner, ipse dicitur quidã Tactus, & vt distinguitur à tactu, est ipsius medij, ordinati in alimentum, & ipsius condimento; Instantia sumpta ex Aristotele in lib. de Sensu, & Sensili soluitur, dicendo, quod Arist. eo loci non loquitur de calido & frigido Alimenti, sed de calore mixto cum frigore, attinente ad viuens, quod dicitur concausa, quia est instrumentum Animæ, quo concoquitur alimentum & distribuitur, facta autem comparatione inter Qualitates, quamuis adæquatè nutriamur mixto contemperato, tamen id præsertim tribuitur humido contemperato cum ficco: quia hoc fungitur officio materiæ, & Alimentum est tanquam materia, vt dicitur in 2. de Ortu, & interitu, 51. & cibus dicitur nutrire vt gustabilis, quatenus per gustatum percipitur condimentum patefaciens temperamentum congruens, & Substantiam eo temperamento præditam. Addebatur, quod tunc omne quod nutritur deberet esse præditum Tactu, & omne præditum Qualitatibus tan-

gibilibus

gibilibus diceretur Alimentum. Respondeo, id non sequitur: Natura enim nil facit redundans, Plantæ non egent Sensu pro nutritione, quia radicibus hærent terræ, per quas alimentum concoctum, & congruens, per naturam trahunt, & non egent valde exquisito Alimento; Stirpanimalia exactiore egent alimento, nec ita terræ radicibus hærent, ob id egent Tactu, quo secernentia congruens, à non congruente, contrahuntur, & extenduntur. Nec omne primis Qualitatibus præditum est alimentum, quia præter has communes, aliæ requiruntur conditiones propriæ per quas contrahitur, & redditur aptum nutrire. Considero Quartò, Definitiones Famis & Sitis ab Aristot. traditas, dubias esse: nam Galen. in 1. de Symptomatum causis Cap. 7. inquit: Fames est Sensus ipsius suctus, siue penuriæ Alimenti, Plato in 4. de Rep. ait: Fames est appetitus Alimentis; Sitis verò potus, & addit, ex Accidenti esse quod sit appetitus calidi, vel frigidi, magni, uel parui, id enim ex nostra dispositione oritur: nam æstiuo tempore excalefacti, optamus frigidum, hyeme calidum, & pro laborantibus sępè potum excalefacimus; Aristot. tamen ait Famem esse appetitum calidi, & sicci, sitim frigidi, & humidi, At si id esset, tunc qui simul sitit & esurit, simul appeteret contraria. Propterea, Fames desiccat corpora, quare non est appetitus sicci: nam remedia opponuntur indigentiæ; Præterea, non simplicia, sed mixta dicuntur nutrire, ea autem non duabus tantum, sed quatuor primis Qualitatibus sunt prædita, & si inspicimus dominans, id etiam non seruatur, quia frequenter potus est calidior, quam cibus; Mitto alias plurimas instantias. Et pro Solutione accipio Primò Famem & Sitim esse duplicem; Vel enim competunt Animali secundum naturam affecto, vel ęgrotanti, sermo debet esse de primis; Addo secũdò ex sententia Galeni in primo de Symptomatum causis, Cap. 7. quinque pro appetitu cibi requiri: nam Primò consideratur resolutio Substantiæ partium, & inanitio; Secundò appetitus secundum naturam ex indigentia prodiens, qui est quædam attractio; Tertiò suctio partis, à uenis; & Hepatis à Ventriculo, per venas Mesaraicas; Quartò sensus suctionis; Quintò, appetitus Animalis ex sensu & cognitione suctionis prodiens. Ex his elicio, in Fame & Siti duplicẽ reperiri appetitum; Vnum Physicum, sine cognitione, & antecedentem; Alterum cum cognitione, & sequentem; vterque competit Animalibus, Plantis verò Primus tantum; Insuper dico, in Famæ & Siti tria præcipuà considerari; Primum est Alimentum, quod est materia & commune Obiectum; Alterum est ratio per quam constituitur alimentum, & excitatur proximè Sensus, & huiusmodi est calidum, frigidum, humidum, & siccum; Tertium est modus quo fit; Plato Definiens inspexit primum, Aristot. secundum, Galenus tertium; at, qui rectius id facit? Definitio Galeni est dubia; tum, quia genus proximum famis non est Sensus, sed Appetitus sequens Sensum; tum insuper, quia Appetitus per Obiectum debet Definiri, quod ipse prætermittit; Præterea, suctus est motus & sensile commune, quod sentitur per proprium, & ideo id proprium debuit explicare. Definitio Platonis quod sit appetitus Alimenti, est nimium confusa: nam patet eam esse appetitum Alimenti, latet qua ratione & conditione, quod explicari debet; Ideo rectius Aristot. accipiens pro genere Appetitum, addit deinde circumscriptionem Obiecti per rationem propriam, per quam excitat appetitum, & est medela Famis, vel Sitis, quod ei competit per quatuor Qualitates primas, per quas constituitur, seruatur, & restauratur mixtum; Appetitus autem qui indefinitè est ipsius alimenti, distincta ratione dici potest Fames & Sitis, hinc frequenter euenit, ut idem alimentum fungatur simul officio vtriusque, vt patet de lacte, quo nutriuntur pueri, & de alimento Plantarum, & Stirpanimalium, necnon Auium adunci rostri; Si autem ab Aristot. non recedentes, cuperemus reddere Definitiones pleniores, dicere possemus: Fames est appetitus alimenti calidi, & sicci, ex suctione & tristi sensu in ore Ventriculi prodiens, vt partes viuentium primo consimiles, mox Organicæ restaurentur & seruentur: Sitis uerò, est appetitus humidi fluentis, & refrigerantis, ex desiccatione, tristique sensu in

Definitiones Famis & Sitis.

Galenus.

Plato.

Solutio.

Pro fame quinque requiri.

Tria præcipuè in fame considerari.

Definitio Galeni.

Definitio Platonis.

Definitio Arist.

Definitiones famis pleniores.

su in ore Ventriculi prodiens, vt partes primo consimiles, inde dissimiles viuentium contemperẽtur, & fermentur. Inquit Aristot. in 1. de Ortu & interitu, Primò crescere partes consimiles viuentium, Mox per eas crescere membra; idipsum est dicẽdum de nutritione; Insuper, Fames & Sitis, quamuis cõpetant viuenti cum cognitione, nõ propterea sunt collocata in nostra facultate; Ratio est: quia supponunt primò appetitum secundum naturam, qui in nostra facultate non est positus, vt etiam non est in nostra facultate quod non frigeamus, vel calore lædamur. Rationes aduersę facilè diluuntur; Instabat Primò, quia idem simul optaret contraria; Respondeo, idem simul esuriens, & sitiens, simul appetit substantiam mixtam contemperatam; & distincta ratione dicitur sitire, & esurire, & sitis magis angit quam fames, quia, excitatur à calido ficco, quod acutius agit, quã oppositũ excitans famem. Et hic appetitus dicitur esse totius corporis viuentis, per medium tamen, scilicet os Ventriculi, quod exactissimo alimenti sensu est prędituin, & quãuis os frequenter sit aridum, nisi adsit consensio cum ore ventriculi, nõ est sitis secundũ materiam. Instabatur, insuper, cum Fames desiccat non debet dici appetitus ficci; Respondeo, non Famem, nec Sitim exsiccare, sed naturalem calorem consumere Substantiam Corporis, uel magis, vel minus humidam, & inde ob indigentiam prodire appetitum, qui distincta ratione dicitur Fames vel Sitis, & quamuis nutrientia sint mixta, ea tamen distincta ratione explent vtrunque appetitum; Si potus nonnunquam excalefit, id euenit ob imbecillitatem ventriculi, & quamuis aqua excalefiat, non tamen extinguit sitim vt calida, sed ut facultate frigida. Similiter, dum cibus est frigidior potu, ut Cucurbita, Vino, magis cibus extinguit Sitim quam potus; hinc Aqua est potus magis secundum naturam, quam Vinum. Est dubitatio de fœtu in utero nutrici, quomodo appetat alimẽtum, cum id non cognoscat; Similiter infans statim natus; Respondeo Primò, appetitum illum esse solum secundum naturam, ut Plantarum, mox uerò cum incipiat percipere læsionem, conferente instinctu naturæ, uirans eam querit oppositum tanquam medelam, & tunc ut confusè nouit, ita confusè appetit, hinc ut distinctius noscat, & apperat, nutrices illinunt os eius lacte, ut id dẽgustans, distinctius appetat. Considero. Quintò, quod Aristot. inquit quibusdam competere facultatem Dianoeticam, & Mentem, ut Homini, & si quid tale aliud est, aut etiam honorabilius; facit mentionem de facultate Dianoetica, quæ uis cogitandi dici potest, & Mente, nectendo hæc simul: quia est una Animæ particula, uarijs nominibus denotata; dicitur Dianoetica, ut magis cum Phantasia nectitur, & ratiocinatur; dicitur Mens, ut magis eleuatur, & intelligibilia apprehendit; hinc ad instar Iani duplici facie dicitur prædita; At, non constat quid Aristot. denoret dum ait competere Homini, & si quid tale aliud est, uel etiam honorabilius; profectò nou ualet denotare Cęlestia Corpora, Mente prædita, tum, quia sermo est de mortalibus prædiris singulis gradibus Animę, tum insuper, quia Mens Cęlorum solum dicitur Mens, non uis Dianoetica; Nonnulli aiunt per illud quod dicit aliud simile, denotari Pygmeos, per honorabilius uerò Dęmones, sub Orbe Lunę collocatos; At, cum Aristot. nil decernat, & solum cum conditione loquatur, non debet eius interpres decernere, & distinctè dicere, quod hoc uel illud denotet; Propterea dicendum puto, Aristot. indefinitè & cum conditione loqui si aliud detur, uel etiam honorabilius, quodcunque illud sit, siue Heros, siue Dęmon, siue aliud quodcunque, nil autem decernit, quia ipse nil approbat, sed soli homini eã facultatem putat competere; simul autem denotat aduersus Platonem, quod si sub Cęlo Corporei Dęmones reperirentur, deberent esse prædiri singulis gradibus Animæ, quod tamen Plato non existimabat; De Pygmeis, & Dęmonibus nolo nunc differere, cum in libro de rerum Definitionibus de utrisq; uerba fecerim in proprijs eorum capitibus, ut etiam de Heroibus in Ciuili Scientia.

Fames non est in nostra facultate.

Diluuntur rationes ad utrũque.

Aqua est, potus maximè secundum naturam.

Qualis sit fames fœtus.

Quid denotet per honorabilius Homine.

PATET.

DATET itaque, quòd perinde ratio Animæ vna erit ac figuræ, vt enim figura non est præter triangulum, & subsequentes, ita nec Anima præter relatas, tradi quidem potest figurarum communis ratio, quæ nullius erit propria, similiter & Animarum, Propterea irrisione dignum est, cum horum, tum aliorum communem rationem quærere, quæ nullius eorum quæ sunt propria sit, similiter secundum propriam, & indiuiduam speciem definire, dimittendo eam quæ sit huiusmodi. Perinde autem se habet de figuris, ac de Anima, semper enim in eo quod sequitur, potestate est id quod est prius cum in figuris, tum in præditis Anima, veluti in Quadrato inest Trigonum, & in sensitiuo vegetatiuum, quare secundum vnumquodque quærendum, quæ sit vniuscuiusque Anima, vt quæ Planta, quæ Belua, quæ Hominis: Cur autem ita consequenter sint dispositæ, considerandum est, nam sine vegetandi principio, non est sensitiuum, ab hoc autem id seiungere veluti in Plantis. Insuper autem, sine Tactu nullus est reliquorum sensuum, Tactus autem reperitur sine aliis, multa enim Animalium, neque visu, neque auditu, neque sensu odoratus omninò sunt prædita; Et prædictorum sensu, nonnulla quidem prædita sunt facultate mouendi, alia minimè, postremum autem & minimum est Ratio, & Dianoia, quibus enim mortalium competit Ratio, competunt & reliqua omnia, quibus verò eorum vnumquodque, non omnibus competit Ratio, sed quibusdam quidem nec Phantasia, alia autem per hanc solam viuunt. De Mente inspectrice alia est ratio: Quod igitur ea quæ de vnoquoque est consideratio propriissima sit, & Animæ congruat, manifestum est. Contex. 30. 31 32

TRADITA communi Animæ Definitione, descensurus ad proprias singularum, vt pateat necessitas huius distinctæ considerationis, & quæ sint hæ partes considerandæ, manifestat has partes esse subordinatas, & posteriores necessariò includere priores, adeò, vt Anima nõ sit commune Vniuocum, sed ab vno; & quamuis in præcedentibus modo aliquo id patefecerit, tamen intentio Arist. est, distinctius id ipsum manifestare, & exemplo Figuræ illustrare; Vniuersa Ratio in hoc est posita; Eorum quæ sunt ab vno, maximè propria consideratio ea est, quæ est singulorũ graduum, Anima est ab uno, perinde ac Figura, quare &c. Diuiditur uniuersus Contextus in quatuor partes; In Prima inquit Philosophus, ex dictis patere Animæ perinde esse rationem unam, ac Figuræ, hoc est unitate ab uno, & non Vniuocam, nam horum dari quidem potest Definitio communis, ea tamen nullius erit propria; ex quo elicit, nec communem esse dandam, negligendo proprias, nec esse dandas proprias, dimittendo communem: nam communis parat, propria uero perficit cognitionem. Perinde autem se habet de Figuris, &c. In hac Secunda parte, exemplo Figuræ manife- *Intentio.* *Ratio.* *Diuisio.* *Expositio.*

manifestatur, quomodo gradus prior insit in sequenti: nam in Quadrato inest Trigonum, similiter, in sensitiuo uegetatiuum, & propterea distinctè est explicandum, quæ sit uniuscuiusque Anima, vt Plantæ, Hominis, & Beluæ. In tertia parte distinctius refertur ordo graduum Animæ, nam Principium vegetandi seruari potest sine Sensu, non contra; Similiter Tactus potest seiungi à reliquis Sensibus, at non reliqui à Tactu, multa enim Animalium prędita Tactu, Visu, Auditu, & Odoratu carent; de Gustatu nil dicit, quia est quidam Tactus; Insuper, Sensus seruari potest sine facultate mouendi, non hæc sine Sensu. Pars postrema & minima est λογισμὸν & διανοια Ratiocinium, & Cogitandi facultas, denotando eandem partem: nam Ratiocinium, est Opus, Dianoia uerò est Facultas, ideo statim pro uno utitur, inquiens: Quibus mortalium competit Ratiocinium, competunt reliqui omnes gradus, at, non quibus competunt reliqui, competit Ratio; Sed nonnullis nec Phantasia, nimirum exquisita, competit, ut dicitur in Contextu 156. Alia uerò hac sola facultate uiuunt, & dirigunt sua opera, ut Hirundines, Grues, & similia Animantia. De Mente autem inspectrice, hoc est, vt eleuata, & iuncta cum abiunctis, alia est ratio: nam hac consideratione ad Physicum non pertinet. In postrema parte colligit proprijssimã Animæ cõsiderationem eam esse, quæ est secundum distinctos gradus eius.

ANNOTATIONES.

Consideratio prima.

SENTENTIA verborum est satis conspicua, at uaria non tã conspicua se nobis offerunt consideranda; quorum primum est, quod Arist. in Procemio Contex. 8. dubitauit, an sit agendum de Anima uniuersè uel potius de singulis in specie; Soluit modo eam difficultatem, inquiens utroque modo de ea esse agendum, modum tamen maximè proprium esse, considerationem secundũ speciem: nam cum de Vniuocis; tum de his quæ sunt ab uno, utrumque est explicandum, præsertim tamen id est faciendum de his quæ sunt ab uno, quia Definitio communis, nullius est propria, non partium, cum latior sit, non totius, quia non reperitur in eis una communis natura, distincta à contentis; iure itaque ait Philosophus Definitionem communem Subordinatorum, nullius esse propriam. Consideró Secundò ea quæ sunt ab uno, esse multiformia, at ut ad rem nostram facit, esse duplicia; quædam enim ita se habent, ut primum sit causa cæterorum, ueluti Sanum, & Ens, & tunc consideratio maximè propria ea est, quę est primi, ut dicitur ab Arist. sub initium 4. Metaphysicę, quod consideratio Entis maximè propria, est Substantiæ; At, dum solum adest ordo, & primum non est causa ut reliqua sint talia, ueluti se habet de Anima, & de Figura, tunc consideratio maximè propria, est ea graduum: quia unusquisque gradus ratione propria est talis, non per primum, vel per relationem ad illud. Consideró Tertiò, quod exemplum sumptum ex Figura, partim est simile, partim non; simile quidem est, quia non datur una communis ratio, & natura, quæ in omnibus eadem sit; Secundò, quia in utrisque reperitur ordo, & antecedens in subsequente includitur: nam prima rectilinearum Figurarum est Triangulus, mox Quadratũ & reliquæ omnes ducendo Lineas ab angulo uno ad alterum, in Triangulos resoluuntur, adest tamen uarietas: nam loquendo de Anima, ea non resoluitur in primum gradum, tanquam in partes, ut Quadratum, Pentagonum, & Exagonum in Triangulos, ut in partes resoluuntur, sed solum dicimus gradum posteriorem præsupponere antecedentẽ.

2 *Ab uno, multiforme est.*

3 *Exemplũ ex Figura simile & dissimile.*

4 Consideró Quartò, quod Arist. ait cum in Figuris, tum in gradibus Animæ, in posteriore includi prius potestate; At, dubium est quomodo dicatur inesse potestate; Pro notitia accipio, unum esse in alio potestate, contingere tribus modis; Primò, ut potestate patiente, & recipiente: sic Anima potestate est in Semine; Secundò, tanquam in efficiendi facultate: sic Anima Leonis potestate est in Sole, & Leone; Tertiò, tanquam

Quid sit inesse potestate.

quam in forma aliqua: & hoc contingere poteſt quatuor modis, Vel ſecundum eminentiã, ut metalla ſunt in auro; Vel in forma ex alijs conſurgente, ut albedo in colore viridi; Vel in connexo ex duabus formis, ut in perſpicuo illuminato, dicitur ineſſe perſpicuum; Vel quartò, quia facultas poſterior includit uires prioris, quamuis forma unica ſit; hoc in loco per potentiam non denotatur ea quæ eſt materiæ, vel efficientis, ſed formæ, quatenus forma in forma includitur; at, non conſtat qualis ſit modus, & uarietas explicationis, pendet ex uarietate opinionum de partibus Animæ; Nonnulli putant ex opinione Ariſt. in Homine eſſe tres gradus, ſecundum eſſentiam diſtinctos, tanquam tres ſubordinatas formas, qui ſunt gradus nutrientis, ſentientis, & intelligentis; Alij putant ſolum duos diſtingui ſecundum eſſentiam, nimirum, partem mortalem, & Mentem; quam opinionẽ in digreſſione de multitudine formarum, dixi conſentaneam eſſe ſententiæ Ariſt. Alij tertiò dicunt, Eſſentiam quidẽ eſſe unicam, ſed ſolũ diſtingui uires, & facultates; dum dicimus Eſſentias eſſe diſtinctas, tunc prior dicetur eſſe in poſteriore, poteſtate, quia eſt cõiuncta cum ea, & ab ea modo quodam perficitur, ut perſpicuum à lumine; Si uerò Eſſentię non ſunt diſtinctæ, & forma eſt eadem, tunc prior erit in poſteriore, facultate, tanquam in forma præſtantiore, quæ ualeat nedum proprio fungi munere, ſed etiã eo quod eſt alterius antecedentis, ſecundũ quã ſignificationem dicimus uegetatiuũ eſſe in uitali; Ita etiã dicimus, quod poteſt maius, põt ẽt minus; Ex his colligo, quod quamuis Triangulus dicatur eſſe in Quadrato poteſtate, & vegetatiuũ in ſenſitiuo, ac inſuper, ſenſitiuũ in intellectiuo, id tamen poteſtate, debet intelligi quodã modo indefinitè, & confusè, cum tamen modus proprius ſit diſtinctus: nam Triangulus eſt in Quadrato tanquam in forma ſubſequente, quæ per diuiſionem in Triangulos reſoluatur, vegetatiuum in ſentitiuo, tanquam in forma eminentiore, quæ valeat illud, & aliud ſenſitiuum in intellectiuo, tanquam in forma diſtincta, & eminentiore, per quam perficiatur, & cui famuletur. Conſidero Quintò, quod Ariſtot. numerans gradus Animæ, ait: Vt Plantæ, Hominis, Beluæ, quorum trium, duo ſunt extremi, nimirum, Plantæ, & Hominis, vnus medius, qui eſt Beluæ, ſimul indicans, cuncta quę mediant inter extrema, & etiã inquit vltimum, & minimum Ratiocinium, ſiue Ratio, & Diania, hoc eſt, Facultas intelligendi; hæc dicitur vltima, quia altius Natura mortalium non eſt apta eleuari, & cum ſit facultas vltima origine, eſt prima perfectione; inſuper, dicitur minima, eũ extẽſione per Corpus, vt dicitur in 10. Nicomachiorum, cap. 8. tum, quia ſoli competit Homini, & cum eo reciprocatur, adeò, vt Animal rationis particeps, ſit integra Hominis Definitio. Propterea ab Ariſtot. Pygmei, & Dæmones excluduntur, & ſolus Homo dicitur hymeneus, & copula ęternorum, & mortalium, & in Horizonte, hoc eſt in terminis collocatus; Et rectè Philoponus inquit: Quo magis ea quæ ſunt, eleuantur ad Diuinitatem, eo magis accedunt ad Vnitatem. Conſidero Sextò, quod Ariſtot. inquit: Quibus mortalium competit λογισμὸς, competunt & reliqua omnia. Occurrit dubitatio, quia λογισμὸς nimirum ratio & ratiocinandi facultas, non competit ſuperis Mentibus ſupra Rationem eleuatis, propterea fruſtrà addit (Mortalium) Nam Ratio & progreſſus ex vno in aliud, nobis ſub tempore collocatis, ob imperfectionem noſtram, & indigentiam, competunt, à qua ſuperæ Mentes ſunt immunes. Inquit Simplicius Æternis quoque λογισμὸν competere, at ſine imperfectione. Similiter Philoponus ait, Cæleſtia iuncta Corpori, vtuntur cogitatione eis competente; Hoc eſt dubium: quia Ariſtot. utitur uocibus propriè, & æternis ſolam Mẽtem, & Voluntatem conſueuit tribuere. Propterea dico, hoc quinque præbere vtilitates; Prima eſt: Nam inquit (quibus mortalium) quia non competit cunctis mortalibus; Altera eſt: quia adhuc non patefecit quæ facultates competant Cælo; Tertiò, quia in nobis pro fundamento, & abſoluto, idem eſt cum Mente inſpectrice; Quartò, ob Academicos, qui eis facultatem illam tribuebant. At, in 3. oſtenditur eis non competere Senſum, ſine quo nõ eſt Cogitatio, ex 6. Nicomachiorum, Cap. 11. Quin-

5

6

An Ratio competat ſuperis.

Simplicius Philoponus.

Solutio.

7 tò, ut lucidior reddatur sententia. Considero Septimò, quòd Aristot. ait: De Mente, sive inspectrice, alia est ratio; At, hoc non leuem parit difficultatem, cum eadem sit Mens quæ speculatur, ratiocinatur, consultat, efficit, & agit: ad eundem enim pertinet habitus contemplandi, agendi, & efficiendi, ut patet ex 6. Nicomachiorum, & supra Phantasiam, hanc solam Mentem nobis tribuit, vt patet ex 1. de partibus Animal. dum ostendit uim nutriendi, & sentiendi, attinere quidem ad Physicum, & esse Naturam, at non Mentem, quam etiam eo loci Dianiam appellat. Similiter in 2. de Generat. Animal. cap. 3. negat Sensus cum sint Organici, posse extrinsecus accedere, at, Mentem non Organicam, statim supra Sensum positam, ait extrinsecus accedere, adeò, ut supra Sensum statim constituat Mentem, quam dicit non esse Naturam, non attinere ad Physicum, & extrinsecus accedere, & propterea dubium modo est, quomodo de inspectrice Mente dicat, aliam esse rationem ab ea quæ est de Ratione, & Cogitandi facultate, si idem sunt. Solutio elicitur ex ipsomet Aristo. qui in 6. Nicomachiorum, cap. 1. patefacit Mentem ob varia eius officia, variis denotari nominibus; dum enim versatur in his quæ secus euenire possunt, Ratiocinatrix, & Cõsultrix dicitur, si verò in æternis, & necessariis conclusionibus, dicitur scientialis, si ad Principia conuertitur, absolutè dicitur Mens, & Contemplandi facultas; & rationem afferens in 3. de Anima, Contex. 15. inquit: In his quæ sunt sine materia, idem est intelligens, & quod intelligitur; scientia namque Contemplatiua, & scibile, idem est, indicans quod Mens conformatur cum eo quod intelligit; & propterea, quamuis ut particula Animæ, & vt fungitur officio mortali, attinent ad Physicum, & non ualeat esse sine antecedentibus gradibus, tamen vt vertitur ad supera, & absolutè Mens dicitur, habet commune aliquid cum superis Mentibus, & hac consideratione est alterius rationis: nam sic ad verè intelligibile refertur, non est actus Corporis, non attinet ad Physicum, non est particula Animæ, sed aliquid absolutum, sic solum est apta separari, & in æternis potest esse sine inferioribus facultatibus; Hac ratione legitur in 3. de Anima, Contex. 20. Separatum est id quod est, & hoc solum æternum & immortale; & hoc loquendi modo consueuit uti Aristot. dum conditionem eius æternã

Quomodo de Mẽ. ejus spectrice alia sit ratio.

Solutio.

8 voluit indicare. Considero Octauò, quod Aristot. in Proœmio, Contex. 8. numerãs gradus Animæ, dixit: Vt Equi, Canis, Hominis, Dei, ibi magis populariter loquebatur, ideo dimisit Plantas, quia non constabat esse præditas Anima; retulit Deum, ob collocata supra Hominem, nunc uerò ex sententia loquens, dimittit Deum: quia non est præsentis considerationis, & refert duo extrema, & medium, nimirum Plantam, Beluam, & Hominem.

Contex. 33.

NECESSE autem est, eum qui de his est verba facturus, accipere quid sit vnumquodque eorum, postea indagare attinentia ad ea; Si autem oportet dicere quid sit vnumquodque ipsorum, veluti, quid aptum intelligere, aut sentire, aut vegetare, prius erit patefaciendum quid sit intelligere, & quid sentire, nam actus, & operationes, secundum rationem sunt priores facultatibus; Si autem sic, his adhuc priora Obiecta oportet considerasse, de his vtique oportebit primò agere, ob eandem rationem, veluti de alimento, sensibili, & intelligibili.

PATE-

PATEFACTA necessitate distinctæ considerationis singulorũ gradum Animæ, intentio Aristot. modò est, referre attinentia ad ordinem seruandum in eorum explicatione, necnon ad methodum qua in eorum notitiam est progrediendum. Diuiditur præsens Contextus in duas partes; In Prima, sermo est de ordine; In Altera, de methodo cognoscendi; Vt pertinet ad ordinem, hic est duplex; Vel inter gradus Animæ, de quo in sequenti Contextu; Vel inter Animam, & eius affectiones, de quo nunc loquens, ait: Primò esse explicandum quid sit vnusquisque gradus; Mox agendum esse de affectionibus eorum. Vt verò pertinet ad methodum qua progredi debemus, ut noscamus quid sint, tria se nobis offerunt; Facultas; Functio muneris; & Obiectum, quorum trium, Obiectum dicitur ratione prius; Secunda est Functio muneris; Tertia Facultas, ideo ab Obiecto, ad muneris functionem, & per hanc ad Facultatem est progrediendum, hæc potius dicitur methodus quam Ordo, quia per vnum noscitur, & explicatur aliud.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

Ordo. Methodus.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod cum Aristot. dicat: Primo declarandum quid sint; Mox attinentia ad ea; patefacit se id seruaturum, quod pollicitus est in 3. Contextu Proœmij, dum dicebat: Primò indagandam naturam Animæ; Mox quæ ei accidunt, quorum multa declarabuntur in libris paruorum naturalium, alia in libris de Anima, veluti, post Sensuum explicationem, varia colliget, quæ Sensibus sunt communia; & in calce 3. libri patefaciet, quæ partium Animæ sint necessariæ, & alia similia. *Consideratio prima. Respondetia Contex. 3. Proœmij.*

Considero Secundò, quod Aristot. in Contextu 10. Proœmij, dubitabat cum dentur Facultates, Actiones, & Oppositа, siue Obiecta, num prius Facultas sit explicanda, vel potius Actio, siue Obiectum; hoc in loco decernit progrediendum esse ab Obiecto ad Actiones, & inde ad Facultates; & rationem afferens, ait: quia sunt ratione priora; hoc, quamuis uideatur includere quendam ordinem, considerando quod prius de vno agatur, quam de altero, præsertim tamen pertinet ad methodum, siue uiam cognoscendi, quatenus per Obiecta, & Opera, explicantur Facultates; & hæc solum considerantur in gratiam explicationis Facultatum. 2 *Respondetia Contex. 10.*

Considero Tertiò, quod Aristot. nullibi indicat Facultates esse ab essentia Animæ distinctas, & ob id tria solum enumerat, nimirum, Obiecta, Actiones, & Facultates, quas etiam Animæ partes, & particulas consueuit appellare; & per Oppositа Facultatibus, denotauit Oppositа cum Facultati noscenti, tum appetẽti, nam opponuntur Oppositione Relationis; Oppositа Facultati noscenti, rectius dicuntur Obiecta, & nonnunquam Subiecta, ut in progressu apparebit, Oppositа verò Facultati appetenti rectius dicuntur Scopi, & fines, quia appetitus est quidam motus in finem, & scopum tendens, ut dicitur in 3. de Anima. 3

Considero Quartò, quod Arist. ait Obiecta, & Operationes, esse ratione priores Facultatibus, quod dubium est, Operatio enim est res effecta, quæ posterior est. Themistius & Auerroes, aiunt esse priora ratione ex parte nostri, non naturæ, & absolutè, sunt enim priora Sensibus nostris, & confirmatur: quia sunt Accidentia, quæ secundum naturam sunt posteriora Substantia; At contra, Ratio dicitur causa, & afferre rationem, est tradere causam, & esse prius ratione, opponitur ei quod est esse prius nobis; Propterea dicamus, opera ut sunt in facultate, & intentione agentis, esse fines. Similiter, Oppositа, cum sint tanquam scopi; Insuper Aristot. in Prædicamento Relationis, ostendit Sensibile esse prius Sensu. Præterea, secunda Definitio quę erat per Opera, dicebatur dare causam primæ: nam id cuius est Opus est gratia Operis; Facultas autem ut Facultas, dirigere ad Opus; sic in Contex. 22. Aristot. distinctionem Facultatum eliciebat ex distinctione Actionum; & in libro de 4 *Quomodo Obiecta, & Actiones priores ratione. Sẽtentia propria.*

Quid Ratio. Somno & Vigilia, legitur, Sentire, & Sapere esse fines; Dicamus itaque, omnem causam esse rationem eius cuius est causa, & quia finis est causa causarum, ideo maximè est ratio; hinc rectè Simplicius ait, Obiecta, & Opera esse priora natura, veluti etiam Appetibile, cum sint causa, & fines. Similiter Philoponus inquit ea esse notiora, & priora nobis, & natura; Et Alexander in 1. de Anima, cap. 9. ait ab opere ordiendum nedum quia notius, sed etiam quia Ratione, & Definitione est prius, à Philopono tamen secus refertur expositio Alexandri. Ex his elicio, etiam in Physicis dari ea quæ & nobis & natura sint priora; At, instabatur, quia Accidens est natura posterius Substantia. Respondeo, id esse verum, dum considerantur sub ratione Substantiæ, & Accidentis absolutè, at, nondum Accidens aliqua ratione seruat conditionem causæ, vt de his se habet. Considero Quintò, quod Aristot. ait prius esse agendum de Obiecto, & Opere, quam de Facultate, vt de intelligibili, & de actu intelligendi, quam de intellectu; hoc tamen non seruabit, ordietur enim à declaratione Mentis ut particulæ animæ, mox post Contextu uigesimo, loquetur de Operibus eius. Simplicius, & Philoponus eo loci fatentur Aristotelem hoc non seruare; uerum, cum hoc dicant, conspicuè aduersantur Aristot. qui de Mente quoque id seruandum affirmat; Similiter aduersantur Rationi, qua vtitur Aristot. nam inquit esse priora ratione; Insuper, maximè hoc est seruandum de Mente, cum sit obscurior reliquis. Propterea dicamus, in omnium partium declaratione, hoc ab Aristot. seruari, & loquendo de Facultatibus cognoscentibus, maximè apparet quod ordiatur ab Obiecto in Sermone de externis Sensibus, quoniam eorum Obiecta non cognoscuntur ab alia antecedente facultate; de aliis minus patet, cum tamen seruetur, quia proxima eorum Obiecta sunt notiones præcedentis facultatis notæ per eius declarationem, ueluti Phantasma notum ex declaratione Phantasiæ, est id Obiectum Mentis, quod perinde ad eam se habet, ac Sensile ad Sensum, ut affirmat Arist. Sic etiam per intelligere quod est officium Mentis, declaratur Mens, hinc dixi in præcedentibus, hoc ad methodum siue uiam potius pertinere, quam ad ordinem; at hoc distinctius patebit in 3. libro, nam Aristot. per intelligere, quod est officium Mentis, eam declarat, sumens tamen de ipso intelligere, id, quod est conspicuum & manifestum, id uerò quod est latentius, distinctè consideratur & declaratur post Contex. 20.

Dari in Physicis priora nobis & natura.

Dubitatio.

Sententia propria.

Contex. 34.

PROPTEREA primum de Alimento, & generatione dicendum est, vegetandi enim Anima, & aliis inest, & prima est, ac maximè communis facultas Animæ, per quam competit viuere omnibus, cuius opera sunt generare, & vti alimento, opus enim naturæ maximè consentaneum, eorum quæ perfecta, non mutilata sint, nec sponte genita, gignere sibi simile, Animal quidem Animal, Plantam autem Plantam, vt ipsum Semper, et Diuinum participent, vt possunt, cuncta enim id appetunt, & eius gratia cuncta agunt, quæ secundum naturam efficiunt. Id autem cuius causa, duplex est; Vnum Cuius; Alterum Cui. Quoniam igitur participare non valent ipsum Semper, & Diuinum, cõtinuatione, quia nil contingit corruptibilium idem numero seruari, vt valeat, ita participant, hoc quidè magis, id verò minus, et seruatur non ipsum, sed quale ipsum, non quidem unũ numero, sed specie: Propterea Semen Animalium, & Plantarum, Organum est.

PATE.

PRAEFACTA ſecunda methodo, ac inſuper declarato ordine inter facultates, & ea quæ illis accidunt, cum debeat de gradibus Animæ diſtinctè loqui, orditur ab Anima uegetali, & in præſenti Contexta facit; Nam Primò loquens de ordine inter gradus Animæ, manifeſtat a uegetali eſſe ordiendum; In Secunda, cum prius retulerit alimentum, quod eſt Obiectum, numerat tria eius Opera, quorum præcipuum ait eſſe generationem; In Tertia loquitur de fine generationis. Ait in Prima parte; Propterea primò de alimento, & generatione dicendum eſt, hoc eſt, cum loquendo de gradibus Animæ, primò occurrat uis uegetandi, cuius Obiectum ſiue oppoſitũ eſt alimentũ, functio muneris principaliſſima eſt generatio, ideo ut ſeruetur propoſita methodus, primò de Alimento & generatione dicendũ eſt. Perperã aũt Philopon. & Lud. Boccat. putãt per generationẽ denotari Obiectum, cũ Ariſt. ſtatim generare numeret inter Opera. Et rationẽ afferens, cur ab hac Animę parte ordiatur, inquit: Quia eſt prima origine, eſt maximè communis, maximèque neceſſaria, cum per eam cunctis uiuentibus mortalibus cõpetat uiuere, accipiendo uiuere, pro primo uitæ gradu, ſine quo non ſunt alij. Ratio ita formatur: Quod eſt primum origine, maximè commune, maximèque neceſſarium, primò eſt declarandum, Facultas uegetalis eſt huiuſmodi, quare &c. Maior ex eo patet, quia ordo reſpondet Naturæ, ut alibi latè patefeci, uia autem noſtro cognoſcẽdi modo. Cuius Operatio ſint generare, & alimento uti, &c. In hac Secunda parte referuntur Opera facultatis uegetalis, quæ uel referuntur ad conſeruationẽ ſpeciei, & eſt generare, uel ad Individuum cui competit, & eſt uti alimento, quo uſu nutriuntur, & creſcunt; Opus enim maximè conſentaneum naturæ eſt generare, &c. In hac Tertia parte ſermo eſt de opere principaliſſimo, quod eſt procreare ſimile, cuius præſtantia patet: quia ſolum competit uiuenti perfectione prædito, nimirum adulto, nam ut dicitur in 4. Meteorum, tunc unumquodque eſt perfectum, dum ualet ſimile procreare; Inſuper, competit non mutilatis, hoc eſt non deſtitutis parte Corporis, pro generatione neceſſaria, ſiue per naturam, ſiue per ægritudinem, ſiue per uiolentiam aliquam, ueluti Enuchi, Spadones, & ſimiles; orta quoque ex parentibus diſtinctę ſpeciei, ut Licifca, & Muli, ſunt modo aliquo mutila per naturam, cum non dicantur generare; inquit tamen Ariſt. in 6. de hiſtoria Animalium, cap. 24. in Syria mulos generare, at illi fortè ſunt diſtinctæ ſpeciei à noſtris & ſunt orti ex parentibus eiuſdem ſpeciei; Similiter, orta ex putri, non ualent ſimile procreare, hæc autem dicuntur orta ſponte, quaſi ex ſeminę præcurrente ſemine parentis; de his Ariſtot. in 1. de Generat. Animal. cap. 1. & 26. necnon in 3. lib. cap. 1. ait, quod uel non generant, uel non parunt ſimile, ſed id, quod nec mas nec fœmina ſit; ut muſca, uermes, nil enim ualet eleuari ſupra naturam, & conditionem ſuam, ſed ſolum degenerare; Propterea cũ hæc per generationem propriè ſumptam, ab Anima non ſint genita, etiam facultate gignendi alia ſimilia nõ ſunt prædita, & præſertim quia unius, unus eſt proprius generationis modus; Sola itaque ea generant, quę omni ex parte ſunt perfecta; Inſuper confirmatur, quod generare ſit opus maximè conſentaneum Naturę, Ratione ſumpta ex fine. Cuius gratia generationis, qui eſt participatio æternitatis, & Ratio ita formatur: Illud opus per quod uiuens conſequitur maius bonum, debet iudicari maximè conſentaneum Naturę, cuius conditio eſt tendere in bonum, ut in finem; at, generare eſt opus tale, quare &c. Minor oſtenditur: quia finis eius eſt æternitas nam cũ eſſe, ſit bonum, diutius eſſe, eſt melius, & eſſe ſemper, eſt optimum; Hinc in 2. de Cælo, 17. legitur, quod opus Dei eſt æternitas, quę æternitas dicitur conditio diuinorũ, & cum omnia ex ſui natura pendeant ex ipſo bono, & includant conditionem boni cuncta etiam in bonum tuum finem tendunt proximè, quidem in bonum propriũ, longè autem in bonũ cõmune, & dum operantur ſecundum Naturam, gratia eius operari dicuntur; & quamuis in 2. Phyſ. & alibi, dictum ſit, quod finis eſt ipſa forma, nunc verò quod ſit conſequutio æternitatis, hoc nil obeſt: quia forma eſt finis generationis,

Ratio.

Perfectum quando dicatur eſſe.

Sola perfecta generãt.

Generare opus naturæ maximè cõſentaneum.

nis; & Cui, æternitas uerò est finis rei genitæ; Cuius gratia ea est; Superæ Mentes eodem numero fruuntur æternitate, quam cum nequeant mortalia eadem Numero assequi, eam assequuntur in Specie, munere generationis, nonnulla magis, hoc est secundum eminentiorem gradum suę perfectionis, veluti Homo; alia minus, & secundum obscuriorem gradum suę perfectionis, ut Iumenta & ferę, cuius generationis instrumentum est Semen.

ANNOTATIONES.

Consider. 1.

CONSIDERO Primò, ut attinet ad uerba, quod in meo Græco Codice in calce Contextus legantur hæc uerba: Propterea Semen Animalium & Plantarum organum est, indicantia Naturam pro generatione congruentia instrumenta parasse; Quæ uerba in multis non leguntur. Insuper considero, quod Arist. ait Viuentia dum secundum Naturam operantur, cuncta facere gratia adeptionis æternitatis, & diuinitatis; ait (secundum Naturam) quia ob dispositionem Naturæ aduersam potest secus euenire, ueluti maximè præter Naturam operatur Homo, dum vel alterum, vel semetipsum interficit; Ex quo etiam elicitur, quod Natura non reddit uiuentia prochuia ad malum, sed secundum se, ad solum bonum; euenire tamen potest, ut bonum unius, pugnet cum bono alterius; ut bonum Corporis, cum bono Mentis, veluti in Homine, Natura enim in his uersatur, quæ pertinent ab Corpus. Considero Secundò, quod Arist. ait Viuentia per generationem participare esse semper, & Diuinum, quædam magis, alia minus, non constat, quæ sint ea quæ magis participent esse semper, cum æquè omnia quæ generanti, seruentur specie æterna. Quidam aiunt magis longæua magis participare, at, longæuum pertinet ad Individui conseruationem, non Speciei, de qua est sermo; Themistius & Auerroes id referunt ad orta ex putri, quę minus id participant, quiā alia Animalia ex Semine orta, cum non semper in Mundo reperiantur. Hoc etiam ad rē non facit: quia Arist. loquitur de ea adeptione conseruationis, quæ est per Animam uegetalem. Nonnulli id referunt ad multitudinē Individuorum eiusdem Speciei, at, hoc est absurdum, ita enim Formicę, & Vermes, magis quam Homo eam assequerentur, cum sint plura numero; Propterea dicendum puto, quod Arist. simul consideraverit, conseruationem & gradum perfectionis rei quæ seruatur, ideo dixit participare ipsum semper considerando conseruationem; addit, (& Diuinum,) denotando gradum perfectionis rei, ac ita Homo maximè id consequitur; quia secundum gradum eminentiorem & Diuinitati proximiorem; in qua significatione legitur in 1. de Cęlo, 100. quod omnibus tributum est esse, his quidem clarius, his uerò obscurius, veluti lumen Solis participant oculi cunctorum animalium, hi clarius, vt Aquilæ, illi obscurius, ut Noctuæ; Considero Tertiò, quod Arist. inquit, generare simile, esse opus maximè consentaneum Naturæ, ad quod per Naturam maximè viuentia sunt prochuia, nam duo sunt quæ per Naturam viuentia maximè appetunt, unum est alimentum, alterum est generatio: appetitus alimenti est magis necessarius, alter verò præstantior, ille est origine prior, hic uerò perfectione, & est finis ulterior, qui magis optari dicitur, cum cætera dirigantur in eum; hinc Natura cum usu utriusque eximiam iunxit delectationem, & cum interitu dolorem, ut illam optaremus, hunc uerò pro facultate uitaremus. Hinc etiam euenit, ut instinctu Naturæ diligamus filios, quia per eos maximè seruamur, cū filij nedum sint eiusdem Speciei cum patre, uerum insuper sint partes modo aliquo eius, ut dicitur in 8. Nicomachiorum, cap. 11. & ob id etiā Plato in Cōuiuio, manifestauit uiros Sapientes, & Poëtas diligere filios Animorum suorum, quales sunt libri uarij, & Poemata uaria, perquę autores seruantur immortales; & si pater diligit filium quia est proles eius, maximè Deus debet diligere

Natura nō reddit uiuētia prochuia ad malum.

2

Quæ magis participent ipsum esse semper.

Sententia propria.

3

Duo quæ p Naturā uiuentia maximè optāt.

Plato.

Maximè Deus diligit Mundum.

Mun-

Mundum, cũ nil fit in Mundo quod non pendeat ex eo; Maximè itaque uiuentia per Naturam appetunt generare; Hinc cecinit Virgilius:

Omne adeo genus in terris hominumq; ferarumq;
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq; volucres,
In furias, ignemq; ruunt, Amor omnibus idem.

Sed pulchra oritur Dubitatio, nũ parentes magis debeant filijs, quam filij parentibus: nonnulli aiunt parentes magis debere filijs, quia ab eis recipiunt æternitatẽ, & conseruationẽ Speciei, cũ filij à parente solũ recipiant esse sui, mortale; At, hi fallũtur; Primò, quia filij id retribuunt parenti facultate eis à parente tributa; Secũdò, quia cũ parentes tribuant filijs esse Indiuidui, per id eis tribuunt facultatẽ assequendi æternitatẽ Speciei. Considero Quartò, sententiã Arist. nõ carere difficultate, nõ enim generare videtur opus maximè consentaneũ Naturę, & quod maximè optetur; Primò, quia id maximè per naturã optatur, quod maximè est proprium, maximè autem proprium est conseruatio sui, competens uiuenti per nutritionem, hinc sæpè ob sui conseruationem abscinduntur genitalia, & se abstinent homines a Coitu. Præterea, magis videtur optari Voluptas, quia multi libenter Voluptate Veneris fruuntur, & prolem necant; Insuper, si id esset, tunc Castitas, & Virginitas non essent Virtutes, sed potius uitia, nil enim præter Naturam Virtus est; His accedit, quod iumenta & feræ non cognoscunt hanc æternitatem, quãte non appetunt; Demum, Sapientia & Prudentia præstant generationi, & ob id magis per Naturam optari debent; Hinc omnis Homo per Naturam scire desiderat. Pro Solutione accipio Primò, dum dicitur generare esse opus maximè consentaneum Naturæ, comparari inuicem opera Naturę, ea autem ad Corpus pertinent, Sapere, & Prudentem esse, supra Naturam eleuãtur, cum pertineant ad Mentem; Hinc in libris de Motibus bona Animi præferuntur bonis Naturæ; Secundò, accipio Naturam esse duplicem; Vnam propriam singulorum; Alteram communem, quæ præfertur proprię, quia bonum quo est communius, eo est eligibilius, vt dicitur in 1. Nicomachiorum., per Naturam propriã appetimus Numero pro facultate seruari, per communem verò, seruari semper Specie. Colligo facta comparatione inter opera Naturæ, generare simile, esse opus maximè consentaneum Naturę, & maximè per communem Naturam optari; Hinc competit solis perfectis, & eleuat ad id optimum, quod per Naturam est aptum Corpori Physico uiuenti competere. Rationes aduersæ facilè diluuntur; Dicebatur maximè optari bonũ proprium, concedo per Naturam, ut propria est, at, non per communem; Addebatur, magis optari Voluptatem; Respondeo, id esse præter Naturam, ita enim paratũ pro fine, neglecto fine, ei præfertur. Instantia de Castitate, & Virginitate Soluitur, quia ea sunt bona Animi, quæ præstant bonis Naturæ, & non magis optantur per Naturã, sed per dispositionem supra Naturam eleuatam, & per Rationem ad Diuiniora dirigentem, & hoc non est contra Naturam, sed suprà Naturam. Dicebatur, Iumenta, & feras, non cognoscere hanc æternitatem; Respondeo, non per cognitionem, sed per Naturam appetere, veluti neque Plantæ eam noscunt. Instabatur postremo, quia Prudentia, & Scientia præstant generationi, & omnis Homo Natura scire desiderat; Respondeo, comparari modo inuicem opera Facultatis vegetalis, addo, appetitum generationis esse communiorem Corpori Physico, intimiorem, & magis propriè ad Naturam pertinere, quæ Definitur, quod sit internum principium motus, appetitus Scientiæ est elatior, & sublimior, & dicitur nobis per Naturam competere, accipiendo secundum Naturam, ut contradistinguitur ab his, quæ nobis competunt per studium, & artem, non autem quia Mens Natura sit: nam ea quæ nobis ab ortu sunt insita, dicuntur per Naturam competere. Insuper, ille appetitus præsertim sequitur Phantasiam, cuius similitudinem sequuntur uarietates ingeniorum, & propensiones ad uaria. Considero Quintò, adeptionem æternitatis posse rebus cõpetere sine gra-

Dubitatio.

1

An generare sit opus naturalissimum.

2

Solutio: Primũ Assumptum.

Colligitur Solutio.

Diluuntur rationes aduersæ.

3

du

du Facultatis uegetandi: nam etiam Corpora Animę expertia seruantur Specie ęterna: Respondeo, cūcta mortalia seruari Specie æterna per generationem, suæ cōditioni cōpetentem, & appetitus generationis præfertur cæteris, ueluti cū Ignis appetit suū locum, appetit sui conseruationem, & generationem sui similis, hic appetitus dici debet magis consentaneus Naturę cæteris; Viuentibus tamen competit modus quidam præstantior generationis per facultatem uegetandi, & si inuicem comparentur nutritio, & accretio, & consideretur, quodnam horum præstet, dicendum est, quod dum solum considerantur ex parte proprij termini motus, nutritio præstat, cum Substantia præstet Quantitati, at dum consideratur accretio ut aliquid origine posterius, ioeludens id quod prius est, sic præstat accretio, hinc expoſcit facultatem robustiorem ex qua prodeat. Considero Sextò, in dubium uerti posse, an homo aliquis uelit appetere se Numero seruari semper; Respondeo id contingere, nam uoluntas etiam ad ea tendit, quæ fieri nequeunt, ut dicitur in libris de Moribus non autem selecto, & dum id optamus, ea est uoluntas rectæ rationi aduersa, non autem secundum Naturam, insuper eam ęternitatem solum nosci Homo per Mentem, ideo ut per Mentem uult, ita per Mentem seruatur æternus, adeò, ut ea uoluntas sit indicium æternitatis Mentis, quomodo autē ętetnitas denotet præstantiam, alibi exactè consideraui. Considerò Septimò, non leuem esse difficultatem, quomodo generatio sui similis dicatur opus facultatis uegetandi: nam Regula est, nil operari ultra proprium gradum, uirtus enim æquatur Essentię rei, immò est ipsamet Essentia, ut dicitur ab Arist. in principio præsentis Cont: nam inquit Anima uegetatiua est communis potentia Animę, adeò ut potentia & anima idem sint, quomodo itaque valet animal per hunc gradum animę origine primum, perfectione postremum, generare animal præditum Sensu, & superioribus facultatibus? Qui putant gradum uegetandi in animali esse distinctum essentia à Sensu, profecto rectè soluere non ualent, at, cùm non dicatur distinctus, facilè soluitur: nam principium generationis est anima tota animalis, & facultate totius, simile generat simile, id tamen opus tribuitur facultati uegetandi, ut proximè per eam facultatē coquitur & gignitur Semen: Considero Octauò, opera facultatis uegetandi esse non tria, ut ait Arist. sed quatuor, quorum unum est uita, nam dictum est facultatem uitalem ad eam pertinere. Respondeo, uitam communem uiuentibus non esse Opus, sed ipsummet esse uiuentium: nam uiuere uiuentibus est esse, sumendo autem uitā pro ea uitali facultate, ex qua prodit uigor & pulsus, hęc non est principale opus, sed feruor, & eminentia insiti & naturalis caloris, quo opera principalia efficiuntur.

Accretio quomodo fiat, & præstet nutritioni.

6 *An Homo appetat esse semper.*

7 *Quomodo generatio sit opus facultatis nutritiuæ.*

8 *Opus quartum.*

Contex. 36. IST autem Anima uiuentis corporis causa, & principium; hoc autem multipliciter dicitur, Anima tamen tribus determinatis modis causa est, nam ea est causa unde motus, & Cuius gratia, & ut essentia animatorum corporum; Quod ea sit causa ut essentia, conspicuum est: nam causa ipsius esse, omnibus essentia est, uiuere autem uiuentibus est esse, quorum causa & principium est Anima. Præterea, actus eius quod est potestate, ratio est. Conspicuum etiam est, quod Anima est causa Cuius gratia, ut enim Mens gratia alicuius operatur, ita & Natura, & hoc est gratia finis; huiusmodi autem in Animalibus est anima, & secundum naturam, omnia enim Physica Corpora sunt instrumenta Animæ: ut ea Animalium, ita & Plantarum, & sunt gratia Animæ; Dupliciter autem dicitur id Cuius gratia,

& Cuius, & Cui; At verò, etiam est causa vnde primò prodit motus secundum locum, non tamen cunctis viuentibus competit hac facultas; Insuper alteratio quoq; & accretio, competit viuentibus per Animam, Sensus enim quædam alteratio esse videtur, nil autem sentit, quod non sit præditum Anima, similiter autem de accretione & diminutione se habet, nil enim minuitur, vel crescit Physicè, nisi alatur, alitur autem nil, non participans uitam.

DIXERAT Philosophus ordiendum esse à Facultatè vegetandi, & Primò agendum esse de Alimentò, & de munerum functionibus eius, quas inuicem comparauit, & prætulit officium generandi; modò verò antequam distinctè de his loquatur, vsque ad Contex. 42. duo sibi vtilia declarat; Vnum est, quod Anima sit causa in triplici genere causæ; Alterum est, quod relata Opera, non sint officia Naturæ infra Animam constitutę, vt putarunt multi Veterum, sed ipsius Animæ. Vt pertinet ad præsentem Contextum, diuiditur in quatuor partes; In quarum Prima proponitur Conclusio, & est: Animam esse causam viuentium in triplici genere, nimirum, Formæ, Finis, & Efficientis; In alijs tribus distinctè ostenditur de singulis tribus generibus; Concluſ. hæc est. Anima est causa, & Principium Corporis viuentis in triplici genere, nimirũ, Formæ, Finis, & Efficientis; & cum dicatur esse causa Corporis viuentis, intelligerè debemus, uel eius, vel attinentium ad illud, vt Accretionis, Alterationis, & similiũ; Quod igitur vt essentia, &c. Ostendit in hac Secundâ partè, esse Formam, duplici Ratione; Prima est. Quod et causa ut viuentia sint, conferi debet Forma, nam Formæ officium est largiri esse, Anima est causa ut viuentia sint, quia est causa uitæ, viuere autẽ est esse, quare est causa in genere Formę; Altera Ratio est. Omnis actus eius qd est potestate, est Forma, Anima per primam Definitionem est actus, & perfectio potè state vitam habentis, quare est Forma; Conspicuum etiam est, quod Anima sit causa Cuius gratia, &c. In hac Tertia parte ostenditur Animam esse causam in genere Finis; Ratio ita formatur; Id Cuius gratia per Naturam parantur instrumenta uiuentium, iudicari debet Finis eorum, at gratia Animæ per naturam formantur instrumenta viuentium cum Plantarum, tum Animalium, quare Anima Finis est; Maiot ostenditur: quia ut Artifex per habitum Mentis operatur propter finem, ita & Natura, ut ostenditur in calce 2. Physic. Minor patet: quia instrumenta uiuentium inseruiunt Animæ; At, se offert controuersia, quia dictum est instrumenta esse gratia operum, & officiorum; Soluitur; per distinctionem Finis, nam Anima est Finis Cui inseruiunt, actio verò est Finis Cuius gratia. At verò etiam est causa vnde primò prodit motus, &c. In hac Quarta parte ostenditur Animam esse causam in genere efficientis, hac ratione; Omne primum Principium Motus est efficiens, Anima est primum principium motus, quare est efficiens; Maiot patet ex Definitione efficientis, Minor ostenditur: quia Anima est principium motus secundum locum, eorũ Animalium quæ eo motu mouentur, veluti Canum; In Plantis est principium efficiens accretionis, & alterationis; in Animalibus & principium efficiens muneris sentiendi, quod est quædam alteratio; quod autem Anima horum sit principium, ex eo patet, quia nil secundum Naturam crescit, minuitur, & sentit, nisi viuat.

Intentio.

Diuisio. Expositio.

Quod sit Forma. Ratio 1.

2

Quod sit Finis.

Dubitatio. Solutio.

Quod sit Efficiens.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò sententiam prolatam ab Aristotele viuere viuentibus est esse, debere intelligi de vita sumpta non pro actu secundo, qui actio est, sed pro primo; Insuper, non pro uita contracta ad gradum uegetandi, sed latè extensa per omnẽ gradũ Animæ, de qua Aristoteles dixit, quod quiuis gradus Animæ adsit, uiuere dicitur, & hæc est ea uita, quæ Definitur, quod sit prima participatio Animæ in calore uitali, hoc itaque uiuere est ipsummet esse uiuentium, & Anima dicitur causa in genere formæ dum refertur ad uiuens, cui largitur esse, Omnis causa in suo genere dicitur causa ipsius esse, at forma ita est causa, ut sit ipsummet esse. Considero secundò, quod Aristot. ait, omnia Physica corpora esse instrumenta Animæ, ut ea Animalium, ita ea Plantarum; At hoc est dubium: quia huiusmodi corpora sunt materia Animæ, quare non Instrumenta. Respondens dico Primò, non omnia Physica Corpora uniuersè esse propriè sumpta instrumenta Animę, sed ea Plantarum, & Animalium, ut contrahuntur ab Aristot. Addo secundò, corpora uiuentium posse dupliciter considerari, uel ut recipiunt esse ab Anima, ac ita sunt materia, uel ut Animæ inseruiunt pro fungendis suis muneribus & ita sunt instrumenta. Addo Tertiò, Corpus uiuentis posse considerari uel totum simul, uel partes seorsum; dum considerantur partes seorsum, quæ dicuntur membra, magis propriè dicuntur instrumenta, dubium est de corpore toto an debeat dici instrumentum Animæ. Plato definiens hominem, dicebat esse Animam rationis compotem, utentem Corpore, indicans Corpus totum esse instrumentum, & Arist. inquit omnia Physica corpora esse instrumenta Animæ, non contrahendo ad partes. At, hoc est dubium: quia instrumentum debet distingui ab utente, operans autem est totum, uiuens, non sola Anima; quare totum Corpus, non uidetur posse dici instrumentum. Pro Solutione dico, dum forma est assistens, corpus totum rectius dici potest instrumentum, ut nauis nautę, & Cęlum motorum eius. Dum uerò propriè format, tunc dum consideratur totum operans, profectò Corpus totum non rectè dicitur instrumentũ, quia nil est instrumentũ suimet; Dum uerò solum cõsideratur prima ratio operandi, quæ est Forma, sic magis Corpus totum poterit modo aliquo dici instrumentum Animæ, & quia Plato magis Animę tribuebat ut esset integrum agens, & assisteret, ac ex se moueretur, ideo magis per principia eius, quam per illa Aristot.

Omnis causa dicitur cã ipsius esse.

Dubitatio. 2

Solutio.

An Corpus totum sit instrumentum Animæ.

Plato.

Solutio.

3 Corpus totum poterit dici instrumentum Animæ. Considero Tertiò, quod Arist. ostendens Animã esse principium efficiens alterationis, inquit: Sensus enim quædam Alteratio esse uidetur, ait uidetur, tum quia id non ostendit, tum insuper quia cum sit actio spiritalis, minus propriè est alteratio; Sic in 7. Physic. dicitur motum attingere partem Animæ sentientem, at, non Mentem; Id tamen quod parit difficultatem est, quia in progressu dicetur Sẽsum consistere in quodam pati, & si adsit aliqua alteratio, ea producitur ab Obiecto, non ab Anima. Respondeo, Sensum relatum ad Obiectum, pati, relatum uerò ad officium sentiendi, agere; Hinc Visio in 10. Metaphys. dicitur actio immanens ratione organi patitur, ratione propria, agit: nam iudicare est agere, & propterea rectè dicitur passionem Sensuum desinere in actionem. Considero Quartò, quod etiam apparet Animam posse dici causam in genere Materiæ, quia ut legitur in Anteprædicamentis, Anima est Subiectum Scientiæ; Similiter, dicitur Subiectum uariorum habituum; Insuper, esse potestate, & fieri omnia, ad materiam pertinet, huiusmodi autem est Mens Hominis, ut dicitur in 3. de Anima. Respondeo, Animam non posse dici Materiam Corporis uiuentis, cum sit eius Forma; si autem aliqua relatione fungitur officio Materię, id per Metaphoram accidit, non propriè; uel etiam id ei competit ex accidenti, ut nectitur cum Corpore.

Dubitatio.

Solutio.

4

An sit materia.

Solutio.

5 Considero Quintò, quod Aristot. uidetur secum pugnare: nam hoc in loco ait Animam

mam esse causam in triplici genere causę, cum tamen in 2. Phys. Contex. neget Formam in idem numero redigi cum Efficiente, sed solum cum Fine; Hanc apparentem controuersiam latè dissolui in 2. Physic. Propterea nunc breuibus dico, Formam & Finem uenire in idem numero, cum relatione ad idem, ut eadem est Forma Cęsaris, & Finis generationis eius; de Efficiente non sic se habet, nil enim se generat, sed aliud ei simile specie; absolutè tamen, & cum relatione ad uaria, idem potest esse Finis, Forma, & Efficiens, vt patet de Natura, & de Anima. Considero Sextò, cum Aristot. patefecerit Animam esse causam in triplici genere, & id constet de nutriente, & sentiente, dubium esse, num etiam id uerum sit de Humana Mente, Respondens dico Primò, vt Anima mortalium vniuersè sumpta, est ab uno, ita quæ ei tribuuntur, putandum est esse ab uno; Dico Secundò, Aristot. inspexisse Animam totam, gradus uerò eius tanquam partes totius; Addo Tertiò, Aristotelem id propriè inspexisse, quod pertinet ad Physicum: nam Mens considerata secundum propriam suam & absolutam rationem, ad Physicum non pertinet. Dico Quartò, ex sententia Aristot. Mentem esse Finem, non vnius definiti instrumenti, sed totius humani Corporis Organici, nam totum ei inseruit. Insuper, est Forma non materiari; sed eminentioris Hominis, & est Efficiens remotum motus secundum locum, proximum uerò officij intelligendi, re vera tamen & absolutè est propria Hominis Forma.

Controuersia. Solutio. 6 An Mens sit causa in triplici genere.

IMPEDOCLES autem non rectè dixit hoc addens, accretionem competere Plantis, radices deorsum mittentibus, quia Terra secundum Naturam ita fertur, sursum autem eleuari, quia ignis ita fertur; At, non rectè sumpsit sursum & deorsum: non enim idem est sursum & deorsum, singulis, & vniuerso; sed vt caput ad Animalia, ita radices se habent ad Plantas, si congruit instrumenta iudicare eadem, & varia per opera: Insuper, quid detinet Ignem, et Terram, quæ in contraria feruntur, nisi enim adsit detinens, seiungentur ab inuicem, si verò adsit, id profectò Anima est, quæ & accretionis, & nutritionis Principium est.

Contex. 38.

OSTENSO Animam esse principium actionum ad uiuentia in triplici genere causę, ut inde pateat, eam esse principium operum, facultatis uegetandi; Quoniam autem Veteres ipsos existimabant, ideo intentio Aristot. modo est, eorum errores explodere, ut distinctius ualeat ueritatem patefacere: Nam putarunt Veteres solam Materiam esse Naturam, & cuncta fieri non gratia Finis, sed secundum impetum, & necessitatem Materiæ, cuius opinionis præsertim fuit Empedocles. Diuiditur Contex. in tres partes; In Prima tanquam falsa profertur opinio Empedoclis; In Secunda, & Tertia, duabus rationibus euertitur, Empedocles non rectè inquit accretionem fieri per propensionem Materiæ, quatenus radices quia sunt terreæ, sua grauitate tendunt deorsum, folia verò magis Aerea, & Ignea sua leuitate sursum eleuantur. In Secunda parte eum carpit, corrigens modum loquendi: nam minus rectè radices dixit tẽdere deorsum, folia verò sursum eleuari, & format hâc Rationẽ; Id cui cõpetit officiũ oris, debet iudicari os, caput, & pars sursum, quia instrumenta sunt eadem, & uaria, per opera; Radicibus competit huiusmodi officium, quare sunt pars sursum; In Tertia parte altera utitur Ratione, quę sic formatur; Si Plantę crescunt per

Intentio. Diuisio. Expositio.

motum

motum Terræ deorsum, & leuium sursum, uel adest ea grauia & leuia detinens, & continens, vel ne, si non adest, seiungentur, & non prodibit accretio compositi, si adest, id in Planta nil præter Animam esse potest, quare non per inclinationem grauium & leuium, sed per Animam nutriuntur & crescunt.

ANNOTATIONES.

Cõsideratio prima.

CONSIDERO Primò declarari ab Aristot. in 2. de Cælo, omnem primam differentiam positionis esse principium alicuius motus, & sursum esse principium accretionis, vt dicitur in Contex. 8. & propterea cum plantæ per radices recipiant alimentum, recta ratione respondent ori, & dicuntur pars sursum; hinc Homo ab Academicis dicitur Planta euersa; At occurrit

Dubitatio.

dubitatio, quia Aristot. in libro de Iuuent. & senect. ait principium accretionis in medio esse positum, nimirum, in Corde, quod est sedes Animæ, & Vitalis caloris. Respõdeo, principium vel refertur ad Animam, & hæc in medio residet, ita tamen, vt etiam dicatur esse sursum, cum Cor sit supra vmbilicum; Vel refertur ad primum instrumẽtum; primò inseruiens nutritioni, & est os, pro nutritione paratum. Considero Se-

Solutio.

2 cundò, quod aliquis pro Empedocle dicere posset, illum inspexisse non differentias positionis Plantarum, sed ordinem Vniuersi, & radices dixisse deorsum in ordine Vniuersi: nam se habent perinde ac Homo, pede suspensus, cuius pars sursum nimirum caput, est collocata deorsum quo considerationis modo, etiam ipsemet Arist. in

Pro Empedocle.

2. Physic. Contex. 80. ait radices Plantarum deorsum tendere; De hoc dico Primò, dum differentiæ positionis alicui competunt absolutè, non debent ei tribui per relationem ad aliud, Addo Secundò, iure carpi Empedoclem, quia ipse absolutè partem grauiorem iudicabat esse partem deorsum, leuiorem verò sursum. Considero Ter-

Solutio.

3 tiò, quod Aristot. ait, instrumenta dici eadem, uel uaria, per opera: nam instrumenta distinguuntur, & conueniunt, vel per interna, uel per externa; per interna, veluti per Materiam & Formam; per externa verò, ut per Finem Cuius gratia parantur; huiusmodi autem est opus, ut patuit in præcedentibus: Ratio autem distinctionis præci-

Ratio præcipua distinctionis.

pua sumitur ex Fine: nam is causa est distinctionis internorum, quia ob Finis varietatem, uaria paratur Materia, & Forma, ideò iure Aristot. absolutè dixit, distingui opere, Finis enim est causa causarum. Considero Quartò, quod Aristot. formans se-

4 cundam Rationem, dicebat: Si adest continens grauia, & leuia, in oppositum tendentia, id est Anima; & ob id etiam in 1. de Anima, Contextu 90. dixit magis Animam continere Corpus, quam hoc Animam, quia Anima recedente, Corpus dissoluitur; At, dicet aliquis, id non esse Animam, sed Formam mixti, ueluti in mixtis inanimis, ut Auro, & Argento inspicimus per Formam mixti in vnum redigi, & contineri grauia & leuia; Respondeo, in mixtis inanimis, non reperiuntur partes variæ, præditæ oppositis propensionibus, sunt enim consimilium partium, ut reperiuntur in uiuente dum nutritur, & alimentum dissoluitur; Præterea, Continere, est officium principalis, & dominantis Formæ, quæ viuentium est Anima; Insuper, uiuentia sunt figurata, & proprijs terminis circumscripta, non autem inanima Corpora, & propterea id ita continens, terminans & figurans, est aliquid distinctum à præditis oppositis propensionibus, eisque dominans, id autem nil præter Animam esse potest.

PVTANT

DVTANT nonnulli; naturam Ignis esse absolutè causam accretionis, & nutritionis; Is enim solus inter Corpora, aut Elementa nutriri, & crescere; Propterea putabit aliquis, cum in Plantis, tum in Animalibus hunc esse id quod operatur. At, is Concausa quidem modo aliquo est, non autem absolutè Causa, sed magis Anima. Ignis enim accretio in infinitum tendit, quousque adfuerit combustibile, omnium autem Natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & accretionis, hac autem Animæ sunt officia, non Ignis, & rationis magis, quam Materiæ. Contex. 40. 41

REIECTA opinione Empedoclis qui putabat quatuor Elementa esse prima rerum principia, & mox cuncta prodire ex eorum propensione, refert, & reijcit in præsenti Contextu sententiam aliorum, & præsertim Heracliti, qui officia nutritionis, & accretionis, tribuebāt Igni, & eius calori. Diuiditur Contextus in tres partes; In Prima refertur opinio reijcienda; In Secunda opinio propria; In Tertia formatur Ratio per quam aliena opinio reijcitur; Inquit in Prima parte, nonnullos putasse Naturam Ignis esse causam, non quidem vt instrumētum, sed simpliciter, & absolutè nutritionis, & accretionis, vt Heraclitus, qui Ignem statuebat principium rerum; & Hippocrates qui Animam putabat esse Spiritum, & Calorem, Quam sententiam etiam refert, & reijcit Aristot. in 2. de partibus Animalium, cap. 7. Ratio pro ea opinione est; Dum affectio alicui per se primò competit, cæteris competit per illud, nutritio, & accretio per se, & primò competunt Igni, quare cuncta quæ nutriuntur & crescunt per Ignem, & calorem Igneum nutriuntur, veluti Plantæ, & Animalia; Minor ostenditur, quia solus Ignis inter Corpora, & Elementa, hoc est inter prima Corpora, uidetur nutriri, & crescere, quare primò id ei competit, quod experientia potest confirmari: quia calore Cordis, & Viuentium percipimus coqui, distribui, & permutari Alimentum. Hic autem Concausa, &c. In hac Secunda parte, refert Philosophus opinionem propriam, quę est, Ignem esse quodam modo Concausam, hoc est, instrumentum Animæ, pro fungendo munere nutritionis, at, non absolutè Causam, id enim magis conuenit Animæ; Quod Ignis non sit prima, & absolutè Causa, in Tertia parte ita ostenditur; Causa principalis & absoluta ea est, quæ includit rectam efficiendi rationem, ac operi terminos adhibet, Igni hoc non competit, non itaque est principalis, & absolutè Causa; Maior ostenditur: quia omnium natura constantium, terminus proprius est, & ratio magnitudinis, & accretionis, natura enim infinitum renuit, & terminos quærit & expoſcit; Minor ostenditur: quia Ignis crescit in infinitum si adsit combustibile, infinitum autem caret terminis proprijs.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. inquit Corporum, aut Elementorum solus Ignis videtur nutriri, ait Corporum, aut Elementorum, denotando expertia Animæ, quorum prima sunt Elementa, nam uiuentia potius dicuntur habere Corpus, quam Corpora, cum constent ex Corpore & Anima; Inanima verò solum sint Corpora; Inter ea solus Ignis videtur nutriri, non quia propriè nutriatur, sed quia eius adgeneratio maximè similis est nutritioni, & generatio-

Cōsideratio prima.

Aliud Corpus aliud habēs Corpus.

Solus Ignis videtur nutriri.

ni; Hinc in libro de Longit.& breuit.uitæ,insitus calor uitalis,dicitur similis flammę, quæ ex oleo continenter reficitur, & hoc potius competit Igni,quam alijs; Primo, quia proprius eius est calor iunctus sicco,qui efficacissimè agit, & reliqua in sui naturam conuertit, Secundò,quia flamma Ignea est, tanquam Forma in aliena Materia,

Pluto cur claudus.

quæ non seruatur, nisi reficiatur; hinc Pluto Ignem denotans, dicitur claudus, egens baculo,cui hæreat; Tertiò,quia Ignis relatus ad reliqua Elementa, est tanquam Forma, ea continens, reliqua verò Elementa tanquam Materia, alimentum autem fungitur officio Materiæ. Considero Secundò, quod Aristot. inquit Ignem esse Con-

2

Quo ignis concausa.

causam quodam modo nutritionis,nomine Ignis denotans uitalem calorem,nomine verò Concausæ denotans instrumentum,nam Concausa dicitur,uel quia sit vna cum re effectu,ueluti in 1.Physic.80. Materia una, cum Forma dicitur Concausa eorum, quæ fiunt tanquam mater; Vel dicitur Concausa quia non sit principalis,sed uel secundaria, uel instrumentum, quæ subiiciuntur causis principalibus, hac consideratione, facta comparatione inter causas externas,& internas, externæ ab Academicis absolutè dicuntur Causæ, quia dominantur internis, internæ verò Concausæ; facta autem comparatione inter propriè dictam Causam, & Instrumenta, hæc nuncupantur Concausæ: qua consideratione Aristot. modo ait Ignem esse Concausam, Animam uerò principium absolutè, & Causam nutritionis, & cum dicat esse Concausam, addit, quodam modo, tum quia etiam dantur alia Instrumenta nutritionis,tum insuper,quia absolutè Instrumenta nil agunt nisi moueantur à principali artifice, Ignis verò dum ab Anima tanquam à principali artifice non dirigitur,operatur euer-

3

Controuersia. Solutio.

tendo & destruendo. Considero Tertiò, quod Aristot. de Igne uidetur pugnantia proferre: nam Primò ait, esse Concausam, siue Instrumentum, mox uerò in calce, inquit terminare esse officium Animę,non Ignis,& Rationis siue Formæ,non autem Materiæ,adeò,ut ignem denotet esse materiam quæ non est Instrumentum. Respondeo ignem posse considerari dupliciter; Vel pro calore famulante Animę pro concoctione; Vel ut est pars mixti recipientis Animam, & vtraque consideratione semper est Concausa, & tanquam Instrumentũ,& tanquam Materia, ut patuit. Consi-

4

Controuersia alia. Solutiones uariæ. Gandauensis

dero Quartò, quod Arist.conspicuè videtur secum pugnare,Primo.n.ait,oĩum naturã constantium definitũ esse terminũ magnitudinis,& accretionis,mox ait Ignẽ crescere in infinitũ, & huiusmodi terminis carere, cum tamen Ignis quoque sit Corpus natura constans; Expositores prò diluenda controuersia varia dicunt; Gandauensis ait per infinitum tributum igni denotari molem magnam excedentem quamuis molem uiuentium; at,hoc non satisfacit,quia ignis hanc molem excedit cum combustibili quod adest, quare frustra Arist.addidisset,si adest combustibile;Insuper,non pro-

Philoponus

priè uteretur Arist.uoce infiniti.Philoponus eã sententiam,Natura constantiũ, contrahit ad uiuentia ,at,aduersatur Arist.qui,vniuersè inquit omnium Natura constantium; Præterea, Arist.in 1.Phys.36.disputans aduersus Anaxagoram,etiam de Carne, Sãguine, & alijs consimilibus Natura constantibus,inquit debere secundum molem esse definita, Propterea dicendum puto,duo debere considerari; Vnum est, mo-

Opinio propria.

les Indiuidui; Alterum numerus Indiuiduorum, primum ex sua forma terminum habet, & ipsamet forma, dicitur terminus, & omnis forma, secundum propriam conditionem, & ut est definita Natura, secum defert proprios terminos; hinc Arist. in calce Contex.dixit,terminare esse officium formę,hinc Natura quę forma est,dicitur renuere infinitum, & expoſcere terminum; Sic vniuersè uera est sententia ab Aristo prolata; Dico Secundò, si consideramus numerum Indiuiduorum,hic ex se definitus non est, ueluti non est definitus numerus singularium Hominũ; hinc referente Porphyrio,descendentes ad Indiuidua,iubebat Plato quiescere,cum sint infinita,siue indefinita numero,de quibus non est scientia,terminum autem recipiunt,uel ex ordine uniuersi, vel ex materia, sine qua non creſcit numerus Indiuiduorum in infinitum; His addo,quod ignis,& reliqua Elemẽta,sunt multitudo indiuiduorum iuncta,adeò,

vt actu

vt actu sit vnum, potestate verò sint tot, quot sunt partes eorum, aptæ seorsum subsistere, quæ dicuntur indiuidua, & minima Physica; Ex his elicitur Solutio conspicua; Dicebatur omnium Natura constantium, nimirum Indiuiduorum, quorum propriè est accretio, diminutio, & nutritio, definitam esse molem, secundum maximum, & minimum; Addebatur, Ignē esse Corpus Natura constans, concedo, & dico, id quod dicitur crescere in infinitum, non esse Indiuiduum unum, sed multitudinem iūctam, ut patefeci; At, adhuc occurrit dubitatio, quia Arist. in 3. Phys: 60. & eo loci latius Auerroes inquiunt, Physicum non dicere corpus in infinitum crescere, cum tamen id dicat Mathematicus, hoc tamen in loco inquit, Ignem crescere in infinitum; Respondeo, Physicum id non dicere: quia repugnat Naturæ, quæ est Forma, & Naturæ quæ est Materia, cuius maximi termini sunt illi Ignis, Ordini vniuersi, & terminis Mundi, intra quos cuncta Corpora Physica clauduntur, & hoc in loco id non profertur absolutè sed cum conditione, si adesset combustibile, Mathematicus autem abstrahit ab his, & propterea id affirmat; Confidero Quintò, nedū Vetustiores Philosophos, uerum etiam nonnullos; ex Recentioribus putasse, nutritionem, & accretionem esse officia, non Animæ, sed Naturæ infra Animā constitutę, hinc opera naturalia nuncupantur, idque nituntur confirmare: quia id statui debet principium proprium nutritionis & accretionis, quo posito, ea ponuntur, & remoto, remouentur, at, posita Ignea flamma, ponuntur ea, & remota, remouentur, quare, &c. nam Ignea illa flamma est, quæ nutritione eget pro sui regeneratione, eamque sibi parat, non Anima, nā Anima eget quidem eo calore, at, non ob id eget alimento, nec sibi id parat, confirmatur: quia in nuper defunctis, per huiusmodi calorem superstitem & putridum crescunt pili, & ungues; At longe uerior uiderur sententia Aristot. quod id sit officium Animæ, ut Artificis, caloris, ut Ministri: nam Subordinatorū eadem iudicari debet causa, nutritio, accretio, & generatio sunt Subordinata, & generationis sui similis, proculdubio principium principale est Anima, quare etiam nutritionis, & accretionis; Præterea, terminus accretionis, distributio in partes secundum congruentē proportionem, & conseruatio eiusdem figuræ uiuentis, proculdubio à principali efficiēte prodeunt, ea itaque ab Anima, non ab Ignea flamma ortum ducunt, & Anima est primus opifex; Confirmatur: quia inspicimus sola uiuentia propriè nutriri, ordinatè crescere, flammam verò Igneam includere solum adumbratam nutritionem, quæ est inchoatio exactæ & magis propriè sumptæ, adeò, ut Anima ea sit, qua posita, & remota, ponitur & remouetur exacta, ordinata, & propriè sumpta acretio & nutritio; Insuper, conseruatio eius caloris uiuentium per uniuersum ęuum eorum, non ualeret esse opus nisi Animæ, ea itaque est Artifex cuius calor est Instrumentum, Pili, & ungues defunctorum, non propriè crescunt, sed solum per expulsionem factam à putrido calore, redduntur maiores; Dicuntur autem opera Naturalia, quatenus fiunt sine cognitione, ab Anima, quę etiam Natura dicitur, ut contradistinguuntur ab operibus quæ cum cognitione fiunt.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

5 Opinio quorundam.

Euersio.

Artifex Pili & ungues defunctorū.

QVONIAM eadē est facultas Animæ uegetandi, et generandi, de Alimento necesse est primò agere, separatur enim ab aliis facultatibus opere hoc; Videtur autem alimentum esse contrarium ei quod alitur, non autē omne contrarium cuiusque alimentum est, sed quæcunque contrariorum nedum inuicem permutantur, uerū etiam se augent; plurima enim ex se inuicem fiunt, at non omnia sunt Quanta, ueluti sanum fit ex laborante, uidetur autem & illa non eodem modo esse sibi inuicem

Cont. 42.

43

alimentum, sed Aqua quidem est alimentum Igni, Ignis autem non alit Aquam. Hoc maximè in simplicibus Corporibus apparet, vt unum sit alimentum, alterum id quod alitur.

Intentio.

DIXIT Primo agendum de Facultate vegetãdi, cuius opera dicebantur generare, & alimento uti: & quia de hoc Veteres secus sentiebãt, ideo animos ab erroribus expurgauit, quo facto, ex propria sententia vult modo de ea loqui, ordiendo ab alimento, tanquã à communi Obiecto; Et ex præsenti Contextu tria elicimus. Primò, quod Facultas uegetandi, quæ θρεπτικὴ dicitur, eadem asseritur cum Facultate generandi; Secundò proponitur agendum de communi eius Obiecto, quod est alimentum; Tertiò, referuntur quatuor conditiones alimenti; Inquit Philosophus Primò, quoniam Facultas uegetandi est eadem cum Facultate gignendi, ideò ex hoc elicimus alterum, nimirum, quod Alimentum est commune Obiectum utriusque, & quia ordiendum est ab Obiecto, ideò Primò agendum de Alimento. Ratio ordinis est; quia Facultas uegetandi est origine prior, cum seruari ualeat sine alijs facultatibus, ut patet in Plantis; ordo autem respondere debet Naturæ rerum, ut sæpissimè affirmat Arist. Videtur autem alimentum, &c. Hæc est pars Tertia, in qua referuntur quatuor conditiones Alimenti; Prima est, ut sit contrarium ei quod alitur; Altera, ut sit natum in id permutari; Tertia, ut sit mole præditum, ut ualeat augere; Quarta, ut se habeat ad id quod alitur, tanquam Materia apta recipere Formam eius quod alitur, ueluti Aqua dicitur alere Ignem, non autem uice uersa, ut etiã dicitur in 2. de Ortu & interitu Conyo. nam patitur, mutatur, & formatur.

Diuisio.

Expositio.

Ratio ordinis.

Quatuor cõditiones alimenti.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, quod facultas θρεπτικὴ ea dicitur, quæ uersatur in attinentibus ad alimentum, & eius opera; in Contex. 34. dicebatur uti alimento, quo usu alit, & auget, & generare, & propterea hoc in loco Facultas uegetandi eadem dicitur cum illa generandi; quæ sententia videtur dubia; Primò, quia dicebatur in Contex. 22. Facultates distingui operibus, quare cum opera sint distincta, Facultates quoque sunt iudicandæ distinctæ; Præterea, earum distincta est Definitio, distincti sunt proprij fines, distincta sunt tempora operandi, distincta sunt Instrumenta, vna seruatur sine altera, quare Facultates censeri, debent distinctæ. Respondeo, dum facultas θρεπτικὴ usurpatur pro toto primo gradu competente Plantis, sic ea est eadem cum Facultate generandi, ut totum cum parte, quatenus facultatem illam includit, dum uerò usurpatur pro usu alimenti, est eadem ut duæ partes, cum toto, & dicitur eadem, Primò, quia obiectum est vnum, nimirum, alimentum; Secundò, quia idem est modus operandi, nimirum per naturam, & sine cognitione. Tertiò, quia unum constituunt gradum uiuentium; Quartò, quia subordinantur, & finis est unus, nimirum generatio similis, qui est finis vltimus, adeò, vt maximè sint iunctę & solum ratione aliqua secernantur; Rationes aduersę diluuntur; Dicebatur, distingui operibus; Respondeo ea esse opera subordinata ex eodem Obiecto, adeò, vt finis postremus sit unus, per quem Arist. vna Definitione eas definit; Addebatur, tempora operandi, & Instrumenta esse distincta; Respondeo indicari solum, modo aliquo distingui, quod conceditur, nectuntur enim cum aliqua propria varietate; Considero Secundò, quatuor referri communes conditiones alimenti, nimirum, ut sit contrarium, natum in alterum permutari, præditum mole, & fungens officio materiæ; De Prima conditione disseritur in sequentibus Contextibus; Ex Secunda, quod sit aptum permutari, elicimus

an nutritĕdi, & generãdi eadem sit facultas. Solutio.

Diluuntur rationes aduersę.

2 *Conditiones alimenti.*

non

non unumquodque esse uiuentis alimentum, sed id, quod à calore proprio viuentis est natum superari, & mutari; hinc medicamenta non nutriunt, quia alterantur, at non superantur, adeò, vt in sanguinem uerti possint, venena non nutriuntur, quia vincunt & superant, extinguuntque calorem, uel suffocant, non autem nutriunt; Similiter, metalla non nutriunt, quia à calore humido non possunt liquefieri, calor autem viuentium humidus est; euenit tamē, vt à calore Animalū ualeat portio aliqua magis tenuis resolui, & suo temperamento ualeant alterare, quæ cum illis ebulliunt, adeò, vt non sine aliqua utilitate medici nonnunquam metalla permisceant cum decoctionibus medicamentorum, & experientia compertum est, quod si aurum deglutitur, redditur aliquantulum minoris ponderis, quia aliquid eius resoluitur, & præsertim in ventriculo calidiore; Dicitur tamen Strutium nutriri ferro, & Piscem, quem dicunt Carpionem, auro; id tamen non est verum, vidi ego Strutium delectari ferro, & deglutire nonnunquam capita Clauorum, sed seruarunt custodes, ea mox cum excrementis eijci, credo à calore eius animalis alterari quidem, & portiones magis tenues resolui, at non liquefieri; De Carpione pisce, vulgo dicitur quod nutriatur auro, uel quia precios̄us est valde, vel ob signa quædam flaua in eo extrinsecus apparentia, reuera tamen auro non nutritur, cum in fluminibus uiuat, in quibus nil auri reperitur; Iure itaque Aristot. in prima parte Problem. 42. inquit metalla non nutrire. Considero Tertiò, loquēdo de Alimento, in dubiū verti, an Odores nutriant? Arist. in lib. de Sensu & sensili id negat; Similiter idipsum elicitur ex conditionibus paulo ante relatis, Odor enim nec valet augere, neq; se habet perinde ac Materia; Confirmatur: quia alimentum debet esse Corpus mixtum, aptum in Sāguinem verti, præditum excrementis, quæ Odori non competunt. Insuper, Aqua pura non nutrit: quia non concoquitur, & videtur crassior, quare longe minus odor; Insuper Alimentum recipitur per os, tendit ad Ventriculum, Odores uerò meant per nares ad pulmones; Ex aduerso tamen Pythagoras affirmabat Odores nutrire, quod ostenditur, quia venena per solam inspirationem necant, & morbi contagiosi per solam aeris inspirationem inficiunt, quod non eueniret, nisi ille inspiratus aer, cum alimento permisceretur; Et Galenus in 2. Aphorism. 11. ait ex sententia Hippoc. liquida cito reficere, citissimè aūt Odores; Et 3. Methodi ait, curari Sincopem suauibus odoribus, qui nutriunt spiritus. Conciliator Differentia 155. ait Odoribus solum nutriri spiritus; at non partes solidas; Manardus lib. 18. Differentia 6. ait nedum spiritus, uerum etiam partes solidas ex eis nutriri, idque nititur ostendere: quia legitur Democritum anno suæ ætatis 109. solo odore panis adhuc calidi, uel ut alij inquiunt, mellis, per triduum vitam seruasse; Pro solutione difficultatis accipio Primò nomine Odoris duo posse denotari; Vel solam Qualitatem: Vel vaporem Qualitate præditum, de primo omnes consentiūt non nutrire, non.n. Accidens nutrit Substantiā, de altero est dubitatio; Accipio Secundò, quod nutritio dupliciter vsurpatur, vel latè pro quauis spirituum ālteratione, recreatione, & refocillatione, vel propriè pro partium uiuentis restauratione; His assumptis, duas profero Conclusiones; Prima est. Odores propriè sumpta nutritione, non nutriūt; Altera est. Odores latè sumpta nutritione, nutriunt; Prima est conspicua, per ea quæ dicta sunt, non odores ingrediuntur per os, & gulam in Ventriculum, adeò, ut concoquantur, & uertantur in Chilum, sed per nares, & asperam arteriam tendunt ad Pulmones; Altera Concluſ. patet experientia, ualde enim recreant congruentes Odores, & aduersi lędunt, & excitantur ac prosternuntur vires inspirantium per solos odores; Hoc affirmauit Aristot. in lib. de Sensu & sensili, inquiēs; Quod Odor pro valetudine conducat, manifestū est, & patet ex dictis. Hinc ortum ducunt læsiones ex Venenis & morbis contagiosis prodeuntes, adeò, ut uapores putridi nonnunquam citissimè suffocent; At dubitatio est de modo quo odores reficiunt & necant; Sententia est Galeni, Naturam pro duobus uti respirato aere; Primò, pro refrigerandis præcordijs; Secundò, pro spirituum regenera-

De Strutio.

De Carpione.

3 An Odor nutriat.

Pythagoras.

Conciliator.

Manardus.

Solutio.

Primum qd accipitur.

2

Concluſ. 1.

2

Aristot.

Considerantur modus.

Opinio Galeni. tione; Aristot. verò putat solum conducere pro refrigerando calore Cordis, & præcordiorum, & iure: nam vnius in uno Animali vnicus iudicari debet generationis modus, Spiritus autem generantur in Corde ex tenui parte Sanguinis, quare non ex inspirato aere; Insuper, ut dicitur in 1. de Republ. Natura non consuevit uti uno pro duobus, utitur autem omnium consensione respirato aere pro refrigerandis præcordijs, quare non pro gignendis Spiritibus. Dicamus itaque cum Aristot. Odores operari, lædere, & prodesse, quatenus sua Qualitate alterant præcedentes Spiritus, & uel aduersa Qualitate suffocant, ac inficiunt, uel congruente excitant ac restaurant, & citissimè id faciunt, ob familiaritatem cum Spiritibus. Id quod dicebatur de Democrito, nullius est roboris; Primò, quia dubitatio est de ueritate illius historiæ, à nullo enim fide digno refertur. Secundò, quia non est mirum, hominem sine extrinsecus recepto alimento per aliquot dies seruari, id enim experientia patet in multis, qui nedum tribus, sed etiam pluribus diebus sine receptione cibi seruantur, & præsertim senes, qui non moriuntur defectu alimenti, sed frequenter nimia copia: nam abundant humoribus qui nequeũt à proprio calore uinci, & concoqui, & ob id eorũ calor suffocatur, & extinguitur, Odor autem potest conducere ad excitandum & refocillandum illum calorem, ut fortè contigit Democrito, nam Spiritus eius refocillati ab Odore, potentioresque redditi, ualuere concoquere alimẽtum proximum pro conseruatione caloris uitalis & uitæ.

Resolutio.

De Democrito.

Contex. 44.

QVCCVRRIT dubitatio inquiunt enim nonnulli, vt augeri, ita ali simile simili; Alij contra, vt dictum est, contrarium contrario, simile enim à simili non est aptum pati, Alimentum autem mutari, & concoqui debet, mutatio autem omnis vel est in contrarium, vel in

45 *medium, Insuper, Alimentum patitur aliquid ab eo quod alitur, at, non hoc ab alimento, vt neque Faber à Materia, sed hæc ab illo, Faber enim solum ex ocio mutatur in actum; Num autem alimentum iudicari debeat id vltimum adgenitum, vel primum, habet differentiam: Nam si vtrunque, sed hoc quidem non concoctum, id verò concoctum, poterimus de alimento vtrunque dicere, de non concocto, quod sit contrarium, de concocto, quod simile, ex quo patet vtrosque partim rectè, partim non rectè dicere.*

Intentio. Diuisio.

Expositio.

RETVLIT Philosophus quatuor cõditiones Alimenti, quarum Prima erat, vt sit contrarium, at, quia hæc est dubia, & partim vera, partim falsa est, ideò vt veritas refulgeat, in præsenti Contextu duo facit; Primò dubitat, & argumentatur pro vtraque parte; Secundò, soluit, & concilium affert, similem difficultatem proposuit, & dissoluit Aristot. in 1. de Ortu & interitu, verba faciens de agente & patiente. Dubitatio est, an nutriamur contrario vel simili; Quidam aiunt simili, quod ostenditur quia eo nutrimur, quo nox augemur, augemur simili, quare nutrimur simili, & iure: nam similia similibus conseruantur, nutritio autem est conseruatio Indiuidui; Ex aduerso alij aiunt, nutrimentum esse contrarium, nam omne quod permutatur transit ex contrario in contrarium siue in medium, alimentum vt nutriat, permutatur, quare vel contrarium, vel me-

dium

dium est. Præterea, quod patitur à viuente, est ei contrarium, alimentum â calore viuentis patitur, concoquitur, & permutatur, quare est ei contrarium: nam perinde se habet alimentum ad viuens, ac Materia ad Artificem, Materia, veluti Lignũ, & Aes, ea est quæ permutatur, non autem Artifex, qui solum permutatur ex ocio, in negocium. Num autem Alimentum iudicari debeat id, &c. Hæc est pars Secunda, in qua congruente distinctione partem vtranque patefacit esse veram: Nam alimentum est duplex; uel remotum, uel vltimum, id est contrarium, hoc verò simile, adeò, vt alimentum in fine sit actu simile, in principio verò sit potestate simile, actu contrarium.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ait non mutari Artificem, nisi ex ocio in negocium, sed Materiam in qua uersatur; Similiter, non mutari quod alitur, sed alimentũ; Ex hac sinia quatuor prodeũt dubia, Primum est, quod ea ad rem non facit, quia id quod alitur non transit ex ocio in negocium, sed eo usque alitur, quousque viuit; Alterum est, quia ad motum non est motus, vt dicitur in 5. Physicorum, quare Artifex non mutatur ex non operari ad operari; Tertium, quia etiam Artifex permutatur, nam lassatur, & labore debilitatur; Quartum, quia etiam viuens permutatur ab alimento, alteratur, lassatur, defatigatur. De Prima dico, sententiam facere ad rem, quatenus id quod alitur, quamuis continenter alatur, & permutetur, non tamen continenter in idem alimentum agit, ac ita transit ex non operari circa definitum alimentum, ad operari; hoc est ex una in alteram operationem. De Secunda difficultate dico, transitum ex non operari ad operari non esse motum, nam de motu dicimus, quod cum non sit, mox est sine motu & transmutatione, per negationem de præsenti, dicendo, nunc non est, & statim postea erit, solum dicitur uariari dispositio, quia primò non operabatur, mox operatur; De Tertia dico: Artifex non mouetur vt Artifex, ita enim solum agit, sed ex accidenti, vt omne agens agendo repatitur; Similiter, quod nutritur, non permutatur secundum se, sed solũ ex accidenti, quia agendo repatitur, ueluti senes ob caloris imbecillitatem, sumpto cibo frequenter alterantur & suam imbecillitatem patefaciunt, Aristot. autem id considerauit quod est secundum se, & finem inspexit, qui positus est in permutatione alimenti in substantiam viuentis. Confidero Secundò, non patere quid Arist. denotet per alimentum vltimum: nam si denotat iam conuersum, id non amplius alimentum est, sed pars: si denotat paratum, sed non conuersum, id cum debeat conuerti, adhuc seruat conditionem contrarij, & oponitur per priuationem, & formam. Themistius ait denotari Sãguinem, hinc ait partes corporis pro sui nutritione trahere Sanguinem sibi consimilem, & consentaneum; Confirmatur: quia Aristot. in 2. de partibus, cap. 3. & in lib. de Iuuent. & senect. Sanguinem dicit alimentum vltimum; At, contra utor Ratione Aristotelis; Sanguis uertitur in Carnem, igitur est ei cõtrarius; Insuper, utor Ratione Alex. in 1. de Anima, Cap. 10. Alimentum rei alitæ est Alimentum, res alita ea est cui appositum, & additum aliquid est, non cui apponi debet; sumpsit hoc ex Hippocrate, qui referente Galeno in 1. de Naturalibus facult. cap. 11. dixit: Nutrimentum est id quod nutrit, quod verò nutritiuum est, veluti nutrimentum est, hoc est, potestate; Hoc etiam approbatur à Philopono, similiter etiam à Simplicio, qui considerauit oppositionem per habitum, & priuationem, quæ semper seruatur, quousque alimẽtum non fuerit permutatum; Hinc Galenus in 1. de Naturalibus facultatibus, cap. 11. pro nutritione considerauit; Primò oppositionem alimenti; Secundò agglutinationem; Tertiò assimilationem, & in actu assimilationis dixit esse positum actum nutritionis, adeò, vt Primò consideretur alimentum potestate, quod

Consider. 1.

Quatuor dubia.

Solutio.

2 Quid alimẽtum vltimũ.

Themistius.

Galenus.

te, quod sit contrarium, forma, & qualitatibus, & est alimentum remotum; Mox simile qualitatibus, & est alimentum proximum; Tertiò, consideratur actus permutationibus in Substantiã uiuentis, & est actus nutritionis; Quartò consideratur alimentum actu permutatum, & id ab Arist. dicitur ultimum, & omni ex parte simile; quod patet: quia id dixit προσγενόμενον adgenitum, non dicitur adgenitum quousque non fuerit permutatum; At instabatur, quia tunc est pars, non alimentum; Respondeo, quod consideratur tanquam alimentum antecedentium partium, ut uerò mox consideratur tanquam egens alio alimento, desinit considerari tanquam alimentum; Addebatur, quia Arist. Sanguinem appellat alimentum vltimũ. Respondeo, esse vltimum nutriturum, considerando Primò cibum; Secundò, Chilum; Tertiò Sanguinem, excludendo humores medios, specie distinctos inter Sanguinem & Substantiã partis alendæ; Considero Tertiò, quod cum alimentum ultimum dicatur simile, & ex parte Temperamenti, & ex parte Substantiæ, declarandum occurrit quomodo reddatur simile, & quoniam proculdubio id fit coctione, quæ Definitur, quod sit perfectio à proprio & naturali calore, ex oppositis passiuis, declarandum est quot sint gradus coctionum; Nonnulli putãt esse quinque, quorum Primus absoluitur in Ore; Secundus in Ventriculo; Tertius in Hepate; Quartus in Venis amplioribus; Quintus in angustissimis, quæ ob id Capillares dicuntur, & sunt effusæ per partes nutriendas; Auicenna in prima primi, dimisso primo gradu qui dicebatur fieri in Ore, quatuor reliquos numerat; Galenus in lib. De Succorum bonitate, & uitio, cap. 5. tres esse putat, redigens in unum coctionem factam in Hepate & Venis; Nonnulli ex sententia Arist. aiunt esse duas, quarum Prima in Ventriculo fiat, Altera in Corde, nec desunt qui putent concoctionem unicam esse, quia perfectio, & finis vnicus est; reliquæ autem sint dispositiones, ad ultimam alimenti perfectionem; Hinc Aristoteles in libro de Iuuentute & senectute, ait Cor alimento ultimam coctionem tribuere. Pro resolutione difficultatis dico Primò, in ratione coctionis esse vt varietur forma, & secernantur excrementa, & propterea in Ore cibus non concoquitur: quia neutrũ seruatur, sed solum paratur; hoc affirmauit Arist. in 2. de partibus Animal. cap. 3. inquiens incisionem in Ore, non coctionem esse, sed præparationem; Et quamuis in lib. de Iuuent. & senect. dicat, vnam in alimento fieri permutationem, quam Oris virtus exercet, nõ propterea dicit eam esse concoctionem, vt perperam nonnulli ei tribuũt, ea enim est præparatio non concoctio, vt conspicuè affirmat in 2. de partibus Animalium; Prima itaque concoctio fit in Ventriculo quo loci cibus recipit formam vnam Chili, & secernuntur excrementa crassiora; Altera mox ex sententia Medicorum fit in Hepate; Aristot. autem in lib. de Iuuent. & senect. ait parari quidem in Hepate, perfici verò in Corde, vel virtute à Corde effusa, cuius excrementa sunt vtraque bilis, & vrina; Auicen. ait tertiam concoctionem fieri in Venis; At rectius Aristot. & Galen. illam non secernunt à coctione secunda, quia non variatur forma Sanguinis, sed solum depuratur; Tertia autem concoctio fit in membris, dum Sanguis vertitur in Substantiam partis quæ alitur, adeò, vt mutetur forma, excrementa autem sunt, fordes latenter expulsæ, & pili; Hæ tres coctiones se habent perinde ac principium, medium, & finis, quarum duæ primæ sunt communes, tertia est propria singularum partium; & de communibus loquendo, alimentum dicitur recipere ultimam coctionem in Corde, ut affirmat Aristot. in lib. de Iuuent. & senect. sic rectè Auer. in 2. suarũ Collectionum, cap. 9. coctionem distribuit in communem, quæ absoluitur in Corde, & propriam, quæ absoluitur in singulis membris; At oritur dubitatio quia ea tertia, non coctio, sed nutritio esse videtur; Gal. lib. 8. Medicamentorum secundum locos, ait coctionem dici alterationem, quousque tendit in similitudinem partis quæ alitur, dum verò parti apponitur, nutritio dicitur. Lucidius autem dicamus, nutritionem supponere coctionem, concoctionis perfectio in Temperamento est posita, nutritio verò in adeptione formæ rei quæ alitur; at Galenus Temperamentum an rei forma

Diluũtur rationes.

Quomodo alimẽtũ reddatur simile.

Quot sint gradus coctionis.

Auicenna. Galenus.

Resolutio.

Prima concretio.

Dubitatio.

non

non secernit, Hæ coctiones in animalibus non affixis lapidibus inueniuntur omnes; in Plantis aiunt quidam reperiri unicam, nimirum postremam & propriam, quia ex sententia Arist. in 2. de partibus Animalium, cap. 3. hæ recipiunt ex terra alimentum concoctum; Horum opinionem minus ueram puto, cum enim Plantæ sint præditæ parte communi fungente officio Cordis, etiam debent communi concoctione alimentum concoquere; Præterea, ea alimenti coctio quæ fit in partibus terræ, quibus radices hærent, fit facultate caloris Plantæ, adeò, ut etiam Plantis tres relatæ coctiones conueniant, hæc sola est differentia, quia prima fit extra Plantam, mox radices ita cõcoctum alimentum, tanquam Chilum, quasi Mesaraicæ uenæ trahunt & hauriunt, sequitur cõcoctio secunda, quæ fit à parte, quæ Cordi proportione respondet in meatibus communioribus, & latioribus Plantæ, demum adest concoctio propria per calorem distinctarum partium; Hi tres gradus concoctionum distinctius competunt Animalibus, obscurius uerò Plantis; Si gradus cunctos dispositionum & coctionum numerare uolumus, in octo sunt redigendi; Primus fit à Natura, à qua fructus maturantur; Alter, ab Arte, per quam assantur, vel elixuntur; Tertius in Ore; Quartus in Ventriculo; Quintus in Hepate; Sextus in Corde; Septimus in Venis; Octauus in Partibus singulis uniuersis; Hæ coctiones mox in tres, & in unam ratione ultimæ communis perfectionis redigi possunt. Definiri potest Alimentum, quod sit Substantia mixta, primò contraria, mox similis ei quod alitur, qua uiuens seruatur, crescit, & si fuerit perfectum, nec sponte genitum, ualet procreare simile.

An sint omnes in Plantis.

Gradus dispositionum, & coctionum quot.

Definitio Alimenti.

QVONIAM nil alitur non participans vitam, animatum vtique erit Corpus quod alitur, quatenus animatum, quare alimentum ad animatum refertur, & non ex accidenti; Distinguntur autem ipso esse aptum alere, & aptum augere, nam vt quantum auget, vt vero hoc aliquid, & Substantia alit, seruat enim Substantiam, & eousque, quousque alitur, & generationis quoque efficiens est, non eius quod alitur sed talis, quale est id quod alitur, iam enim Substantia est, generat autem nil idem se, sed seruat; Quare huiusmodi Anima principium, facultas est talis, ut seruet suscipiens eam, ut est huiusmodi, alimentum autem parat ad operandũ, & propterea priuatum alimento esse non valet.

Contex. 46.

47

48

DECLARATIS conditionibus alimenti, & ea præsertim, quod sit contrarium, vel simile; modò intentio est Philosophi referendo alimentum ad uiuens, per mutuam relationem simul opera, & facultatem patefacere; Diuiditur hic Contextus in tres partes; In Prima alimentum refertur ad viuens; In Secunda manifestatur quomodo ex eodem alimento per eandem uegetandi facultatem, distincta ratione, tria opera prodeunt; In Tertia Definitur Facultas vegetandi. Vt pertinet ad Primum, Philosophus vnum accipit, quod est, Nil nutriri quod non uiuat; ex hoc infert duo; Primum est, Id quod alitur, quatenus alitur, animatum est, ex quo infert Alterum, & est, Alimentum secundum so referri ad animatum. Distinguuntur autem ipso esse, aptum alere, &c. In hac Secunda parte ostenditur quomodo ex eodem alimento, distincta ratione, varia prodeant; nam ut Quantum, auget, ut Substantia, & hoc aliquid, nimirum composita, & particularis, nutrit, seruando Substantiam, quæ tam diu seruatur, quam diu alitur, Insuper, idem Animæ

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

gradus

gradus est principium efficiens generationis, quod statuebatur tertium opus eiũs, quod ab aliis distinguitur, quia ea Animæ facultas seruat, & auget id, cui competit, non autem id generat, sed aliud simile, nil enim se generare ualet, sed solum seruare & perficere. Quare huiusmodi Animæ principium, &c. In hac Tertia parte colligitur Definitio Animæ nutrientis, quæ est, ut sit Facultas seruans uiuens, cui competit ut uiuens est; cuius Facultatis Obiectum necessarium est alimentum, sine quo mortalia uiuentia esse non ualent, sed eo destituta moriuntur.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Aristoteles inquit, nil ali non participans uitam, per (ali) denotans propriè sumptam nutritionem non eam Ignis, & per (vitam) denotans eam, quæ contradistinguitur à gradu Animalium, attinentem ad primum gradum Animatorum, simul patefaciens facultatem vitalem, à Medicis positam tanquam distinctam, non distingui, sed ad veg eralem redigi, hinc veritate coacti etiam Medici inquiunt, partes animalium non nutriri, nisi viuunt; at, malè id negant de Plantis, quæ quamuis ab eis iudicentur destitutæ facultate vitali, tamen nutriuntur. Considero Secundò, quod Aristot. ex eo quod nil alitur non participans vitam, infert, quod alitur esse animatũ, & ali vt animatum est, quod sequatur id esse animatum, patet: quia omne viuens est animatũ; omne quod alitur uiuit, quare omne quod alitur est animatum; at, non apparet id sequi cum reduplicatione, ut Animatum est, nam dicam, nil Ratiocinatur quod non sit Animal, igitur Ratiocinatur ut Animal, non sequitur; Respondeo, id sequi ratione Materiæ, at, non ratione Formæ: nam uim habet de Subiecto proximo, & propria ratione, per quam id ei competit, propria autem ratio per quam alitur, est uita, & Subiectum proximum est uiuens, ideo alitur ut uiuens, siue ut animatum uitali gradu, per animatum enim id intelligere debemus; At dicet aliquis, alimentum refertur ad id quod alitur, ut uice uersa, id quod alitur, refertur ad alimentum, ut dicebat Alexander, uiuens autem, refertur secundum se ad uitam; & animatum, ad Animam, non ad alimentum. Respondeo, id quod alitur habet ut alatur per uitam, & uiuit per Animam nutrientem, & propterea hęc est ratio prima, & potissima, ex qua prodeant

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

3 alia; Considero Tertiò Alimentũ distincta ratione pro tribus conducere, nam ut Substantia composita congruens alit, ut Quantum maius resoluto, auget, ut redundans; utile generat; Triplex autem est differentia inter rationem alimenti per quam nutrit, & eam per quam generat; Prima est, quia non gignit idem Numero, sed Specie; Secunda, quia alimentum semper nutrit, non semper generat; Tertia, quia alimentum absolutè ut alimentum, nutrit, generat autem ut redundans utile. Considero Quartò, in dubium uerti posse, in aliquid ualeat se generare, nam ualet aliquid se corrumpere, ut homo se interficiens, quare & generare, oppositorum enim est eadem ratio;

Inter Alimentum ut nutrit, & ut generat triplex differentia.

4 *An aliquid ualeat se generare, vt corrumpere valet.*

Præterea, saltem aliquid potest se generare per partes, ut Ignis se per partes generat, & etiam Animal in quo primo gignitur Cor, mox facultate eius formantur reliqua membra; Respondeo, qđ potest individuum se nutrire, seruare, augere, perficere, at, se generare non ualet, quia includit pugnantia, simul enim esset & non esset: nam ut generans, esset, vt id quod gigneretur, non esset; quod autem aliquid se augeat, & seruet, non includit opposita; similiter, quod aliquid se destruat, & interficiat, propterea non est eadem ratio; Addebatur, quod saltem poterit se generare per partes; Respondeo, dum partes sunt tanquam plura numero distincta, & iuncta, id posse fieri: quia est perinde ac dum vnum Individuum gignit aliud, sic flamma flammam, & caro antecedens, sequentem sibi iunctam generat; de membris autem id concedendum nõ puto, non enim Cor primò genitum, generat reliqua membra, sed cuncta formantur à virtute seminaria, formato primo Corde, tanquam fundamento primo iacto. Con-

Solutio.

sidero

sidero Quintò, quod Aristot. accipit Animam nutrientem tanquam fundamentum, & originem sequentium, eiusque tradens Definitionem, inquit; Hoc Animæ principium est facultas talis, vt seruet suscipiens ipsam, ut tale est, nimirum, ut eo Animæ principio præditum; Quæ Definitio distinctè est explicanda; Inquit Aristot. huiusmodi Animæ hoc est nutrientis, principium, quia omnis gradus Animæ est principium operum ex eo prodeuntium, adeò, vt simul, ut Anima, & Facultas, & Principiũ esse dicatur, seruans suscipiens ipsam, ideſt viuens, secundum quod huiusmodi, hoc est, vt viuens, non vt Substantia, neque ut Corpus, hæc enim seruantur sine alimento, sed vt uiuens: nam sine alimento uiuere non potest. Auerroes ait, secundum quod huiusmodi, hoc est, in aliqua dispositione, pro distinctione à Cælo, quod sine uarietate seruatur: alij inquiunt secundum formam, at non omnis Forma eo eget, alij in Individuo, non in Specie; Sed prima expositio est approbanda. Hæc Definitio est similis secundæ communi Definitioni Animæ, dum dicebatur, quod est primum principium nutriendi, &c. Auicen. 6. suorum Naturalium, Definiens hanc Facultatem, dixit esse Facultatem Animæ uegetalis, conuertentem Corpus à corporeitate, quam habet, in similitudinem Corporis in quo est, & unit cum eo cibum, pro restauratione eius quod resolutum est. Quæ Definitio non caret difficultate; At nolo in eius consideratione morari. Et rediens ad Definitionem ab Aristot. traditam, ea Primò explicat Formam: nam officium Formæ Primum, est formare. Alterum, esse principium operum formati, quod secundum, includit primum. Insuper, explicat Materiam cui est Forma, dum dicitur, suscipiens ipsam, additur Finis, dum dicitur, seruans id ut tale est. Dubitatur, quia dimittitur Obiectum quod est principale, Facultas enim per Obiectum est Definienda. Respondeo, id denotari, dum dicitur seruans ipsum: nam seruat per alimentum, hinc statim ut facultate inclusum, illud explicat, addens, Alimentum parare, hoc est, paratum conspirare, & sine eo non seruare uiuentia. Considero Sextò, quòd cum in primò Animæ gradu locum habeant tres facultates apprimè iunctæ, & subordinatæ, eis competunt primò communia quędã, mox, propria singularum, communia sunt concoctio alimenti, & productio Sanguinis. Proprium nutrientis est, seruare Individuum apponendo alimentum, agglutinando, & reddendo illud simile alito. Proprium augentis est, plus uertere, quam fuerit resolutum, & perficere secundum molem. Proprium generantis est, intermedio Seminis formare fœtum, pro quo fungendo munere, consideratur hic ordo. Primò producitur Semen, secernendo id ab excrementis, trahendo consimile & id expellendo ac ejiciendo in locum congruentem. Secundò, instrumento Seminis formatur in utero fœtus, congregando materiam, delineando, alterando, & nectendo partes fœtus, à fœmina tamen, ex sententia Auerrois solum tribuitur Sanguis menstruus. Horum duorum graduum, de secundo nemini dubium quod est officium facultatis genitricis, de primo est controuersia: nam utri nonnulli celebres aiunt, id esse officium facultatis nutrientis. Ratio est: quia semen est portio redundans alimenti proximi, apti conuerti in singula membra, ut ait Aristot. cum autem alimenti productio sit officium facultatis alentis, etiam eiusdem debet iudicari officium productionis seminis, cum semen sit eius portio. Confirmatur: quia eiusdem est secernere excrementum utile, quale est semen, cuius est secernere excrementum inutile, at, hoc est officium alentis, quare & illud. Ex aduerso Auic. in Tract. de Facultatibus naturalibus, ait producere Semen, esse officium facultatis generantis, quam opinionem antecedenti præferendam puto, quod ostendo Primò, quia Anima eatenus dicitur Principium procreandi simile, quatenus impartitur semini facultate generandi, quæ facultas est tanquam forma seminis, at impartitur facultatem generandi, nõ alentis, sed generãtis principij officium est. Præterea, ea facultas quę est generans, etiam producit instrumentum generationis, at, in 2. de Gener. Animal. cap. 1. Semen dicitur instrumentum generationis, quare producitur à facultate generante. Hoc conspicuè profertur ab

Definitio Animæ nutrientis.

Auicen.

Dubitatio. Solutio.

6

An generare Semen, sit officium facultatis nutrientis, vel generantis.

Auicen.

tur ab Aristot. in 2. de Generat. Animal. cap. 1. dicente: At vero Semen prius fieri oportet, idque officium generantis est; Et propterea minus rectè Montanus tribuit Aristoteli, quod putauerit esse officium facultatis alentis; Hinc etiam Semina Plantarum, à facultate generante earum produci dicuntur. Præterea, ex sententia Arist. in 2. de Gener. Anim. cap. 4. Semen secernitur propè Cor, vt ab eo recipiat facultatem generandi, non enim eam recipit à Testibus ut putant Medicorum plurimi. Rationes aduersæ facilè diluuntur, dicebatur eiusdem esse, producere redundans, & non redundans; Similiter, eiusdem est secernere excrementum utile, & inutile; Respondeo, Semen nedum est redundans, verum insuper est præditum facultate generandi, quam facultatem non habet per solam alimenti concoctionem, sed eã recipit ab Anima in Corde, uel parte alia residente, per facultatem generandi; Duo itaque sunt officia facultatis generantis; Primum, producere Semen; Alterum instrumento Seminis formare fœtum, at quæ sit ea admirabilis virtus, quæ latenter valeat tam exactè formare fœtum, profectò potius eam ualemus admirari, quam lucidè explicare; Aristot. dixit eam proportione respondere Elemento stellarum. Auerroes id explicans, dixit respondere formis Cælorum, sine instrumento corporeo operantium, adeo vt perinde se habeat vis seminaria ad semen, ac Anima ad uiuens, & motores Cælorum à Cælum, & iure, hæc enim sunt tria subordinata principia generationis: nam Sol, Animal, & Semen generant Animal; Hinc Aristot. in 2. de Generat. Anim. cap. 1. ait, in Vniuerso, moto uno primo & communi, mouentur & mouent minus communia, usque ad propria, ut faciunt gesticulatores, nam facultate quadam iuncta, & colligata sunt, quatenus minus communia ex communioribus pendent, & conspirante eorum facultate operantur. Est itaque Seminaria virtus, forma Seminis, ut Semen est, uigens præsertim in parte magis Spiritali, producta à facultate generante parentis, virtute cuius, & Cæli, est apta fœtum formare; Hinc Aristot. ait, per Spritum Semina reddi fœcunda. Hæc quæ dicta sunt, præsertim sunt uera de genitura, & uirtute gignendi marium, secundariò tamen etiam uera sunt de uirtute gignendi fœminarum, referendo eam ad proprium officium illarum, at de his alibi latius.

Montanus.

Diluuntur rationes aduersæ.

Officia duo generantis.

Seminaria virtus quid.

Contex. 49. *QVONIAM autem tria sunt, quod alitur, quo alitur, & alens, alens est prima Anima; Quod alitur, est Corpus ea præditum; Quo alitur, est Alimentum; Quoniam à fine cuncta appellare iustum est, & finis est generare simile, erit prima Anima facultas generandi tale, quale ipsum. Est autem Quo alitur, duplex; vt quo gubernatur, & manus, & temo, hoc mouet, & mouetur, id mouet solum; omne autem alimentum necesse est posse concoqui, concoquit autem calor, & propterea animatum est præditum calore. Figura igitur quid sit alimentum dictum est, at, posterius in propriis Sermonibus certius de eo erit agendum.*

Intentio.

Diuisio.

DECLARATO Obiecto, ac insuper explicatis operibus, & facultatibus ad primum Animæ gradum attinentibus, vt eius declarationi postremã imponat manum, intentio Philosophi modo est, tria referre, ac inuicem conferre, & explicare, quæ pro fungendis relatis muneribus necessariò conspirant; Diuiditur præsens Cont. in quatuor partes; In Prima ea tria referuntur; in Secunda ostenditur ex quo sumenda sit denominatio; In Tertia vnum eorum diuiditur;

tur; In Quarta Epilogo colligitur declaratum esse alimentum, & alibi exactius esse declarandum proponitur; Ait Philosophus in Prima parte, tria conspirare pro obeũ do munere huius primi gradus Animæ; Quod alitur, & hoc est Corpus uiuens, cui ratione Corporis,& uitalis caloris, necessaria est nutritio; Quo alitur,& est alimentum,necessariò requisitum;& Alẽs,& est Anima, origine prima: nam quamuis actio sit compositi, Anima tamen est prima ratio per quam id facit. Quoniam à fine cuncta appellare, &c. Patefacit in hac Secunda parte, cum tria sint opera primi gradus Animæ, à quo petenda sit præcipua eius denominatio, & ait vnumquodque à fine esse denominandum,generare simile est finis huius facultatis, quare ab eo est denominanda,& per id etiam Definienda est;Est autem quo alitur, duplex,&c.Hæc est pars Tertia,quæ exponitur dupliciter; Vna expositio est, quod cum Arist.diuidat(Quo,) & id (Quo) dixerit esse alimentum,modo inquit esse duplex, nimirum,alimentum, & calorem,calor mouet alimentum,& mouetur ab Anima,ut ab opifice, alimentum verò mouetur solum: nam cum communiter legatur (id mouet solum) in nonnullis Codicibus legitur(id mouetur solum) At,exemplum sumptum ex Manu & Temone, huic expositioni consonum non est; Insuper, verba communiter leguntur id mouet solum;Propterea dicendum puto,quod Arist.diuidat Alens,& id denotet per (Quo) nam ab eo efficiuntur opera,& hoc vel est principale,ut Anima, vel Instrumentum, vt Calor,& hoc facit, ut excludat sententiam veterum putantium calorem esse opificem principalem;Sic Aristot.in 8.Physic.35.dixit omne mouens,& aliquid mouet, & aliquo;aut enim seipso,aut alio; sic Anima hoc in loco dicitur ut manus, calor vt temo,manus solum dicitur mouere, quia consideratur ut primum mouens, non motum ab alio,sed ex se mouens,calor & temo,mouent,& mouentur, & ideo statim affert necessitatem caloris, nam concoquens alimentum debet esse prędituin calore, uiuentia concoquunt alimentum,quare sunt prędita calore. Figura quid sit alimentum dictum est,&c. In hac Quarta parte Epilogo colligit se egisse de alimento figura,hoc est leuiter,& per communia, pollicetur autem se certius de eo loquuturum in Sermonibus proprijs,nimirum in lib.de Sensu,& sensili,nam Parua Naturalia dicuntur Sermones proprij,quia ad distincta opera Aristot.in eis descendit,& id certius,& proprium, contradistinguuntur ab eo quod dixerat figura hoc in loco de alimento egisse.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò,pro fungendis muneribus primi gradus Animæ,tria requiri,quæ sunt tanquam principium,medium, & finis, requisitorum pro illis, Anima & calor, sunt principium, Alimentum medium,quod Alitur finis; Insuper,operum eius nutritio est tanquã principium,accretio,vt medium,generatio,finis. In omni opere locum habet principium proprium, medium proprium, & finis proprius, vt absolutè considerando omnia opera, & finem postremum, id generatio est,quod dicebatur opus maximè consentaneum Naturæ. Considero Secundò, quod Aristot.ait: à fine cuncta appellare iustum est; Ratio est: quia finis est causa causarum,in eo collocatũ dicitur omne bonum,gratia eius sunt cætera; Præterea, mensura recipitur à maximo quod potest, ut dicitur in primo de Cęlo, à quo petenda est absoluta denominatio conditionis rerum; & cum à fine recipiatur denominatio, ab eo petenda est etiam Definitio, quia nomen, & Definitio, sibi mutuo respondent, & id denotat nomen, quod per Definitionem explicatur, vt dicitur in quarto Metaphysicæ, necnon in 5. Contex.proœmij Physicorum;Et cum dicitur nomen esse petendum à fine,debemus uti distinctione,& dicere,rerum nonnullas esse absolutas,& gratia sui,& hę denominari debent per formam, quę est finis generationis; Alię sunt facultates,paratę ob

Cõsideratio prima.

A fine recipi nomen.

aliud, uel motus, & hę à fine denominantur cuius gratia paratę sunt, vel in quem tendunt, ut de transmutationibus dicitur in secundo, & quinto libris Physicorum. Con-
3 sidero Tertiò, vt pertinet ad Definitionem primi gradus Animę, quod Aristoteles in Contextu quadragesimotertio, Definiuit Animam, ut est principium Nutritionis, & ex eo elicitur quomodo Definiri debeat, ut est principium trium operationum, nam dicetur principiũ per quod intermedio alimento viuentia nutriuntur; crescunt, & simile generant; dum autem refertur ad viuens, dicitur primum viuendi Principiũ, vt patet ex Secunda communi Definitione Animæ: nam hæc prima Anima vel refertur ad viuens, vel ad opera, si ad viuens, Definitio eius duplex, elici debet ex dupli ci communi Animæ Definitione; Si verò refertur ad distincta, & propria opera eius, tunc Definiri debet vt modo docet Arist. Et dum cupimus Definire totam per principale opus eius, tunc id debet fieri per generationem. Considero Quartò, pro notitia huius Definitionis ex Aristotele elici hanc Definitionem; Primus Animę gradus, est principium primum, quo conspirante alimento, viuentia sibi similia generant, vt in specie seruentur æterna, quamuis Arist. non cuncta hæc simul iunxerit, cuncta tamen distinctè protulit, & alijs nectenda dereliquit; At, occurrunt variæ instantiæ:
4 nam Definitio debet competere omni, soli, & semper, hæc non competit omni, non enim competit Animæ nutrienti, non generantium simile, quæ multa sunt; insuper, non competit Animæ fœminarum, quæ ex sententia Arist. solum proli præbent materiam, non autem sunt principium primum generationis; Similiter, non competit semper, non enim competit pueris, & senibus. Pro solutione accipio Arist. considerare vniuersam latitudinem primi gradus Animæ, ut est principium trium subordinatorum operum, eamque considerare non in una definita specie, sed in vniuerso genere viuentium, ac eius facultatem mensurare per maximum quod potest, quod maximum mox dicitur mensura reliquorum, quia mensurantur per accessum, & recessum ab eo; Idque maximum non contrahit per sexum, & ætates, sed in supremo latitudinis considerat, competit enim solum perfectis, non mutilatis, nec sponte genitis, summa enim perfectio, in Sole summè perfecto refulget; Ex hoc patet Solutio aduersarum rationum; At, dicet aliquis; Id quod est ordinatum in finem, & illum non consequitur, est frustra, primus Animę gradus pro fine habet generationem; quam in pluribus speciebus non est aptus assequi, quare in pluribus speciebus erit frustra, Natura autem nil in tota specie facit frustra; Respondeo, non esse frustra, quia quamuis non assequantur postremum finem, attingunt tamen aliquid, per quod assequuntur perfectionem, quam in sua specie apta sunt assequi, veluti in 2. de Cęlo, 62. inquit Arist. nonnulla frui summa perfectione sine actione, alia eã assequi una actione, quædam pluribus, nonnulla verò eam non assequi, sed aliud aliquid quod suæ conditioni congruat; Quinto loco loquendo de Anima nutriente fœminarum, dubium est, an sit
5 eiusdem speciei cum illa marium, & quando ei competat tradita Definitio, vt pertinet ad primam difficultatem, inquit Arist. in 10. Metaph. 26. Marem & Fęminam, esse affectiones proprias Animalis, at, non secundum Substantiam, sed secundum Materiam; Ex quo elicio marem & fœminam non distingui specie secundum essentiam, Anima enim utriusque eiusdem est speciei, sed ex accidenti, & secundum materiam siue conditiones materiæ; Et dum quæritur, an Animæ eorum competat tradita Definitio; Respondeo, quod ei competit secundum proprium gradum, vltima enim perfectio refulget in mari, fœmina dicitur mas læsus, est enim perfecta secundum propriam conditionem, at, non absolutè, & per hunc primum Animæ gradum reddun-
tur fœcundæ, ut aptæ sunt esse, & earum Anima est principium primum, secundum propriam conditionem gignendi aliud simile, & proles frequenter est similior fœminæ quam mari; Considero Sextò, quod Arist. ait, de alimento certius esse agendum posterius in proprijs Sermonibus; Quæritur, qui sint hi proprij Sermones? Auerr. inquit Sermonem de alimento, & accretione, non perfici nisi in pluribus libris, nam in

lib.

Vis nutritiua uario modo considerata uario modo Definitur.

Dubitationes.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

De Anima nutriente fœminarum.

lib. de Ortu & interitu, est sermo de accretione & alimento; Insuper in lib. de Generat. animal. & de partibus sermo est de Instrumentis, & de uarijs ad nutritionem & generationem Animalium attinentibus; Similiter, in libris Problematum, & de Sensu & sensili; Insuper in 4. Meteorum sermo est de concoctione; Libri de Ortu & interitu ad rem non faciunt, quia antecedunt, & Arist. ait posterius id esse faciendum, præsertim autem puto denotari librum de Sensu & sensili, nam Parua Naturalia magis propriè dicuntur, Sermones proprij, alij verò sermones communiores.

DE FACVLTATE VITALI.

DECLALATO primo Animæ gradu, qui Naturalis dicitur, ex sententia Medicorum, de Vitali esset agendum, quem cum prætereat Arist. & statim incipiat verba facere de Sensu, iure optimo diminutus apparet; Dixi in præcedentibus ad Naturalem redigi, & solum distingui per clarius, & obscurius, at, lucidioris notitiæ gratia non inutile erit aliquid repetere; Inquiunt celebriores Medici, partem Animæ primã, quam Naturalem appellant, residere in Hepate, cuius officia sint nutrire, augere, & generare, cui succedere aiunt facultatem Vitalem, residentem in Corde, cuius officia sint Pulsus Arteriarum, Animi vigor, constantia in rebus agendis; Insuper, hæc uirtus parat ad recipiendam facultatem sentiendi, & modo aliquo mouendi, saltem per contractionem, & extensionem, similiter, ad appetitum irascendi; Et partes eorum quibus competit hæc Vitalis facultas, non aluntur nisi primò per eam viuant, Hæc differt à Sensu, quia operatur per naturam, & sine cognitione differt à facultate uegetandi, quia non competit omnibus quibus ea competit, veluti Plantis, & est cum motu arteriarum; membra principalia in quibus residet, sunt uaria, Hepar, & Cor; Instrumenta pariter sunt uaria, Venę, & Arteriæ; Insuper, vt ait Auicenna, Spiritus eis inseruientes varij sunt, non itaque hæc uis Vitalis, ad nuncupatam Naturalem redigitur, & si redigeretur, diminutus esset Arist. in enumerandis operibus eius, cũ præter nutritionem, accretionem, & generationem, dentur opera facultatis Vitalis. *Opinio Medicorum de facultate Vitali.*

Ex aduerso cum Arist. seorsum de hac facultate Vitali tanquam distincta non loquatur, conspicuum est, eum putasse ad primum animæ gradum redigi, & iure optimo profecto, nam primum quod recipimus ab Anima, Vita est, & per primum gradum dicimur uiuere; Confirmatur: quia modus operandi idem est, nimirum per Naturã, & in somno ambæ funguntur officio suo, ambæ operantur instrumento caloris, non constituunt distinctum gradum uiuentium; Insuper, cum dicant Medici, non nutriri membra præditorum facultate vitali, nisi viuant, conspicuè indicant, Vitalem præire, non enim antecedentes facultates pro suo fungendo munere, supponunt sequentes. *Pro Arist.*

Propterea iure optimo Auerr. in 2. suarum Collectionũ, cap. 9. nec non in Paraphrasi de partibus Animalium, cap. de Corde, affirmat ad Naturalem redigi; Dicamus itaq;, primum Animæ gradum, sequi vitam, hinc per illum dicimur viuere, vita exposcit Naturalem illum calorem, qui influẽs siue infusus dicitur, cuius Prima sedes est Cor, vel aliquid ei proportione respondens, exposcens tanquam flamma continuam restaurationem, adeò, ut Prima huius facultatis operatio, sit restauratio & distributio eius caloris, hinc uita dicitur conseruatio animæ in eo calore, quod cum fiat per coctionem alimenti, proculdubio ad Nutrientem pertinet; Hic calor in nonnullis viuentibus ob eorum diminutionem est tenuis, & remissus, veluti in Plantis, & residet in parte magis effusa per vniuersum corpus, & propterea non conspicuè feruet, in præstantioribus autem est intensior, magisque in definitam Corporis partem veluti in Cor contractus, & propterea cum sit vnitior, & intensior, conspicuè feruet, & inde oritur motus Arteriarum, præparatio pro Sensu, & Motu sponte facto, adeò, ut vitalis hic gradus, nil aliud sit, nisi eminentia, fulgor, & excessus quidam facultatis vegetalis, *Auerroes. Solutio.* *Quid sit gradus Vitæ.*

geralis, quem excessum Medici pro distincta facultate considerarunt, quatenus opera eius modo aliquo varia sunt, Arist. autem fundamentũ, & originem considerans, non seiunxit; & propterea colligamus, distingui extrinsecus, non intrinsecus, distingui per gradum eminentiæ, at non propriæ conditionis, & cum calor idem sit instrumentum earum facultatum, vt caloris sedes est Cor, ita earum duarum facultatum;

Diluuntur rationes aduersæ. Rationes aduersæ facilè diluuntur; Dicebatur, opera esse varia; Respondeo, modum operandi esse eundem, opera autem nonnulla sunt varia, ob uarietatem intensionis caloris, & præstantiæ eius facultatis; Membra principalia residentiæ non sunt distincta, nam ex sententia Aristot. Cor est sedes communis & communes sunt Spiritus, Venæ & Arteriæ maximè sunt iunctæ, & sibi mutuo opem ferunt, & ex vehementiore calore prodit indigentia Arteriarum; Arist. autem dicens primum animæ gradum esse primum vitæ principium facultate, patefecit, & denotauit opera cuncta ordine

Dubitatio. aliquo inde prodeuntia; At, dicet aliquis, cum facultas vitalis non sit sine Sensu, & naturalis in plantis reperiatur sine vitali, potius vitalis ad vim sentiendi, quã ad eam nutriendi videtur redigi, hinc nonnulli putant debere redigi ad sensum, & præsertim, quia cum facultate irascendi maximè est iuncta, quæ ad Sensum pertinet, & viget in

Solutio. Corde; At dum perpendimus modum operandi, & naturalem calorem tanquam fundamentum rectius ad naturalem redigitur; Dico tamen, quod cum in Animalibus vis nutriens, & sentiens sint essentia una, medietas autem operatio vitalis, ea vt media, distincta ratione ad vtramque redigi potest, ad nutrientem quidem, per modum operandi & fundamentum caloris, ad sensum autem, quia pro eo sine medio disponit, & parat, & propterea sine sensu non reperitur, cum sine medio disponat pro eo, reperitur autem uis nutriens sine uitali; quia gradus origine prior, potest seruari sine suo fulgore, & eminentia, dispositio autem potius dicitur officium disponentis, quam eius pro quo disponit; Ex his patet, facultatem uitalem à Medicis iudicari distinctam ab ea nutriendi, & sentiendi, quosdam eam redigere ad eam sentiendi, alios rectius ad eam nutriendi, at, puto ego sine controuersia, tanquam medium redigi posse ad utramque præsertim tamen ad eam nutriendi.

Contex. 51. *DETERMINATIS autem his, dicamus vniuersè de omni sensu, sensus autem in eo quod est moueri, & pati aliquid, accidit vt dictum est; videtur enim alteratio quædam esse; Inquiunt autem quidam, simile à simili pati, hoc autem quomodo fieri, vel non fieri queat, dictum est in vniuersalibus Sermonibus, de ipso agere & pati.*

Intentio. ABSOLVTA explicatione primi gradus Animæ, eleuatur Philosophus ad Secundum, nimirum, ad gradum sentiendi, per quem Animalia constituuntur. Et quoniam sensus sunt duplices, externi, & interni, & in fungendo munere antecedunt externi, ideo iure optimo ab illis orditur, ad quos vt pariores accedamus; Primò declarat

Diuisio. Philosophus communia nonnulla ad eorum opera pertinentia, per quæ dirigimur in cognitionem Obiecti, & Facultatis; Diuiditur præsens Contex. in

Expositio. tres partes; In Prima proponitur id de quo statim est agendum, cum enim decurrendus sit gradus Secundus, in quo fulgent sensus, explicanda primò sunt cõmunia quædam singulis sensibus competentia, primò externis, mox internis; In Secunda parte accipitur sensum consistere in quodam pati, omnis enim alteratio est quædam passio, sensus est alteratio quædam, quare est passio; Et quoniam Empedocles, & Plato dicebant

cebant simile simili nosci, ac ita à simili pati, ideo in Tertia parte ait, putare quosdã, simile à simili pati; qua de re, quid sit sentiendum, in 1. libro de Ortu & interitu se declarasse affirmat.

ANNOTATIONES

CONSIDERO Primò, quod Alexãder & Themistius in calce Contex. putant legenda esse hæc uerba, (Dicendum & nunc) nam sermo est de dubitatione, an simile patiatur à simli; de qua etiam agetur in sequẽtibus. Auerr. assentitur Alexandro, Simplicius de eis uerbis nullam facit mentionem & in communibus contextibus non reperiuntur, nec puto necessarium quod reperiantur, quia in sequentibus nil declarabitur, nisi reprendo declarata alibi. Consido Secundò, quod libri de Ortu & interitu nuncupantur sermones uniuersales, ex eo elicitur nonnulli, eos esse de principijs Subiecti: nam sunt ex sententia eorum, de Elementis, quæ sunt Principia interna Corporis Physici mixti, quod putant esse Subiectum Scientiæ de Natura: ar, quemadmodum falluntur minus rectè sentientes de Subiecto, ita minus rectè dicẽtes eos libros esse de Principijs; cum sint de specie Corporis Physici uniuersè sumpti, quod est Subiectum Naturalis Scientiæ, & quemadmodum rectè ait Simplicius Aristot. hoc in loco non libros de Ortu & interitu nuncupat uniuersales, sed Sermonem de actione, & perpessione, de qua eo locì vniuersè agitur, modo uerò in specie, cum sit sermo de perpessione sensuum; Insuper, etiam libri de Ortu & interitu, sunt uniuersales Sermones, non absolutè, sed cum contractione ad mortalia. Considero Tertiò, quod Aristot. inquit sensum fieri in eo quod mouetur, & patitur aliquid, ut dictum est; At quæritur, ubinam hoc dixit Aristot. Philoponus ait in Contex. 37. at, eo loci Aristot. oppositum profert, per id enim manifestat Animã esse causam efficientem, non autem patientem, nisi pro Philopono dicamus, quod cum Arist. ibi dicat: Sensus enim quędam alteratio esse uidetur, nil autem sentit nisi habeat Animam, quod indicet præcurrere passionem illatam ab Obiecto, quæ est alteratio quędam, sequi autem iudicium, quod est actio sensus, ideo addit nil sentire quod non habeat Animam, adeò ut simul denotauerit passionem illatam ab Obiecto, & actionem propriam, & est expositio ualde probabilis, Simplicius tamen id refert ad primum de Anima, nam in Contex. 79. inquit Aristot. Sentire autem pati aliquid, & moueri ponunt; Insuper, in Procemio de Anima, Contex. 12. facultati sentiẽti tribuit passionem, & actionem, & in 2. de partibus Animalium, cap. 1. legitur passionem competere Sentibus per partes consimiles, actionem verò fieri per dissimiles, & in 7. Physic. affirmatur alterationem, & motum, attingere partem sentientem, adeò, ut ex uarijs ab Aristot. enunciatis, eliciatur Sensum moueri, & pati ab Obiecto, quę perpessio definit in actionem, nimirum, in iudicium Sensuum. Considero Quartò, quod Arist. primum quod accipit loquendo de Sensibus, est, quod consistunt in quodam pati; Ratio est: quia pro fungendo munere Sensuum, Primò requiritur, ut moueantur ab Obiecto; Secundò, quia per hoc excitamur, & dirigimur ad indagandum Obiectum mouens; Tertiò, quia ex hoc elicitur Solutio nonnullarum difficultatum ad Sensum attinentium, quæ primò diluendæ occurrunt; Quartò, quia (vt legitur in 1. de Anima, Contex. 79.) Veteres dixêre, sentire & intelligere, esse quoddam pati, quatenus nil sentimus non præcurrente passione, ideò Aristot. statim id accipit quod à Veteribus concedebatur, tanquam fundamentum dicendorum. Demum, quia (vt ait Auerroes) facultates primò diuiduntur in agentes & patientes; At obijciet aliquis; Si vis nutriens est agens, sentiens est patiens, nutriens præstabit sentienti. Respondeo, per duo fundamenta; Primum est, comparationes debere fieri ceteris paribus, at, de his facultatibus cętera non sunt paria, quia Obiecta uaria sunt; Alterum est, quia uires mensurantur per maximum quod possunt; maximum facultatis sentientis

Considet. 1.

1

Quomodo libri de Ortu & interitu sint Sermones uniuersales.

2

3

Simplicius.

4

Cur primò accipiatur Sẽjum pati.

Dubitatio.

Solutio.

est agere, & iudicare, quod iudicium longè præstat actioni facultatis nutrientis; Ait Simplicius: Id quod patitur, non esse sensitiuam uitam, sed sensorium; At, hoc non satisfacit: quia sentiendi facultas pendet ex Materia, & propterea moto sensorio, moueri dicitur, & Aristot. inquit, sensum moueri & pati, qualis autem sit hæc perpessio & motus, in progressu patebit; Simplicius autem fallitur, dicens facultatem sentiendi vtentem, distingui à formante, sequens suo more Academicos.

Simplicius.

Contex. 52.

DVBITATIO autem est, cur Sensuum ipsorum non sit Sensus, & cur sine externis, sensum non efficiunt, cum in eis insint Ignis, Terra, & reliqua Elementa, quorum secundum se est Sensus, aut secundum ea quæ accidunt illis. Conspicuum itaque est, sensitiuum non esse actu, sed potestate tantum, & propterea non sentiunt, vt combustibile non comburitur ipsum secundum se, sine combustiuo, combureret enim seipsum, & non egeret eo quod actu Ignis esset.

Intentio. Diuisio. Simplicius.

ASSVMPTO quod sentire sit pati, ex eo nunc elicit Solutionē occurrentis difficultatis. Diuiditur Contextus in partes duas; In Prima proponitur dubitatio; In Altera soluitur; Vt pertinet ad difficultatem, putat Simplicius, dubia esse duo; Vnum, cur Sensus non se percipiunt; Alterum, cur non percipiunt sua Organa; Alexander, Philoponus, Themistius, & Auerroes, putant dubitationem esse vnam, cur Sensus non percipiāt sua Organa, sed solum ea quę sunt extra, ac ità per Sensum intelligunt Sensorium; Plutarchus Lydus, censuit hæc dici aduersus Empedoclem, qui dixit Sensum constare ex quatuor Elementis; Puto ego difficultatem esse vnam, cum vnā sit Solutio; Et cum quæratur, cur Sensuum non sit Sensus; dicendo; (Sensuum,) puto denotari indefinitè tum attinentia ad facultatem, quę ab Empedoclè dicebatur constare ex quatuor Elementis, tum ad Organum. Dubitat itaque cur Sensuum, siue Organorum, siue Facultatum, non sit Sensus, & affert rationem difficultatis: quia in eis insunt Elementa, uel integra, ex opinione Empedoclis, uel remissa, ex propria sententia; & Ratio ita formatur: Præsente Sensibili, consentaneum est rationi, vt sit Sensus eius, at, in Sensibus, siue Facultatibus ex sententia Empedoclis, siue Organis ex propria sententia Sensilia sunt præsentia, quare deberet esse Sensus eorum. Conspicuum itaque est, Sensitiuum non esse actu, &c. In hac Secunda parte Soluitur Dubitatio, & Solutio hæc est. Id quod in perpessione est positum, cum sit potestate, non à se patitur, sed ab alio, Sensus in perpessione sunt positi, quare non sentiunt se, cum à se non patiantur, sed alia tantum; quod patet exemplo combustibilis: nam si aliquid in se ageret, combustibile comburet se, non egeret externo quod actu Ignis esset.

Alexander.

Plutarch. Sententia propria.

Expositio.

Ratio.

ANNOTATIONES.

Consider. 1.

CONSIDERO Primò, quod Arist. ait in Sensibus reperiri Ignem, & Terram, &c. accipit Ignem, & Terram, quia sunt extrema maximè mouētia Sensum, quorum vnum magis Materiam, alterum magis Formam denotat; hæc elementa sunt in Facultate, ex opinione Empedoclis, in Organo autem, ex opinione tam Empedoclis quam etiam propria; Ex quo elicitur, Aristotelem putasse, Elementa modo aliquo in mixto seruari, alioquin Dubitatio inanis

esset;

esset; Quæ Elementa dicuntur apta sentiri, uel secũdum se, uel ex accidenti; secũdum se quidem, dum considerantur vt constituta ex quatuor primis Qualitatibus; ex accidenti uerò, considerando aduentitias Qualitates, & ita exponunt qui putant primas Qualitates esse formas eorum, quod cum non putem uerum, dico Aristot. loqui cum distinctione, uel secundum se, si fuerint eorum formæ ut censuit Empedocles, uel ex accidenti, si fuerint Qualitates, vt ipse putat; Insuper, uel secundum se, dum considerantur ut Elementa, & Corpora tangibilia, uel secundum accidens, dum considerantur tanquam Substantiæ. Considero Secundò, quod Aristot. unum supponit quod aduersatur experientiæ, nimirum, sensum non sentire inexistentia sensilia; nam sæpè Auditu percipimus internum tinnitum, Gustatu amaritudinem inexistentis bilis, Tactu calorem, & frigus propriorum humorum, Visu albedinem suffusionis, & splendorem spirituum, dum confricantur oculi; Soluitur, cuncta debere considerari secundum dispositionem propriam, sæpque naturæ competentem, non autem vt affectam præter naturam, hæc quæ ipsi competunt Sensibus præter Naturam affectis, & sunt non propria, sed aliena, & iudicantur ac mouent, ut distincta, & aliena, vel vt cum eis iuncta, vt considerati singula redditur notum. Considero Tertiò, quod Philoponus tres refert rationes cur Sensus sua Instrumenta non sentiant; Prima est, quia sentiens non est Facultas, sed compositum ex Organo & Faculate, nil autem se tangit, cum tamen Sensus contactum exposcat; Altera est, quia pro Sensu requiritur medium, si non externum, saltem internum; Tertia, quia nil se mouet, & à se patitur; Hæc Tertia præcipua est, & hanc affert Aristot. Considero Quartò, quod quamuis Sensus non sentiant se, Mens tamen ualet se intelligere, quamuis ea quoque sit potestate, & debeat moueri, & excitari per Phantasmata; Ratio varietatis est: quia Sensus materiatus, non ualet supra se uerti, Mens autem cũ fuerit singula facta, valet per ea conuerti supra se, & conditionem suam per ea noscere, vt patebit in 3. de Anima. Insuper, Sensus non est Sensilis, Mens autem est Intelligibilis; Præterea, Sensus operatur cum Organo, Mens autem sine Organo, & ob id magis redditur unum cum eo quod intelligit.

Elemẽta seruari in mixto.

2 *Dubitatio.*

Solutio.

3 *Cur sensus sua Instrumenta non sentiant.*

4 *Cur Mens ualeat se intelligere.*

QVONIAM autem sentire dicimus dupliciter, potestate enim & audiens, & videns, audire, & videre dicimus, etiam si dormiat, vt quodiam actu operatur; Dupliciter utique dicitur & Sensus, hic quidem vt potestate, ille verò vt actu; Similiter, & sentire dicitur, & quod potestate, & quod actu.

Contex. 53.

DIXERAT Philosophus, Sensum pati, & egere extremo mouente, & quoniam id quod tale est includit potestatem, & actum, & ex potestate redigitur ad actum; Ideo intentio eius modo est, distinctionem referre per potestatẽ, & actum; & quia distinctio vera est de sentiente, de facultate, & de officio, ideo Aristot. singulis distinctionem tribuit; Primò sentienti; Secundò facultati, Tertiò, officio, & ob id Contextus in tres partes diuiditur; In Prima id tribuens sentienti, inquit communi loquendi modo nos dicere Animal nonnunquam potestate audire, ut dormiens; nonnunquam actu, dum actu iudicat sonos; Ex hoc quod competit composito tanquam notiori, infertur idipsum dici de facultate, quæ est prima ratio sentiendi, ea enim uel potestate, uel actu est; Ex facultate in Tertia parte descenditur ad officium, quod uel est potestate, uel actu, & conspicua sunt uerba.

Intentio.

Diuisio.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Consid.1. CONSIDERO Primò, putare Simplicium Aristot. solum distinguere opus, & facultatem, nam putat ex distinctione operis, inferri distinctionem facultatis, moxq; ex distinctione facultatis, tanquam ex causa, inferri distinctionem operis; at, data expositio est vberior, & magis respondet verbis Aristot. & addo, quod cum diuisio sit uera de sentiente, facultate, & officio, etiam est vera de Obiecto: nam sensile consideratum vt sensile est, modò est actu, vt dum sentitur, modò potestate, vt dum solum potest sentiri; Addo etiam, quod potestas sensus ad actum secundum potest esse proxima, vt vigilantis, & remota, vt dormientis. Considero Secundò, quod hæc potestas ad actum secundum ea est quæ fuit assumpta in Definitione Animæ, dum dicebatur, quod sit actus Corporis Physici, potestate vitam habentis, quæ quo pacto uera sit de facultate nutriente, quæ semper operatur, suo loco apparuit.

Contex. 54. *PRIMVM igitur tanquam idem sit pati, & moueri, & agere dicimus: nam motus est actus quidam, imperfectus tamen, vt in aliis dictum est, omnia autem patiuntur, & mouentur à nato agere, & ab eo quod actu est, propterea est quidem, vt à simili patiantur, est autem vt à dissimili, vt diximus, patitur enim quod dissimile est, passum autem est simile.*

DIXERAT Philosophus, sentire esse quoddam pati, & frequenter fit mentio de actione, passione, & motu, attinentibus ad Sensum, quæ voces propriè sunt de transmutationibus Corporum, mox transferuntur ad facultates Animi; Insuper, dum propriè sumuntur, varia denotant, latè tamen sumptæ pro eodem vsurpantur, ideo Aristot. ne decipiamur, Primò quid per huiusmodi uoces denotet, manifestat, primò enim noscendum est, quid per nomina denotetur; Diuiditur præsens Contextus in duas partes; In Prima ait se modo sine distinctione, & pro eodem vti uocibus his, agendi, patiendi, & mouendi: nam cum motus sit quidam actus, nimirum imperfectus, vt in 3. Phys. dictum est, potest motus dici actio quædam, & passio. In Altera parte, cum motus sit quidam actus, & omnis actus prodeat ab agente, & agens operetur per formam, per quam actu est, ideo infert, se declarasse, à quo fiat actio, num à simili, vel à contrario: nam dum patitur, contrarium est, dum fuerit passum, hoc est in fine, est simile.

Intentio.

Diuisio.

ANNOTATIONES.

Consid.1. CONSIDERO Primò, quod vt motus est duplex; unus Corporis, alter Spiritalis ad Animum pertinens, ita actio & passio; Insuper, similiter contrarietas, & similitudo, est duplex; vna materiata, & sine cognitione, altera spiritalis, & cum cognitione; Insuper, agens in principio est omninò contrarium patienti, in fine omnino simile, in medio partim simile, partim contrarium, dum recipit magis & minus. Considero Secundò, vt pertinet ad eas tres uoces, pati, moueri, & agere, quæ tria prodeunt ex actu, & potestate, dum agere vsurpatur latè, est communius motu: quia actio diuiditur in perfectam, quæ tota est simul, vt creatio & illuminatio, & ea non dicitur motus, & imperfectã tendẽtem ad perfectionem, & hæc motus est, hinc actus sumitur pro genere motus; Dum verò actio

rò actio vsurpatur pressius, nimirũ pro sola actione imperfecta, tendente ad perfectionẽ, hæc æquatur motui, & cũ eo reciprocatur; At, dũ accipitur Tertiò pro contradistincto ab ea passione, quæ est alterario pertinens ad tertiam speciem Qualitatis, sic est species motus, & minus communis motu, adeò, vt motus sit genus eius, modo verò Aristot. ait se vti his vocibus sine distinctione unius ab altera. Considero Tertiò, 3
quod Aristot. de ea difficultate, an passio sit à simili, vel à contrario, nil noui addit, sed ait partim à simili fieri, partim à contrario, ut dictum est, & propterea cum solũ ad dicta se referat, inaniter multi putarunt in Contex. 51. debere legi, quod de re hac sit agendum, & nunc, denotando præsentem Contextum. Considero Quartò, quod 4
iure Aristot. inquit: Primum igitur tanquam idem sit pati, moueri, & agere, &c. nam de his tribus mentionem facit, quia singula conspirant ad officium sentiendi, nam Sensus patiuntur ab Obiecto, & ob id moueri dicuntur, qui motus & passio, desinit in actionem, nimirum in iudicium Obiecti. Quintò loco considero sententiam Arist. 5
non carere difficultate: nam Primò, id quod de motu dicitur, quod sit actus imperfectus, ad rem non facit: quia Sensus est actus perfectus, totusque simul, ut Visio, & Auditus. Secundò, id quod dicitur, patiens primò contrarium, mox simile reddi, *Dubia.*
non semper est uerum: nam hæc mortalia patiuntur à Cælo, & Cælum à suo motore, cum tamen primò non sint contraria, nec postremo similia; Insuper, baculo uibices, & vino producitur ebrietas, ac etiam à lumine calor, quæ nec primò contraria, *Solutiones.*
postremo similia sunt; Pro Solutione dico, per actionem, & passionem, non agens, patienti, sed patiens, agenti reddi simile, & id debet intelligi cum relatione ad agens principale, & proximum, non ad instrumenta, & agens remotum; Insuper, ad agens secundum se, non ex accidenti; Insuper, si agens operatur per uirtutem, similitudo est cum uirtute, si spiritaliter & cum cognitione, similitudo est spiritalis per repræsentationem in cognitione resulgentem; Si operatur per animi intentionem, vel per habitum Artis, similitudo consideratur cum ea intentione & habitu, ut latius patefeci dum explicaui sententiam illam quod simile fiat à simili, verum ut pertinet ad hunc locum, Aristoteles præsertim considerat actionem, & passionem, per Qualitates, quæ passiones, & passibiles nuncupantur, quarum passionibus in parte similis ea est quæ ad Sensum pertinet; Ex his eliciuntur Solutiones aduersarum rationum; Et quia dicebatur motum qui est actus imperfectus, ad rem non facere; Respõdeo facere ad rem duplici ratione; Primò, quia est motus saltem latè sumptus, vt dicitur ab Arist. quatenus est passio quædam, & actio; Secundò, quia quamuis iudicium sit totum simul, tamen semper præcurrit alteratio quædam Instrumenti; & Spirituum quæ non fit sine tempore & motu.

DISTINCTIO *quoque tradenda est cum potentia, tum* Contex. 55.
actus, nunc enim simpliciter de his loquimur, nam aliquis partim dicitur sciens, quatenus hominum genus est aptum scire, & scientiam habere, partim verò, quia iam scientia veluti Grammatica præditus est; uterque horum est potestate præditus, at non eodem modo, sed unus quidem quia genus & materia, talis est, alter uerò, quia cum voluerit, valet speculari, nisi externum aliquid prohibeat; At uerò, qui iam speculatur, actu est, & propriè sciens, hoc A. Ambo igitur 56
priores illi potestate sunt scientes, sed unus quidem per disciplinam alteratus, & sæpiùs ex contrario mutatus habitu, alter verò eo quod habeat Sensum, vel Grammaticam, & non operetur alio modo.

ASSVM-

minid

Intentio. Diuisio. Expositio.

ASSVMPTO quod sentire sit pati, cępit Philosophus voces declarare quibus vtitur, tanquam communibus, pro declarandis Sensibus, & patefecit in qua significatione vtatur, agere, pati, & moueri, & quoniam cum his nectitur actus, & potentia, ideo intentio Philosophi in præsenti Contex. est, actum & potentiam distinguere; Diuiditur præsens Contex. in duas partes; In Prima ponitur distinctio potentiæ; In Altera manifestatur discrimen inter membra distinctionis; Vt pertinet ad primam, quia potentia refulget per actum, ideo inquit Philosophus, habere aliquid, contingere dupliciter; Vel secundum Materiam; Vel secundum Formam; & per vtrumque modum dicimur potestate; per primum, dicimur potestate ad Formam, & actum primum; per alterum verò, ad functionem muneris, & actum secundum, veluti puer est potestate Grammaticus, mox ea præditus, est potestate ad contemplandum, cum autem speculatur iã absolutè actu est; Vt pertinet ad Secundam partem, inquit Philosophus, & non præditum, & præditum habitu, dici potestate; at, ea potestas est varia, & modo vario ad actum deducitur; nam prima potentia, quæ est ad actum primum, per alterationem quandam, & sæpè ex contrario habitu in contrarium deducitur; Altera verò quæ est ad actum secundum, altero modo, & non per mediam alterationem redigitur ad actum.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, quod Arist. in 8. Physic. Contex. 32. loquens de motu Elementorum, & sub initium libri huius, patefaciens Animam esse actum primum, & hoc in loco, distinctionem ponit actus in primum, & secundum; Similiter, potentiæ in eam quæ est ad actum primum, & alteram, ad actum secundum; adeò ut Primò consideretur potestas ad actum primũ; Secundò, actus primus; Tertiò, potestas ad actum secundum; Quartò, actus secundus, qui secundus actus dicitur actio, ueluti speculatio, Quinto loco, id quod operatur, nõ dicitur actus, ut perperam nonnulli putarunt, dicentes actum secundum esse formam operantẽ, sed dicitur esse actu, & propriè summus, vt conspicuè affirmat hoc in loco Arist. Considero Secundò, vt pertinet ad distinctionem potentiæ ad actum primum, & secundum, quod prima dicitur potentia Materiæ, altera Formæ, prima Generis, altera Differentiæ, prima remota, altera proxima, prima secundum essentiam, & ob id redigitur ad actum per transmutationem secundum essentiam, altera ex accidenti, ob impedimenta, & ad actum redigitur sine permutatione essentiæ, per remotionem impedimentorum; Et cum detur duplex potentia, utraque est prædita latitudine, potest enim vtraque necti cum maiori, vel minori dispositione, & ob id utraque esse potest proximior, & remotior, vt etiam actus esse ualet remissior, & intensior. Considero Tertiò, ut pertinet ad modum quo potentia redigitur ad actum, loquendo de potentia ad actum primum, inquit Arist. quod per disciplinam Homo alteratur, & sæpè ex contrario mutatur habitu; Vt pertinet ad alterationem, nonnunquam per propriè sumptam alterationem, & generationem acquiritur Forma, & actus primus, ut in transmutationibus Physicis; nonnunquam uerò per alterationem quandam, partim Materiatam, partim Spiritalem, ut in adeptione habitus disciplinę: nam Materiatæ alteratio pertinet secundum se ad Spiritus, & Organa, ex accidenti ad Animam, ut ex eis pendet, Spiritalis uerò ad Animam; sic in 1. Physicorum inquit Aristot. alterationem attingere Sensum, non autem Mentem; & in precedentibus officium sentiendi dictum est alteratio. Et cum additur, (& sępè ex contratio mutatur habitu,) hoc potest exponi dupliciter; Primò, quia ea mutatio, quamuis semper sit ex Opposito, non tamen semper est ex habitu contrario, sed nonnunquam ex sola priuatione, ueluti ignarus addiscens, potest esse ignarus per solam priuationem, ut puer, & per habitum

Duplex potentia.

bitum ignorantiæ prauę. Secundò, poteſt exponi, ut indicetur quod antequam firmetur in nobis habitus, uarię fiunt permutationes, tum ratione diſtinctarum partiũ Virtutis, & Scientiæ, tum ratione intermediarum oblitionum, veluti inquit Ariſt. in calce 2. Poſteriorum, quo loci adeptionem Scientię ait eſſe ſimilẽ pugnæ, nam eſt pugna cum ignorantia, ut adeptio virtutis, eſt pugna cũ vitio, in pugna inter duos exercitus, ſi alter eorum fugam ſumpſerit, mox incipiat miles vnus ſtare, faciem vertere, & pugnare, cuius exemplo alij multi idipſum faciant, ex integró reficitur pugna per uarias militum mutationes, idipſum ait euenire in adeptione Scientiæ, & hoc puto nunc denotaſſe, dum dixit (& ſæpè ex contrario mutatur habitu.) Conſidero Quartò, ex ſententia Ariſt. id elici, quod ab Academicis approbatur, nimirum, perfectionem rerum in hoc ternario eſſe poſitam, in eſſentia, potentia, & actione, tanquam in principio, medio, & fine; eſſentia pertinet ad Subiectum, mediat mox potẽtia duplex relata, tertium & finis, cuius gratia eſt actio, quæ potentia, à ſuo fundamento ſaltem ratione ſeiungitur; Demum Conſidero, varias eſſe potentiæ diſtinctiones: nam diuiditur in 9. Metaph. Contex. 2. in agentem, & patientem; mox in Contextu 3. & in 8. Phyſ. Contex. 8. in operantem cum ratione, & ſine, quæ eſt Subdiuiſio potentiæ agentis; Tertiò, in Naturalem, & Præter Naturam, in 2. Poſter. Quartò, in proximã, & remotam, in hoc lib. 61. Quintò, in ſecundum eſſentiam, & ex accidenti, nam quę eſt ad actum primum, dicitur ſecundum eſſentiam, altera ex accidenti; Sextò, vſurpatur potentia pro eſſentia rei quæ poteſt, & pro ſuperaddita diſpoſitione & relatione, ut ait Auerr. in poſtremo Com. 1. de Ortu, & interitu; Prima abſolutè dicitur agendi, uel patiendi; Altera, benè & facilè agendi, & patiendi; Septimò, diuidi poteſt: quia uel nobis competit per Naturam, ut currendi, vel per habitum Artis, vt potentia ædificandi, vt ait Ariſt. 9. Metaphyſ. Contextu 10. Octauò, potius vel æquè reſpicit Oppoſita, uel præſertim partem unã; Nonò potentia vel eſt iuncta cum actu, ut qui currit, dicitur poſſe currere, vel ab eo ſeiuncta, vt ſedens, ueluti ait Ariſt. in libro de Interpretatione.

Pugna proportionata Virtute.

4 *Perfectio rerum in ternario poſita eſt.*

5 *Potentia non ſit numero.*

DATI quoque non eſt ſimplex, ſed vnum eſt interitus quidam à contrario. Aliud eſt potius ſalus eius quod eſt poteſtate, ab eo quod eſt actu, & ſimili, veluti potentia ſe habet ad actum, nam contemplans ſit qui habet Scientiam, qua ſanè aut non eſt alteratio cum accedat aliquid, & in actum tendat; aut certè aliud eſt alterationis genus. Propterea non rectè dicitur, quod ſciens dum ſcit, alteretur, veluti nec ædificator dum ædificat; Idigitur quod poteſtate intelligentem, et ſcientem ad actum ducit, non doctrina nomine, ſed alio denotari meretur; Qui verò cum ſit poteſtate, addiſcit, & acquirit Scientiam, ab eo qui ſit actu, & doceat, ea vel non debet dici perpeſsio, vt diximus, aut duos ſtatuere debemus alterationis modos, vnum qui ſit mutatio ad diſpoſitiones priuantes, alterum qui ſit progreſſus ad habitum & Naturam. Contex. 57. 58

Intentio. Diuisio.

OSTENSO in qua significatione uti debeat voce actionis, passionis, & motus, insuper, diuisa potestate & actu, intentio Arist. in præsenti Contex. est, diuidere passionem, siue alterationem, de qua frequenter fiet mentio; Diuiditur præsens Contex. in duas partes; In Prima, diuiditur passio in perficientem, & corrumpentem; In Altera manifestatur qualis sit transitus ex potestate ad actum, siue primum, siue secundũ;

Expositio.

Inquit in Prima parte, quod vt potentia, ita pati, non vno solo dicitur modo, sed duplex est: nam una passio est quæ dicitur interitus à suo contrario, ut frigidum patitur à calido, altera uerò est salus & perfectio, ab eo quod est actu, & simile, eo modo quo potestas similis, dicitur suo actui, veluti dum præditus habitu Scientiæ, ex non speculari, transit ad speculari, ea profecto non est alteratio; Aut est Genus alterationis distinctum à propriè sumpto; Id igitur quod potestate, &c. Patefacit in hac Secunda parte Philosophus, exemplo scientis, qualis sit transitus ex potestate ad actum, inquiens: Dum sciens habitu præditus, ex non speculari transit ad speculari, ea non debet dici doctrina, & ob id non erit alteratio; Dum verò ex potestate ducitur à docente ad actum primum, ea profecto est doctrina, & disciplina, quę uel non est alteratio, uel duplex statui debet alterationis genus, unum propriè sumptum, pertinens ad corpus per Qualitates alterantes, alterum sumptum latè, attinens ad Animam, & est sola perfectio.

ANNOTATIONES.

Considet. 1. Omnis passio tendit ad perfectionẽ. Triplex passionis est differentia.

CONSIDERO Primò, ut pertinet ad distinctionem ipsius pati, & alterationis, quod omnis passio & alteratio secundum se, tendit ad perfectionem, omnis enim motus primò, & secundum se ducit ad formam, hæc tamen est differentia, quod quædam est sola perfectio sine interitu alterius, ut illustratio, disciplina, & motio Sensus ab Obiecto, altera sit perfectio non sine interitu, ut calefactio, & humectatio; Insuper, illa dicitur fieri à simili, sine contrarietate, solum cum oppositione formæ, & priuationis, ut sciens parit Scientiam, hæc uerò dicitur fieri à contrario in principio, ut frigidum patitur à calido; Tertia differentia est, quia prima ducit ad actum, sine uera alteratione, hæc uerò per propriè sumptam alterationem, & singulæ hę tres differentiæ indicantur ab Aristot. His addo, quod prima dici potest actus perfectus, hęc uerò actus imperfectus, qualis est omnis motus, prima in attinentibus ad Sensum desinit in actionem, nimirum in iudicium, hęc autem est absolutè perpessio. Consideto Secundò, ut pertinet ad transitum ex potẽtia ad actum primum, si id consideretur in transmutationibus Physicis, ille uerè est motus, & est uel uerè alteratio, ut dum potestate calidum fit actu calidum, uel alteratio & generatio simul, ut dum ex Semine fit Planta; At, in adeptione habituum Animi secùs se habet, nam inquit Aristot. quod uel non est alteratio, uel est aliud genus alterationis quod sit sola perfectio, ut apparuit in antecedente consideratione; &

Dubia.

quia uariæ afferuntur instantiæ, quatenus apparet hanc quoque nonnunquam fieri cum contrarietate, ueluti ex ignorantia prauę dispositionis, & ex uitio, est transitus in scientiam, & uirtutem, & excellens sensibile, labefactat Sensum, & motus alterationis in 7. Physic. dicitur attingere Sensum, non Mentem;

Solutiones.

Pro omnium facili Solutione, accipiendum, Regulas, & sententias absolutè prolatas, ut uerè appareant, debere intelligi secundum se, nam ex accidenti nulla est Regula adeò uera, ut non possit uideri falsa; Sententia itaque Aristot. debet intelligi secundum se, adeò, ut alteratio attinens ad officium sentiendi, & disciplinam secundum se, hoc est dum refertur ad proprij termini adeptionem sit sola perfectio sine interitu oppositæ formæ, si autem interit ignorantia prauæ dispositionis, id est ex euentu, ac etiam ea non est forma, sed peruersio formæ, & ob id non est interitus alicuius perfectionis; Similiter, ex euentu

est,ut Sensus à uehementi lędatur: nam ab eo lædítur, non tanquam à proprio sensibili,sed tanquam à nimium uehementi; Similiter, ea alteratio quæ comitatur officiũ sentiendi, non est interitus aduersę formę, sed aliquid necessarium ratione Organi, adeò,vt absolutè iudicari debeat sola perfectio. Et cum Aristot. in 3.Physic. Cont. 7. etiam adeptionem disciplinæ numeret inter motus eo loci Definitos, putandum est,id esse verum,non de disciplina ex parte sui,sed ratione comitantium ut dixi, ueluti etiam in 7.Physic. Contex.20. affirmauit alterationem attingere Sensum, nam ad Sensum per se pertinet alteratio,quę est spiritalis,& sola perfectio,ratione autem Organi,ei etiam competit propria alteratio; In Latinis Codicibus 3.Physic. magna ex parte non fit mentio de disciplina,cum tamen id fiat in Gręcis. Considero Tertiò, 3 ut pertinet ad transitum ex habitu, ad operationem, & est transitus ex potentia ad actum secundum, ut sciens non contemplans mox speculatur, de hoc inquit primò Arist. quod uel non est alteratio, uel est aliud alterationis genus, mox ait, quod non est doctrina,sed aliud quid; Pro notitia quid sit hoc aliud, animaduertẽdum est,quod Aristot.in 5.Physic.ostendit,ad motum, non esse motum, nimirum tanquam ad terminum per se, sed motum esse, & non esse sine eius generatione, & interitu, potest quidem motus vnus sequi alium,ut calefactio motum secundum locum,at,nõ ut terminus proprius eius,euenit tamen,ut non fiat nouus motus, quin illum alius pręcurrat, nec fit noua relatio, sine pręcurrente motu; dum itaque Sapiens non speculans, incipit speculari,pręcurrit quidem motus aliquis, at, ille transitus non est motus, solum dicimus quod non speculans, & speculans, se habet altero quodam modo, quæ alteritas impropriè penitus dicetur alteratio,& si eueniat,vt dum operatur,vel operari incipit,moueatur, vt patet de Fabro lignario, & ædificatore, id nil refert: quia nos non consideramus modo operationem,& dispositionem operantis,sed solum trã situm ex potentia ad actum,hoc est, ex non operari ad operari. Considero Quartò, 4 pulchram se nobis offerre difficultatem,& est, cum Aristot.duplex statuat alterationis genus, sine interitu, & cum interitu, num similiter se habeat de cæteris motibus ut & cum interitu, & sine interitu dici possint? Pro Solutione accipio, ut sępè ait Aristot.motum omnem, & mutationem modo aliquo esse generationem, & interitum,propriè quidem eam Substantiæ, secundò Qualitatis,tertiò Quantitatis, minimè omnium Loci, quia nil intrinsecus uariatur; De generatione Substantię omnis est cum aliquo interitu, sola creatio est absolutè perfectio sine interitu; De Alteratione patuit,ueluti de illuminatione; Accretio est sola pfectio rei quæ crescit,ut Deminutio sola imperfectio,at,non fit accretio sine interitu alimenti,motus secundũ locum est cum interitu termini à quo,siue Loci,aut partis eius,in quo prius erat mobile,quem deserit.

Num omnis motus possit esse cum interitu,& sine.

SENSITIVI autem prima mutatio fit à generante, cum autem fuerit genitum, iam est prædítum tanquam Scientia ipso sentire: nam etiam id quod actu est, perinde se habet ac speculari, hæc tamen est differentia, quia ea quæ efficiunt Sensum actu, extra sunt, nimirum, visibile, audibile, & reliqua sensibilia. Cuius rei causa est, quia Sensus qui actu est, singularium est, Scientia verò vniuersalium, hæc autem quodam modo in Anima sunt; Propterea intelligere est in intelligente ad libitum eius, non autem sentire, nam est necesse vt adsit sensibile; Similiter etiam res se habet in Scientis sensibilium, & ob eandem causam quia sensibi- Contex. 59. 60

lia sunt singularia, & extrinsecus posita; Sed de his clarius differendi, alias se offeret occasio.

Intentio.

Diuisio.

CVM exemplo Scientię apparuerint in Sensu duę potentię, & duo actus, primus, & secundus, intentio Philosophi modo est, cum eadem comparatione patefacere à quo hę potentię redigantur ad actum, & quę sit differentia inter prędictum habitu Scientię, & habitu facultatis sentientis in obeundo proprio munere; Diuiditur Contex. in tres partes; In prima manifestatur à quo producatur primus actus sentientis; In Secunda explicatur discrimen, & ratio discriminis inter prędictum habitu scientię, & Sensus, dum tendunt ad opus; In Tertia id quod est dictum de Sensibus; ait etiam esse verum de Artibus sensibilium; Pro notitia accipiendum, gradus esse quatuor, Primò enim Semen est potestate ad facultatem sentiendi; Secundò, fœtus redditur prædictus eo habitu & facultate; Tertiò, inde prodit potentia ad suum officium; Quartò fungitur suo officio & videt, vel audit; Similiter, in attinentibus ad Scientiam considerantur ijdem quatuor gradus, & puer rudis recta ratione respondet semini; His assumptis, inquit Philosophus, quod prima mutatio sensitiui, hoc est, productio facultatis sentiendi, ex generante prodijt: nam Parens instrumento virtutis genituræ, ex congruente materia, formam, & facultatem sentiendi educit, adeò, ut Animal ea prædictum se habeat perinde ac Sapiens prædictus habitu Scientiæ, sentiens autem se habet perinde ac Sapiens contemplans; Mox assumpta similitudine, declarans discrimen, cum relatione ad actum secundum, ait, scientē ad libitum speculari, sentientem autem non ad libitum sentire; Ratio discriminis est: quia Obiectum in quo versatur Sapiens, est intus, & includitur in habitu Sapiētiæ, & propterea ad libitum id speculatur, Obiectum autem Sensuum, extrinsecus est positum, & non est collocatum in nostra facultate: causa autem huius pro discrimine sumpti, est, quia Sensus sunt singularium, quæ non ab Anima, sed à Natura fōcmantur, Scientia autem est uniuersalium, quę sola Mentis ope à singularibus secernuntur. In Tertia parte inquit Philosophus, id quod dictum est de Sensibus, etiam esse verum de Scientijs sensibilium, hoc est, de Artibus, quæ in externa materia, & singulari uersantur, quę non ad libitum funguntur suo munere, sed egent prędicta materię singularis, quę externa est, ut patet de Fabro & Sutore; Auerr. autem minus rectè hoc retulit ad apprehensionem Artium, quas non addiscimus sine notitia singularium, cum tamen Aristot. modò loquatur non de modo addiscendi, sed de usu, & secundo actu.

Quatuor gradus.

Error Auerrois.

ANNOTATIONES

Consider. 1.

CONSIDERO Primò, quod cum Aristot. dicat primam sensitiui mutationem fieri à generante, nonnulli putant per mutationem primam denotari primam receptionem speciei sensibilis, quę fit à generante illam speciem; nam species illa respondet habitui scientię, ut exposuit Gandauens. quęst. 15. at, fallitur: nam species sensilis propriè sumpta, est ipsemet actus sentiendi; Si autem consideratur ut producta ab Obiecto, ea producta, statim sentimus, & est in nobis, cuius oppositum dicitur ab Aristotele; Insuper, minus rectè productio speciei dicitur generatio, cum sit simplex oblatio; Prętera, actus primus est principium producendi secundum, quem secundum actum Sensuum, producit facultas sentiendi, non species; Dicamus itaque cum Græcis actum primum esse facultatem sentiendi, quæ à generante producitur; Considero Secundò, hoc generans esse quadruplex; Vnum Organicum proximum, & est vis Seminaria; Alterum

2

princi-

principale, & proprium, & est Parens, ex quo prodit uis Seminaria; Tertium est Organicum, & commune, & est Lumen, & Motus; Quartum est principale & commune, & est Cœlum uita præditum; quæ quatuor in duo principalia rediguntur, denotata ab Aristot. in 2. Phys. dicente, quod Sol, & Homo generant Hominem; Vis Seminaria præsertim in Spiritu includitur, per quem ait Aristot. in 2. de gener. Animal. cap. 3. Semina reddi fœcunda, quam seminariam virtutem, eo loci ait proportione respondere Elemento, Græcè, Stichio Stellarum, & per Elementum Stellarum, non debemus intelligere Cœleste Corpus, sed motorem, à quo Cœlum recipit vitam: nam Stichion, etiam de forma dicitur, veluti in 2. de Ortu & interitu, primæ Qualitates dicuntur Stichia, siue Elementa Simplicium Corporum; Vt itaque Anima Cœli à qua Cœlum recipit uitam; se habet ad Cœlum, & communem causam, ita uis Seminaria ad Semen: nam Cœlum conspirat ut uiuens, & Semen operatur per virtutem seminariam; qua de re alibi latius sum loquutus. Considero Tertiò quod Aristot. ait facultatem sentiendi respondere habitui Scientiæ, sentire autem Contemplationi, sed hoc est dubium: quia (vt patet ex 3. de Anima, facultas sentiendi respondet facultati intelligendi, non autem habitui; Respondeo, distincta ratione uerum esse utrunque: nam in Mente duplex consideratur forma, & primus actus, unus est ipsammet Mens, alter uerò est habitus; Similiter duplex in ea est secundus actus; Vnus antecedens habitum; Alter sequens; Aristot. potius assumpsit pro exemplo habitum, quam Mentem, Primò, quia habitus est notior. Secundò, quia ei respondet generatio quæ est disciplina, Menti autem non conuenit, sed dicitur extrinsecus accedere, & ob id de ea secus se habet ac de Sensu. Considero quartò, quod Aristot. ait de Scientijs singularium perinde se habere ac de Sensu per Scientias singularium denotans Artes. Similitudo est duplex. Prima, quia ut facultates sentiendi sunt vniuersalium, quia ad nullum singulare sunt contractæ, sentire autem est singularium, ita Artes vniuersalium sunt, opera autem singularia, ut patet ex 6. Nicomachiorum, & ex Prooemio Metaphys. Altera similitudo est, quia non ad libitum funguntur suo officio; Similiter, etiam duo sunt discrimina; Primum, quia Vniuersale respondens facultati sentiendi, est singulare vagum, & indefinitum, Vniuersale verò pertinens ad habitũ Artis, est commune Mente seiunctum; Alterum discrimen est: quia Artifex valet ad libitum speculari attinentia ad suum habitum, at, non ita facultas sentiendi; Considero Quintò; Quod Aristot. ait sensum non sentire ad libitũ: quia uersatur circa Singularia, Mentem verò ad libitum speculari, quia uersatur circa Vniuersalia, quæ modo quodam sunt in Anima; Hæc sententia dubia est, Primò, quia Phantasia est Singularium, & tamen imaginamur ad libitum; Insuper, etiam Mens apprehendit Singularia, & id facit ad libitum, dum seruantur eorum imagines; Tertiò, Vniuersalia non videntur esse in Anima, sed potius Singularia quia memoria Singularium est, & ad Phantasiam pertinet, ex sententia Aristot. non ad Mentem, non enim fit sine instrumento corporeo; Simplicius more suo, per Academica dogmata, explicans Peripatetica, ait Arist. per Vniuersalia quæ sunt in Anima, denotare rationes, & Idœas Animæ, & Menti insitas, quas Mens Animaria habitu prædita ad libitum speculatur, dum in Mentem reuoluitur, quæ expositio non est approbanda, tum quia Aristot. nedum huiusmodi insitas rationes, & essentiales Idæas non concedit, sed frequenter conspicuè damnat, tum insuper, quia si ob huiusmodi insita Vniuersalia Mens specularetur ad libitum, etiam ignarus ad libitum posset speculari, cum in uniuscuiusque Anima, & Mente, huiusmodi rationes & Ideę insint, tum demum, quia etiam ex Academicorum sententia huiusmodi rationes in Sensuum facultate sunt insertæ, cum tamen Sensus nunquam ad libitum sentiat. Propterea dicamus, Aristot. per Vniuersalia, suo more ea denotare, quæ sunt in pluribus, & de pluribus, quæ sint uel Vniuersalia actu, à Singularibus per Mentem seiuncta, uel proxima potestate, qualia sunt Phantasmata, quæ dici possunt Vniuersalia. Primò, ut contradistincta à Singularibus

Quadruplex generãs primũ actũ sensuum.

Elementum Stellarum.

3

Dubitatio.

Solutio.

4

Scientia singularium.

5

Dubitatio.

Simplicius.

Phantasmata quomodo dici possint Vniuersalia. Solutiones.

bus extra positis, quod indicauit Aristot. in calce Contex. inquiens Sensibilia sunt singularia, & extrinsecus posita. Secundò, quia sunt Vniuersalia potestate proxima, ex quibus Mens ad libitum ualet elicere Vniuersale. Ex his elicio Solutiones aduersarum rationum; Dicebatur, etiam Phantasiam ad libitum imaginari. Respondeo; Aristot. adhuc Phantasiã à Mente non secreuisse: nam ea quoque Mens nuncupatur, & uersatur in Vniuersalibus potestate, ut contradistinguuntur à Singularibus extra existentibus; Addebatur, etiam Mentem ad libitum apprehendere Singularia. Patet Solutio: nam apprehendit ea, ut in Anima existentia, communi nomine Vniuersalis denotata. Dicebatur, in Anima solum seruari singularia. Respondeo, cum seruentur Phantasmata Singularium, etiam dicuntur seruari Vniuersalia, quatenus Mẽs ad libitum ex eis illa elicit. Considero Sextò, quod Aristo. ait Vniuersalia quo-

6 *Cur Vniuersalia sint in Anima quodam modo.*

dam modo in Anima esse, cur addit, quodam modo? Dico Primò, quia non sunt ei insita per propriam essentiam, & conditionem, vt censuit Plato, sed extrinsecus recepta. Secundò, quia non reperiuntur semper actu, sed facultate, vt apta elici per Mentem. Tertiò, quia in Anima non reperiuntur Vniuersalia, quæ sint Substantiæ, ea enim in solis externis Singularibus residet, sed solum notiones ea repræsentantes. Quartò, quia Memoria eget Organo, & Phantasmata sunt in Organo Animato, at non sine Anima. Quintò, quia modus quo Vniuersalia sunt in Anima, valde differt à modo quo Corpora sunt in loco, & Accidentia materiata sunt in suo Subiecto, Se-

7 ptimò considero, quod Aristot. in calce Contex. ait: Sed de his clarius differendi alia se offeret occasio, non constat quid denoter, & uario modo exponitur, at, quia parum refert, dico breuibus, loqui de attinentibus ad Mentem, non pertinet ad hunc locum, sed ad 3. de Anima, propterea cum obiter Aristot. dixerit Mentem speculari ad libitum, & Artes egere externo, ut fungantur suo munere, reijcit nos in 3. de Anima, in quo de Mente speculante & operante est proprius sermo; Similiter patebit quomodo ad libitum imaginemur quodcunque uolumus.

Contex. 61.

VERVM hoc tantum in præsentia sit definitum, cum non simplex sit id quod potestate dicitur, sed partim, veluti si dicamus puerum posse ducem esse, partim vt eum qui per ætatem idoneus sit, ita se habet sensitiuũ.

62 *Sed quoniam nomine caret eorum differentia, explicatumque est ea differre, necesse est nominibus his nimirum pati, & alterari, vti, tanquam propriis. Sensitiuum autem potestate est tale, quale iam sensibile actu, quemadmodum dictum est. Patitur igitur cum non est simile, vbi autem passum fuerit, simile factum est, & tale est quale illud.*

Intentio. Diuisio.

CÆPIT Philosophus de Sensibus vniuersè loqui, & distinctiones, ac significationes uocum retulit, quibus uti debet dum de Sensibus uerba facit; Modò autem intentio eius est, eorum quæ de Sensibus declarauit, tanquam summam colligere; Diuiditur autem præsens Contex. in duas partes; In Prima colligit Philosophus Sensitiuum esse tanquam habitum facultate præditum ad secundum actum, & vocibus, alterationis, & perpessionis nos cogi uti latè, cum propriæ non adsint; In Secunda colligitur, & in parte explicatur Definitio Sen-

Expositio.

sitiui; Inquit in Prima parte: Cum attinentia ad Mentem alibi exactè sint patefacienda, ut pertinet ad proximè declarata, apparuit non uno modo dici potentiam,

sed

ſed unã referri ad actum primum, ut puer poteſtate eſt Dux exercitus; Alteram ad ſecundum, ut vir adultus, Arte militari prædius; & quia cũ potentia nectitur alterari, & pati, quæ in attinentibus ad Corpus, & ad Animam uaria ſunt, cui uarietati non ſunt impoſita nomina varia, & propria, ideo vti cogimur vocibus communibus, tanquam proprijs, quod facere licet, cum patefactum ſit diſcrimen, & in qua ſignificatione eis vtamur; Senſitiuum autem poteſtate, &c. In hac Secunda parte, ex dictis colligit Philoſophus, Definitionem Senſitiui poteſtate, nam eſt poteſtate tale, quale Senſibile eſt actu, dum uero paſſum fuerit, actu eſt tale.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, dum non adſunt propriæ uoces, duo efficere ualemus, uel eas formare, uel communibus vti, eas formamus, dum non adſunt conſimiles, ut in Prædicamento Relationis docet Philoſophus, dum Relata carent nominibus, ea formare, dum autem adſunt, conſimiles, & communes, vt ſe habet de alteratione, motu, & perpeſſione, tunc valemus cõmunibus uti; At, ne decipiamur, tenemur primò patefacere in qua ſignificatione eis vtamur, nam nomina imponuntur rebus materiatis, & notioribus, mox dum transferuntur ad Animam, per id quod eſt notius, ducimur in notitiam conſimilis latentioris; Sic Auerr. in 1. Poſter. inquit licere vti uocibus Aequiuocis, dummodo eis non vtamur æquiuocè, hoc eſt modo in vna, modo in altera ſignificatione. Conſidero Secũdò, ut pertinet ad Definitionem Senſitiui, morem fuiſſe Ariſt. in tradendis Definitionibus, communia quædam tanquam nota ſupponere, & id ſolum referre quod proprium eſt, & hoc modo ſeruat: nam potuiſſet dicere, Senſitiuum: eſt Corpus viuens, præditum facultate ſentiendi, per quam ante quam patiatur, poteſtate eſt tale, quale Senſibile actu eſt, paſſum verò eſt ei actu ſimile. Hæc Definitio colligitur ex dictis: nam apparuit quod eſt poteſtate ad actum ſecundum, & quod conſiſtit in quodam pati, & quod Senſibile reddit Senſum actu, & quod partim Contrarium, partim Simile eſt, adeò, ut Definitio ex dictis conſpicua ſit; Quæ Definitio Primò & propriè uera eſt de Senſibus externis; Secundo loco, & per externos vera ſit de internis; Inſuper, quia Senſilia ſunt triplicia, nimirum, Propria, Communia, & ex Accidenti, Definitio uera eſt de ſingulis in proprio genere, præſertim tamen eſt uera, & debet intelligi, cum relatione ad Senſilia ſecundum ſe, & propria, ad quæ propriè, & præſertim refertur facultas ſentiendi; Inſuper, dum dicitur poteſtate tale, quale eſt Senſibile, id debet intelligi, non per eundem modum eſſendi, ſed Spiritaliter, per repræſentationem, & cum cognitione; Tertio loco accuratè conſiderandum occurrit, cum omni potentiæ patienti reſpondeat efficiens, & omne quod efficitur expoſcat principium à quo efficiatur, non conſtare quodnam ſit illud efficiens, à quo Senſus poteſtate ſimilis, redditur actu ſimilis; Ariſtot. de re hac videtur pugnantia proferre; Nonnunquam enim ait Senſum agere, vt apparuit in Contex. 37. & in 9. Metaphyſ. Contex. 16. inquit, quod Viſio eſt operatio immunis, & eſt in uidente, ut contemplatio in contemplante; Nonnunquam uerò ait Senſum in perpeſſione eſſe poſitum, ut patuit in Cont. 51. & mox in Contex. 59. legitur, ea quæ efficiunt actionem Senſuum, eſſe extra; De re hac Viri celebres, uaria dicunt; Et quoniam Dubitatio in hoc præſertim eſt poſita, quomodo Senſibilia quæ materiata ſunt, ualeant in Senſum ſpiritaliter agere, nam omne quod operatur, ita operatur, ut eſt; Propterea Ludouic. Boccaferrea, inquit Senſibilia dupliciter operari; Vel ſecundum propriam conditionem, & ſic operãtur modo materiato, vel facultate Cęli & motoris eius, ex quo pendent, ac ita ſpiritaliter operantur, & prodeunt ſpeciem ſenſilem, quæ ex eiuſdem ſententia nõ eſt diſtincta ab actu ſentiendi, adeò, ut ſenſus ſolum patiatur & recipiat; Idipſum affirmat Sueſſanus, ideo inquit Senſibile duplici modo operari; Primò, ut

Conſid. 1.

Quomodo liceat uti æquiuocis.

2 Mos Ariſt.

Definitio Senſ. ui.

Efficiens p quod Senſus redditur actu.

Dubitatio.

Opiniones uaria.

Lud. Bocc.

Sueſſanus.

est forma in materia, & operatur modo materiato; Secundò ut est Instrumentum primę causę, & operatur spiritaliter, & addit, non ob id Deum dici Sensum agentem, quia in ratione Sensus est, ut sit materiatus, dissentit tamen à priore opinione: quia speciem sensilem distinguit ab actu sentiendi, quem putat mox ex Sensu prodire, D. Tho. in lib. de potestate Dei. q. 5. art. 8. inquit formis competere duplex esse; Vnum, ut sunt in materia; Alterum absolutè, ut sunt formæ, per primum operantur modo materiato, per alterum uerò, quia dum considerantur vt formæ, participant cõditionem superiorum, & proprietatem, operantur spiritaliter, & speciem spiritalem producunt distinctam ab actu sentiendi. Academici inquiunt Sensibilia operari vel tãquam instrumenta Idææ siue Animæ Mundi, & operantur spiritaliter in medium, nõ autem producunt actum sentiendi; vel ut materiatæ formæ, & operantur modo materiato, ut ait Martil. Ficinus in Plotinum Enneade 4. lib. 5. cap. 3. & in Theophrastũ de Phantasia, cap. 27. 30. & 32. Hæ opiniones (ut censeo) approbandæ non sunt; Primò, quia dum sermo est de effectu proprio, causa propria est assignanda, nam causa debet rei effectæ respondere, vt patet ex 2. Physic. 38. modo sermo est de effectu proprio, Cælum, & motores eius sunt causæ communes, & conspirant nedum pro actione spiritali, verum etiam pro materiata, primo enim non mouente, cætera mouere non valent; Præterea, Cælum, & motores, solum in hæc agunt Lumine, & Motu ex sententia Peripateticorum, at, hæc non sunt Instrumenta apta producere species spiritales, & Lumen solum conducit pro colorum motione, non pro alijs; Præterea, modus operandi non sequitur motum considerandi, sed essendi, & subsistendi, qui cũ sit vnus, etiam vnus debet esse operandi modus; Pręterea actiones sunt compositorum, non unius tantum, vel alterius; Cum itaque sensibile sit compositum quoddam, compositi totius debet iudicari actio, non formæ tantum: nam quamuis materia nõ operetur, tamen ut contrahit formam ad materiatum modum subsistendi, ita eam contrahit ad materiatum modum operandi. Insuper, omne Sensibile in materia est, vt dicitur in 1. de Cælo, quare Sensum mouet vt est in materia, non autem ut instrumẽtum separatarum formarum; Confirmatur: quia separatę formæ nõ habent uim mouendi Sensum, quare Sensibilia non facultate earum mouent Sensum. Pręterea, si id diceremus de Sensibilibus, qđ vt includũt conditionẽ immateriatorũ, possint sine materia operari, lõge magis id liceret dicere de Phãtasmatibus, quod sine ope Mẽtis agẽtis possent Vniuersale repræsentare, quia forma ut forma, & ut participat conditionẽ separatorum est Vniuersale quoddã, cum tamen Arist. dicat esse necessariã Mentem agentẽ, quę Vniuersale potestate, reddat Vniuersale actu. Cum itaq; relatę opiniones apparuerint dubię, dicendum puto, Sensibilia oĩa extrema solũ ex se ualere modo materiato mouere instrumenta Sensuum, non autem spiritaliter, excepto calore, qui ope Luminis, quod spiritale est, vt suo loco patebit, spiritaliter per medium perspicuum, & in oculum operatur; hinc Arist. de solo Lumine ait, quod reddit potestate colores, actu colores, cætera autem Sensibilia solum cum materia operantur; de Qualitatibus tangibilibus & saporibus conspicuum est, de Sono, & Odore suis locis patebit, hinc operantur cum tempore, ab oppositis ventis repelluntur, & non directè solum, sed etiam obliquè effunduntur. Ex his colligo facta comparatione inter Sensibilia, & Sensitoria, Sensum consistere in quodam pati, & hanc perpessionem esse materiatam, ac ita Sensilia efficere actum sentiendi, quatenus efficiunt hoc necessariò requisitum pro officio sentiendi, qua prima perpessione, cum patiatur instrumentum, etiã dicitur pati facultas quæ ex eo pendet. Et quamuis Auerr. in hąc 2. de Anima, 97. & 101. putet Odores spiritaliter per medium effundi ego dissentio ab eo, & sentio cum Auicen. oppositum approbante. At obijciet aliquis, quia Sensibile collocatum supra Sensum, non percipitur. Respondeò, id esse verum de fundamento, veluti de pomo, non de eius actione minus crassa, & materiata; Insuper instatur, quia tunc ea perpessio erit cum interitu, nam est actio, & perpessio materiata. Respondeo, ut pertinet

D. Thom.

Academici.

Euersio.

Opinio propria de Sensu agente.

Auerroes.

tinet ad Corpus patiens, erit talis, sed non cum relatione ad Animam, quæ excitata, iudicat sine interitu alicuius. Hinc Aristot. in 3. de Anima, Contex. 6. ait: Si Mens esset Organica, fieret Qualis, indicans Organa pati, & facultates per huiusmodi perpessionem reddi ex accidenti quales. Ex his patet, necessariò pro fungendo munere Sensuum, præcurrere perpessionem instrumenti, & facultatis, quæ perpessio, non est iudicium, alioquin Sensibile esset id quod sentiret. Ideo Secundò loco perpendendum est, à quo tanquam ab efficiente producatur opus sentiendi; Qua de re etiam variæ sunt opiniones; Ludouicus Boccaf. (vt retuli) putauit obiectum spiritaliter mouere uirtute Cœli, & motorum eius, & producere speciem non distinctam ab actu sentiendi, adeò, ut Sensus solum pati dicatur. D. Thom. distinguens speciem sensilem, ab actu sentiendi, ait Sensile agere & producere speciem Sensilem, Sensum uerò eum recipere, & pati, mox uerò Sensum, hoc est facultatem sentiendi, formatam specie sensili, producere actum sentiendi hoc est sentire; Io. Gandauensis duplicem cõstituit in singulis Sensibus facultatem ad Sensum attinentem, inter se distinctã; Vnã appellat Sensum agentem, cuius officium sit producere speciem spiritalem sensilem distinctam ab actu sentiendi; Alteram recipientem, cuius officium sit speciem spiritalem recipere; Primam negat sentire, sed id officium tribuit secundæ. Hæ opiniones cum vero uidentur pugnare: nam dicere Sensum solum pati, & quod sentire sit pati, vt inquit Boccaf. omninò est absurdum, ita enim potius sensibile diceretur sentire, quam Sensus, & præstantius esset Sensus solum patiente; & conspicuè aduersatur Aristot. ut patebit; Opinio etiam D. Thom. non uidetur approbanda; Primò, quia species sensibilis non est distincta ab actu sentiendi, vt alibi patefaciam; Secundò, quia si Sensus solus non sentit, & agit, formatus autem specie agit, eminentiori modo species quam sensus videretur sentire, cum id ei competat tanquam formę, Sensui ut formato; Tertiò, quia id quod iudicatur, non concurrit ad iudicandum: nam de eo est iudicium, non ab eo, veluti combustibile non conspirat ad comburendum se; Opinio Gandauensis constituentis Sensum agentem distinctum à patiente, etiam approbanda non uidetur; Primò, quia speciem sensilem distinguit ab actu sentiendi; Secundò, quia malè secernit sensum agentem à recipiente, nam sentire ab Aristotele dicitur actio immanens; Tertiò, quia pugnat dicere dari sensum nõ sentientem, qualem asserit esse agentem; Quartò, quia eos geminos Sensus, nunquam indicauit Aristot. nec ulla ratio nos cogit eos approbare; Propterea dicamus, cum Obiectum mouerit instrumentum, facultas ex accidenti mota excitatur & iudicat id sensile à quo mota est, quod iudicium dicitur Obiectum in esse cognito, & species sensilis actu, & propriè sumpta, adeò, vt sensile solum agat, instrumentum ratione propria patiatur, facultas sentiendi propria ratione agat, quæ actio nil est alind nisi iudicium; Hoc frequenter nos docet Arist. nam in Cont. 37. ostendens Animam esse principium efficiens, dixit nil sentire nisi Anima sit prędituin: Insuper, in precedentibus dixit, facultatem sentiendi respondere habitui Scientię quo speculamur; in 9. Metaph. Contex. 16. affirmauit, Videre esse actionem immanentem, quod etiam affirmauit in lib. de Sensu & sensili; Insuper in 10. Nicomachiorum, inquit quod voluptas perficit actionem, sua vniuscuiusque Sensus est voluptas; Siue itaq; dicamus agere Sensum, siue Animal cui Sensus conuenit, nil refert. Confirmatur: quia vt materię proprium est pati, ita formę agere; Insuper, quid aliud est producere actum sentiendi, quam iudicare? hoc autem iudicantis officium est; Hinc Grœci omnes facta comparatione inter Sensum & actionem sentiendi, actionem hanc Sensui tribuunt. Alexander in 1. de Anima, cap. de Mente Practica & inspectrice inquit: Quanquam per corporeas affectiones Sensuum functio fiat, sentire tamen non est pati, sed iudicare, & discernere. Simplicius infinities id affirmat, præsertim in 1. de Anima 75. & in hoc 2. 62. Galenus De Decretis Hippocr. & Platon. cap. 6. ait: neque tamen alteratio ipsa ut quidam putant, Sensus est, sed alterationis dignotio; Auerroes Com. 149. inquit est recipiens

Efficiens officium Sentiendi.

Opiniones variæ.

Eucrsio.

Sententia propria.

Auerroes.

Simplicius. Galenus.

secundum

secundum Sensum,& agens secundum iudicium,recipere enim aliquid, est aliud à iudicare; Sensus itaque ille est,cuius officium est iudicare,adeò,vt facta comparatione inter Sensum,& Obiectum,Facultas sentiendi iuncta cum Organo,patitur, relata uerò ad iudicium,agit;patitur ex accidenti,vt iuncta cum Organo ex quo pendet, agit verò ratione propria: Modus autem hic est; Primò Obiectum mouet instrumentum motione materiata,præter quam Obiectum Visus, ac ita Sensus patitur; Secundò, sentiendi facultas excitata,iudicat,adeò,vt passio in actionem desinat, quod iudiciũ est propriè sumpta species sensilis, cum sit rei sensilis imitatio, & repræsentatio, & ita Sensus dicitur susceptiuus specierum sine materia, & potius dicitur agere,quam pati,quia id ei competit ratione propria; Insuper, hac eadem ratione concedi debet Sensus agens: quia Primò patitur,mox agit,nec est a patiente distinctus,ac ita potestate sensilia,reddit sensilia actu,vt Mens agens intelligibilia;Hoc conspicuè elicitur ex Arist.qui in Cont.127.ait:Quid igitur est Odorarẽ præter pati aliquid? an Odorare sentire est,aer autem passus mox sensibilis redditur. Sic liberatur Arist.à controuersia,qui nonnunquam ait Sensus pati,nonnunquam agerè; Similiter, Soluitur Ratio Auerrois, qui in Com.60.ait varietatem Formæ esse causam varietatis Materiæ,non varietatem Materiæ uarietatis Formæ, ideò, si sensile recipitur spiritaliter, id non ex recipiente pendet; Respondeo, id quod sensile reddit spiritale, non esse Materiam,sed Facultatem sentiendi, ut patefeci; Retuli hactenus Sententias aliorũ interpretum,& propriam: sed cum apparuerit quid sentiant Peripatetici,non inutile erit etiam patefacere quid senserint Academici, & quamuis non de omnibus consentiant, referam tamen eam quæ Simplicij est,& magis approbatur; Pro cuius notitia accipio Primò, ex Academicorum sententia sub Deo locari Mentem, sub ea Animam,sub illa Naturam,sub Natura demum Materiam; Deus est suprà intelligibile,& caput Idæarum,quæ Idææ Menti insunt, mox Animæ insunt Rationes, Naturæ Semina,Materiæ imitationes & participationes Idæarum; Rationes Idæis respondentes,competentes Animæ rationis compoti,descendunt vsque ad Facultatem sentiendi,& vnicuique facultati insunt rationes propriæ sensilium, ad eam attinentium; Insuper, vt pertinet ad Facultates Organicas, eas distinguunt in formantẽ & vtentem, formantem magis materiatam dicunt,& extensam, utentem uerò indiuiduam,& magis eleuatam, cui rationes sensilium ad eam attinentium competere affirmant; His assumptis, inquiunt externa Sensilia agere in Organa Sensuum, quæ motio ex parte Corporis Organici est perpessio, ex parte autem Facultatis formantis, est quædam actio,quatenus per illam ea rei sensilis similitudo,redditur spiritalior & purior,at,non ob id ea est Sensus,cum sit materiata,extensa,temporique commensurata; sed Tertiò per vtentem facultatem indiuiduę iudicium expromitur, quæ per unam gratia exempli,albi rationem,cuiusque particularis albi iudicium promit, nã adeò est una,ut singulis aptetur & accommodetur in quo fungendo munere, triplex consideratur similitudo sentientis & rei sensilis; Prima infertur ab Obiecto, & est perpessio Organici; Secunda est actio Facultatis formantis; Tertia utentis; Instrumentum redditur simile patiendo, at, Facultas sentiendi,nõ recipiendo aliquid,redditur similis,sed quia per propriam sensilium rationem operatur,Nititur Simplicius & cum eo nonnulli viri docti,Aristoteli quoque hanc opinionem tribuere,at, conspicuè decipiuntur: nam ex sententia Arist.nec Menti,Idæę,nec etiam Animæ essentiales rationes competunt; Insuper, diuisio Facultatis, in utentem, & formantem, redundans est,eiusdem enim facultatis Animæ officium est,instrumentum formare, & formato uti; Propterea,cum Facultas sentiendi sit materiata, non rectè statuitur indiuidua,& non extensa; Præterea,illa triplex similitudo,est redundans:nam Anima solum dicitur reddi similis iudicando; Insuper, cum prima passione patiatur & moueatur instrumentum,etiam putandum est pati uniuersam facultatem ex eo pendentem,& ob id dicitur excellens Sensile lædere & labefactare Sensum; At, de his satis:

Modus quo sentimus qd sit.

Soluitur cõtrouersia & inflatia Auerrois.

Opinio Academicorum.

Triplex similitudo sẽtientis & rei sensilis.

satis:nam de multis seorsum exactius loquar. Ex dictis has elicio Conclusiones. *Conclus* 1.

Primam,dum confertur externum sensibile cum instrumento, & facultate sentiendi,in eo inclusa,Sensus consistunt in pati.

Alteram, dum Facultas sentiendi refertur ad actionem eius quæ est iudicium, 2
Sensus est agens,& efficiens.

Tertiam, Actio Sensus est propriè sumpta species Sensilis. 3

Quartam, Dum est quæstio de Sensu agente, concedi debet cum relatione ad of- 4
cium sentiendi,at,non cum relatione ad Obiectum externum.

DICENDVM igitur secundum vnumquemque Sensum Primò de Sensilibus: nam Sensile triplex est, quorum duo sunt secundum se, tertium ex accidenti sentiri dicitur,duorum primorum Vnum est proprium singulorum Sensuum, Alterum commune omnium. Proprium dico, quod non contingit alio Sensu sentiri, & in quo non est deceptio, vt Visus coloris, Auditus soni, & Gustatus saporis, Tactui autem plures respondent differentiæ; Sed vnusquisque iudicat ea, neque decipitur quod color sit, vel quod sonus, sed quid sit id quod coloratum est, aut vbi, vel, quid sit id quod sonat, aut vbi; Hæc itaque propria dicuntur singulorum. *Contex.* 63.

LOQVVTVRVS Philosophus de Sensibus,declarauit Primò cõmunia quædam,ad Sensuum notitiam attinentia,& explicauit uoces communes, quibus utimur dum de Sensuum perpessionibus & actionibus verba facimus, per quæ cum nos cumulatè parasset, intentio eius modo est,distinctius attinentia ad Sensus,patefacere,ordiens vt ordiendum dixit ab Obiecto; Diuiditur Contextus in tres partes; In Prima id proponitur,de quo est agendum; In Secunda diuiditur Sensile; In Tertia declaratur Sensile secundum se,& Proprium; Ait in prima parte: Dicendum igitur &c.hoc est,loquuturi de Sensibus,tenentur primò agere de sensilibus,nos sumus loquuturi de sensibus, quare primò tenemur loqui de sensilibus singulorum sensuum, hoc est vniversè; Diuiditur in Altera parte sensile, in id quod secundum se est sensile,& in id quod ex accidenti; Insuper sensile secundum se,diuiditur in proprium singulorum, & commune omnium; In Tertia parte Definitur sensile Proprium, quod non contingat alio sensu sentiri,& circa quod non contingat decipi; Primum dicitur pro distinctione à communibus; Alterum, pro distinctione à sensilibus ex accidenti; Declarat inox quomodo sensus non decipiatur,& quomodo decipiatur,ueluti,Visus non decipitur,quod sit color,nec Auditus,quod sit sonus,hoc est, non decipitur circa proprium,vt proprium est,sed quid sit,hoc est,circa sensile ex accidenti; Similiter, vbi sit, denotans Relationem ad locum, quę Relatio etiam ex accidenti percipitur: nam Substantia & Relatio sunt sensilia ex accidenti,quæ ab Aristot.denotantur.cum in eis præcipuè decipiamur. *Intentio.* *Diuisio.* *Expositio.*

ANNO-

ANNOTATIONES.

Consider. 1. CONSIDERO Primò, quod Aristot. statuit triplex Sensile, Occurrit Dubitatio quia quotuplex est vnum Relatorum, totuplex est & alterum, at, non apparet quod sensus sit triplex; Respondeo, quotuplex est vnum Relatorum, totuplex est & alterum, ea ratione, qua ad ipsum refertur, qua consideratione dico, sensum triplici modo se habere ad tria relata sensilia. Considero Secundò, descendendo ad Descriptionem sensilis Proprij, ea uidetur competere nedum sensili Proprio, sed etiam priuationi eius: nam solo Visu percipimus tenebras, & solo Auditu silentium, & non decipimur. Et Aristot. dicet quod unusquisque sensus est sui sensilis, & priuationis eius, & Auerroes Comm. 120. dicit sensum esse utriusque, secundum propriam essentiam, & conditionem, unius tamen primò, alterius secundariò. Respondeo, Aristot. sua Descriptione denotare ea, quæ per positionem iudicantur, & uel secundum se, uel per aliud ualent formare sensum, priuationes non numerantur inter sensilia, sed inter opposita illis; Insuper, id dicitur sensile secundum se, quod sua forma mouet, priuationi hoc non competit, sic itaque sensile Proprium, & secundum se, est id, quod uno solo sensu, secundum se percipitur, quod priuationi non competit: nam priuatio cognoscitur per habitum: ait tamen Auerroes, cognosci à sensu Proprio secundum essentiam, quia cum sit priuatio, per priuationem ab eo solo percipitur. Considero Tertiò, quod additur sensum circa proprium sensile non decipi, quod ipsi experientiæ aduersatur, frequenter enim sensus in iudicandis proprijs decipiuntur, & quod vni dulce, alteri est amarum, uni uiride, alteri videtur nigrum, & innumeræ afferuntur instantiæ; Confirmatur: quia Mens decipitur circa Obiectum proprium, quare longè magis sensus, qui est uilior; Præterea, uerum & falsum sunt affectiones apprehensionis complexę, non autem simplicis. De re hac tres sunt Opiniones, duę extremæ, & una media: Vna extremarum est Heracliti, putantis cũcta in Motu esse posita, nec rebus firmam & certam competere conditionem; qui huius sunt Opinionis, ita argumentantur; Cuncta iudicãtur ut mouent facultatem iudicandi, quæ mouent, ita mouent ut sunt, ea quæ sunt, vera sunt, quare cuncta quæ iudicantur, uera sunt; Insuper, quia cuncta fluunt, nec sunt prædita certa & propria conditione, sed ex actione, & passione varia, prodeunt uaria, ideo vnumquodque tale est, quale consurgit ex passione dum mouet sensum, & propterea ob uarium motum, & passionem, uni dulce, alteri est amarum. Similiter, Democritus, Epicurus, & Lucretius affirmarunt, sensus non decipi. Hinc Lucretius lib. 4. cecinit.

Descriptio.

Solutio.

An Descriptio cõpetat Priuationi. 2

Solutio.

Sententia Auerrois.

An Sensus decipiatur circa proprium. 3

Opiniones tres, an Sensus decipiatur circa proprium.

Lucretius.

Inuenies primis ab Sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque Sensus posse refelli
Nam maiore fide debet reperiri & illud,
Sponte sua veris quod possit vincere falsam,
Quid maiore fide porro quam Sensus haberi.
Debetur, &c.

Opinio 2. Hi iure optimo maximi fecêre sensum, cum nil suprà sensum excogitauerint; Altera extrema Opinio est Academicorum, qui nil eorum quæ sensibus apparent, re vera esse existimarunt, hinc Archesilaus cuncta esse falsa dicebat quæ sensibus apparẽt; qua de re multa refert Cicero, fundamentum est, quia hę sunt vmbræ rerum quas nos verè esse iudicamus, nam Idæę ea sunt quę verè sunt. Peripatetici mediant: nam aiũt Sensus non decipi in iudicio propriorum, sed communium, & ex accidenti; at, id vertebatur in dubium, quia etiam circa propria uidentur decipi; & propterea pro elucidatio-

Peripatetici

datione dicendum, singulas tres relatas Opiniones aliquid veri includere, & propterea quatuor profero Conclusiones; Prima est: Sensus cum Archesilao semper sunt falsi; Secunda: Semper secundum se veri sunt; Tertia: Nec sunt veri, nec falsi; Quarta: Vt plurimum sunt veri. Vt pertinet ad Primam, Sensus semper sunt falsi facta cõparatione inter æterna, quę verè sunt, & ea quæ sub Sensum cadunt, quæ dici possunt Vmbrę, Vestigia, & Imagines eorum. Secunda Conclusio erat; Sensus secundum se semper esse veros, quæ defendi potest, & per principia Heraclti, & per ea Peripateti corum: nam sensibile est duplex; Vnum principale mouens, vt sapor geniste, & vini; Alterum, quod iunctum cum Organo proximè mouet; Heraclitus hoc proximum considerauit, & de hoc verè dicitur quod tale iudicatur, quale est vt mouet; sic idem vinum vni est amarum, quia est permixtum cum bile, alteri verò amatum, quia non cum bile permiscetur; Aristot. considerauit principale, quod absolutè sui natura & conditione est tale, de quo Sensus secundum se, hoc est secundum rectam constitutionem conspirantium ad eius muneris functionem non decipitur: nam si decipitur, id accidit ex euentu, ob deprauationem conspirantium, & requisitorum pro Sensu; Regulæ autem intelligi debent secundum se; Tertia Conclusio erat: Sensus nec veros, nec falsos esse; Quæ intelligi debet de vero, & falso, attinente ad compositionem, & diuisionem; Quarta Conclusio erat; Sensus circa propria sensilia, ut plurimum esse veros, nimirum, veritate incomplexa, sic Auerroes hoc in loco, ait Sensus esse veros ut plurimum, quod etiam in progressu dicitur ab Arist. Hęc Conclusio non aduersatur Secundæ: nam in ea addebatur secundum se, hęc verò proferuntur absolutè, & propterea addendę sunt conditiones vt seruetur Sensus non decipi, quę plures sunt, ut refert Alexander in 1. de Anima, cap. 13. quę omnes rediguntur in tres, quatenus tria requiruntur pro fungendo munere Sensuum, nimirum, Obiectum, Medium, & Instrumentum; Ne itaque Sensus decipiatur circa proprium Sensile, oportet ut attinentia ad hæc tria, congruenter se habeant: nam dum error ex aliqua horum trium non recta constitutione prodit dicitur ex accidenti fieri, Inquiunt nonnulli, Sẽtentiam Aristot. debere intelligi, quod sensus nõ decipiatur circa sensile Proprium, quod ei equatur, ueluti Oculus quod sit color; At, hac consideratione etiam non deciperetur circa communia, ueluti, quod sit Magnitudo, aut Figura; Et quamuis Arist. dicat, Visum non decipi quod color sit, id debet intelligi, quod non decipiatur in attinentibus ad colorem, qui est Obiectum proprium eius, alioquin sententiam deridendam protulisset; Aduersarum Rationum ex dictis elicitur Solutio; Vna sola supereſt diluenda, quę erat: Mens decipitur erga Proprium Obiectum, quare & multo magis Sensus; Respondeo Primò, id non sequi, quia Sensus ob sui humilem conditionem in solis externis conspicuis uersatur, Mens verò sublimior, interna, & latentia perquirit; Addo Secundò, Mentem decipi, non secũdum se, sed ob leuem, adumbratam, & sępè deprauatam repręsentationem Phantasmatum. His accedit, quod Arist. in 3. lib. dicet, Mentem circa simplicia non errare; quod quomodo intelligi debeat, eo loci apparebit. Considero Quartò, quod Arist. ait Sensum decipi iudicando quid sit coloratum, & Vbi, per quod proculdubio denotat sensibile ex euentu, quod est Substantia; at, per Vbi, non constat quid denotet; Nonnulli probabiliter putant denotari communia, adeò, ut sensus non decipiatur iudicando proprium, sed iudicando id quod sentitur ex accidenti & commune; Vbi autem redigi potest ad Magnitudinem, ut etiam Differentię positionis, siue ad Figuram; Ego hanc expositionem non damno, puto tamen eam quam dedi, esse probabiliorem, quod denotet sensile ex accidenti, nam cum Substantia, tum Relatio sunt sensilia ex accidenti, Vbi autem denotat Relationem ad Locum.

Resolutio. Concluſ. 1.

2

3

4

Conditiones, ut ſenſus ueri ſint.

Opinio quorundam.

Solutio aduerſarũ Rationum.

4

Contex. 64.

COMMVNIA autem sunt Motus, Quies, Numerus, Figura, Magnitudo, hæc enim nullius sunt propria, sed omnium communia: nam & Tactu Motus sentiri potest, & Visu: Atquehæc quidem secundum se sunt Sensilia.

Intentio. Diuisio.

TRIPLEX dicebatur sensibile; Vnum secundum se, & Proprium; Alterum secundum se, & Cnmmune; Tertium ex Accidenti; Declarato Primo quod principalius est, intentio Aristot. modo est declarare Secundum; & in hoc duo facit; Primò, numerat quinque sensilia Communia, ea autem sunt, Motus, Quies, Numerus, Fignra, Magnitudo; Secundo ostendit ea esse Communia, & secundum se, & formatur hęc Ratio; Id quod secundum se à pluribus sensibus indicatur, dici debet sensile Commune, quinque relata sunt huiusmodi, ut patet exemplo Motus, quare sunt sensilia Communia.

Expositio.

ANNOTATIONES.

Tria de Sensibili cõmuni considerãda.

De numero cõmunium Sensilium.

DE Sensilibus Communibus tria præcipua se offerunt consideranda; Primum, quot sint; Secundum an sentiantur secundum se, Tertium; cur dicantur communia; Ordiens à Primò, non apparet quot sint Sensilia Communia; Arist. hoc in loco numerat quinque. In Contex. 132. addit Vnitatem; In libro de Sensu & Sensili, addit Acutum, Obtusum, Asperum, & Lene. Nonnulli perspectiui dicunt esse viginti, numerantes quinque modo relata, pro Sexto addentes Vnitatem; Insuper, Simile, Dissimile, Pulchritudinem, Deformitatem, Æquale, Inęquale, Distantiam, Propinquitatem; & demum Sex Differentias Positionis; Pro Solutione dicendum, Sensilia Communia principalia esse ea quinque, quæ in hoc Contextu relata fuerunt, reliqua verò, aut ad hæc rediguntur, aut non secundum se cadunt sub sensum, sed ex accidenti; Vnitas redigitur ad Numerum, tanquam principium eius, vel tanquam opposita Multitudini; nonnulli putant redigi ad Continuum, quia Numerus noscitur negatione Continui; at, primum magis probo; Acutum, Obtusum, Asperum, & Lene, ad Figuram rediguntur, & in voce, ac sapore, ad Qualitatem eorum propriorum. Simile, Dissimile, Æquale, Inęquale, vt Relationem includunt, sunt sensilia ex accidenti; pro fundamento autem simile & Dissimile sunt Qualitates, & sensilia propria, Æquale, & Inęquale, pertinent ad Magnitudinem, Pulchritudo, & Deformitas, ad Figuram, Distantia & Propinquitas, ad Magnitudinem, Differentiæ Positionis, vt Relationem includunt ex accidenti sentiuntur, vt vero denotant distantiam quandam, & distantiæ oppositionem, pertinent ad Magnitudinem; Ex quo patet, capita Communium sensilium, esse ea quinque, quæ in hoc Contextu, relata sunt; Cuius numeri ratio est: quia sensile Commune, vel est Substantia, vel Accidens, non Substantia, quia nõ secundum se sentitur, cum autem sit Accidens, vel est Accidens relatum, vel absolutum, non relatum, quia non sentitur secundum se, si absolutum, non est Qualitas, quia constituit sensilia Propria, quare est Quantitas, & hæc vel est Discreta, vel Cõtinua, si Discreta, est Numerus, si Continua, uel est Permanens, vel Fluxus, si Permanens, hęc est Magnitudo, cuius terminus est Figura, si Fluxus, huiusmodi est Motus, cum quo pro fundamento & quatenus sub sensum cadit, nectitur Tempus. Considero Secundò, pro notitia horum sensilium Communium, quod per Numerum nõ debemus intelligere definitas numerorum species: nam hæ non sensu, sed Ratione noscuntur, & numerare est officium Rationis; Sensibilia autem Communia non ab Homine solo, sed etiam ab expertibus Rationis sunt apta sentire, per Numerum ita-

Solutio.

Ratoo numeri cõmunium sensibilium.

Consideratio.

Quid per Numerũ denotetur.

que

que intelligere debemus indefinitè multitudinem, & Negationē Cōtinui; Similiter, per Figurā, nō debemus intelligere distinctas Figurarum species, quę sine Ratione nō cognoscuntur, sed indefinitè terminos Magnitudinis, quancunq; speciem Figuræ constituant; Sic per Motum indefinitè permutationem intelligere debemus, quæ etiam ab expertibus Rationis percipitur. Consídero Tertiò, quod Aristot. ait hæc sentiri secundum se, quod clarius dicitur in Contextu 133. quo loci ait Aristot. hæc omnia Motu sentiri; Hoc tamen est dubium: nam Galenus in 7. de Placitis Hippocr. & Platonis, cap. 6. ait sentiri ex accidenti, idq; auxilio Rationis, & Memoriæ. Præterea, quod est per aliud, non est secundum se, Communia sentiuntur per aliud, nimirum, per propria, quare non secundum se, nisi enim prædita essent proprijs, non caderent sub sensum. Præterea, Organa sensuum, & media, sunt prædita Figura, & Magnitudine, quare non ualent ea secundum se recipere, omne enim recipiens debet eo esse nudatum quod recipit. Insuper, omnis priuatio noscitur per habitum, quare non secundum se; Sic Quies dicitur nosci Motu, & Numerus Continui negatione, ut dicitur in Contex. 132. priuatio autem, & negatio, non ualent secundum se formare sensum. Pro resolutione accipio Primò, Sensilia Communia non esse Mathematica secundum propriam formam, sed esse tanquam fundamenta eorum, Accipio Secundò, quod sentiri secundum se, est secundum propriam formam mouere, & formare: nam secundum se, ad propriam conditionem pertinet; Accipio Tertiò, quod mouere & formare secundum propriam formam, contingit dupliciter; Vel primò; Vel secundariò, vnà cum primo, adhibendo modum quendam primo; Accipio Quartò, Sensilia Communia duplici modo nosci; Vel extrinsecus, confusè, & ut mouent sensum; Vel intrinsecus & distinctius; His assumptis, duas profero Conclusiones; Prima est: Sensilia Communia confusè, & vt cadunt sub sensum, secundum se sentiuntur, pro distincta tamen eorum cognitione est necessaria Memoria, & Ratio; Altera est; Sensilia Communia sentiuntur secundum se, non primariò, sed secundariò, vna cum proprijs, adhibendo modum quændam motioni, & speciei eorum; Ex his elicitur veritas sententiæ Aristotelis, ac insuper opinionis Galeni; Themistius, in Paraphrasi Contex. 133. inquit: Cum sensus magnitudinem sentit, statim similitudo imprimitur in eo. Priscianus Lydus; cap. 9. inquit: Communia formalius, Propria acrius, & vehementius mouent. Hæc non sunt prædita specie propria, distincta ab ea propriorum, sed sunt tanquam modi, quibus propria mouent, & formant. Internus tamen sensus, vt vis imaginandi, valet modum illum tanquam distinctam speciem, à specie propriorum seiungere, vt faciunt Mathematici. Sic non mouent, sed vnà mouent, non figurant sensum, sed configurant, & id faciunt in omni sensu vt sensus est, adeò, ut etiam in sensibus expertium Rationis id faciant, secùs autem à proprijs non mouerent externos sensus, non enim secundarium agit sine principali, hinc Aristot. in Contex. 133. dicet ea sentiri Motu, & Proprijs; Rationes aduersę facilè diluūtur. Sententia Galeni quomodo possit reddi vera, apparuit; Instabatur Primò, quia sentiuntur per aliud; Respondeo, ex eo elici, non sentiri secundum se primò, at sentiūtur secundariò: nam vt secundariò moueant, & modum proprium adhibeant, habēt ex se; sic etiam Colores non videntur sine Lumine; Addebatur, Organa, & media esse prædita Figura, & mole; Respondeo, recipiens debere esse nudatum, non quouis, sed eo quod per se primò recipere debet, vt suo loco patebit; Tertia instantia sumebatur ex his, quæ per negationem, & priuationem noscuntur, quæ non dicuntur sentiri secundum se; Ludou. Buccaf. ait, re uera sentiri ex accidenti, Aristot. inquiens sentiri secundum se, & denotat si non omnia, saltem plura. At hoc conspicuè aduersatur Arist. qui sensibilia ex Accidenti seiunxit à sensibilibus Communibus; & clarius in Contex. 133. dicit hæc omnia sentiri Motu, & Proprijs, non autem ex accidenti. De Quiete dico Primò, eam addere modū proprium, quo mouent sensibilia propria, hinc ait Simplcius, 133. Quies non est similis tenebris, quia Quies iuncta proprio,

Quid per figuram.

An Sensibilia communia sentiantur secundū se.

Solutio.

Concluſ. 1.

Themiſtius.

Priſcianus.

Diluuntur aduerſæ Rationes.

Lud. Bocc.

Simplicius.

COMMVN[illegible] gura, Mag[illegible] communia[illegible] Atquehæc quidem [illegible]

TRIPI[illegible] Alter[illegible] rato[illegible] re S[illegible] Co[illegible] tudo; Secundo ost[illegible] Id quod secundu[illegible] quinque relata si[illegible] munia.

Intentio. Diuisio.

Expositio.

Tria de Sensibili cõmuni considerãda.

De numero cõmunium Sensilium.

Solutio.

D[illegible] Obtusum, quinque n[illegible] Pulchrin[illegible] & demu[illegible] nia prin[illegible] ad hæc[illegible] redigi[illegible] ni; no[illegible] nui; [illegible] redi[illegible] mil[illegible] dar[illegible] In[illegible]

[illegible] Quies relata ad possessionem lo[illegible] cuius principium est Natura, vel [illegible] se noscit vnum oppositorum, dici[illegible] secundum se aliud; Sic etiam Nume[illegible] ratione propria modum adhibeat Mo[illegible] de Motu, quomodo secundum se externo [illegible] est, nisi Momentum, præteritum præte[illegible] sensum; Respondeo, sensu iudicari continua [illegible] sensus qui aliquantulum non seruet id quod iudi[illegible] uarietatem, quæ est modus quidam uarius [illegible]; Insuper, est dubitatio de eo quod dixi, commu[illegible] si quis Cęlum tangeret, sentiret molem eius, cum ta[illegible] tactum pertinentibus Similiter, si Culex ambulet supra [illegible] motum, & non aliud sensile proprium; Respondeo, [illegible] tangeret, id ei resisteret, ac ita perciperet motum, nam [illegible] pertinens ad Tactum; De Culice dico, non percipere[illegible] resistentia & duritie permutaret cutem, & Spiritus [illegible] pariens, ad tactum pertinet, ut dicitur in Cont. 107. [illegible] occurrit, cur hæc dicantur sensilia Communia; Ratio sic, [illegible] sensilia secundum se, & nullius sunt propria, igitur sunt [illegible], dixit Aristot. hæc esse communia omnibus sensibus, quod ui[illegible] Odoratu nec Figura, nec Motus percipitur, similiter Gustatu: [illegible] percipi lingua, & palato, id fit Tactu, non Gustatu, ut ait [illegible] etiam non percipitur Figura; Nonnulli nituntur seruare singu[illegible] sentiri omnibus sensibus, at, coguntur minus propriè, & signi[illegible] accipere, & nonnunquam sentiri potius ex accidenti, quam se[illegible] pro Solutione quatuor profero Conclusiones; Prima est: Hęc [illegible] quia sunt secundum se, & nullius propria; Secunda est: Quia sin[illegible] pluribus; Tertia: quia nonnulla eorum sentiuntur omnibus, veluti [illegible] Numero, Motu, & Quiete; At, re uera, Motus, & Quies valde con[illegible], & Gustatu propria facultate percipiuntur. Quarta Conclus. est: [illegible] munia ita dici, quia magis propriè eis respondet sensus Communis; [illegible] Sensu & sensili, capit. 4. se declarans, ait hæc esse Communia sensuum, [illegible] nium, sed Visus & Tactus, & ob id etiam hoc in loco de his duobus [illegible] gula sentientibus mentionem fecit, non de alijs; similiter, loquens [illegible] externorum Sensuum, dicit Communia sensibilia communi sensui re

Ratio numeri cõmunium sensilium.

EX accidenti autem Sensibile dicitur, veluti si album sit Diarii filius, ex accidenti enim hoc sentimus, quia accidit albo id quod sentimus, quocirca nil ut tale est, à Sensibili patitur. Eorum autem quæ secundum se sunt Sensibilia, ea propriè sunt Sensilia, quæ sunt Propria, ad quæ nata, atque apta est vniuscuiusque Sensus substantia.

Co[illegible] tio

N[illegible]

DECLA-

DECLARATIS Sensilibus secundum se, rectum seruãs ordinem, declarat modo Philosophus Sensile ex accidenti. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima declaratur Sensile ex accidenti; In Altera comparantur inuicem Sensilia secundum se; Inquit in Prima parte, id dici Sensile ex accidenti, quod accidit sensili secundum se, ueluti albo secundum se sensili, accidit vt sit Diarij filius, ac ita album secundum se, Diarij filium ex accidenti sentimus, à quo ut talis est, nil patitur sensus; Comparans in secunda parte sensilia secundum se, ait Principatum competere proprijs, ad quæ iudicanda apti & parati sunt externi sensus.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

VARIA se offerunt accurata consideratione digna; nam Primò considerandum est sensile non Vniuocum, nec Aequiuocum esse, sed ab vno; & id primò est tale, quod primò mouet, & format sensum, & cuius gratia per Naturam primò parati sunt sensus; huiusmodi autem est sensile proprium, & si quis ambigat, quia Commune est præferendum Proprio; Soluitur, id esse uerum, cæteris paribus, at commune non primo mouit & format sensum vt proprium; Considero Secundò, quod Arist. comparans sensibilia, ea sola comparat quæ sunt secundum se, & iure: nam in omni genere id quod est tale ex accidenti, postponitur, & comparans ea quæ sunt secundũ se, patefacit principalem conditionem propriorum: nam quatuor sunt conditiones eorum; Prima, ut secundum se & primò moueant, & forment sensum; Secunda, ut ab uno solo sensu secundum se sentiantur; Tertia, ut per ea sentiantur alia, uel secundariò, vel ex accidenti; Quarta, ut eorum gratia per Naturam parata sint instrumenta, & eorum facultates, quam indicans Arist. inquit; Ad quæ nata, apta que est vnius cuiusque sensus substantia. Ex his elici potest exacta Descriptio sensilium secundum se propriorum. Considero Tertiò, quod esse ex accidenti contingit dupliciter; vel absolutè, vel in unoquoque genere; Absolutè substantia est Ens primum, cui cætera dicuntur accidere in unoquoque autem genere tenemur primò considerare principale, & proprium illius generis, cui mox cætera dicuntur accidere, veluti in Prædicamento Relationis Arist. ait seruo sine domino accidere quod sit Homo; qua consideratione Arist. modo ait albo accidere quod sit Diarij filius. Considero Quartò, sensile ex accidenti esse duplex; Vnum per Relationem; Alterum absolutè; Primum est sensibile per se, & proprium vnius sensus, dicitur autem ex accidenti dum refertur ad alium, veluti Vox ex accidenti dicitur Visibilis, & Color ex accidenti Gustabilis Sensile ex accidenti absolutè præsertim, est duplex, nimirum, Substantia, & Relatio, de his Arist. modo loquitur, & mira arte vtitur exemplo, vtrumque includente, nam Diarij filius est substantia relata. Considero Quintò, quod cum sensile ex accidenti sit duplex; vel absolutè; vel per relationem proprij ad distinctum sensum, quæri potest, quodnam eorum magis iudicari debeat ex accidenti; Pro Solutione dicendum, quod aliud est esse purius ex accidenti; & esse magis propriè; id quod absolutè est ex accidenti, purius, & magis uniuersè est ex accidenti, cum non valeat sentiri secundũ se; Alterum uerò est ex accidenti magis propriè, quia huiusmodi opposita magis propriè in eodem apta sunt fieri; At, dubitatur, quia nil toto genere est ex accidenti, & Arist. in 2. Physicorum, ait id esse casu, quod aptum est intendi & fieri secundum se; Respondeo, nil absolutè secundum speciem, uel genus, esse adeò ex accidenti, vt modo aliquo non sit per se, at, cum relatione ad aliquid, potest omnino esse ex accidenti; sic Substantia quamuis modo aliquo sit secundum se, tamen relata ad notitiam Sensus, omnino est ex accidenti. Considero Sextò, non leuem esse difficultatẽ, num sensilia ex accidenti sentiantur ab expertibus Rationis; & quia sensibile ex accidenti

Considet. 1.

Sensibile est ab uno.

Quatuor cõditiones principalium sensibilium.

3

4 *Sensibile ex accidenti duplex.*

5

Quod Sensibile sit magis ex accidenti.

Dubitatio.

Solutio.

erat duplex; Vnum absolutè, ut substantia, & Relatio; Alterum per relationem proprij ad distinctum sensum, de hoc non est dubitatio, proculdubio enim Canis odore leporis percipit odoratu saporem sibi gratum, & colore panis, noscit sibi dulcem cibum, De altero solum est Dubitatio, num inquam noscant expertia Rationis particulares substantias, & Relationes; Auerroes id negat, similiter Philoponus ait, Bruta nil noscere ex accidenti, quoniam Ratione carent. D. Thom. idipsum affirmat, inquiens; id nosci ex accidenti quod noscitur, substantia à feris & iumentis non noscitur, quare non noscitur ex accidenti. Ex aduerso constat Canem noscere suum dominum, Agnum suam matrem; Confirmatur: quia Arist. loquitur de sensilibus uniuersè per relationem ad sensus, ut sunt sensus, non per relationem ad sensus vt sunt hominis. Et si quis dicat, non cognosci à Brutis cum ratione substantiæ, sed solum ut sibi utilia, & conducentia; hoc nil refert: quia sic neque etiam noscuntur per sensus Hominis, noscere enim cum ratione Substantiæ, & accidentis, est officium Rationis. Confirmatur per Descriptionem traditam ab Arist. nam ait Diarij filium nosci ex accidenti, quia accidit albo id quod sentimus, & à quo Sensus non patitur, at hoc etiam est uerum per relationem ad expertia Rationis. Propterea dicendum puto, sentiri ex accidenti contingere dupliciter; Vel pressius, & propriè, ac ita à feris non noscuntur ex accidenti, cum non sint nata ab eis propriè nosci, vel fusè, & latè pro omni eo quod nectitur cum Sensili secundum se, & saltem confusè noscitur, & hoc pacto concedere valemus nosci à feris, puto tamen, Aristotelem præsertim inspexisse cognitionem eorum ex accidenti magis propriè sumptam, soli Homini competentem: quia semper id maximè est considerandum, quod est principalius; nec obest instantia, quia Arist. consideret Sensilia per relationem ad Sensus, vt Sensus sunt, non autem ut Hominis, quia declarando id quod est principale, dicuntur considerari cuncta, cum id sit mensura cæterorum, & præsertim, quia id mox secundariò extendi potest ad omnes Sensus, etiam ferarum; Insuper, cum Arist. solum dederit exemplum de Substantia, relata tamen Descriptio Sensilium ex accidenti, etiam uera est de his quæ sunt propria unius, ex accidenti alterius, veluti albo accidit vt sit dulce, & id dulce non mouet Sensum usus: hæc autem Sensilia ex accidenti à cunctis Animalibus sentiuntur. Considero Septimò, quod cum Homo solus dicatur propriè ex accidenti noscere Substantias particulares, quia solus ualet per internas Animi facultates eas distinctè iudicare, non autem expertia Rationis, quę solum eas iudicant vt sibi utiles, conducentes, & aduersas., declarandus occurrit modus, quo huiusmodi particulares Substantiæ à nobis noscantur; qua de re uerba facit Auerroes, Comm. 63. & 65. inquiens Indiuidualitatem, & Vniuersalitatem non sensu sed Mente nosci, & iure: nam sunt secundæ Notiones, Ratione formatæ; Insuper, Differentiæ singulares Indiuiduorum, ut Indiuidua sunt, quæ Differentiæ sunt Accidentia, vel Communia, uel Propria, etiam noscuntur ab expertibus Rationis; Additur Tertiò, noscere Differentias Indiuiduorum Substantię, & Notiones eorum, est proprium sensuum Hominis, ut Hominis, & ideo dicitur modus alius sensilium ex accidenti, nam ex accidenti dicuntur, & quia non mouent externum sensum, & quia non cognoscuntur ex accidenti ab externo sensu, ut sensus est; sed ut est Hominis, cuius discriminis triplex est Ratio; Vna sumitur ex Materia, nam Homo est optimè temperatus pro rerum notione; Altera ex Forma, quia uis imaginandi eius est prestantissima; Tertia, quę est potissima; ob nexum cum Ratione & Mente. Ordo ex sententia Auerrois hic est: Offertur Indiuidua Substantia, ueluti Alcibiades, externo sensui, qui secundum se iudicat colorem, & figuram eius, & ex accidenti illum esse sibi amicum, uel aduersum, quod competit etiam expertibus Rationis: at Tertiò, quod sit talis Indiuidua Substantia, solum fit per sensus, ut sunt Hominis, & cum Ratione iuncti, & ab eis, ac etiam à sensu Communi id fit presente Alcibiade, siue quauis alia Indiuidua Substantia; Mox Quartò idipsum apprehenditur à virtute imaginandi, sine presentia externi sensibilis, cum

An expertia ration s sentiant singulares substantias.

Auerroes Philoponus

Solutio.

7

Quomodo à nobis noscantur Substantiæ particulares.

Ordo noscendi Indiuiduã Substantiã.

con-

connexione tamen cum sensilibus Proprijs, & Communibus eius; Quintò à virtute cogitandi apprehenditur eius Indiuidui Notio, & nudatur cunctis accidentibus, cum Proprijs, tum Communibus, quæ ita nudata, Sextò tribuitur Memoriæ seruanda, quæ mox, Septimò offertur Menti, adeò, ut uis cogitandi secundum se dicatur Indiuiduã Substantiam indicare, quam externi Hominis sensus solum noscunt ex accidẽti; Hæc est sententia Auerrois, quem multi sequuntur, à quo ego dissentio; Primò, quia vim cogitandi sumptam pro sensu interno, distinctam à facultate imaginandi, cum Arist. non approbo, nullibi enim Aristot. vltrà sensum Communem, vim imaginandi, & Memoriam, aliam internam facultatem ad sensum attinentem dari indicauit, ut in sermone de sensibus internis apparebit; vis autem cogitandi propriè sumpta, ad Mẽtem pertinet, & est uis Ratiocinandi; Dissentio Secundò, quia non puto dari Notionem propriam Indiuidui nudatam omnibus sensilibus Communibus, & Proprijs: nam Indiuiduum Substantiæ à nobis non valet apprehendi, nisi ut iunctum cum Accidentibus Communibus, & Proprijs, per quæ constituitur Phantasma, quod offertur Menti: nam etiam si Angelos imaginamur, cogimur eos imaginari cum aliqua Figura, & Colore: nam dum his nudatur, supereſt essentia pura, quæ Vniuersale esse dicitur, non Indiuidua Substantia; Et propterea dissentio Tertiò, quod Indiuidua Substantia secundum se ab interno sensu percipiatur: nam à sensu solum noscitur ex Accidenti, ut oblata nobis per Accidentia Communia & Propria; Rationis autem mox proprium est, secernere essentiam propriam rerum, ab Accidentibus, ideò rectè Philoponus ait, esse officium Rationis noscere Substantiam. Ex propria itaque opinione, ordinem referens, quem puto consentaneum sententiæ Aristot. dico; Dum sensui externo offertur Indiuidua Substantia, ut Alcibiades, Sensu externo, & Communi, cum præsentia Obiecti, secundum se noscitur Color, & Figura; insuper ex accidenti, quod amicus, uel inimicus, at, quod sit talis particularis Substantia, solum propriè noscitur ex accidenti, ut est sensus Hominis, mox uis imaginãdi oblatam imaginem iudicat, etiam sine præsentia externi sensilis, & conceptam imaginem una cum Sensilibus Communibus & Proprijs seruat Memoria, & id dicitur Phantasma, quod mox offertur Menti, cuius solum officium est, Ratione secernere Substantiam ab Accidentibus; & propterea etiam Plato in Theeteto, rectè affirmauit sensum non apprehendere Substantiam, sed sola Accidentia, quod etiam affirmauit Aristot. in 3. de Anima, Contex. 10. inquiens nos sensu calidum & frigidum cognoscere, hoc est, sola Accidentia; uis imaginandi secundum se solum, ualet formare, & addere subnotionem quandam amicitiæ, uel inimicitiæ, quod etiam competit expertibus Rationis, quamuis confusius, quam Homini, & magis per instinctum Naturæ.

Dissensio ab Auerroe. 1 2 3

Ordo ex propria opinio.

Plato.

ID cuius est Visus, Visibile est, visibile autem est Color, & quod oratione exprimi potest, nomine autem caret; At, in sermonis progressu id notum fiet, Visibile enim quod dicimus est Color, qui est id quod in eo est quod secundum se est Visibile, secundum se autem, non ratione, sed quoniam in se habet causam vt sit Visibile. *Contex. 66.*

Intentio.

EXACTENVS Arist. communia cunctis Sensibus declarauit, nunc uerò cum nos cumulatè parasset, de singulis distinctè incipit verba facere; ordiens à Sensu Visus, & seruans methodum nobis in præcedentibus patefactam; Primò de eius Obiecto loquitur. Contextus diuiditur in tres partes; In Prima circumscribitur Obiectum; In Secunda diuiditur; In Tertia manifestatur quomodo per Colorem colorata dicantur secundum se uisibilia; Inquit Phi-

Diuisio.

Expositio. losophus in Prima parte, Visibile est id, cuius est Visus; nam per unum Relatorum circumscribitur alterum. Diuiditur in Secunda parte Visibile in Colorem, & alia multa; quæ uno nomine non sunt prædita, cuncta tamen aliquid lucis includunt, ut distinctè in progressu patebit; In Tertia parte accipitur Color, qui præsertim dicitur Obiectum Visus, qui cum sit prima ratio per quam res videntur, iure dicimus colorata esse visibilia secundum se, & dum colorata dicuntur visibilia secundum se, non denotamus primum modum dicendi secundum se, cuius Prædicatum est in ratione Subiecti, non enim Visibile est in ratione Colorati, sed modum secundum in quo Subiectum est ratio Prædicati: nam Coloratum est secundum se visibile, quia includit Colorem, per quem redditur aptum videri, vt Homo includit Rationem, per quã redditur capax Disciplinæ.

ANNOTATIONES.

Liber de sensu Visus. Consider. 1. COMPOSVI ego seorsum librum de Sensu Visus, in quo satis distinctè ea declaraui quæ ad eius notitiam pertinent, propterea, si nonnulla prætermittam, vel paucis referam, latius in eo poterunt legi. Primò considero, quod cum ordo rerum declarandarum peti debeat ex ordine Naturæ rerum, & consueuerit Arist. sequi ordinem originis, quo ordine Tactus est primus,

De ordine. Visus postremus, mirantur multi, cur Arist. à postremo ordiatur; & ob id Auicenna, in 6. suorum Naturalium, de Sensibus loquens, orditur à Tactu, quod etiam seruauit

Solutio. Plato in Timeo, in quo postremo de Visu verba fecit; Pro Solutione accipio cum Auerr. in Proœmio 1. Meteorum, ordinem declarationis partium Scientiæ, nonnunquam esse necessarium, nonnunquam verò conducere pro bene esse, necessarius est in ordinatis secundum essentiam, quorum posterius nosci non potest ignorato priore; at, dum non est necessarius, potest ob uarias oportunitates variari, ut sæpè indicauit Aristoteles, nam in primo de historia Animalium, relaturus partes, orditur ab Homine, & in cap. 6. ait: At Homo Animalium maximè omnium notum nobis necessariò est. Mox lib. 5. cap. primo, inquit: At, cum genera ante vt res exigit digesserimus, nunc quoque eodem modo loqui tentemus, præterquam quod initium tunc ab Homine, cum de partibus ageremus sumendum censuimus, nunc de eo nouissimè differre placet, quoniam plura ipse de se offert explicanda; Insuper, in 2. de partibus Animalium, cap. 10. inquit: Tum quia Homo ex omnibus Animalibus maximè diuinitatis est particeps, tum, quod externarum partium eius forma notissima est, primò de Homine differendum censuimus, &c. Ordo itaque non necessarius ob uaria, uariari potest; Inter Sensus ordo non est necessarius, adeò, ut notitia unius sit necessaria pro notitia alterius, quare ob uaria, uariari potest, nec absolutè errat, qui orditur à Tactu, vt Plato, & Auicenna, nec qui à Visu, vt Arist. At, perpendamus qui rectius seruet ordinem; Ego ordinem ab Aristot. seruatum præferendum puto; Primò, quia ordo Considerationis debet respondere ordini Naturæ, qui duplex est; Vel secundum intentionem; Vel secundum originem; de Primo sæpè ait Arist. in 8. Physic. in 2. de Cælo, & in 5. Metaph. quod est præstantius, est Natura prius; Hinc Arist. dũ vnũ nõ est necessarium pro notitia alterius, cõsueuit ordiri à præstantiore, vt etiam prius egit de Animalibus, quam de Plantis, cognitio Tactus non est necessaria pro cognitione Visus, & Visus est præstantior, ideo iure primò est declarandus; Hinc in 2. de Ortu & interitu, Contex. 7. legitur Visum esse Natura priorem; Altera causa est, quia ut legitur in Proœmio Metaphys. Sensum Visus maximè diligimus, cum maximè cognitionem rerum pariat, ideo iure eum maximè cupimus noscere, cui desiderio vt citius satisfaciamus, primò de eo debemus loqui; Tertia ratio est: quia tria ad Sensum conspirantia, nimirum, Obiectum, Medium, & Organum, distinctissimè apparent in sensu Visus, in Tactu autem maximè latent, & quamuis Tactus sit exactus & certus in

Ordo inter Sensus non est necessarius.

Profertur ordo seruatus ab Aristotele. Ratio 1.

2

3

iudi-

iudicando ſuo Obiecto, eſt tamen confuſus, & incertus, vt cognoſcendus à nobis; His demum accedit, quod nil uidemus ſine Lumine, quæ abſolutè eſt prima omnium Qualitatum. Conſidero Secundò, quod Ariſtot. circunſcribens Obiectum Viſus, 2. *Conſid.* ait eſſe id, cuius eſt Viſus; hæc eſt circunſcriptio uniuerſi Obiecti ſecundum ſe, & *Circunſcri-* proprij: nam quamuis ea ſit vera etiam de his quæ ſunt communia, & ex accidenti, *ptio Obiecti* tamen dum abſolutè loquimur, id denotamus quod eſt ſecundum ſe, & proprium, & *Viſus.* ideo in ea Deſcriptione id virtute includitur. Inſuper, rectè ait Philoſophus, Viſibile eſſe id, cuius eſt ſenſus Viſus: nam in 5. Metaph. loquens de Relatione, ait Menſurã, Sẽſum, & Mentem, ita referri, vt hæc dicantur ad alterũ, non alterũ ad hęc: nam Menſura paratur pro menſurabili, & Senſus pro Senſibili, non autem uice uerſa; Conſidero Tertiò, quod Ariſtot. diuidit Viſibile in Coloratum, & id quod circun- 3 ſcribi modo aliquo poteſt, at, caret nomine proprio, & poteſt dici id, quod modo aliquo lucis eſt particeps. Diuiſio autem hæc eſt: Viſibile ſecundum ſe, & propriũ, *Diuiſio Vi-* uel eſt tale aliena forma, ut perſpicuum illuminatum, vel propria, & hoc uel eget alio *ſibilium.* ut uideatur, & eſt Color, vel non eget, ſi non eget, & hoc uel ſemper apparet in medio à ſe illuminato, ut Sol, uel ſolum fulget in tenebris, ut oculi, & ſquamę piſcium, uel & in tenebris & præſente Luce aliena, vt Luna, & Ignis, ut diſtinctius in progreſſu patebit. Conſiderò Quartò, quod Ariſto. ait: Viſibile autem eſt Color. Simpli- 4 cius ait debere ſubintelligi, aliquod, Themiſtius uerò primò, quia eſt id, in quod deſinit iudicium Viſus, & magis propriè eſt Obiectum; Inſuper eſt id, quod modo aliquo de cæteris dicitur, veluti Lux & Lumen, dicuntur tanquam Colores Lucidi, & perſpicui; Quintò Conſidero, quod Ariſtotelis ait: Viſibile eſt Color, qui in eo eſt 5 quod eſt ſecundum ſe uiſibile; Hoc exponitur dupliciter; Primò ab Auerr. quem multi ſequuntur, quod Ariſtotele dicat Colorem eſſe ſecundum ſe uiſibilem, at, hoc non reſpondet verbis Ariſt. qui ait eſſe in eo quod eſt ſecundum ſe uiſibile, quale eſt coloratum, nam quod propriè videtur, eſt coloratum, color autem eſt præcipua ratio per quam mouet, format, & videtur, de utroque tamen diſtincta conſideratione, dicere poſſumus quod ſit viſibile ſecundum ſe, at, Ariſtot. de colorato loquitur, ut conſpicuè patet, & conſentiunt Græci interpretes. At, Sextò loco conſiderandum occurrit, in quo modo color, vel coloratum, ſecundum ſe uiſibilia dicantur. Ariſtot. ait: Secundum ſe autem, non ratione, ſed quia in ſe habet cauſam ut ſit uiſibile; per quæ uerba non conſtat quid denotet. Ego hanc expoſitionem ueriorem puto, quod excludatur modus primus ſecundum ſe, in quo Prædicatum eſt in ratione Subiecti, & approbetur modus ſecundus in quo Subiectum includit cauſam Prædicati, & eſt in ratione eius, veluti Homo includit cauſam, per quam eſt capax diſciplinę, & aptus ridere. Sic & Auer. & D. Thom. id referunt ad modum ſecundum, quamuis Auer. de colore, non de colorato loquatur, at, nil refert: nam de uno eſt uerum vt de Principio, de altero, ut de includente tale Principium. Græci tamen ſecus exponunt, veluti Simplicius, Themiſtius, & Philoponus, nam inquiunt Ariſt. per relata verba, excludere cum primum, tum ſecundum modum per ſe, vterque enim eſt cum ratione vnius per alterum, ſed dico ſecundum ſe, quia coloratum in ſe habet cauſam, vt ſit ſenſile; Et confirmatur: quia Primus modus pertinet ad Formam; Secundus, ad Subiectum, & Materiam, Color autem eſt cauſa mouens & efficiens, non Materia. Poſſent conciliari, dicendo, Viſibile conſiderari dupliciter; Primò, ut affectio competens colorato, fluens ex eius forma, ac ita pertinet ad ſecundum modum per ſe; Secundò, vt eſt actu præditum quo moueat ſenſum, ac ita denotat cauſam efficientem, & pertinet ad quartum modum per ſe.

Contex. 62.

OMNIS color aptus est mouere id quod actu est perspicuum, atque ea est ipsius Natura, propterea non est Visibile sine Lumine, sed omnis rei cuiusque Color in Lumine videtur, ideo de Lumine prius quid sit, dicendum est; Est igitur aliquid perspicuum.

Patentio.

Diuisio.

LOQVENS Philosophus de Obiecto Sensus Visus, dixit Coloratũ esse secundum se visibile, quia causam includit per quam est uisibile, nimirum Colorem; Vult modo id patefacere, & propterea manifestat requiri Lumen, & perspicuum, de quibus agendum, vt pertinentia, ad Obiectum, & muneris functionem, refulgeant, Diuiditur præsens Contex. in quatuor partes In Prima Definitur Color, quod sit

Expositio.

Qualitas apta mouere id, quod actu perspicuum est; & hæc dicitur Natura eius, non quidem absoluta, sed vt relata ad sensuum Visus; Ex qua Definitione in Secunda parte infertur, Colorem non posse uideri sine Lumine, nam eius conditio est, vt moueat actu perspicuum, hoc autem actu redditur per Lumen, habet perspicuum sine Lumine actum suum, & formam absoluram, at, non vt requisitum pro officio Visionis; Ex quo infertur Tertiò, prius de Lumine esse agendum, quam explicentur reliqua pro notitia huius sensus requisita. Et ex eo infertur Quartò, perspicuum aliquio esse, cum enim Lumen sit actus perspicui, perspicuum debet esse aliquid aptum id recipere.

ANNOTATIONES.

Confid. 1.

CONSIDERO Primò, Colorem posse Definiri vel pro suo esse absoluto, ut declaratur in libro de Sensu & Sensili; Vel pro suo esse relato, vt modo Definitur, & accipitur Natura pro eius essentia, & conditione relata, & utitur Aristot. Naturę nomine; quia Color ut aptus mouere, modo aliquo est Principium motus, qui motus etiam modo aliquo, potest dici Physicus, cum sequatur conditionem Coloris, qui est forma quædam Physica, at, non ob id est propriè Natura, cum sit Accidens. Considero Secundò, hæc quatuor esse subordinata; Primò, est necessarium perspicuum; Secundò, id Lumine redditur actu & illustratur; Tertiò, mouetur à Colore; Quartò, sequitur officium Sensus Visus; & Aristot. eodem ordine hæc ad visum conspirantia declarat; Considero Tertiò, quod Aristot. ait Coloratum non videri sine Lumine, & de hoc consentiunt omnes. At, cum Lumen pro Visu sit necessarium, qua ratione, & pro quo sit necessarium, summopere dissident interpretes. Nonnulli enim aiunt solum requiri pro Obiecto Colorato: Alij pro solo Medio, nonnulli pro Obiecto & Medio. Quidam demum pro Obiecto, Medio, & Organo uidendi. Auempaces referente Auerr. Comm. 67. putauit requiri pro solo Obiecto, illum sequuti sunt Auicen. 6. Naturaliũ, cap. 1. de Visu, necnon Linconiensis. Hi affirmant Colores in tenebris solum potestate reperiri, quatenus mixtum est aptum recipere Lumen, ex cuius uaria receptione uarij prodirent Colores, adeò, ut dispositio & Temperamento prodiens, esset tãquam Materiam, Lumen tanquam Forma Colorum, & si aliquo in Corpore recipiatur Lumen, quod sit expers eius dispositionis, ut in vitro, tunc aiunt solum apparere Lumen, non Colores. Huius opinionis longe prius fuere Democritus, Leucippus, & Epicurus, ex cuius sententia Lucretius lib. 2.

2 Quatuor subordinata pro Visu.

3 Pro quo requiratur Lumen.

Auẽpaces.

Democritus.

Præterea quoniam nequeunt sine Luce colores
Esse, &c.

Hoc approbare nitebantur exemplo colli Columbæ, Caudæ Pauonis, & Iridis, in quibus ob variam Luminis receptionem, varij refulgent Colores. Hinc dicebat Linconiensis, dispositionem parietis pro colore albo, splendidiora reddere domicilia, quia intensius recipit Lumen, quod est forma Colorum. Idipsum confirmatur experientia: nam quamuis Lucidum sit medio præsens, nunquam tamen videmus Obiectum, nisi Lumen id attigerit, immò, nunquam in medio apparet Lumen, nisi ab opaco aliquo repercutiatur, nam perspicuum non propriè recipit Lumen, sed non impedit eius transitum, & esse Luminis in medio est repercuti ab Obiecto. Idipsum ostenditur ratione: nam pro eo requiritur Lumen, quod debet illustrari, & videnti patefieri. Insuper, pro eo requiritur quod debet eius ope spiritaliter agere, huiusmodi autem, est solum Obiectum; Hinc Aristot. in 3. de Anima, t 8. ait Lumen reddere potestate Colores, actu Colores; & in 5. de Gener. Animal. Cap. 1. legitur, quod Homo in tenebris profundæ puteo collocatus, etiam die media videret Stellas; Præterea, actiones Colorum deferuntur post oculos ad sensus internos, quamuis sint intrinsecus ad sint tenebræ. Auempaces vrebatur hac ratione; Recipiens debet esse nudatum cõditione rei recipiendæ, Medium debet recipere actiones Colorum, qui sunt secundũ formam Lumina quædam, igitur debet esse nudatum Lumine; Et quia Aristot. inquit Colores mouere perspicuum actu, & actus eius est Lumen, ideo Auic. in 6. suorũ Naturalium respondens ait: Vt perspicuum sit actu, non debet recipere, sed tunc dicitur esse actu, dũ Coloratum est illuminatum; Alij Secundo loco ut Auerr. D. Tho. & multi eos sequentes, inquiunt Lumen requiri pro solo Medio; Hi dissentiũt à prioribus; Primò, quia aiunt non requiri pro Obiecto; Secundò, quia inquiunt requiri pro Medio; Tertiò, quia putant Lumen in Medio recipi; Quartò, quia putant etiam sine Lumine Colores esse sua forma prędites. Quod requiratur pro medio, elicitur ex Definitione Coloris, qui dicitur aptus mouere medium actu, hoc est Lumine prædictum. Similiter, ex Definitione Luminis, quod elicitur actus perspicui termino carentis. Quod non requiratur pro Obiecto, ostenditur; nam est opacum, non aptum recipere Lumen, sed solum repercutere; Confirmatur: quia Color est visibilis secundum se, quare non per aliud; Tertia Opinio est Academicorum, affirmantium Lumen esse perinde ac iugum, nectens Colorem per Medium cum oculo, & requiri pro singulis; Hinc Plato in Timeo, inquit oculum esse participem Ignis, hoc est, Lucis; & in 6. de Rep. oculum dicit esse Solarem; & Simplicius Cõtex. 73. & 74. affirmat Lumen etiam requiri pro Organo Visus; Similiter id affirmant Theophrastus, & Priscianus Lydus, in lib. de Anima; Quarta est Opinio, putantium Lumen requiri cum pro Medio, tum pro Obiecto, Aristot. tamen solum Medium expressit; quia id solum cum sit perspicuum, propriè dicitur recipere Lumen, non dixit requiri pro Obiecto, tum, quia ab eo solum repercutitur, tum insuper, quia Obiectum pro sui constitutione, & forma, per quam moueat, non eget Lumine; Pro resolutione quatuor profero Conclusiones; Prima est, Lumen requiritur pro Obiecto; Altera, pro Medio ei iuncto; Tertia, pro instrumẽto; Quarta, Colores in tenebris partim sunt actu, partim non; Prima patet, per ea quæ retuli pro eius approbatione, & ob id Aristot. dixit Lumen facere potestate Colores, actu Colores; Ratio est: quia Color opẽ Luminis debet spiritaliter agere, ideò debet ab eo attingi, non tamen dicitur in eo recipi, quia non est perspicuum, Altera Conclusio, quod Lumen requiratur pro Medio proximo Obiecto, ostenditur, quia in Obiecto (ut patuit) non recipitur, sed ab eo repercutitur, & satest, ut in medio proximo recipiatur: quia sic attingit Obiectum, & in eo fit transitus ex esse materiato, in esse spiritale; At, deinde in progressu medij, non est necessarium, & in medio proximo oculis obest, quia disgregat Lumen eorũ;

Linconiẽsis.

Experiẽtia.

Ratio.

Auẽpaces.

Secunda Opinio Auerrois.

Opinio 3. Academicorum.

Plato.

Opinio 4.

Resolutio.

4. Conclusiõ. 1

2

At, in-

ANNOTATIONES.

Consider. 1. CONSIDERO Primò, quod Aristot. statuit triplex Sensile, Occurrit Dubitatio quia quotuplex est vnum Relatorum, totuplex est & alterum, at, non apparet quod sensus sit triplex; Respondeo, quotuplex est vnum Relatorum, totuplex est & alterum, ea ratione, qua ad ipsum refertur, qua consideratione dico, sensum triplici modo se habere ad tria relata sensilia. Considero Secundò, descendendo ad Descriptionem sensilis Proprij, ea uidetur competere nedum sensili Proprio, sed etiam priuationi eius: nam solo Visu percipimus tenebras, & solo Auditu silentium, & non decipimur. Et Aristot. dicet quod unusquisque sensus est sui sensilis, & priuationis eius, & Auerroes Comm. 120. dicit sensum esse utriusque, secundum propriam essentiam, & conditionem, unius tamen primò, alterius secundariò. Respondeo, Aristot. sua Descriptione denotare ea, quæ per positionem iudicantur, & uel secundum se, uel per aliud ualent formare sensum, priuationes non numerantur inter sensilia, sed inter opposita illis; Insuper, id dicitur sensile secundum se, quod sua forma mouet, priuationi hoc non competit, sic itaque sensile Proprium, & secundum se, est id, quod uno solo sensu, secundum se percipitur, quod priuationi non competit: nam priuatio cognoscitur per habitum: ait tamen Auerroes, cognosci à sensu Proprio secundum essentiam, quia cum sit priuatio, per priuationem ab eo solo percipitur. Considero Tertiò, quod additur sensum circa proprium sensile non decipi, quod ipsi experientiæ aduersatur, frequenter enim sensus in iudicandis proprijs decipiuntur, & quod vni dulce, alteri est amarum, uni uiride, alteri videtur nigrum, & innumeræ afferuntur instantiæ; Confirmatur: quia Mens decipitur circa Obiectum proprium, quare longè magis sensus, qui est ulior; Præterea, uerum & falsum sunt affectiones apprehensionis complexę, non autem simplicis. De re hac tres sunt Opiniones, duę extremæ, & una media; Vna extremarum est Heracliti, putantis cūcta in Motu esse posita, nec rebus firmam & certam competere conditionem; qui huius sunt Opinionis, ita argumentantur; Cuncta iudicātur ut mouent facultatem iudicandi, quæ mouent, ita mouent ut sunt, ea quæ sunt, vera sunt, quare cuncta quæ iudicantur, uera sunt; Insuper, quia cuncta fluunt, nec sunt prædita certa & propria conditione, sed ex actione, & passione varia, prodeunt uaria, ideo vnumquodque tale est, quale consurgit ex passione dum mouet sensum, & propterea ob uarium motum, & passionem, uni dulce, alteri est amarum. Similiter, Democritus, Epicurus, & Lucretius affirmarunt, sensus non decipi. Hinc Lucretius lib. 4. cecinit.

2 An Descriptio cōpetat Priuationi.

Solutio.

Sententia Auerrois.

3 An Sensus decipiatur circa proprium.

Opiniones tres, an Sensus decipiatur circa proprium.

Lucretius.

Inuenies primis ab Sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque Sensus posse refelli
Nam maiore fide debet reperiri & illud,
Sponte sua veris quod possit vincere falsam,
Quid maiore fide porro quam Sensus haberi.
Debetur, &c.

Opinio 2. Hi iure optimo maximi fecēre sensum, cum nil suprà sensum excogitauerint; Altera extrema Opinio est Academicorum, qui nil eorum quæ sensibus apparent, re vera esse existimarunt, hinc Archesilaus cuncta esse falsa dicebat quæ sensibus apparēt; qua de re multa refert Cicero, fundamentum est, quia hę sunt vmbræ rerum quas nos verè esse iudicamus, nam Idæę ea sunt quę verè sunt. Peripatetici mediant: nam aiūt Sensus non decipi in iudicio propriorum, sed communium, & ex accidenti; at, id vertebatur in dubium, quia etiam circa propria uidentur decipi; & propterea pro elucidatio-

Peripatetici

datione dicendum, singulas tres relatas Opiniones aliquid veri includere, & propterea quatuor profero Conclusiones; Prima est: Sensus cum Archesilao semper sunt falsi; Secunda: Semper secundum se veri sunt; Tertia: Nec sunt veri, nec falsi; Quarta: Vt plurimum sunt veri. Vt pertinet ad Primam, Sensus semper sunt falsi facta cõparatione inter æterna, quę verè sunt, & ea quæ sub Sensum cadunt, quæ dici possunt Vmbrę, Vestigia, & Imagines eorum. Secunda Conclusio erat; Sensus secundum se semper esse veros, quæ defendi potest, & per principia Heraclti, & per ea Peripateti corum: nam sensibile est duplex; Vnum principale mouens, vt sapor genistæ, & vini; Alterum, quod iunctum cum Organo proximè mouet; Heraclitus hoc proximum considerauit, & de hoc verè dicitur quod tale iudicatur, quale est vt mouet; sic idem vinum vni est amarum, quia est permixtum cum bile, alteri verò amatum, quia non cum bile permiscetur; Aristot. considerauit principale, quod absolutè sui natura & conditione est tale, de quo Sensus secundum se, hoc est secundum rectam constitutionem consPirantium ad eius muneris functionem non decipitur: nam si decipitur, id accidit ex euentu, ob deprauationem consPirantium, & requisitorum pro Sensu; Regulæ autem intelligi debent secundum se; Tertia Conclusio erat: Sensus nec veros, nec falsos esse; Quæ intelligi debet de vero, & falso, attinente ad compositionem, & diuisionem; Quarta Conclusio erat; Sensus circa propria sensilia, ut plurimum esse veros, nimirum, veritate incomplexa, sic Auerroes hoc in loco, ait Sensus esse veros ut plurimum, quod etiam in progressu dicitur ab Arist. Hęc Conclusio non aduersatur Secundæ: nam in ea addebatur secundum se, hęc verò proferuntur absolutè, & propterea addendę sunt conditiones vt seruetur Sensus non decipi, quę plures sunt, ut refert Alexander in 1. de Anima, cap. 13. quę omnes rediguntur in tres, quatenus tria requiruntur pro fungendo munere Sensuum, nimirum, Obiectum, Medium, & Instrumentum; Ne itaque Sensus decipiatur circa proprium Sensile, oportet ut attinentia ad hæc tria, congruenter se habeant: nam dum error ex aliqua horum trium non recta constitutione prodit dicitur ex accidenti fieri, Inquiunt nonnulli, Sẽtentiam Aristot. debere intelligi, quod sensus nõ decipiatur circa sensile Proprium, quod ei ęquatur, ueluti Oculus quod sit color; At, hac consideratione etiam non deciperetur circa communia, ueluti, quod sit Magnitudo, aut Figura; Et quamuis Arist. dicat, Visum non decipi quod color sit, id debet intelligi, quod non decipiatur in attinentibus ad colorem, qui est Obiectum proprium eius, alioquin sententiam deridendam protulisset; Aduersarum Rationum ex dictis elicitur Solutio; Vna sola supereſt diluenda, quę erat: Mens decipitur erga Proprium Obiectum, quare & multo magis Sensus; Respondeo Primò, id non sequi, quia Sensus ob sui humilem conditionem in solis externis conspicuis uersatur, Mens verò sublimior, interna, & latentia perquirit; Addo Secundò, Mentem decipi, non secũdum se, sed ob leuem, adumbratam, & sępè deprauatam repręsentationem Phantasmatum. His accedit, quod Arist. in 3. lib. dicet, Mentem circa simplicia non errare; quod quomodo intelligi debeat, eo loci apparebit. Considero Quartò, quod Arist. ait Sensum decipi iudicando quid sit coloratum, & Vbi, per quod proculdubio denotat sensibile ex euentu, quod est Substantia; at, per Vbi, non constat quid denotet; Nonnulli probabiliter putant denotari communia, adeò, ut sensus non decipiatur iudicando proprium, sed iudicando id quod sentitur ex accidenti & commune; Vbi autem redigi potest ad Magnitudinem, ut etiam Differentię positionis, siue ad Figuram; Ego hanc expositionem non damno, puto tamen eam quam dedi, esse probabiliorem, quod denotet sensile ex accidenti, nam cum Substantia, tum Relatio sunt sensilia ex accidenti, Vbi autem denotat Relationem ad Locum.

Resolutio. Concluſ. 1. *2* *3* *4*

Conditiones, ut ſenſus ue ri ſint.

Opinio quæ rundam.

Solutio aduerſarũ Rationum.

4

COM-

Contex. 64. *COMMVNIA autem sunt Motus, Quies, Numerus, Figura, Magnitudo, hæc enim nullius sunt propria, sed omnium communia: nam & Tactu Motus sentiri potest, & Visu: Atquehæc quidem secundum se sunt Sensilia.*

Intentio. Diuisio. TRIPLEX dicebatur sensibile; Vnum secundum se, & Proprium; Alterum secundum se, & Commune; Tertium ex Accidenti; Declarato Primo quod principalius est, intentio Aristot. modo est declarare Secundum; & in hoc duo facit; Primò, numerat quinque sensilia Communia, ea autem sunt, Motus, Quies, Numerus, Figura, Magnitudo; Secundo ostendit ea esse Communia, & secundum se, & formatur hæc Ratio;

Expositio. Id quod secundum se à pluribus sensibus indicatur, dici debet sensile Commune, quinque relata sunt huiusmodi, ut patet exemplo Motus, quare sunt sensilia Communia.

ANNOTATIONES.

Tria de Sensibili cõmuni considerãda. DE Sensilibus Communibus tria præcipua se offerunt consideranda; Primum, quot sint; Secundum an sentiantur secundum se, Tertium, cur dicantur communia; Ordiens à Primò, non apparet quot sint Sensilia Communia; Arist. hoc in loco numerat quinque. In Contex. 132. addit Vnitatem; In libro de Sensu & Sensili, addit Acutum, Obtusum, Asperum, & Lene. Nonnulli perspectiui dicunt esse viginti, numerantes quinque modo relata, pro Sexto addentes Vnitatem; Insuper, Simile, Dissimile, Pulchritudinem, Deformitatem, Æquale, Inæquale, Distantiam, Propinquitatem, & demum Sex Differentias Positionis; Pro Solutione dicendum, Sensilia Communia principalia esse ea quinque, quæ in hoc Contextu relata fuerunt, reliqua verò, aut ad hæc rediguntur, aut non secundum se cadunt sub sensum, sed ex accidenti; Vnitas redigitur ad Numerum, tanquam principium eius, vel tanquam oppositra Multitudini; nonnulli putant redigi ad Continuum, quia Numerus noscitur negatione Continui; at, primum magis probo; Acutum, Obtusum, Asperum, & Lene, ad Figuram rediguntur, & in voce, ac sapore, ad Qualitatem eorum propriorum. Simile, Dissimile, Æquale, Inæquale, vt Relationem includunt, sunt sensilia ex accidenti; pro fundamento autem simile & Dissimile sunt Qualitates, & sensilia propria, Æquale, & Inæquale, pertinent ad Magnitudinem, Pulchritudo, & Deformitas, ad Figuram, Distantia & Propinquitas, ad Magnitudinem, Differentiæ Positionis, vt Relationem includunt ex accidenti sentiuntur, vt vero denotant distantiam quandam, & distantiæ oppositionem, pertinent ad Magnitudinem; Ex quo patet, capita Communium sensilium, esse ea quinque, quæ in hoc Contextu, relata sunt; Cuius numeri ratio est: quia sensile Commune, vel est Substantia, vel Accidens, non Substantia, quia nõ secundum se sentitur, cum autem sit Accidens, vel est Accidens relatum, vel absolutum, non relatum, quia non sentitur secundum se, si absolutum, non est Qualitas, quia constituit sensilia Propria, quare est Quantitas, & hæc vel est Discreta, vel Cõtinua, si Discreta, est Numerus, si Continua, uel est Permanens, vel Fluxus, si Permanens, hęc est Magnitudo, cuius terminus est Figura, si Fluxus, huiusmodi est Motus, cum quo pro fundamento & quatenus sub sensum cadit, nectitur Tempus. Consido Secundò, pro notitia horum sensilium Communium, quod per Numerum nõ debemus intelligere definitas numerorum species: nam hæ non sensu, sed Ratione noscuntur, & numerare est officium Rationis; Sensibilia autem Communia non ab Homine solo, sed etiam ab expertibus Rationis sunt apta sentire, per Numerum ita-

Ratio numeri cõmunium sensibilium.

2 *Consideratio.*

Quid per Numerũ denotetur.

que

que intelligere debemus indefinitè multitudinem, & Negationē Cōtinui; Similiter, per Figurā, nō debemus intelligere distinctas Figurarum species, quę sine Ratione nō cognoscuntur, sed indefinitè terminos Magnitudinis, quancunq; speciem Figuræ constituant; Sic per Motum indefinitè permutationem intelligere debemus, quæ etiam ab expertibus Rationis percipitur. Considero Tertiò, quod Aristot. ait hæc sentiri secundum se, quod clarius dicitur in Contextu 133. quo loci ait Aristot. hæc omnia Motu sentiri; Hoc tamen est dubium: nam Galenus in 7. de Placitis Hippocr. & Platonis, cap. 6. ait sentiri ex accidenti, idq; auxilio Rationis, & Memoriæ. Præterea, quod est per aliud, non est secundum se, Communia sentiuntur per alia, nimirum, per propria, quare non secundum se, nisi enim prædita essent proprijs, non caderent sub sensum. Præterea, Organa sensuum, & media, sunt prædita Figura, & Magnitudine, quare non ualent ea secundum se recipere, omne enim recipiens debet eo esse nudatum quod recipit. Insuper, omnis priuatio noscitur per habitum, quare non secundum se; Sic Quies dicitur nosci Motu, & Numerus Continui negatione, ut dicitur in Contex. 132. priuatio autem, & negatio, non ualent secundum se formare sensum. Pro resolutione accipio Primò, Sensilia Communia non esse Mathematica secundum propriam formam, sed esse tanquam fundamenta eorum, Accipio Secundò, quod sentiri secundum se, est secundum propriam formam mouere, & formare: nam secundum se, ad propriam conditionem pertinet; Accipio Tertiò, quod mouere & formare secundum propriam formam, contingit dupliciter; Vel primò; Vel secundariò, vnà cum primo, adhibendo modum quendam primo; Accipio Quartò, Sensilia Communia duplici modo nosci; Vel extrinsecus, confusè, & ut mouent sensum; Vel intrinsecus & distinctius; His assumptis, duas profero Conclusiones; Prima est: Sensilia Communia confusè, & vt cadunt sub sensum, secundum se sentiuntur, pro distincta tamen eorum cognitione est necessaria Memoria, & Ratio; Altera est; Sensilia Communia sentiuntur secundum se, non primariò, sed secundariò, vna cum proprijs, adhibendo modum quændam motioni, & speciei eorum; Ex his elicitur veritas sententiæ Aristotelis, ac insuper opinionis Galeni; Themistius, in Paraphrasi Contex. 133. inquit: Cum sensus magnitudinem sentit, statim similitudo imprimitur in eo. Priscianus Lydus; cap. 9. inquit: Communia formalius, Propria acrius, & vehementius mouent. Hæc non sunt prædita specie propria, distincta ab ea propriorum, sed sunt tanquam modi, quibus propria mouent, & formant. Internus tamen sensus, vt vis imaginandi, valet modum illum tanquam distinctam speciem, à specie propriorum seiungere, vt faciunt Mathematici. Sic non mouent, sed vnà mouent, non figurant sensum, sed configurant, & id faciunt in omni sensu vt sensus est, adeò, ut etiam in sensibus expertium Rationis id faciant, seorsum autem à proprijs non mouerent externos sensus, non enim secundarium agit sine principali, hinc Aristot. in Contex. 133. dicet ea sentiri Motu, & Proprijs; Rationes aduersę facilè diluūtur. Sententia Galeni quomodo possit reddi vera, apparuit; Instabatur Primò, quia sentiuntur per aliud; Respondeo, ex eo elici, non sentiri secundum se primò, at sentiūtur secundariò: nam vt secundariò moueant, & modum proprium adhibeant, habēt ex se; sic etiam Colores non videntur sine Lumine; Addebatur, Organa, & media esse prædita Figura, & mole; Respondeo, recipiens debere esse nudatum, non quouis, sed eo quod per se primò recipere debet, vt suo loco patebit; Tertia instantia sumebatur ex his, quæ per negationem, & priuationem noscuntur, quæ non dicuntur sentiri secundum se; Ludou. Buccaf. ait, re uera sentiri ex accidenti, Aristot. inquiens sentiri secundum se, & denotat si non omnia, saltem plura. At hoc conspicuè aduersatur Arist. qui sensibilia ex Accidenti seiunxit à sensibilibus Communibus; & clarius in Contex. 133. dicit hæc omnia sentiri Motu, & Proprijs, non autem ex accidenti. De Quiete dico Primò, eam addere modū proprium, quo mouent sensibilia propria, hinc ait Simplcius, 133. Quies non est similis tenebris, quia Quies iuncta proprio,

Quid per figuram.

An Sensibilia communia sentiantur secundū se.

Solutio.

Concluſ. 1.

Themiſtius.

Priſcianus.

Diluuntur aduerſæ Rationes.

Lud. Bocc.

Simplicius.

certo quodam modo mouet; Dico Secundò, quod Quies relata ad possessionem loci, non est pura priuatio, sed modo aliquo habitus, cuius principium est Natura, vel Violentia; Addo Tertiò, dum sensus secundum se nosci vnum oppositorum, dicitur modo quodam, saltem secundario noscere secundum se aliud; Sic etiam Numerus, ita noscitur Continui negatione, vt etiam ratione propria modum adhibeat Motui, & speciei propriorum; Est Dubitatio de Motu, quomodo secundum se externo sensu iudicetur, nam ipsius Motus nil fiunti est, nisi Momentum, præteritum præterijt futurum non est, quare non mouent sensum; Respondeo, sensu iudicari continuatam illam varietatem, & nullus est sensus qui aliquantulum non seruet id quod iudicat, ac ita seruat & iudicat continuatam uarietatem, quæ est modus quidam uarius repræsentationis proprij sensibilis; Insuper, est dubitatio de eo quod dixi, communia non sentiri sine proprijs, nam si quis Cœlum tangeret, sentiret molem eius, cum tamen careat Qualitatibus, ad tactum pertinentibus Similiter, si Culex ambulet supra manum, vel dorsum, sentimus motum, & non aliud sensile proprium; Respondeo, & de Cœlo dico, si quis illud tangeret, id ei resisteret, ac ita perciperet motum, nam durum est sensile proprium pertinens ad Tactum; De Culice dico, non perciperemus motum, nisi sua Corporis resistentia & duritie permutaret cutem, & Spiritus eius, durities autem resistentiam pariens, ad tactum pertinet, ut dicitur in Cont. 107. At Quartò considerandum occurrit, cur hæc dicantur sensilia Communia; Ratio fic, formari potest: Hæc sunt sensilia secundum se, & nullius sunt propria, igitur sunt Communia; Insuper, dixit Aristot. hæc esse communia omnibus sensibus, quod videtur falsum: nam Odoratu nec Figura, nec Motus percipitur, similiter Gustatu: nam quamuis appareant percipi lingua, & palato, id fit Tactu, non Gustatu, ut ait Philoponus; Auditu etiam non percipitur Figura; Nonnulli nituntur seruare singula sensilia Communia sentiri omnibus sensibus, at, coguntur minus propriè, & significatione distincta ea accipere, & nonnunquam sentiri potius ex accidenti, quam secundum se; Propterea pro Solutione quatuor profero Conclusiones; Prima est: Hęc sunt communia, quia sunt secundum se; & nullius propria; Secunda est: Quia singula sentiuntur pluribus; Tertia: quia nonnulla eorum sentiuntur omnibus, veluti ait simplicius de Numero, Motu, & Quiete; At, reuera, Motus, & Quies valde confusè ab Odoratu, & Gustatu propria facultate percipiuntur: Quarta Concluf. est: sensilia Communia ita dici, quia magis propriè eis respondet sensus Communis; Aristot. lib. de Sensu & sensili, capit. 4. se declarans, ait hæc esse Communia sensuum, etsi non omnium, sed Visus & Tactus, & ob id etiam hoc in loco de his duobus sensibus singula sentientibus mentionem fecit, non de alijs; similiter, loquens de Numero externorum Sensuum, dicit Communia sensibilia communi sensui respondere.

Dubitatio de Motu. Solutio.

Dubitatio an Communia sentiantur sine proprijs. Solutio.

Cur dicantur Sensilia Communia.

Solutio. Quatuor Cõclusiones.

Conte x. 65. *EX accidenti autem Sensibile dicitur, veluti si album sit Diarii filius. ex accidenti enim hoc sentimus, quia accidit albo id quod sentimus, quocirca nil ut tale est, à Sensibili patitur. Eorum autem quæ secundum se sunt Sensibilia, ea propriè sunt Sensilia, quæ sunt Propria, & ad quæ nata, atque apta est vniuscuiusque Sensus substantia.*

DECLARATIS Sensilibus secundum se, rectum sensûs ordinem, declarat modo Philosophus Sensile ex accidenti. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima declaratur Sensile ex accidenti; In Altera comparantur inuicem Sensilia secundum se; Inquit in Prima parte, id dici Sensile ex accidenti, quod accidit sensili secundum se, ueluti albo secundum se sensili, accidit vt sit Diarij filius, ac ita album secundum se, Diarij filium ex accidenti sentimus, à quo ut talis est, nil patitur sensus; Comparans in secunda parte sensilia secundum se, ait Principatum competere proprijs, ad quæ iudicanda apti & parati sunt externi sensus.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

VARIA se offerunt accurata consideratione digna; nam Primò considerandum est sensile non Vniuocum, nec Aequiuocum esse, sed ab vno; & id primò est tale, quod primò mouet, & format sensum, & cuius gratia per Naturam primò parati sunt sensus; huiusmodi autem est sensile proprium, & si quis ambigat, quia Commune est præferendum Proprio; Soluitur, id esse uerum, cæteris paribus, at commune non primo mouit & format sensum vt proprium; Considero Secundò, quod Arist. comparans sensibilia, ea sola comparat quæ sunt secundum se, & iure: nam in omni genere id quod est tale ex accidenti, postponitur, & comparans ea quæ sunt secundũ se, patefacit principalem conditionem propriorum: nam quatuor sunt conditiones eorum; Prima, ut secundum se & primò moueant, & forment sensum; Secunda, ut ab uno solo sensu secundum se sentiantur; Tertia, ut per ea sentiantur alia, uel secundariò, vel ex accidenti; Quarta, ut eorum gratia per Naturam parata sint instrumenta, & eorum facultates, quam indicans Arist. inquit; Ad quæ nata, aptaque est uniuscuiusque sensus substantia. Ex his elici potest exacta Descriptio sensilium secundum se propriorum. Considero Tertiò, quod esse ex accidenti contingit dupliciter; vel absolutè, vel in unoquoque genere; Absolutè substantia est Ens primum, cui cætera dicuntur accidere in unoquoque autem genere tenemur primò considerare principale, & proprium illius generis, cui mox cætera dicuntur accidere, veluti in Prædicamento Relationis Arist. ait seruo siue domino accidere quod sit Homo; qua consideratione Arist. modo ait albo accidere quod sit Diarij filius. Considero Quartò, sensile ex accidenti esse duplex; Vnum per Relationem; Alterum absolutè; Primum est sensibile per se, & proprium vnius sensus, dicitur autem ex accidenti dum refertur ad alium, veluti Vox ex accidenti dicitur Visibilis, & Color ex accidenti Gustabilis Sensile ex accidenti absolutè præsertim, est duplex, nimirum, Substantia, & Relatio, de his Arist. modo loquitur, & mira arte vtitur exemplo, vtrumque includente, nam Diarij filius est substantia relata. Considero Quintò, quod cum sensile ex accidenti sit duplex; vel absolutè; vel per relationem proprij ad distinctum sensum, quæri potest, quodnam eorum magis iudicari debeat ex accidenti; Pro Solutione dicendum, quod aliud est esse purius ex accidenti; & esse magis propriè; id quod absolutè est ex accidenti, purius, & magis uniuersè est ex accidenti, cum non valeat sentiri secundũ se; Alterum uerò est ex accidenti magis propriè, quia huiusmodi opposita magis propriè in eodem apta sunt fieri; At, dubitatur, quia nil toto genere est ex accidenti, & Arist. in 2. Physicorum, ait id esse casu, quod aptum est intendi & fieri secundum se; Respondeo, nil absolutè secundum speciem, uel genus, esse adeò ex accidenti, vt modo aliquo non sit per se, at, cum relatione ad aliquid, potest omnino esse ex accidenti; sic Substantia quamuis modo aliquo sit secundum se, tamen relata ad notitiam Sensus, omnino est ex accidenti. Considero Sextò, non leuem esse difficultatẽ, num sensilia ex accidenti sentiantur ab expertibus Rationis; & quia sensibile ex accidenti

Consider. 1.

Sensibile est ab uno.

Quatuor cõditiones principalium sensibilium.

3

4 *Sensibile ex accidenti duplex.*

5

Quod Sensibile sit magis ex accidenti.

Dubitatio.

Solutio.

erat duplex; Vnum absolutè, ut substantia, & Relatio; Alterum per relationem proprij ad distinctum sensum, de hoc non est dubitatio, proculdubio enim Canis odore leporis percipit odoratu saporem sibi gratum, & colore panis, noscit sibi dulcem cibum. De altero solum est Dubitatio, num inquam noscant expertia Rationis particulares substantias, & Relationes; Auerroes id negat, similiter Philoponus ait, Bruta nil noscere ex accidenti, quoniam Ratione carent. D. Thom. idipsum affirmat, inquiens; id nosci ex accidenti quod noscitur, substantia à feris & iumentis non noscitur, quare non noscitur ex accidenti. Ex aduerso constat Canem noscere suum dominum, Agnum suam matrem; Confirmatur: quia Arist. loquitur de sensilibus vniuersè per relationem ad sensus, ut sunt sensus, non per relationem ad sensus vt sunt hominis. Et si quis dicat, non cognosci à Brutis cum ratione substantiæ, sed solum ut sibi utilia, & conducentia; hoc nil refert: quia sic neque etiam noscuntur per sensus Hominis, noscere enim cum ratione Substantiæ, & accidentis, est officium Rationis. Confirmatur per Descriptionem traditam ab Arist. nam ait Diarij filium nosci ex accidenti, quia accidit albo id quod sentimus, & à quo Sensus non patitur, at hoc etiam est uerum per relationem ad expertia Rationis. Propterea dicendum puto, sentiri ex accidenti contingere dupliciter; Vel pressius, & propriè, ac ita à feris non noscuntur ex accidenti, cum non sint nata ab eis propriè nosci, vel fusè, & latè pro omni eo quod nectitur cum Sensili secundum se, & saltem confusè noscitur, & hoc pacto concedere valemus nosci à feris, puto tamen, Aristotelem præsertim inspexisse cognitionem eorum ex accidenti magis propriè sumptam, soli Homini competentem: quia semper id maximè est considerandum, quod est principalius; nec obest instantia, quia Arist. consideret Sensilia per relationem ad Sensus, vt Sensus sunt, non autem ut Hominis, quia declarando id quod est principale, dicuntur considerari cuncta, cum id sit mensura cæterorum, & præsertim, quia id mox secundariò extendi potest ad omnes Sensus, etiam ferarum; Insuper, cum Arist. solum dederit exemplum de Substantia, relata tamen Descriptio Sensilium ex accidenti, etiam uera est de his quæ sunt propria unius, ex accidenti alterius, veluti albo accidit vt sit dulce, & id dulce non mouet Sensum tactus: hæc autem Sensilia ex accidenti à cunctis Animalibus sentiuntur. Considero Septimò, quod cum Homo solus dicatur propriè ex accidenti noscere Substantias particulares, quia solus ualet per internas Animi facultates eas distinctè iudicare, non autem expertia Rationis, quę solum eas iudicant vt sibi utiles, conducentes, & aduersas., declarandus occurrit modus, quo huiusmodi particulares Substantiæ à nobis noscantur; qua de re uerba facit Auerroes, Comm. 63. & 65. inquiens Indiuidualitatem, & Vniuersalitatem non sensu sed Mente nosci, & iure: nam sunt secundæ Notiones, Ratione formatæ; Insuper, Differētiæ singulares Indiuiduorum, ut Indiuidua sunt, quæ Differentiæ sunt Accidentia, vel Communia, uel Propria, etiam noscuntur ab expertibus Rationis; Additur Tertiò, noscere Differentias Indiuiduorum Substantię, & Notiones eorum, est proprium sensuum Hominis, ut Hominis, & ideo dicitur modus alius sensilium ex accidenti, nam ex accidenti dicuntur, & quia non mouent externum sensum, & quia non cognoscuntur ex accidenti ab externo sensu, ut sensus est; sed ut est Hominis, cuius discriminis triplex est Ratio; Vna sumitur ex Materia, nam Homo est optimè temperatus pro rerum notione; Altera ex Forma, quia uis imaginandi eius est prestantissima; Tertia, quę est potissima; ob nexum cum Ratione & Mente. Ordo ex sententia Auerrois hic est: Offertur Indiuidua Substantia, ueluti Alcibiades, externo sensui, qui secundum se iudicat colorem, & figuram eius, & ex accidenti illum esse sibi amicum, uel aduersum, quod competit etiam expertibus Rationis; at Tertiò, quod sit talis Indiuidua Substantia, solum fit per sensus, ut sunt Hominis, & cum Ratione iuncti, & ab eis, ac etiam à sensu Communi id fit presente Alcibiade, siue quauis alia Indiuidua Substantia; Mox Quartò idipsum apprehenditur à virtute imaginandi, sine presentia externi sensibilis, cum con-

An expertia rationis sentiant singulares substantias.

Auerroes

Philoponus

Solutio.

7

Quomodo à nobis noscantur Substantia particulares.

Ordo noscendi Indiuiduã Substantiã.

connexione tamen cum sensilibus Proprijs, & Communibus eius; Quintò à virtute cogitandi apprehenditur eius Indiuidui Notio, & nudatur cunctis accidentibus, cum Proprijs, tum Communibus, quæ ita nudata, Sextò tribuitur Memoriæ seruanda, quæ mox, Septimò offertur Menti, adeò, ut uis cogitandi secundum se dicatur Indiuiduã Substantiam indicare, quam externi Hominis sensus solum noscunt ex accidẽti; Hæc est sententia Auerrois, quem multi sequuntur, à quo ego dissentio; Primò, quia vim cogitandi sumptam pro sensu interno, distinctam à facultate imaginandi, cum Arist. non approbo, nullibi enim Aristot. vltrà sensum Communem, vim imaginandi, & Memoriam, aliam internam facultatem ad sensum attinentem dari indicauit, ut in sermone de sensibus internis apparebit; vis autem cogitandi propriè sumpta, ad Mẽtem pertinet, & est uis Ratiocinandi; Dissentio Secundò, quia non puto dari Notionem propriam Indiuidui nudatam omnibus sensilibus Communibus, & Proprijs: nam Indiuiduum Substantiæ à nobis non valet apprehendi, nisi ut iunctum cum Accidentibus Communibus, & Proprijs, per quæ constituitur Phantasma, quod offertur Menti: nam etiam si Angelos imaginamur, cogimur eos imaginari cum aliqua Figura, & Colore: nam dum his nudatur, supereſt essentia pura, quæ Vniuersale esse dicitur, non Indiuidua Substantia; Et propterea dissentio Tertiò, quod Indiuidua Substantia secundum se ab interno sensu percipiatur: nam à sensu solum noscitur ex Accidenti, ut oblata nobis per Accidentia Communia & Propria; Rationis autem mox proprium est, secernere essentiam propriam rerum, ab Accidentibus, ideò rectè Philoponus ait, esse officium Rationis noscere Substantiam. Ex propria itaque opinione, ordinem referens, quem puto consentaneum sententiæ Aristot. dico; Dum sensui externo offertur Indiuidua Substantia, ut Alcibiades, Sensu externo, & Communi, cum præsentia Obiecti, secundum se noscitur Color, & Figura; insuper ex accidenti, quod amicus, uel inimicus, at, quod sit talis particularis Substantia, solum proprie noscitur ex accidenti, ut est sensus Hominis, mox uis imaginãdi oblatam imaginem iudicat, etiam sine præsentia externi sensilis, & conceptam imaginem una cum Sensilibus Communibus & Proprijs seruat Memoria, & id dicitur Phantasma, quod mox offertur Menti, cuius solum officium est, Ratione secernere Substantiam ab Accidentibus, & propterea etiam Plato in Theeteto, rectè affirmauit sensum non apprehendere Substantiam, sed sola Accidentia, quod etiam affirmauit Aristot. in 3. de Anima, Contex. 10. inquiens nos sensu calidum & frigidum cognoscere, hoc est, sola Accidentia; uis imaginandi secundum se solum, ualet formare, & addere subnotionem quandam amicitiæ, uel inimicitiæ, quod etiam competit expertibus Rationis, quamuis confusius, quam Homini, & magis per instinctum Naturæ.

Dissensio ab Auerroe. 1 2 3

Ordo ex propria opinione.

Plato.

ID cuius est Visus, Visibile est, visibile autem est Color, & quod oratione exprimi potest, nomine autem caret; At, in sermonis progressu id notum fiet, Visibile enim quod dicimus est Color, qui est id quod in eo est quod secundum se est Visibile, secundum se autem, non ratione, sed quoniam in se habet causam vt sit Visibile.

Contex. 66.

TACTENVS Arist. communia cunctis Sensibus declarauit, nunc uerò cum nos cumulatè paratos, de singulis distinctè incipit verba facere; ordiens à Sensu Visus, & seruans methodum nobis in præcedentibus patefactam; Primò de eius Obiecto loquitur. Contextus diuiditur in tres partes; In Prima circumscribitur Obiectum; In Secunda diuiditur; In Tertia manifestatur quomodo per Colorem colorata dicantur secundum se uisibilia; Inquit Phi-

Intentio.

Diuisio.

Expositio. losophus in Prima parte, Visibile est id, cuius est Visus; nam per unum Relatorum circumscribitur alterum. Diuiditur in Secunda parte Visibile in Colorem, & alia multa; quæ uno nomine non sunt prædita, cuncta tamen aliquid lucis includunt, ut distinctè in progressu patebit; In Tertia parte accipitur Color, qui præsertim dicitur Obiectum Visus, qui cum sit prima ratio per quam res videntur, iure dicimus colorata esse visibilia secundum se, & dum colorata dicuntur visibilia secundum se, non denotamus primum modum dicendi secundum se, cuius Prædicatum est in ratione Subiecti, non enim Visibile est in ratione Colorati, sed modum secundum in quo Subiectum est ratio Prædicati: nam Coloratum est secundum se visibile, quia includit Colorem, per quem redditur aptum videri, vt Homo includit Rationem, per quã redditur capax Disciplinæ.

ANNOTATIONES.

Liber de sensu Visus. Considet. 1. COMPOSVI ego seorsum librum de Sensu Visus, in quo satis distinctè ea declaraui quæ ad eius notitiam pertinent, propterea, si nonnulla prætermittam, vel paucis referam, latius in eo poterunt legi. Primò considero, quod cum ordo rerum declarandarum peti debeat ex ordine Naturæ rerum, & consueuerit Arist. sequi ordinem originis, quo ordine Tactus est primus,

De ordine. Visus postremus, mirantur multi, cur Arist. à postremo ordiatur; & ob id Auicenna, in 6. suorum Naturalium, de Sensibus loquens, orditur à Tactu, quod etiam seruauit

Solutio. Plato in Timeo, in quo postremo de Visu verba fecit; Pro Solutione accipio cum Auerr. in Proœmio 1. Meteorum, ordinem declarationis partium Scientiæ, nonnunquam esse necessarium, nonnunquam verò conducere pro bene esse, necessarius est in ordinatis secundum essentiam, quorum posterius nosci non potest ignorato priore; at, dum non est necessarius, potest ob uarias oportunitates variari, ut sæpè indicauit Aristoteles, nam in primo de historia Animalium, relaturus partes, orditur ab Homine, & in cap. 6. ait: At Homo Animalium maximè omnium notum nobis necessariò est. Mox lib. 5. cap. primo, inquit: At, cum genera ante vt res exigit digesserimus, nunc quoque eodem modo loqui tentemus, præterquam quod initium tunc ab Homine, cum de partibus ageremus sumendum censuimus, nunc de eo nouissimè differre placet, quoniam plura ipse de se offert explicanda; Insuper, in 2. de partibus Animalium, cap. 10. inquit: Tum quia Homo ex omnibus Animalibus maximè diuinitatis est particeps, tum, quod externarum partium eius forma notissima est, primò de Homine differendum censuimus, &c. Ordo itaque non necessarius ob uaria, uariari potest; Inter Sensus ordo non est necessarius, adeò, ut notitia unius sit necessaria pro notitia alterius, quare ob uaria, uariari potest, nec absolutè errat, qui orditur à Tactu, vt Plato, & Auicenna, nec qui à Visu, vt Arist. At, perpendamus qui rectius seruet ordinem; Ego ordinem ab Arist. seruatum præferendum puto; Primò, quia ordo Considerationis debet respondere ordini Naturæ, qui duplex est; Vel secundum intentionem; Vel secundum originem; de Primo sæpè ait Arist. in 8. Physic. in 2. de Cælo, & in 5. Metaph. quod est præstantius, est Natura prius; Hinc Arist. dũ vnũ nõ est necessarium pro notitia alterius, cõsueuit ordiri à præstantiore, vt etiam prius egit de Animalibus, quam de Plantis, cognitio Tactus non est necessaria pro cognitione Visus, & Visus est præstantior, ideo iure primò est declarandus; Hinc in 2. de Ortu & interitu, Contex. 7. legitur Visum esse Natura priorem; Altera causa est, quia ut legitur in Proœmio Metaphys. Sensum Visus maximè diligimus, cum maximè cognitionem rerum pariat, ideo iure eum maximè cupimus noscere, cui desiderio vt citius satisfaciamus, primò de eo debemus loqui; Tertia ratio est: quia tria ad Sensum conspirantia, nimirum, Obiectum, Medium, & Organum, distinctissimè apparent in sensu Visus, in Tactu autem maximè latent, & quamuis Tactus sit exactus & certus in

Ordo inter Sensus non est necessarius.

Profertur ordo seruatus ab Aristotele. Ratio 1.

2

3

iudi-

iudicando ſuo Obiecto, eſt tamen confuſus, & incertus, vt cognoſcendus à nobis; His demum accedit, quod nil uidemus ſine Lumine, quæ abſolutè eſt prima omnium Qualitatum. Conſidero Secundò, quod Ariſtot. circunſcribens Obiectum Viſus, ait eſſe id, cuius eſt Viſus; hæc eſt circunſcriptio uniuerſi Obiecti ſecundum ſe, & proprij: nam quamuis ea ſit vera etiam de his quæ ſunt communia, & ex accidenti, tamen dum abſolutè loquimur, id denotamus quod eſt ſecundum ſe, & proprium, & ideo in ea Deſcriptione id virtute includitur. Inſuper, rectè ait Philoſophus, Viſibile eſſe id, cuius eſt ſenſus Viſus: nam in 5. Metaph. loquens de Relatione, ait Menſurã, Sẽſum, & Mentem, ita referri, vt hæc dicantur ad alterũ, non alterũ ad hęc: nam Menſura paratur pro menſurabili, & Senſus pro Senſibili, non autem uice uerſa; Conſidero Tertiò, quod Ariſtot. diuidit Viſibile in Coloratum, & id quod circunſcribi modo aliquo poteſt, at, caret nomine proprio, & poteſt dici id, quod modo aliquo lucis eſt particeps. Diuiſio autem hæc eſt: Viſibile ſecundum ſe, & propriũ, uel eſt tale aliena forma, ut perſpicuum illuminatum, vel propria, & hoc uel eget alio ut uideatur, & eſt Color, vel non eget, ſi non eget, & hoc uel ſemper apparet in medio à ſe illuminato, ut Sol, uel ſolum fulget in tenebris, ut oculi, & ſquamę piſcium, uel & in tenebris & præſente Luce aliena, vt Luna, & Ignis, ut diſtinctius in progreſſu patebit. Conſiderò Quartò, quod Ariſto. ait: Viſibile autem eſt Color. Simplicius ait debere ſubintelligi, aliquod, Themiſtius uerò primò, quia eſt id, in quod deſinit iudicium Viſus, & magis propriè eſt Obiectum; Inſuper eſt id, quod modo aliquo de cæteris dicitur, veluti Lux & Lumen, dicuntur tanquam Colores Lucidi, & perſpicui; Quintò Conſidero, quod Ariſtotelis ait: Viſibile eſt Color, qui in eo eſt quod eſt ſecundum ſe uiſibile; Hoc exponitur dupliciter; Primò ab Auerr. quem multi ſequuntur, quod Ariſtotele dicat Colorem eſſe ſecundum ſe uiſibilem, at, hoc non reſpondet verbis Ariſt. qui ait eſſe in eo quod eſt ſecundum ſe uiſibile, quale eſt coloratum, nam quod propriè videtur, eſt coloratum, color autem eſt præcipua ratio per quam mouet, format, & videtur, de utroque tamen diſtincta conſideratione, dicere poſſumus quod ſit viſibile ſecundum ſe, at, Ariſtot. de colorato loquitur, ut conſpicuè patet, & conſentiunt Græci interpretes. At, Sextò loco conſiderandum occurrit, in quo modo color, vel coloratum, ſecundum ſe uiſibilia dicantur. Ariſtot. ait: Secundum ſe autem, non ratione, ſed quia in ſe habet cauſam ut ſit uiſibile; per quæ uerba non conſtat quid denotet. Ego hanc expoſitionem ueriorem puto, quod excludatur modus primus ſecundum ſe, in quo Prædicatum eſt in ratione Subiecti, & approbetur modus ſecundus in quo Subiectum includit cauſam Prædicati, & eſt in ratione eius, veluti Homo includit cauſam, per quam eſt capax diſciplinę, & aptus ridere. Sic & Auer. & D. Thom. id referunt ad modum ſecundum, quamuis Auer. de colore, non de colorato loquatur, at, nil refert: nam de uno eſt uerum vt de Principio, de altero, ut de includente tale Principium. Græci tamen ſecus exponunt, veluti Simplicius, Themiſtius, & Philoponus; nam inquiunt Ariſt. per relata verba, excludere cum primum, tum ſecundum modum per ſe, vterque enim eſt cum ratione vnius per alterum, ſed dico ſecundum ſe, quia coloratum in ſe habet cauſam, vt ſit ſenſile; Et confirmatur: quia Primus modus pertinet ad Formam; Secundus, ad Subiectum, & Materiam, Color autem eſt cauſa mouens & efficiens, non Materia. Poſſent conciliari, dicendo, Viſibile conſiderari dupliciter; Primò, ut affectio competens colorato, fluens ex eius forma, ac ita pertinet ad ſecundum modum per ſe; Secundò, vt eſt actu præditum quo moueat ſenſum, ac ita denotat cauſam efficientem, & pertinet ad quartum modum per ſe.

2. *Conſid. Circunſcriptio Obiecti Viſus.*

3 *Diuiſio Viſibilium.*

4

5

Contex. 62.

OMNIS color aptus est mouere id quod actu est perspicuum, atque ea est ipsius Natura, propterea non est Visibile sine Lumine, sed omnis rei cuiusque Color in Lumine videtur, ideo de Lumine prius quid sit, dicendum est; Est igitur aliquid perspicuum.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

LOQVENS Philosophus de Obiecto Sensus Visus, dixit Coloratũ esse secundum se visibile, quia causam includit per quam est uisibile, nimirum Colorem; Vult modo id patefacere, & propterea manifestat requiri Lumen, & perspicuum, de quibus agendum, vt pertinentia, ad Obiectum, & muneris functionem, refulgeant, Diuiditur præsens Contex. in quatuor partes In Prima Definitur Color, quod sit Qualitas apta mouere id, quod actu perspicuum est; & hæc dicitur Natura eius, non quidem absoluta, sed vt relata ad sensuum Visus; Ex qua Definitione in Secunda parte infertur, Colorem non posse uideri sine Lumine, nam eius conditio est, vt moueat actu perspicuum, hoc autem actu redditur per Lumen, habet perspicuum sine Lumine actum suum, & formam absolutam, at, non vt requisitum pro officio Visionis; Ex quo infertur Tertiò, prius de Lumine esse agendum, quam explicentur reliqua pro notitia huius sensus requisita. Et ex eo infertur Quartò, perspicuum aliquio esse, cum enim Lumen sit actus perspicui, perspicuum debet esse aliquid aptum id recipere.

ANNOTATIONES.

Confid. 1.

CONSIDERO Primò, Colorem posse Definiri vel pro suo esse absoluto, ut declaratur in libro de Sensu & Sensili; Vel pro suo esse relato, vt modo Definitur, & accipitur Natura pro eius essentia, & conditione relata, & utitur Aristot. Naturæ nomine; quia Color ut aptus mouere, modo aliquo est Principium motus, qui motus etiam modo aliquo, potest dici Physicus, cum sequatur conditionem Coloris, qui est forma quædam Physica, at, non ob id est propriè Natura, cum sit Accidens. Considero Secundò, hæc quatuor esse subordinata; Primò, est necessarium perspicuum; Secundò, id Lumine redditur actu & illustratur; Tertiò, mouetur à Colore; Quartò, sequitur officium Sensus Visus; & Aristot. eodem ordine hæc ad visum conspirantia declarat; Considero Tertiò, quod Aristot. ait Coloratum non videri sine Lumine, & de hoc consentiunt omnes. At, cum Lumen pro Visu sit necessarium, qua ratione, & pro quo sit necessarium, summopere dissident interpretes. Nonnulli enim aiunt solum requiri pro Obiecto Colorato: Alij pro solo Medio, nonnulli pro Obiecto & Medio. Quidam demum pro Obiecto, Medio, & Organo uidendi. Auempaces referente Auerr. Comm. 67. putauit requiri pro solo Obiecto, illum sequuti sunt Auicen. 6. Naturalium, cap. 1. de Visu, necnon Linconiensis... Hi affirmant Colores in tenebris solum potestate reperiri, quatenus mixtum est aptum recipere Lumen, ex cuius uaria receptione uarij prodirent Colores, adeò, ut dispositio & Temperamento prodiens, esset tãquam Materiam, Lumen tanquam Forma Colorum, & si aliquo in Corpore recipiatur Lumen, quod sit expers eius dispositionis, ut in vitro, tunc aiunt solum apparere Lumen, non Colores. Huius opinionis longe prius fuere Democritus, Leucippus, & Epicurus, ex cuius sententia Lucretius lib. 2.

2 Quatuor subordinata pro Visu.

3 Pro quo requiratur Lumen.

Auẽpaces.

Democritus.

Præterea quoniam nequeant sine Luce colores
Esse, &c.

Hoc approbare nitebantur exemplo colli Columbæ, Caudæ Pauonis, & Iridis, in quibus ob variam Luminis receptionem, varij refulgent Colores. Hinc dicebat Linconiensis, dispositionem parietis pro colore albo, splendidiora reddere domicilia, quia intensius recipit Lumen, quod est forma Colorum. Idipsum confirmatur experientia: nam quamuis Lucidum sit medio præsens, nunquam tamen videmus Obiectum, nisi Lumen id attigerit, immò, nunquam in medio apparet Lumen, nisi ab opaco aliquo repercutiatur, nam perspicuum non propriè recipit Lumen, sed non impedit eius transitū, & esse Luminis in medio est repercuti ab Obiecto. Idipsum ostenditur ratione: nam pro eo requiritur Lumen, quod debet illustrari, & videnti patefieri. Insuper, pro eo requiritur quod debet eius ope spiritaliter agere, huiusmodi autem, est solum Obiectum; Hinc Aristot. in 3. de Anima, 18. ait Lumen reddere potestate Colores, actu Colores; & in 5. de Gener. Animal. Cap. 1. legitur, quod Homo in tenebris profundi putei collocatus, etiam die media videret Stellas; Præterea, actiones Colorum deferuntur post oculos ad sensus internos, quamuis extrinsecus adsint tenebræ. Auempaces vrebatur hac ratione; Recipiens debet esse nudatum cōditione rei recipiendæ, Medium debet recipere actiones Colorum, qui sunt secundū formam Lumina quædam, igitur debet esse nudatum Lumine; Et quia Aristot. inquit Colores mouere perspicuum actu, & actus eius est Lumen, ideo Auic. in 6. suorū Naturalium respondens ait: Vt perspicuum sit actu, non debet recipere, sed tunc dicitur esse actu, dū Coloratum est illuminatum; Alij Secundo loco ut Auerr. D. Tho. & multi eos sequentes, inquiunt Lumen requiri pro solo Medio; Hi dissentiūt à prioribus; Primò, quia aiunt non requiri pro Obiecto; Secundò, quia inquiunt requiri pro Medio; Tertiò, quia putant Lumen in Medio recipi; Quartò, quia putant etiam sine Lumine Colores esse sua forma præditos. Quod requiratur pro medio, elicitur ex Definitione Coloris, qui dicitur aptus mouere medium actu, hoc est Lumine præditum. Similiter, ex Definitione Luminis, quod elicitur actus perspicui termino carentis. Quod non requiratur pro Obiecto, ostenditur: nam est opacum, non aptum recipere Lumen, sed solum repercutere; Confirmatur: quia Color est visibilis secundum se, quare non per aliud; Tertia Opinio est Academicorum, affirmantium Lumen esse perinde ac iugum, nectens Colorem per Medium cum oculo, & requiri pro singulis; Hinc Plato in Timeo, inquit oculum esse participem Ignis, hoc est, Lucis; & in 6. de Rep. oculum dicit esse Solarem; & Simplicius Cōtex. 73. & 74. affirmat Lumen etiam requiri pro Organo Visus; Similiter id affirmant Theophrastus, & Priscianus Lydus, in lib. de Anima; Quarta est Opinio, putantium Lumen requiri cum pro Medio, tum pro Obiecto, Aristot. tamen solum Medium expressit; quia id solum cum sit perspicuum, propriè dicitur recipere Lumen, non dixit requiri pro Obiecto, tum, quia ab eo solum repercutitur, tum insuper, quia Obiectum pro sui constitutione, & forma, per quam moueat, non eget Lumine; Pro resolutione quatuor profero Conclusiones; Prima est, Lumen requiritur pro Obiecto; Altera, pro Medio ei iuncto; Tertia, pro instrumēto; Quarta, Colores in tenebris partim sunt actu, partim non; Prima patet, per ea quæ retuli pro eius approbatione, & ob id Aristot. dixit Lumen facere potestate Colores, actu Colores; Ratio est: quia Color opē Luminis debet spiritaliter agere, ideò debet ab eo attingi, non tamen dicitur in eo recipi, quia non est perspicuum, Altera Conclusio, quod Lumen requiratur pro Medio proximo Obiecto, ostenditur, quia in Obiecto (ut patuit) non recipitur, sed ab eo repercutitur, & satest, ut in medio proximo recipiatur: quia sic attingit Obiectum, & in eo fit transitus ex esse materiato, in esse spiritale; At, deinde in progressu medij, non est necessarium, & in medio proximo oculis obest, quia disgregat Lumen eorū;

Linconiēsis.
Experiētia.
Ratio.
Antipaces.
Secunda Opinio Auerrois.
Opinio 3. Academicorum.
Plato.
Opinio 4.
Resolutio.
4. Conclusiō.
1
2

At, in-

Dubitatio. At, instatur, quia si Lumen requiritur pro Obiecto, & medio, requiritur, pro oppositis, nimirum pro actione Obiecti, & passione Medij; Respondeo, pro Visu Colorum, *Solutio.* Lumen nec agit, nec patitur, sed est id quo manifestatur & repræsentatur Obiectum, Color sua forma agit, perspicuum defert & viam præbet, Lumen manifestat, & vnà cum Obiecto operatur, tanquam spiritalis forma eius; Tertia Conclusio erat, Lumen 3 requiri pro Instrumento; quæ non ita debet intelligi, vt oculus egeat externo Lumine, id enim potius obest, sed ut sit sua conditione Lucidus, quod ei competit munere spirituum quibus abundat, non tamen minium, sed moderatè debet esse Lucidus, ne ab externa Luce disgregetur ut oculi noctuarum, quæ ob id in tenebris exactius uident quam præsente Luce; Hinc Aristot. in lib. de Sensu & sensili, dixit: Aspectus æquè intus, & extra Lumen exposcit, ut cernere ualeat; Idipsum affirmat Scotus in 2. *Oculus quo modo Aqueus & Igneus.* Sentent. dist. 13. Aristot. inspiciens imperium molis, dixit in lib. de Sensu & sensili, oculos esse Aqueos; Plato uerò in Timeo inspiciens imperium uirtutis, dixit esse Igneos; Aristot. id dixit quia censuit oculos pati ab Obiecto, patiuntur autem, & recipiunt, per humorem perspicuum: Plato uerò, quia censuit nos uidere per exitum radiorum, & actionem eorum, id considerans dixit esse Igneos. Quarta Conclusio erat, 4 *Actus Colorum duplex.* Colores in tenebris partim esse actu, partim potestate: Nam actus Colorum est duplex, unus absolutus & proprius eorum, per quem in tertia specie Qualitatis collocantur; Alter est tanquam flos, & fulgor eorum, sine quo non mouent spiritaliter, & cum quo id efficere ualent, ille antecedit, & se habet perinde ac Materia, hic sequitur se habens tanquam Spiritus, & uigor illius, primus actus prodit ex mixtione Elementorum, & temperamento primarum Qualitatum, in quo perspicuitas terminatur ab opaco includens portionem Lucidi, qualis est Ignis, adeò, ut Colores dici possint obumbratæ Luces, quæ per Lumen superueniens recipiant actum, & perfectionem postremam, per quam ualent spiritaliter agere. Ex quo elicimus, Colores in tenebris esse actu & non esse; Insuper colligimus Colores per actum postremum esse eiusdem essentiæ, & solum distingui per magis, & minus, per proprium uerò, & primum, distingui specie; Rationes pugnantes quid ueri, uel falsi includant, ex dictis apparet.

Contex. 68. *DIAPHANVM autem dico, quod est quidem visibile, at non secundum se absolutè visibile, sed ob externum Colorem; huiusmodi autem est Aer; & Aqua; & multa solidorum; quæ non secundum quod Aqua, vel Aer, Diaphana sunt. sed quoniam Natura eadem est in vtrisque, & in aterno supero Corpore.*

Intentio. DIXI pro Visu Primò requiri perspicuum; Secundò, Lumen; Tertiò, sequi officium videndi; quem ordinem seruans Aristot. Primò, de perspicuo loquitur. *Diuisio.* Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima declaratur quomodo videatur perspicuum; In Secunda, ob quid Corpora sint perspicua; Vt *Expositio.* pertinet ad primam partem, inquit Aristot. Perspicuum videri quidem, & Visu iudicari, at, non secundum se, & per propriam formam: nam in tenebris non apparet, sed per Colorem extrinsecus receptum, non sibi proprium, quod Lumen est, nam ut Color est actus perspicui terminati, ita Lumen est actus perspicui termino carentis; ostendens autem qua ratione Corpora sint perspicua, ait Aquam, Aerem, & Cælum perspicua esse, non ratione aliqua alicuius horum propria, sed ut participant Naturam vnam, & conditionem eis communem; Verba sunt conspicua.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod perſpicuum dicitur Senſibile ex Accidenti, dicitur ſentiri, non ſecundum ſe, quia non ſua forma, ſed alie na mouet, & formar Senſum; At hoc eſt commune omni ſenſibili ex Accidenti, ideo inquirendus eſt modus proprius, quo ex accidenti perſpicuum videtur: nam Primò non videtur ex accidenti, quia alio Senſu ſecundum ſe noſcatur, ut patet; Secundò, non vt Subſtantia, & Relationes, quia hæc ab omni Senſu ex accidenti ſentiri dicuntur, perſpicuum autem ſolo Viſu; Nec Tertiò, ut Priuatio, quæ cum ſit pura abſentia, nil repreſentat, nec conducit vt ſentiamus, ſimilis tamen eſt Priuationi, quia vt tenebræ, ita perſpicuum ſolo Viſu percipitur; Quare dicamus, perſpicuum videri ex accidenti, quia non mouet Senſum per formam ſuam propriam, ſed uidentes per illud, ſiue aliud, in eo dicimur ex accidẽ ti videre illud. Lumen autem dicitur Color eius, quia proportione reſpondet Colori, ambo enim ſunt actus perſpicui, Color terminati, Lumen terminorum expertis. Conſidero Secundò, quod Perſpicuum dicitur Natura una, cõpetens Cælo, & Mortalibus; At, oritur Dubitatio, quomodo dici poſſit Natura una, nil enim commune Vniuocum eſt Cælo, & Mortalibus, id autem, quod non eſt Vniuocum, non eſt Natura una; Dicebat Zimara communi ab uno competere quidem conceptum unum, at non unam Naturam; Sed conſpicuè aduerſatur Ariſtot. dicenti relata eſſe Perſpicua per Naturam unam communem; Propterea dicamus commune Vniuocum denotare Naturam unam uniuocè, commune autem ab vno, nec Naturam vnam Vniuocam, nec conceptum Vniuocè unum denotare, ſed ut eſt unum unitate ab uno, ita Naturã vnam, & conceptum vnum denotare, vnitate communi ab vno, non autem Vniuoca; Tertio loco conſiderandum occurrit, quod cum per idem Medium, veluti per Aerem, vel Aquam, varia Senſibilia deferantur, eſt neceſſe, putare id Medium diſtincta facultate, & conditione eſſe præditum, hinc Græci diſtinctis vtuntur nominibus, nam Medium vt defert Sonum, dicitur διαχὴς, vt Odores, διάσμον vt Lumen, & actiones Colorum διαφανὲς, Qualitatum tangibilium veluti primarum Qualitatum non propriè dicitur deferens, ſed Subiectum; Similiter, non dicitur deferens Saporũ, quia Tactus, & Guſtatus, non egent externo Medio, & Sapores cum permixtione cum humore antecedente, percipiuntur. Conſidero Quartò, quod indagandum occurrit, quid ſit Diaphanum, quod & perſpicuum, & pellucidum, & tranſparens dicitur, id dari Viſu conſtat, quid verò ſit, dico non eſſe Subſtantiam, quia eſt in Subiecto, & attinet ad Senſum unum, ſed eſſe Qualitatem per quam Corpora denominantur, & dicuntur qualia; Et cum ſit Qualitas, non eſt una Primarum, attinentium ad Tactum, ut patet, ſed eſt Qualitas, uel Secunda, vel Secundæ ſimilis; Secunda eſt, vt comperit mixtis, per imperium perſpicuorum Elementorum, in ſimplicibus autem Corporibus dicitur ſimilis Qualitati Secundę, quia ſequitur nexum duarum Primarum, ueluti etiam leuitas; In Cælo autem ſequitur raritatem, & immunitatem à terrea conditione; At quæritur, unde ortum ducat? Inquit Auerroes in 2. cap. de Subſtantia Orbis, ſequi raritatę, & denſitatem; raritatem ſequitur perſpicuitas, denſitatem opacitas; At, hoc eſt dubium: nam dantur rara non perſpicua, ut Lana, & Nubes, & dantur denſa perſpicua, ut Vitrum, & precioſi lapilli. Dicamus, perſpicuo competere Sympathiam cum Luce, tanquam ſua perfectione, ideo ut Lux, ita perſpicuum primò competunt Cælo, mox alijs ut ei ſimiliora, & diſſimiliora à terra, & fece terrea, nam terra diſtans à conditione Cæli, primò eſt opaca, mox alia per participationem conditionis eius, adeò, ut terra non ob denſitatem, ſed ob conditionem à Cæleſti remotiſſimam, opaca ſit; hinc Luna opacitatis eſt particeps, quia eſt particeps conditionis ſimilis ei terræ, & ob id cęleſtis Terra nuncupatur, ſic rectè Alexand. in 1. de Ani-

1. *Conſider. Perſpicuum ex accidenti ſentitur.*

2 *Quomodo perſpicuum ſit Natura una.*

3

4 *Diaphanũ quid ſit.*

Vnde ortum ducat perſpicuum.

Luna Cæleſtis terra.

de Anima, capit. 13. ait terram cuertere perspicuitatem; Sic in Vniuerso, suprema; sunt persp.cua, & Lucida, infima, nec perspicua, nec Lucida, media autem, sunt perspicua, non Lucida. Quæritur, quibus competat perspicuitas? ea non competit Corpori Mathematico seiuncto imaginatione à conditionibus Physicis, sed competit corpori Physico, at, num omni? Aristot. in Contex. non omnibus tribuit, sed multis; Academici cunctis, uel magis, uel minus competere affirmant, ut Iulianus in lib. de Sole, Iamblichus, & alij multi, & quia est dubium de terra, ideo id probant, quia per eius uiscera meant radij Solis, alioquin non in eis multa Cælestibus radijs gignerentur; Insuper, in cunctis apparet Color, ubi autem reperitur Color, ibi Lux, quæ eius est portio, & perspicuum: nam aiunt Animariam Mentem per omnia esse effusam, ex qua prodit uita, calor, & perspicuitas. Sententia Aristot. uidetur uerior: cum enim detur unum oppositorum, debet etiam dari alterum; Præterea, in attinentibus ad Sẽsum, præbenda est fides Sensui; at, experientia constat, in antris, & cauitatibus terræ, nil Lucis, & ob id nil perspicui reperiri, adeò, ut terra nisi aliquid aliorum Elementorum includat, omnino sit opaca. Pro resolutione dico, tria considerari; Primò, purè opacum, ut terra; Secundò, perspicuum termino carens, Lumini peruium; Tertiò, perspicuum terminatum, qualia sunt Mixta, quæ ex Elementis perspicuis habent perspicuitatem, quæ à conditione terrea terminum recipit, sic Mixta dicuntur perspicua terminata, & Colores dicuntur actus perspicui terminati, ut patet ex libro de Sensu & sensili; His addo, quod cum non detur terra pura, sic modo aliquo non recedentes ab Aristotele affirmare valemus non dari purum opacum; Mira Dei Prouidentia parata est perspicuitas, quæ iure optimo à Prisciano Lydo in Theophrastũ de Anima, dicitur conciliatrix Cælestium, & Mortalium: nam per eam Cælum in Mortalem orbem sua munera effundit, & eximia cura opacum in Centro est collocatum, vt repercutiendo radios, eos reddat efficaciores, resistentia enim auget uires, & quemadmodum in Vniuerso opacum est infimum, ita in Cælo Luna infima est, quæ tanquam terra Cælestis, radios Solis recipit, & reflectit; Conducit perspicuitas etiam pro Sensu Visus, quæ cum dicatur capax Luminis, & tenebrarum, proprie recipit solum Lumen: nam tenebræ sunt pura priuatio, ideo non duæ, sed una sola ei competit potentia ad recipiendum Lumen, cui est peruia; Perspicuitas itaque est Qualitas, vel Secunda, vel ei similis, sequens immunitatem conditionis terræ fecis; parata pro effusione munerum ex Luce prodeuntium. A Prisciano Lydo in Theophrast. de Anima, Definitur, quod sit speeres conciliatrix eorum quæ generationi subijciuntur Corporum, pro recipienda Luminis perfectione; Munere perspicui constituitur distinctio in Vniuerso, Diei, & Noctis.

Quibus cõpetat perspicuitas. *Academici.* *Peripatetici.* *Resolutio.* *Dei Prouidentia.* *Perspicuum non recipit tenebras.* *Quid sit Perspicuitas.*

Contex. 69. *LVMEN verò est actus perspicui, vt perspicuum est, in quo autem id potestate inest, in eodem tenebræ etiam sunt; Lumen autem est tanquam Color perspicui, dum perspicuum actu sit ab Igne, vel ab alio, quale est superum Corpus; Quid igitur sit perspicuum, & quid Lumen, diximus, nimirum, quod nec Ignis est, nec omninò Corpus, nec efluxio Corporis vllius, ita enim esset Corpus aliquod, sed Ignis vel alterius huiusmodi præsentia in perspicuo, neque enim duo Corpora simul in*
70 *eodem esse possunt; Videtur autem Lumen contrarium esse tenebris, nam tenebræ sunt priuatio talis habitus in perspicuo, quare manifestum est, quod huius præsentia est Lumen; Propterea non rectè Empedocles*

nec

nec si quis alius, ita dixit, quod feratur Lumen, & sit nonnunquam inter terram & ambiens, nos autem lateat, hoc aut cum Rationi, tum Sensui aduersatur, in paruo quidem interuallo latere posset Motus, at, quod lateat ab Ortu ad Occasum, magna admodum est petitio.

DECLARATO Visibili & perspicuo, nunc Tertiò Philosophus declarat Lumen, & tenebras; Ex præsenti Contex. quinque elicimus; Primò declaratur Lumen; Secundò, à quo producatur; Tertiò, declarata Epilogo colliguntur; Quartò elucidantur tenebræ; Quintò, reijcitur opinio putantium Lumen moueri; In Prima parte Definitur Lumen, quod sit actus perspicui, ut perspicuum est, cum enim Lumen sit tanquam forma, Definitur per id cuius est forma, id autem est perspicuum, non alia ratione, nisi quia perspicuum, hæc enim est propria eius conditio, ut sit aptum recipere Lumen, & quia opposita in eodem uersantur, & Lumini opponuntur tenebræ, ideo dum Lumen abest, adsunt tenebræ; Mox Secundo loco declaratur à quo Lumen producatur, cum enim Lumen sit tanquam Color perspicui, actu præditi, dicitur prodire ex præsentia Lucidi, quale primò est Cœlum; Secundò, in Orbe mortali est Ignis, adeò, ut Definitio Luminis hęc sit, quod sit actus pespicui, vt perspicuum est, ex lucidi præsentia consurgens. Colligitur Tertiò, declaratum esse quid sit Perspicuum, & quid Lumen: nam apparuit Lumen non esse Ignem, vel aliud tale Corpus, vt videntur putasse Academici; nec effluxionem Corporis, vt putarũt Democritus, Epicurus, Lucretius, & Empedocles: nam effluxus Corporis, Corpus est, Lumen autem non potest iudicari Corpus, alioquin cum Lumen per Corpora effundatur, in eodem simul essent duo Corpora, quod fieri nequit; Non itaque Lumen est Corpus, sed præsentia Lucidi in perspicuo; quod confirmatur: nam ut se habet oppositum in opposito, ita propositum in proposito, at tenebræ quę opponuntur Lumini, prodeunt ex absentia Lucidi, quare Lumen est eius præsentia; Ex quo patet, quid sint tenebræ, quod Quarto loco fieri dixi; Demum, in Quinta parte ex eo quod Lumen non sit Corpus, sed sola præsentia Lucidi, occasionem accipit Philosophus euertendi sententiam Empedoclis, & putantium Lumen esse Corpus, cum enim Corpus sit, putarunt moueri, & quia est Corpus tenuissimũ, putarũt moueri velocissimè, adeò, ut nos lateat motus eius, veluti latet motus plumbeæ pilę ex tormento bellico per flammam pulueris expulsæ; Hoc autem ait Philosophus, cum Rationi, tum Sensui aduersatur, ex quorum conspiratione conspicua veritas refulget, id autem Primò aduersatur Sensui, quia motus ille nullo Sensu percipitur, cum tamen sit Sensibile commune; Rationi uerò, tum, quia cum non sit Corpus, non est aptum moueri, tum insuper, quia si moueretur per tam magnum interuallum, quantum est ab Ortu ad Occasum, deberet percipi tempus in quo moueretur, omnis enim motus in tempore est, at, nos percipimus dum Sol supra Ortum eleuatur, statim vniuersum Hemisphærium vsque ad Occasum reddi Lumine prędituṁ.

Intentio. Diuisio.

Expositio.

Definitio Lumens.

ANNOTATIONES.

DECLARATO perspicuo, & patefacto modo quo Lumen conspirat ad officium Sensus Visus, superest vt de Lumine & tenebris uerba faciamus; Iure Lumen vnà cum tenebris se nobis offert, simul enim conspicuum, & tenebricosum est, conspicuè constat vtrumque dari, at, quid sint, in tenebris latet. Pro cuius notitia quatuor perpendam; Primò quid sit Lumen; Secundò, quibus comperat; Tertiò, quos vsus præbeat; Quartò, quomodo tenebræ ei opponantur: A Primo ordiens, considero reperiri octo exacto ordine colligata, nimirum, Lucidum, Lucem, Radium, Lumen, Splendorem, Vmbram,

De lumine & tenebris. Quatuor declaranda.

Octo subordinata.

bram, Tenebras, & Opacum. His, recta ratione acto respondent, ex quibus Vniuersum consurgit, Deus est ipsum Lucidum, eius Sapientia est Lux vera, Motores Cælorum sunt tanquam Radij, Mens Hominis est vt Lumen, Animæ rationis expertes sunt quidam splendores, Formæ infra Animam politæ Vmbræ sunt, Priuationes Materiæ sunt Tenebræ, Materia demum est ipsum Opacum; Agam ego de Lumine & Tenebris, ex quorum elucidatione cætera refulgebunt.

Quid sit Lumen. *Opiniones quatuor.* Dum quæritur quid sit Lumen, quatuor se offerunt Opiniones; Quidam putant esse Materiatum Corpus, vt Empedocles, & Democritus; Alij Corpus Spiritale, & Materiæ expers, vt Academici: Hinc Plato in Timeo, Lumen ait speciem Ignis, & pro officio videndi ait ex externo Lumine, & eo oculorum, vnum constitui Corpus. Tertiò, D. Thom. putat esse Materiatam Qualitatem; Scotus verò Qualitatem spiritalem; Lumen esse Corpus ostenditur autoritate Aristotelis qui in 11. parte Probl. 33. inquit: Radios esse Corpora dixeris; Lucill. in 2. de Cælo, 42. affirmat Lumen esse Corpus, Flamm. nobilius ait eo loci Arist. supponere radios esse Corpora, quod confirmatur quia radij feriunt oculos, egrediuntur ex oculis, ingrediuntur, repercutiuntur, trina dimensione sunt prediti, quæ omnes sunt cõditiones Corporum, Simplicius non videtur sibi constare: nam quamuis exponens Contex. 69. dicat non esse Corpus, tamen in 2. de Cælo, 29. ait esse corpus & transire per meatus aeris, Similiter in 6. Phys. 23. affirmat esse corpus, ait tamen unà cum Academicis, meare per totum & vnà effundi; Ex aduerso, Arist. in Cont. 69. affirmat, & ostendit, non esse corpus, alioquin duo simul essent corpora, & ob id negat moueri, & affirmat esse præsentiam Lucidi, actum perspicui, & tanquam colorem eius; Academici rationẽ sumptam ex penetratione, soluunt, dicentes esse corpus non Materiatum, cui non repugnat esse una cum alio; Empedocles & Democritus aiunt transire per meatus, at, hęc læuissima sunt, & mittens uaria, solum dico, quod cum non sit corpus Mathematicum, sed Physicum, omne corpus Physicum est Materiatum, est Substantia, & secundum se non percipitur Sensu. Præterea, omnis dimensio locum occupat, etiam Mathematica, non enim plures dimensiones simul reperiri aptæ sunt, vt ostenditur in 4. Phys. in sermone de loco; Alexander in 2. suo lib. de Anima, cap. 36. necnon in lib. de Sensu, & sensili, varijs rationibus sententiam eorum reijcit, qui Lumen dixêre Corpus. Pro resolutione dico, Lumen, & Radios esse Corpora, intelligi potest dupliciter; vel propriè, vt loquitur Aristot. ac ita non sunt Corpora, vel per similitudinem, & participationem conditionum ut frequenter loquuntur Academici, ac ita concedere valemus esse Corpora. Rationes aduersæ vel nullius sunt roboris, vel hoc solum indicant, quod secundum imitationem & repræsentationem sint Corpora, nam Lumen est imago Lucidi, quod Corpus est; Arist. in lib. Probl. ex aliorum sententia ait radios esse Corpora.

Lumen esse Corpus. *Simplicius.* *Arist.* *Academici.* *Alexand.* *Resolutio.*

Quid sit Lumen. Cum itaque Lumen non sit Corpus, quid itaque erit? proculdubio non est Substantia, quia secundum se percipitur Sensu, & cum sit Accidens, non est sola Relatio, quæ etiam secundum se non cadit sub Sensum, neque est Quantitas, iam enim apparuit non esse Corpus; insuper, esset Sensile Commune, non Proprium, & nil aliud esse videtur nisi Qualitas, vel Imago eius; hinc per Lumen perspicuum denominatur illuminatum; Sed cum Qualitas sit, quæritur, num sit Materiata, vel spiritalis. D. Thom. exponens Cont. 70. ait esse Qualitatẽ Materiatam, & esse in perspicuo, vt accidens in Subiecto; Idipsum putat Philoponus in Disput. contra Proclum, cap. 7. & 8. Ioannes Bucc. se medium constituens, inquit in 2. Sent. dist. 13. art. 1. & 2. Lumen ad duo referri; vel ad perspicuum; vel ad Sensum; prima relatione, est Qualitas, & accidens in Subiecto; altera verò, est spiritalis Imago, & repræsentatio, & idipsum dicit de cæteris speciebus rerum Sensibilium, quæ per medium deferuntur; Quod in medio ei competat esse Materiatum, & educatur ex Subiecto ostenditur; Primò, quia per lumen nedum videtur lucidum, sed ipsum quoque secundum se videtur, Actio au-

Est Qualitas.

tem

tem ſpiritalis nõ eſt id quod ſentitur, ſed id quo ſentitur aliud, cuius eſt actio & Imago; Præterea, radij efficiunt permutationes Materiatas, calefaciunt diſgregant, atterunt aerem, attenuant, gignunt Ignem, ſpiritalia autem non ſunt apta hæc efficere; Inſuper, medium per actiones ſpiritales non denominatur Quale, at per Lumen dicitur illuminatum; mitto alia multa. Ex aduerſo dicendum puto, Lucem eſſe quidem in Lucido, vt accidens in ſuo Subiecto, at radijs & lumini ſolum competere puto eſſe ſpiritale, quod eſt Imago, & repreſentatio rei principalis, & ob id Ariſt. dixit eſſe præſentiam lucidi in perſpicuo, hoc eſt, Imaginem, & repreſentationem eius, quod lucidè oſtenditur comparando conditiones vtriuſque formæ, principalis, uidelicet, & ſpiritalis: nam formæ principales, quę Materiatæ ſunt, & in Subiecto recipiuntur, præditæ ſunt contrario, recipiuntur cum tempore, & cũ permutatione Subiecti, producuntur ab agente vſque ad definitum terminum, moto Subiecto mouentur, non ſunt repreſentatio alterius, non plures ſolo numero diſtinctę inſunt in eodẽ Subiecto, poſitę ſuprà Senſum non percipiuntur, non directè ſolum, ſed etiam obliquè mouent Senſus, ſeruantur aliquandiu recedente producente, à ventis oppoſitis repelluntur; Cum hę ſint conditiones formarum Senſibilium principalium, & Radijs, ac Lumini conueniant oppoſitę, iure colligendum eſt, eſſe Imagines, & formas ſpiritales. Confirmatur: quia Color virtute Luminis mouet ſiue agit ſpiritaliter, quare Lumen eſt forma ſpiritalis; Prętерea, non ualet eadem principalis forma eſſe in Cęlo, & Mortalibus, ſed ſola Imago, & Lumen Solis effunditur per Cęlum, & Elementa; Prętерea, vel educitur ex potentia perſpicui, vel inducitur, ſi inducitur, eſſet Creatio, non videtur educi, quia forma non educitur ex Materia, niſi per tranſmutationem eius, quę fit in tempore. Confirmatur: quia forma principalis, quę eſt in Subiecto, ut eſt in ſuo Subiecto, agit, & mouet Senſum, at, Lumen non apparet, niſi à ſolido repercutiatur. Colligo itaque, umen, ſiue referatur ad Medium, ſiue ad Senſum Viſus, ſemper eſſe aliquid ſpiritale, nam varia Relatio non variat Naturam formæ abſolutę; Ita Iamblichus, Syrianus, & reliqui potiores Academici, quamuis dicant Lumen eſſe corpus, aiunt tamen eſſe ſpiritale, & Simplicius exponens Cont. 67. ait Lumen eſſe actum agentis in perſpicuo, non ut in Subiecto: nam ſeparatur, & ſequitur corpus Lucidum ei iunctum; Auerr. in 2. de Anima, 70. ait Lumen eſſe pręſentiam intẽtionis in perſpicuo, inquiens (intentionis) denotat eſſe ſpiritale; Propterea, rectè Scotus in 2. Sent. d. 13. affirmat Lumen eſſe formã ſpiritalem; Cuius opinionis etiam eſt Aegidius, cuius rationes non refero. Nec eſt difficile ſoluere rationes aduerſas. Dicebatur Primò, Spiritalia non ſentiri, ſed eſſe ea quibus ſentiuntur alia, inquit Simplicius, 74. in medio non propriè uideri Lumen, ſed eſſe id per quod Lucida, & Colores inſpiciuntur, & ſi modo aliquo uidetur, id ei competit, quia actio illa ſpiritalis Lucidi prima eſt, & uehemens, non autem eſt Imago alterius actionis; Addebatur Secundò, Radios efficere actiones Materiatas; Reſpondeo, id efficere uirtute eius cuius ſunt Imagines, ut etiam ea quę ſpiritaliter imaginatione concipiuntur alterant, & mouent facultate ſui principalis, ut affirmat Ariſt. in lib. de Motu Animalium; Inſuper dicebatur per ſpiritales actiones medium non denominari Quale; Reſpondeo, ſolum Lucidi hæc eſt conditio, ut per Lucem Qualitatem eminentiſſimam, vèl Cęleſtem, vel ei ſimilem propria facultate operetur ſpiritaliter, & ob uehementiam actionis Medium denominatur & dicitur illuminatum ſecundũ Senſum, potius, quia ei actioni ſit peruium, quam quia eam vt Subiectum recipiat, ſic etiam Colore Plantarum terra redditur uiridis in tranſitu Nubium, & radij ſpiritaliter apparent Colorati Colore uitri per quod tranſeunt, & Ariſt. Cont. 138. Viſionem dicit Coloratam. At iure optimo quæret aliquis, quidnam ſit hoc eſſe ſpiritale? Auicenna 6. Naturalium parte 3. cap. 1. & 7. Et Auempaces, inquiunt Lumen non in perſpicuo recipi, ſed in ſolo Colorato, & Opaco, ex cuius illuminatione Medium dicitur illuminatum, cum tamen perſpicuum ſolum denotet remotionem impedimenti, eſſe autem

Eſt Qualitas ſpiritalis.

Conditiones formarum principaliũ, et ſpiritaliũ.

Cõfirmatio.

Scotus.

Solutio aduerſ. ũ rationum.

Quid ſit eſſe ſpiritale. Auicenna.

Euersio. spiritale in Medio, est sola repræsentatio per illud, non res aliqua in eo receptas; At, hoc non satisfacit: tum, quia sic possemus per inane videre, quod negat Aristot. tum, quia Mediũ non permutaretur non calefieret, & attenuaretur, tum demum, quia nil transit ad extremum, nisi modo aliquo sit in Medio; Insuper, lumen dicitur ut Color perspicui, & actus eius, & nisi aliquid reciperet, non deberet esse nudatum eo Obiecto, à quo moueri dicitur, ut affirmat Arist. in Contex. 71. Insuper ait Arist. Obiectũ mouere medium, id verò Instrumentum Sensus, at, Mediũ non moueret, nisi aliquid reciperet, non enim sat est sola Relatio Obiecti ad Instrumẽtum Visus; Confirmatur: quia tunc per inane possemus uidere, non enim per id euerteretur Relatio Obiecti ad oculos; Propterea est altera Opinio Scoti, in 2. Sentent. dist. 13. quæst. vnica, dicentis, quod esse spiritale, quod ab eo dicitur intentio, est Res quædam, & præter id quod est Res etiam & Signum: nam quod est Signum, etiam est Res, adeò, ut Lumen in Medio sit Res talis, vt sit intentio, ac ita intentio, ut simul sit Res; Hæc sententia est dubia: nam cum sit Res, siue Ens spiritale, dubium adhuc est, quodnam sit huiusmodi Ens; Si dicitur quod sit Accidens in Subiecto, quæram, uel eductum, ac ita esset Materiatum, vel inductum, & esset Creatum. Pro Solutione accipio, dum loquimur de Mediis, de eis modo aliquo, ob uariam relationem vera esse extrema, vt Stirpa animalia, dicuntur & Animalia, & Plantę, & diluculum dicitur Nox, & Dies; Spiritalia autem sunt tanquam Media inter ea quæ sunt, & quæ non sunt & ob id dici possunt esse, & non esse. Accipio Secundò, considerari in rebus hunc trinum gradum, in Primo sunt formæ principales; in Secundo, participationes, in Tertio, Imagines, & imitationes, huius Tertiæ conditionis est, esse Spiritale, nam est imitatio & Imago; Accipio Tertiò, quod ut Formæ in Materia mersæ, edunt actiones cum Materia complicatas, ita Lux, quæ cum sit Cælestis, vel ei similis, Sensibilium omnium minimè in Materia mersa, actionem suam edit maximè Formalem quæ actio maximè formalis, Imago formæ principalis, ex forma prodiens, ut maximè supra materiam, inter formas Sensiles est eleuata, dicitur actio Spiritalis; Hæc non est Ens principale, sed imitatio, & imago eius, adeò, vt sit Ens, & non sit; sit in Medio ut deferente, & repræsentante, non sit ut in Subiecto, ex cuius potestate educatur; Sit actus alterius, non quidem proprius, sed alienus, vt alterius est repræsentatio; Sit forma, & non sit forma, non est forma principalis, sed Imago eius; Hæc nec gigni, nec creari, nec interire dicitur, quia generatio & interitus, sunt rerũ principalium Imagines autem sunt, & non sunt per præsentiam eius cuius sunt. Imagines, & absentiam, hinc Arist. dixit Lumen esse præsentiam Lucidi; Definiri autem potest esse spiritale, quod sit Imago sine Materia rei principalis, ex forma Sensili prodiens, vt maximè suprà Materiam est eleuata; In hac significatione Arist. dixit Sensum recipere species sine Materia: nam esse Spiritale est species sine Materia, quę rei Materiatæ est Imago; Eadem ratione dicere, & negare possumus, quod extrinsecus adueniat & ingrediatur, nõ accidit extrinsecus, tanquam propria forma, sed extrinseci est presentia, Imago, & repręsentatio, ut etiam inquit Simplicius Contex. 75. In vacuo non seruatur huiusmodi repręsentatio, quia Vmbra & Imago rei, nititur ente aliquo proprio, uero, & principali, propterea carpitur Democritus Contex. 74. secus sentiens, in quem errorem etiã lapsus est Plotinus Enneade 4. lib. 5. cap. 6. putans Lumen non egere deferente, & id censuit, quia putauit esse Corpus.

Opinio Scoti.

Resolutio.

Esse spirituale quid.

An moto. Lucido moueatur Lumen. Plotinus. Simplicius.

At pulchra se offert Dubitatio, num Lumen ita sit iunctum cum Lucido, ut moto Lucido, simul moueatur Lumen, & seruetur idem; Plotinus, affirmauit seruari idem, & sequi Lucidum; Simplicius, Contex. 67. idipsum censuit, ideo dixit, moto perspicuo, non moueri Lumen, sed moto Lucido; Confirmatur: quia Imago mouetur, seruatur, & variatur, ut res cuius est Imago, vt inspicimus se habere de Imagine in speculo repræsentata; Ex aduerso, perfectio, & id cuius est perfectio, ad aliquid sunt, similiter actus, & Color, & ob id variato perfectibili, variatur perfectuo, nec eadem ex

vno in aliud mutari poteſt. Inſuper tunc idem eſſet Lumen Solis apud nos, & antipodes, & idem modo refulgeret dies, qui ante mille annos refulſit. Propterea Philoponus in prima diſputatione contra Proclum, putat Lumen in perſpicuo gigni præſente Lucido, eoque recedente interire, non autem ſequi Lucidum; idipſum ex D. Thom. ſententia dicendum eſt, qui lumen cenſuit Qualitatem ex perſpicuo, tãquam ex Subiecto eductam, per præſentiam Lucidi; Pro Reſolutione accipio, Lumen eſſe duplex; Vnum prodiens ex Lucido æterno; Alterum, ex mortali, ſi de ſecũdo loquimur, id continenter variatur, Ratio eſt: quia Lucidum ex quo prodit, veluti flamma, continenter noua gignitur, & variatur, quare & eius Imago; De Altero loquendo, quod ex Syderibus prodit, id dupliciter conſideratur; Primò, ex parte rei repræſentatæ; Secundò, ex parte Medij repreſentantis, & temporis in quo repræſentatio fit. Ratione primi ſemper eſt idem, cum ſeruetur idem id, cuius eſt Imago; Ratione alterius, eſt varium, adeò, vt idem ſemper fuerit Lumen Solis, varium autem id per quod repræſentatur, & tempus in quo repreſentatur, & aſpectus Syderum; At, pulchra eſt dubitatio, cum Sol circa terram reuoluatur, non etiam reuoluatur eadem vmbra terræ, ex qua mox prodit? Reſpondeo, vmbram non reuolui, quia eſt priuatio, ſed reuoluitur Sol, quem ſequitur Lumen, vt dixi, vmbra cum ſit Priuatio & non Ens, nõ reuoluitur, ſed ſolum in Orbem variantur partes aeris, quæ lumine priuantur; At, adhuc alia occurrit Dubitatio, ſi quis ſedeat in ripa fluminis, & in fluente aqua appareat eius Imago, num fluente aqua uarietur Imago, uel ſeruetur eadem, ut uidetur ſeruari? Reſpondeo, ſeruari eandem ex parte rei repræſentatæ, variari autem ex parte repræſentantis, & temporis. Inſuper, alia ſe offert diluenda dubitatio, dum in eodem Medio plura uariarum Stellarum Lumina conſpirant, idque illuſtrant, num ex eis prodeat Lumen unum, vel ſingula ſeruentur diſtincta? Nonnulli aiunt reddi vnum ſecundum eſſe, ſeruari plura ſecundum repræſentationem; At, hæc ſententia eſt dubia: quia eorum eſſe, eſt repræſentatio, & Imago; Propterea abſolutè dicendum puto, ſeruari diſtincta, nam cum nil ſint niſi repræſentationes Lucidorum, ut diſtinctè per quamuis intermedij partem repræſentant Lucida, ita diſtincta ſeruantur; Confirmatur: quia lumina ſunt actus lucidorum, ex eis pendentes pro eſſe & conſeruatione, & propterea ut diſtincta ſunt lucida, ita eorum actus ſemper ſeruantur diſtincti; Confirmatur: quia ea quæ permiſcentur ſunt Materiata, hi actus ſunt ſpiritales, ideo ſunt ubique toti ſine eorum permixtione, ſic tria lucida diſtincta, quorum radij ſimul tranſeunt per eundem opaci meatum, poſt tranſitum in tria oppoſita loca tendunt, & ſi eis unum obijciatur opacum, tres in oppoſitum umbras pariunt; Nec eſt abſurdum, quod in eodem Medio plura lumina ſolo numero diſtincta reperiantur, quia nõ ſunt in eo ut in Subiecto, ſed ut in repræſentante, qui putarent lumen eſſe Qualitatẽ, ex perſpicui potentia eductam, ſecus ſentire cogerentur, at aduerſarentur experientiæ; Sed alia adhuc ſupereſt diluenda Dubitatio, & eſt, dum lucidum perſpicuo redditur præſens, ueluti dum Sol ſupra Ortum eleuatur, num lumen ſimul per uniuerſum hemiſphærium effundatur, uel potius ſecundum ſucceſſionem partium perſpicui, adeò, ut pars poſt partem reddatur lumine prædita; Empedocles Democritus, & Leucippus, putarunt id fieri cum ſucceſſione partium perſpicui, adeò, ut pars partem ſequentem illuminet; Idipſum affirmat Philoponus in hoc 2. de Anima, in digreſſione attinentium ad Viſum; Similitèr, qui putant lumen eſſe Qualitatem perſpicui, ex eius poteſtate eductam, idipſum coguntur aſſerere; At, ſi id eſſet, non momento eſſet effuſum per uniuerſum perſpicuum; Inſuper cum ſit Imago, & repræſentatio, ſtatim quod lucidum eſt præſens, non parti poſt partem, ſed uniuerſo ſimul eſt præſens, & propterea totum perſpicuum ſimul imagine lucidi formatur, & quæuis pars eius, quia ſpiritalis repræſentatio eſt tota in toto, & tota in quauis parte; Hinc Ariſtot. in lib. de Senſu & Senſili, loquens de cæteris Senſibus ait, primò partem proximam moueri, mox alias, de Viſu hoc non dicit.

Philoponus.

Reſolutio.

Dubitatio.

Solutio.

Alia dubitatio.

Solutio.

An plura in eodem Medio ſeruentur Lumina.

Alia dubitatio.

De Luminis effuſione.

Empedocles.

Philoponus.

Ariſtot.

De Tenebris. Declarationi Luminis succedit declaratio Tenebrarum, nam oppositorum eadem est disciplina, & per habitum noscitur Priuatio; De Tenebris Primò considerandũ, quid sint; Secundò cui opponantur; Tertiò; cui competant; De Primo tres sunt opiniones; *Quid sint tenebræ.* Quidam aiunt exactas tenebras non dari, sed esse diminutum, & non conspicuum lumen, Cuius Opinionis fuêre plures Academicorum, & præsertim Iulianus Platonicus, in lib. de Sole. *Opinio 1.* Fundamentum est, quia lumen adeò est potens, ut nil penitus ei obsistat; Insuper, cum vniuersum sit Anima præditum, in terra cui competit Anima, etiam spiritus Lucidi reperiuntur Animæ famuli; *Euersio.* Hęc Opinio non videtur approbanda: nam Perspicuo opponitur Opacum, si datur vnum oppositorum, datur & alterum, & cum detur Opacum, etiam Tenebræ opacum sequentes, dari debent; Insuper, in attinentibus ad Sensum, credendum est Sensui, in antris terræ constituti, nil luminis inspicimus, nec lucidum suo lumine est aptum superare quoduis opacum, *Opinio 2.* nec terra conceditur à Peripateticis Anima prædita; Altera opinio est quorundam, putantium tenebras esse Qualitatem contrariã lumini, non solam priuationem; huius opinionis est Priscianus Lydus in Theophrastum, cap. 17. quam confirmant: quia pariunt Eclipsim Lunæ, lædunt oculos, timorem pariunt, ab eis ad lumen datur re- *Euersio.* gressus, & quemadmodum à Cęlo Lumen, ita à Terra Tenebræ effunduntur. Hæc opinio etiam est dubia, nam tunc qualitati Cęli competeret contrarium, non momento, sed cum resistentia lumen effunderetur, secundum se uiderentur, prodeunt ex sola *Opinio 3.* absentia lucidi; Tertia opinio est Aristotelis in Cont. 70. dicentis, Tenebras esse priuationem luminis in perspicuo: nam contraria prædita sunt communi genere, quo lu- *Resolutio.* men & tenebræ non sunt præditæ. Hinc prodeunt ex sola absentia lucidi; Pro Resolutione dico, Tenebras dupliciter posse considerari; Primò, ex parte sui; Secundò, ex parte comitantium eas; ex parte sui, sunt pura priuatio, & absentia luminis, à perspicuo, ex parte autem comitantium, formant aliquam habẽt adnexam, nam absentiam lucidi sequitur frigus, densitas, humiditas, quæ nobis frequenter obsunt, pariunt autem timorem, qua in tenebris carentes duce illustrante iter, & patefaciente aduersa uitanda, pariunt Eclipsim, quia est priuatio. Datur regressus ad lumen, *Cui tenebræ competant.* quia abest actus, at non facultas illum recipiendi, ut ait Simplicius 68. Ex his refulget tertium, nimirum, cui competant tenebræ, nam forma & priuatio in eodem uersantur, ut lumen est actus perspicui, ita tenebræ in perspicuo sedem habent, tenebræ enim sunt priuatio, sed luminis, & illuminatum opponitur non lucido, sed perspicuo tenebricoso, & cum tenebræ sint pura priuatio, perspicuum non distincta facultate recipit lumen, & tenebras, sed facultas est una, cui modo competit actus, modo non competit: nam potentia formam respicit, non priuationem; Ex his patet intra Terram non tenebras reperiri, sed opacum, solum sunt tenebræ in aere incluso, in cauitatibus Terræ, in Sole, & flamma, Lux sola, non tenebræ reperiuntur, in Luna locum habent & Lux propria, exigua, & lumen à Sole receptum, & tenebræ, quæ sint priuatio eius luminis, & opacum in parte eius non pernia luminis Solis, adeò, vt in ea cuncta illa conspirent, & reperiantur.

Contex. 71. *EST autem Coloris quidem susceptiuum quod Coloris est expers, Soni autem quod sine Sono, Coloris autem expers est perspicuum, & inuisibile, aut vix visibile, quale videtur esse tenebricosum, tale autem est perspicuum quidem, at, nõ quando actu est perspicuum, sed quando potestate. Eadem namque Natura, aliquando Tenebræ, aliquando verò Lumen est.*

DECLARATO Visibili, Perspicuo, Lumine, & Tenebris, intentio Philosophi modo est, nonnulla declarare, ex quibus eorum quæ dicta sunt distinctior notitia refulgeat, & in præsenti Contex. declarat conditionem Medij deferentis Obiectum Visus. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima declaratur conditio, In Altera cui competat ea conditio; Vt pertinet ad Primam, Regula communis prolata in 3. de Anima, Contex. 4. est, Recipiens debere esse nudatum eo quod recipere debet, ex qua elicitur, aptum recipere Colores, debere esse Colorum expers, vt sine Sono debet esse id, quod delatiuum est Soni, & similiter de cæteris; Et loquens in Secunda parte de Medio deferente Colores, ait perspicuum esse id, quod est expers Colorum, quod perspicuum est inuisibile, quoniam caret proprio Colore, aut vix visibile, quod verũ est duplici ratione; Primò, quia solum inspicitur per Lumen tanquam per alienum colorem; Secundò, quia perspicuum tenebricosum inspicitur per priuationem, quatenus Sensum Visus non mouet & formar, & hoc est id quod denotat Aristot. ideo addit, (tale uidetur esse tenebricosum,) veluti est perspicuum potestate, hoc est, Lumine carens, nam eadem perspicui Natura, aliquando est Tenebræ, aliquando Lumen, non enim sunt duæ potentiæ distinctæ, sed una, ut dixi in præcedentibus.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ait eadem Natura modo Lumen, modo Tenebræ est, consueuit id quod spiritaliter aliud recipit, & representat, dicere fieri illud, sic Mens dicitur fieri omnia intelligibilia, & Sensus Sensibilia, ut patet ex 3. de Anima, nam fit id per imaginem, imitationem, & repręsentationem; Eadem ratione, modo Natura perspicui dicitur esse Lumen, & Tenebræ; se habent Lumen, & Tenebræ ad perspicuum, perinde ac Forma, & Priuatio ad Materiam; ea sui conditione neutrum includit, & seruatur cum utrisque; & ob id de eius Natura & Essentia vera est negatio vtriusque, non autem alterum oppositorum, Materia sui Essentia nec forma ita nec priuata est, nam si vnum eorum esset in eius Essentia, non posset seruari cum altero. Considero Secundò, dari hanc Regulam, Recipiens debere esse nudatum forma recipienda, quæ Regula ex primis verbis Contextus elicitur; Ratio Regulæ traditoria 3. de Anima, Contex. 4. & est, quia intus existens prohibet, & obstruit, quia duo consimilia, non simul seruari possunt in eodem; Cõfirmatur: quia receptio est quędam mutatio, omnis autem mutatio est ex oppositis; Præterea, ea receptio esset magis, Natura autem nil frustra facit; Regula est uera de primo recipiendo, quia ea mouent, & nil agit in se uel mouet se, non de secundario, ut patet de Sensibilibus communibus, quibus medium & Organum non sunt nudata; Regula est uera de omni receptione, cum materiata, tum spirituali, nam includens modo materiato, non recipit spiritaliter, in quo sensu ab Aristot. modo profertur, non autem est, vera quod deferens spiritaliter non includere valeat spiritaliter: nam spiritalia non se mutuo destruunt; Ratio est, quia spiritalia non sunt in medio ut in Subiecto, sed solum ut in præsentantia, in eadem parte Medij possunt simul repręsentari uaria, cum similia, tum contraria, ut dixi in præcedentibus de pluribus Luminibus in eodem Medio. At, de hac Regula plura dicam in 3. libro. Considero Tertiò, quod Aristot. tenebricosum ait inuisibile, aut vix visibile, in 3. de Anima, Contex. 25. declaratur, quomodo noscatur priuatio, oportet enim ut noscens priuationem, sit præditum duplici conditione; Vna est, ut sit potestate, hoc est, aptum moueri ab Obiecto, & non moueatur; Altera, ut includat oppositum hoc est notitiam formę: nam qui non nouit Habitum, non ualet noscere Priuationem: hinc dicitur Priuationem noscI per Formam; Ex quo colligo Primum, quod nos uidemus non esse Tenebras, sed Lucem, & infans in utero, quamuis

Considet. 1.

Recipiẽs debet esse nudatũ forma recipiendę

Ratio.

Quomodo regula debeat intelligi.

Cur spiritalia nõ se mutuo destruãt

3

Quomodo noscatur priuatio.

quamuis sit in tenebris, non tamen eas iudicat, nisi primò uideat Lumen; Similiter, qui capti sunt oculis, tenebras non uident, quamuis uulgò dicatur eos esse in tenebris, nã ut tenebras iudicemus requiritur ut noscamus Lumen, & iudicantes non adesse Lumen, dicimur noscere tenebras; Ex quo insuper infero, pro notitia Priuationis non sat esse externum Sensum, sed una conspirare debere Sensum communem, & Phantasiam, per quam seruetur imago Luminis, & unumquodque ita debet nosci ut est, Negationes per negationem, Priuationes per priuationem, Formę per formã.

4 Considero Quartò, quod cum Lumen dicatur præsentia Lucidi, Aristot. in Contextu 69. referẽs lucida, dicebat: Quãlis est Ignis, & superum Corpus, retulit lucidum mortale, ut est Ignis non purus, ueluti flamma: nam Ignis purus non lucet, & lucidum æternum; de luce Cæli, nonnulli putarunt omnem eius lucẽ redigi ad eam Solis, adeò, ut cętera sola luce Solis redderentur prędita lumine: At, ego ueriorem puto opinionem alteram, quod uniuersum Cæleste Corpus sit lucidum, secundum magis & minus, adeò, ut lux remissior, sit tanquam inchoatio lucis, quę deinde a Sole perficiatur, & intendatur; Hinc Luna dum Eclipsatur, seruat propriam quandam lucem, per quã inspicitur, & Subiectum æquatum æternę lucis Cælum totum statui debet, comparatis inuicem orbibus; Octaua Sphęra est maximè lucida, ob Stellarum multitudinem, comparatis autem Stellis, Sol est maximè lucidus; Hæc de re in libro de Cælo uerba feci.

Lux Cæli.

Contex. 72.

NON omnia autem quæ uidentur in Lumine sunt, sed solum uniuscuiusque proprius Color, quædam enim præsente Lumine non uidentur, sed eo absente, mouent Sensum, ut quæ apparent Ignea, & fulgent. Hæc autem non sunt uno nomine prædita, ut Fungus, Cornu, Squamæ piscium, & Oculi: At nullius horum uidetur proprius Color; Quam autem ob causam haud-

73 *eantur, alius est sermo. Nunc autem hoc sit manifestum, quod Color ille est, qui in Lumine inspicitur, propterea non uidetur sine Lumine: nam id erat esse Coloris, ut moueat perspicuum, quod actu sit, actus autem eius est Lumen, cuius rei hoc est conspicuum signum, quod si quis Coloratum ponat supra Visum, non uidebit illud. Nam Color mouet perspicuum, ueluti Aerem, ab hoc autem cum sit continuum, mouetur*

74 *Instrumentum Visus. Neque enim rectè dicit Democritus putans si intermedium esset inane, cerni exactè posse, etiam formicam si in Cælo esset: hoc autem fieri nequit, nam patiente sensitiuo, fit Visio, hoc autem non potest pati à Colore, qui uidetur, quare à medio patitur, ideo est necesse ut adsit medium; Si autem intermedium esset inane, nedum non exactè, immò nil penitus uideretur; Dictum itaque est, ob quam causam sit necessarium Colorem in Lumine uideri, Ignis autem in utrisque uidetur, & in Tenebris, & in Lumine, et id necessariò accidit, perspicuum enim ab eo fit perspicuum.*

PRO-

PROSEQVENS Philosophus eorum declarationem, quæ pro Sēsu Visus sunt necessaria loquitur de varietate Visibilū, & de requisitis pro Medio per quæ videntur; Ratio vtriusque est, quia prius dixerat videri Colores, & alia communi nomine cætentia, quod in progressu se explicaturum pollicebatur; Insuper dixit, Colores non videri, nisi per Medium Lumine præditum, iure igitur de vtrisque modo loquitur. Diuiditur præsens Contex. in quatuor partes; In Prima declaratur quæ egeant Lumine vt videātur; In Secunda, quæ non egeant; In Tertia, explodituer error Democriti; In Quarta, ostenditur Ignem & præsente, & non præsente alieno Lumine, videri. Inquit in Prima parte, solum Colorem esse illum qui vt videatur eget externo Lumine; In Secunda parte patefacit cætera visibilia eo non egere, & enumerans illa, ait esse & Fungum quendam aridum, & satis igneum, nascentem in trunco Quercus, & Cornua, & Squamas ac Oculos piscium, quæ vno communi nomine non sunt prædita; hæc in tenebris videntur emittere Lumen quoddam, per quod videntur, non autem apparet Color proprius eorum in tenebris, sed solum præsente Lumine; Color itaque ille est, qui sine lumine non videtur, quod ostenditur primò ratione, mox signo, & experientia. Ratio est: quia nil potest seruari sine eo quod est in ratione illius; at, lumen externum est in ratione Coloris relati ad Sensum Visus, nam dicitur aptus mouere perspicuū illuminatum, quare non potest videri sine lumine, signum est quia coloratum collocatum supra oculum, adeò, vt externum lumen non medier, non videtur: nam Color mouet perspicuum illuminatum, & ab hoc existente, continuo mouetur oculus; In Tertia parte exploditur error Democriti, dicentis intermedia Corpora esse impedimento visioni, & si interuallum medium inter oculos & Cælum esset inane, conspicuè inspiceretur, quoduis minimum in Cælo positum, veluti formica. Ex aduerso Aristot. ait per intermedium inane nil penitus videri posse, quia nil agit nisi per Tactum, & nil agit in extremum nisi per medium; In Quarta & postrema parte ostēditur, id quod est proprium Ignis, & quorundam aliorum, veluti Lunæ, hæc videntur præsente alieno lumine, vt candela interdiu accensa, & in tenebris, & semper eorum apparet proprius Color, vel per lumen alienum, vel noctu per lumen proprium; Diuisionem autem Visibilium retuli sub initium huius capitis.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Arist. potuisset dicere omne quod uidetur uel esse Coloratum, vel Luce præditum, ac ita utrunque caput esset nomine præditū, tamen quia ea quæ lucere uidentur, sunt multiplicia, propterea dixit carere communi nomine; Immò etiam dicere posse mus, omne quod uidetur, uel esse Lumē, uel uideri per Lumen; Varietas autem eorum quæ videntur in tria capita redigitur: Vel solum videntur vt Colorata veluti Ebenum, & egent alieno Lumine; Vel solum ut Lucida & eo non egent, veluti Sol, Flamma, & Luna, quæ noctu & interdiu uidentur quorum quamuis appareat Calor aliquis, nō tamen ut uideantur exposcunt alienum lumen, sed sat est proprium; Tertiò, nonnulla uidentur & tanquam Colorata, & tanquam Lucentia, ut Colorata interdiu uidentur ut Lucentia solum noctu, & hæc sunt duplicia; Quædam sunt prædita luce propria, exigua tamen, ut nicedulæ, & horum Lux cum sit exigua, præsente maiori luce delitescit, ideò solum noctu apparent; Alia sunt tanquam Specula in quibus facilè refulget & repercutitur aliena Lux, veluti sunt squamæ piscium humor Oculorum Crystallinus, Fungi, Quercus arida, & putrida, ouа elixa ut ait Auicenna, & Aqua Maris quæ ob salsedinem redditur tanquam Speculum, & dum mota remis agitatur refulget,

Considér. 1.

Varietas visibilium tribus capitib. comprehensa.

get, quia in ea repercutiuntur radij stellarum, quamuis exigui & tenues; hinc dũ re-
2 lata in antris & clausis thalamis reperiuntur non fulgent. Considero Secundò, de
omni Sensu dici quod sensibile positum suprà instrumentum sensus, non sentitur, &
Dubitatio. propterea inani signo uidetur Arist. ostendere Lumen requiri pro usu colorum: quia
si coloratum collocatur supra oculum, adeò, ut illum tangat, non uidetur, quia non
mediat Lumen, at hoc etiam est uerũ de alijs, pro quibus non requiritur Lumen; Pre-
terea, id signum non uidetur omni ex parte uerum, quia laborans Suffusione, & Al-
Solutio. bugine oculorum uidet illam; Respondeo, de omni Sensu esse verum, quod expo-
scat proprium Medium, vel externum, vel internum, at, proprium Medium requisi-
tum pro Visu, est perspicuum illuminatum: ideo ut cæteri Sensus exposcunt propriũ
Medium, ita Sensus Visus, at, tale Medium eius, non autem cæterorum est perspicuũ
Quomodo uideatur suffusio oculorum. fuo actu præditum; Addebatur, id signum non semper esse uerum; Respondet Philo-
Philoponus. ponus suffusiones oculorum fieri circa corneam, inter quam, & Crystallinum humo-
Euersio. rem, in quo fit uisio, mediat humor albugineus perspicuus, ac ita adest mediũ lumine
præditum, non uidemus autem reliqua superimposita oculo, quia oculũ obumbrant,
adeò, ut non ualeat Medium illuminari; Solutio hæc uidetur manis, quia Lumen ex-
ternũ non pro oculo, sed pro intermedio perspicuo requiritur: nã oculus ex se lucidus
est, & quo magis est in tenebris, eo uidet acutius, dũmodo Obiectũ sit illuminatum.
Solutio. Propterea dicamus, Suffusionem oculi non esse eam quam videmus, sed per quam ui-
demus alia, & si ea Suffusio esset valde densa, nec alia, nec eam uideremus, & quem-
admodum ea quæ videntur per uitrum Coloratum apparent eo Colore Colorata, ita
quæ videmus per Suffusionem albam, iudicantur à nobis alba, & dicimur videre Suf
3 fusionem. Considero Tertiò, in dubium uerti, an pro Visu necessarium sit medium
externum, & quoniam ea quæ uidemus sunt duplicia, nimirum Lucida, & colorata, de
An pro visu necessarium sit medium externum. utrisque est Dubitatio, & opiniones sunt tres; Nonnulli putant pro nullo visibili es-
Tres opiniones. se necessarium medium externum; Alij pro utrisque; Quidam pro Colore, at, non
pro lucido; Primæ opinionis est Philoponus, qui (vt retuli) Suffusionem coloratam
uideri censuit sine externo medio, & si id censuit de colorato, longe magis id putare
debuit de lucido, ueluti confricantes oculos uidemus lucem spirituum oculi; Eiusdem
Opinio 1. Philoponi. Plotinus. opinionis fuit Plotinus, quod ita ostendit: Nam si coloratum agit in medium perspi-
cuum, etiam poterit agere in perspicuum oculum; Preterea, cum medium solum de-
ferat actiones uisibilium, potius eas minuit, quam auget, ideo potentius sine medio
mouebunt; Insuper, si distans lucidum per medias Tenebras uidemus, longe magis
Opinio 2. Simplicij. sine medio id intueri ualemus, quia intermediæ tenebræ potius obsunt, quam prosint.
Simplicius putat requiri medium externum pro Visu Colorati, at, non lucidi: nam
lucidum etiam sine medio videri potest, dummodo non obumbret oculum; Ratio
afferri potest: quia lucidum sua conditione spiritaliter agit, & propterea sine externo
Opinio 3. Solutio. medio potest in oculum spiritaliter operari & sentiri; Demum Tertiò, affirmant
nonnulli, medium externum esse necessarium pro utrisque: nam Arist. uniuersè af-
firmat Sensibile positum supra sensum non percipi. Pro Solutione dicendum puto,
pro Colorato necessarium esse medium externum absolutè, vt id uideamus, pro lu-
cido ut id distinctè uideamus: Ratio primi est: quia id quod instrumentum integrum
est Visus, est oculus totus, & propterea instrumentum totum debet moueri spirita-
liter; coloratum non mouet spiritaliter, nisi per lumen medium, ideò requiritur extra
oculum, medium lumine præditum, per quod coloratum moueat; Confirmatur: quia
lumen requiritur ut illustret, & patefaciat Obiectum, quod facere non valet sine ex-
terno illuminato medio; De lucido dico, requiri externum medium, ut distinctè in-
spiciatur: nam sine medio mouet uehementer, disgregat, & turbat oculum, requiritur
Diluuntur Rationes aduersæ. autem ut moderatè moueat, potest tamen confusè uideri: quia ex se spiritaliter ope-
ratur; Rationes aduersæ facilè diluuntur; Dicebatur: Si Coloratum agit in medium
perspicuum, lõge magis aget in oculum; Respondeo, quod non agit spiritaliter in in-

ſtrumentum niſi per medium Lumen, ideo oportet, ut inter Coloratum & oculum, mediet perſpicuum actu; Inſuper, actio debet eſse moderata, non uehemens, ſpiritalis, non materiata; Addebatur, medium defetens minuere vim actionum; Reſpondeo, eſse neceſsariam ut producantur actiones illæ ſpiritales, quæ moueant inſtrumentũ, & moderatè offerantur; De Lucido iam dixi, Ariſt. autem præſertim ſuam ſententiam protulit de Colorato, ut patet; Conſidero Quartò, quod Ariſt. aduerſus Democritũ, ait pro Viſu requiri externũ medium, per quod extremum agat in extremum, ideo, ſi medium interuallum eſset inane, nil uideremus, at, ex aduerſo, id non uidetur neceſſarium, quia actio ſpiritalis, nõ eſt in medio ut in Subiecto, & propterea in inani poterit ſeruari, & de Lumine id oſtendit Plotinus, Enneade 4. lib. 5. cap. 6. Primò, quia Lumen pendet non ab illuminato, ſed ab illuminante, cum pro eſse, tum pro conſeruatione; Confirmatur: quia Lumen eſt Qualitas abſolutè prima, ex Cælo prodiens per modum actus immanentis, & directè deſcendit, nec eget fundamento per quod ſuſtineatur; Præterea, Lumen non eſt proprium perſpicui Corporis, vt Corpus eſt, ſed quia non impedit tranſitum, at, nec inane illum impediret, & ſe habet Lumẽ ad Lucidum, ut Vita ad Animã, quæ eã ſemper comitatur, & ſequitur; Hinc male Ariſt. ait Lumen eſſe actum perſpicui, & male putat neceſsarium eſse medium externum pro Viſu; At hæc facilè reijciuntur, aduerſantur enim cum Rationi, tum Experientiæ: nã omnis actus, alicuius debet eſse actus, & non ſeuatur ſine eo, cuius eſt actus; & quamuis dicatur actus immanens, quia pendet ex lucido pro eſse, & conſeruatione, non tamen adeò eſt immanẽs, ut etiam externo non egeat, veluti Vita ex Anima prodiens, cum ſit actus alterius, non ſeruatur ſine eo cuius eſt actus, veluti etiam illuminans, illuminati eſt illuminans, & cũ lumen ſit imago & repreſentatio lucidi, eget, repreſentante, & deferente, ſola enim ſubſtantia ſecundum ſe ſubſiſtere apta eſt, non autẽ ulla Qualitas qualiſcunquæ ſit; Conſidero Quintò, quod Ariſtot. ait, ignem diu, noctuque videri, hoc aduerſatur experientiæ: nam Sphæra Ignis nec diu, nec noctu appareret. Reſpondeo, Sententiam Ariſtot. intelligi debere de Igne qui flamma eſt, & incenſio, Sphæra Ignis non eſt huiuſmodi, ſed eſt tanquam deſiccatus, & depuratiſſimus Aer, Flamma autem magis in Tenebris quam præſente lumine apparet, quia à luce intenſiore obumbratur, Dubitatio de Oculo, qui quamuis ſit Coloratus, tamen recipit actiones. Colorum, mota ab Alexandro, & Simplicio, diluetur in 3. de Anima, dum exactius explicabitur Regula de recipiente. Sexto loco declarandum occurrit Obiectum Viſus, de quo breuibus agam; Omni facultati cognoſcenti quæ vna ſit, reſpondere debet genus vnum, pro quo iudicando ſit parata; Hoc genus nuncupatur Subiectum, Obiectum, Oppoſitum, & Scopus; Quæritur itaque, quodnam ſtatui debeat Obiectum facultatis videndi? Dum quæritur Obiectum Senſus, id ſolum quæritur quod eſt ſecundum ſe, & proprium, à facultate videndi ſecundum ſe iudicantur Color, & lumen, quæ nullo alio Senſu ſecundum ſe percipiuntur: quod autem eorum ſtatui debeat Obiectum, tres ſunt opiniones; Quidam inquiunt lumen; Nonnulli Colorem; Alij utrunque; Academici præſertim lumen approbant, quorum nonnulli aiunt; Vt in ſuperis idem eſt primum intelligibile, & primum intelligens, ita idem eſt primum ſenſibile, & primum ſentiens, huiuſmodi autem dicitur Sol; Hinc referente Marſilio Ficino in Theophraſtum; Cap. 22. Orpheus Solem dicebat primum videns, ac primum viſibile, quatenus Lux eius eſt primum quod videtur, & per quod videntur alia, Colores enim videntur per lumen; Hinc Simplicius, Cont. 67. ait: Omne quod videtur, vel eſt lumen, vel ei cognatum; Alexander 1. de Anima, Cap. 13. ait: Lumen eſt præſertim, & maximè viſibile, & cauſa alijs ut videantur; Auerr. Cont. 72. lumen ait ſecundum ſe ſenſibile, colorem verò per lumẽ; Hæc Sententia eſt dubia: quia Color eſt ſecundum ſe viſibilis, & omne iudicium viſus ſecundum ſe, definit in Colorem, nam Lux, & lumen, tanquàm colorata iudicantur; Hinc ad primum viſibile quod Ariſtot. retulit, fuit Color, & eo dixit, non lumine, in

Dubitatio. An Lumen p manc poſſit deferri. Plotinus.

Solutio.

Cur Sphæra ignis non uideatur.

De Obiecto Viſus.

Opinione tres de Obiecto Viſus.

Opinio 1. Academicorum.

Orpheus.

Alexan.

ſtrumen-

strumentum Visus esse nudatum; Galenus in 7. de placitis Hippoc. & Platonis, cap. 5.

Plato. Colorem dixit esse primum, & propriè visibile; Plato in Timeo, loquens de Sensu Visus, ait; Quæ sub eo sunt, omnia colores vocamus, qui sunt tanquam fulgor, & flamma. Insuper, in 6. de Republica, Lumen non dicit Obiectum, sed iugum, quo Obiectum cum instrumento & facultate uidendi connectitur; Propterea, nonnulli Colorem statuunt Obiectum, & ad Colorem aiunt redigi lumen, quod ab Arist. Color perspicui nuncupatur; At, quia re vera hæc sunt duo distincta & ab Arist. in principio pro distinctis visibilibus referuntur, Hinc Tertia prodit opinio, quod Color, & lumen sint Obiectum Visus; & Aristot. referens Obiectum, non unum eorum tantum, sed utrunque retulit. Pro Resolutione dicamus, Obiectum Visus tribus modis posse accipi; Vel pro termino in quem desinit iudicium; Vel pro prima, & præcipua ratione per quam unumquodque secundum se videtur; Vel Tertiò, pro aggregato ex utrisque; In Prima significatione, Obiectum est Color; In Secunda lumen; In Tertia, utrunque. Quod solum uidetur, est Color; quod videtur & per quod, est lumen; Quod solum uidet, est Oculus, facultate præditus; Nec est absurdum, vt Visui plura respondeant, quia ea sunt subordinata pro actu uidendi, non seiuncta penitus; At cæteris prætermissis quæ in libro de Visu exactius sunt relata, duæ occurrunt ambiguitates; Vna est, quomodo Sensus mortalis valeat iudicare secũdum se, æterna, & mortalia, cum ea sint distincti generis, veluti Lux Cœli, & mortalium; Altera est: si Color est Obiectum, vel est aliquid Vniuersale, vel Singulare; non Primum, quia Sensus non iudicat Vniuersale nisi & accidenti, vt dicitur in 13. Metaphysicæ in calce; Non Alterum, quia Sensus ad nullum Singulare est contractum; De Prima difficultate dico, nos non videre æterna, nisi quatenus subeunt conditionem, quandam mortalem, & per mortalia effundunt, quæ etiam quamuis pro esse absoluto sint distincti generis, tamẽ ratione modi mouendi Sensum, sunt modo aliquo eiusdem rationis; De Altera difficultate dico, nec Vniuersale actu, nec Singulare signatũ, esse Obiectum sensus, sed Singulare indefinitè sumptum, hoc est, Naturam eandem in singulis positam, quæ dicitur Vniuersale potestate, & Vniuersale in singulis positum, ac ita intelligi debere id, quod dicitur ab Aristotele in calce 2. Posteriorum, quod Sensus sit Vniuersalium, Sentire verò Singularium. Septimo loco considero, iure quempiam dubitare posse, & Aristotelem carpere, quia loquens de Visu, de Obiecto, & requisitis pro muneris functione, est loquutus, at, de facultate quæ præsertim est declaranda, nullum fecit verbum; Respondeo, facultatem non distingui ab Essentia Animæ, & vt pertinet ad facultatem videndi, quædam sunt ei, & cæteris cõmunia; alia sunt propria eius; ea quæ sunt communia, nota sunt per ea quæ vniuersè de Anima, & de omni Sensu Aristot. declarauit, propria verò resulgent per Obiectũ, & actionem eius; Pertinentia ad modum videndi declarantur ab Aristotele in libro de Sensu & Sensili, ut etiam attinentia ad instrumentum in eodem libro, & in libris de partibus Animalium, de quibus, ac etiam de præstantia Sensus Visus, & de alijs; ego disserui in libro de Sensu Visus, propterea hoc in loco ea missa facio.

Quomodo Sensus mortalis iudicet æterna.

7 *Dubitatio.*

Solutio.

Contex. 75.

EADEM autem ratio est & de Sono, & de Odore, nil enim horum tangens Sensorium facit Sensum, sed ab Odore quidem & Sono medium mouetur, ab hoc autem Sensorium vtriusque, cum autem super Sensorium aliquis imposuerit olens, aut sonans, nullum Sensum efficiet; De Tactu autem, & Gustatu similiter quidem se habet,

26 *non apparet autem, cur autem id eueniat, posterius patebit; Medium*

autem

autem Soni quidem Aer eſt, Odoris autem nomine caret, eſt enim affectio quædam communis Aeri competens, & Aquæ, vt Perſpicuum Coloris, ſic & Odori, quod his vtriſque competit: apparet enim Animalia in aquis degentia, prædita Senſu Odoratus: At, Homo, & progredientium Animalium quæcunque reſpirant, nequeunt odorari niſi dum reſpirant; Cauſa autem poſterius dicetur.

CVM Philoſophus de Senſu Viſus uerba feciſſet, & pro eo manifeſtaſſet neceſſarium eſſe Medium, poſſet quis putare, id pro ſolo Viſu eſſe neceſſarium cum ſolum Obiectum Viſus per medium ſpiritaliter repræſentetur: ideo intentio eius eſt manifeſtare hoc eſse cõmune omni Senſui. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima oſtenditur pro omni Senſu neceſsarium eſse Medium; In Altera uerò, quodnam huiuſmodi medium ſit; Vt pertinet ad Primam partem, inquit Philoſophus, id quod dictum eſt de Colore, etiam eſse uerum de Sono, & Odore nam: de omnibus uera eſt ea Regula, Senſibile poſitum ſuprà Inſtrumentum Senſus, non Senſu percipitur, ſed Medium requiritur, per quod moueat; & nedum hoc uerum eſt de tribus relatis Senſibus, expoſcentibus Medium externũ, ſed etiam de Tactu, & Guſtatu, ut ex dicendis patebit; In Altera parte patefaciens quodnam ſit Medium Auditus, & Odoratus, ait Medium Sono inſeruiens, eſſe Aerem, inſeruiens autem pro delatione odoris, caret proprio nomine: nam eſt affectio quædam communis Aeri, & Aquæ, perindæ inſeruiens odori, ac perſpicuum Colori, & hoc ex eo elicitur, quia nedum Animalia progredientia, uerum etiam degentia in Aquis apparent prædita Senſu odoratus, hoc tamen proprium eſt Hominis, & Animalium reſpirantium, vt ſolum inſpirando percipiant odorem.

Intentio.
Diuiſio.
Expoſitio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, pro omni Senſu requiri Medium, ne nimiũ uehementer, nimiumque modo materiato Senſus moueatur, debet enim fieri tranſitus ex extremo in extremum, ex modo penitus materiato, in modum penitus ſpiritalem per congruens Medium; Inſuper Senſus in quadam ratione dicitur poſitus, & propterea vt vehemens Senſibile, ita vehemens motio, vt euertit Rationem; ita & Senſum, vt ſuo loco patebit. Hoc Medium maximè eſt conſpicuum in Senſu Viſus, minus in Auditu, & Odoratu, minimè in Guſtatu, & Tactu. Conſidero Secundò, quod Ariſtot. pro Medio Soni ſolum refert Aerem, pro Medio Odorum refert Aerem, & Aquam, quia degentia in Aquis Odores percipiunt; At conſimili ratione dicere poſſemus prò Sono etiam inſeruire Aquam; quia degentia in Aquis Sonos percipiunt, vt affirmabit Ariſtot. Augetur Dubitatio, quia degentia in Aquis, vt pisces, potius Sapores per Guſtatum, quam Odores percipiunt; nam dum tendunt ad putridum aliquod, potius id faciunt per halitus cum Aqua permixtos, quos Guſtatu percipiunt, quam per Senſum Odoratus; nam Odores obtunduntur in Aqua, & vertuntur in Sapores, quos Guſtatu percipiunt, & niſi eleuentur ſuper Aquas, non videntur poſſe Odores ſentire, veluti Cancri collocati in Aqua, deguſtare videntur, in Aere autem diſtinctè Odores percipiunt, per quos tendunt ad alimentum; Profectò, ſententia Ariſt. eſt mihi dubia, dicerem tamen pro eo, vt pertinet ad Sonum, quod ſolum Aerem ſtatuit medium eius, quia in ſolo Aere producitur, adeò, ut niſi adſit aliquid Aeris, nullus Sonus produci valeat, quamuis cum fuerit productus, valeat per Aquam vehementi Sono motam repræſentari, ut in progreſſu patebit; Vt uerò pertinet ad Odoratum, Odo

Cõſideratio prima.

Medium requiſitũ pro omni Sẽſu.

Dubitatio.

Solutio.

res in uapore positi, magis ualent cum Aqua permisceri, non enim adeò sunt Aerei, vt Soni, nec seruantur sine aliquo humore, sed penitus desiccati delitescunt. Con-
3 sidero Tertiò, quod iure Arist. pro Medijs externis, Sensuum, solum refert Aerem, & Aquam, nam Animalia in his degunt, Terra, nimium est densa, & crassa, De Igne est dubitatio: nam Soni per Ignem facilè deferri posse videntur, & si Cælum suo motu ederet Sonum, nedum auditu perciperetur, sed etiam ab eo læderetur, ut dicitur in 2. de Cælo, aduersus Pythagoram; Propterea dicamus, Ignem pro Medio Sensibilium non numerari; Primò, quia non dantur Animalia in Sphæra Ignis degentia; Secundò, quia consideratur Ignis vt depuratus Aer; Tertiò, quia pro Medio ea Elementa quæ media sunt, iure optimo statuenda uidentur, ea autem sunt Aer & Aqua. Consi-
4 dero Quartò, quod cum idem Elementum pro medio inseruiat uarijs Sensibus, id tamen facit distincta ratione, & affectione: nam Aer ut defert Colores, dicitur Perspicuus, ut Odores dicitur διόσμον, ut Sonos διηχὲς; Aristot. tamen ait, affectionem deferentem Odores, carere communi nomine, uel, quia id nomen tunc fortè non erat formatum; uel, quia est quædam circunscriptio denotans delationem, siue Medium Odoris. Considero Quintò, de omni actione, siue Materiata, siue Spiritali, id esse ue-
5 rum, quod nil agit in extremum, nisi agat in medium, & nil mouet extremum, nisi moueat medium; Ratio est: quia omne agens agit per Tactum, & siue sit Tactus uirtutis, siue sit Tactus magnitudinis, semper agens ut tangit, ita agit, si tangit sine medio, agit sine medio, si per medium tangit, per medium agit, ut dicitur in 1. de Ortu & interitu; ea tamen Regula est uera de actione prima, non de alia quauis quæ primam sequatur, ut sæpè patefeci, quod patet exemplo Solis illuminantis, & calefacientis, & Torpedinis agitantis rete, & stupore afficientis manum piscatoris, non autem rete.

Cur Ignis inter media Sensuum nõ numeretur.

Nil agit in extremum quin agat in medium.

Contex. 77.

NVNC autem primum de Sono, & Auditu dicamus; Est autem duplex Sonus, nam alius est actus quidam, alter potestas, nam quædam dicimus carere Sono, vt Spongiam, et Lanam, quædam habere, vt Aes, & quæcunque solida, & lenia sunt, quoniam apta sunt sonare, hoc autem est inter medium, & Auditum, facere Sonum.

Intentio. Diuisio.

DECLARATO Sẽsu Visus, de Auditu verba facit, & ordiens ab Obiecto, primò de Sono loquitur. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima proponitur id de quo est agendum; in Altera diuiditur Sonus; Proponitur in Prima agendum de Sono, & Auditu, & quia ex his consurgit auditio, ideo simul facultate quadam de Obiecto, actione, & potestate proponit agendum; In Altera parte diuiditur Sonus, nam eorum quæ sunt, quędam non sunt apta edere sonum, ut Spongia, Lana, & similia, alia uerò apta sunt sonum edere, ut solida, & lenia, ueluti Aes, & hæc uel potestate solum includũt sonum; uel actu, si actu, uel absolutè, ut producentia sonum absolutè considerata, uel cum relatione ad Auditum; qua consideratione, ut sonus sit actu, non sat est ut producatur, sed requiritur ut audiatur: nam sonus si solum producitur, & non auditur, modo quodam est actu, alio potestate, at, dum auditur, absolutè actu est.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod cum duplex sit inter Sensus ordo; Vnus originis; Alter perfectionis, & vterque dicatur Naturæ ordo; Vnus intentionis; Alter generationis, cum Aristot. ob rationes in præcedentibus relatas, cœperit sequi ordinem intentionis, & perfectionis, non considerans quis Sensuum nobis notior, vel ignotior sit, semper in eis explicandis eundem seruat, & quoniam ordine dignitatis Visui succedit Auditus, ideo declarato Visu, de Auditu verba facit; Visus & Auditus sunt duo præcipui famuli, & præcursores Mentis, Visus maximè conducit pro inuentione, quia plura nobis patefacit, cum mortalia, tum æterna, Auditus uerò maximè conducit pro disciplina ex docente prodeunte, Visus tamen est spiritalior, indicat distantiora, non eget tempore, versatur in Obiecto præstantiore, est exquisitior, iudicat plura simul, at, de eius præstantia alibi. Considero Secundò, quod Arist. loquens de Obiectis Sensuum, non loquitur de eorum generatione, præter quam Obiecti Auditus, qui est Sensus; Ratio est: quia reliquis Obiectis competit esse permanens, nō autem Sono, qui solum est, dum fit, & motus, per quem fit, ad audientem defertur, adeò, ut non audiatur, nisi dum fit. Considero Tertiò, in attinentibus ad Sonum reperiri hunc ordinem; Primò, quædam non pariunt Sonū, vt Cœlestia Corpora; Secundò, quædam Sonum edunt, maximè tamen tenuem, adeò, ut carere Sono dicantur, ut Spongia; Tertiò, quædam exactum edunt Sonum, at non uocem, ut Aes; Quartò quædam edunt uocem, at non eloquutionem, ut Animalia respirantia expertia Rationis; Quintò demum, quędam eloquutionem formāt, ut solus Homo; Sonus est genus, sub Sono uox, sub uoce est eloquutio.

Consid. 1.

Visus & Auditus præcipui famuli Mentis.

Visus præstantia.

2

3

Ordo Sonātium.

IT Sonus actu semper alicuius ad aliquid, & in aliquo, nam percussio ea est, qua facit; Propterea id quod est vnum, non valet sonum efficere, nam verberans, & quod verberatur, distincta sunt, ideo sonans ad aliquid sonat; Percussio autem non fit sine latione; Vt autem diximus non quorumlibet percussio Sonus est, nullum enim sonum pariunt Lana, etiam si percutiantur, vel percutiant, sed Aes, & ea quæ lenia & caua sunt, Aes quidem lene est; Caua autem quia ob repercussionem multos post primum faciunt ictus, cum Aer motus exire non valeat.

Contex. 78.

LOQVVTVR VS Arist. de Sono quod est Obiectum Auditus, quoniam non est aliquid permanens, sed per motum fit, & seruatur, iure loquitur de eius productione, & præsens Contex. Diuiditur in duas partes; In prima referuntur tria conspirantia ad Soni productionem; In Altera declarantur quæ maximè sint apta sonum producere; Vt pertinet ad primam partem, inquit Arist. tria requiri pro Soni productione, nimirum, percutiens, percussum, & id in quo fit percussio; Ex quo elicitur id quod est sonans non posse sonum efficere, quia non idem percutit se; insuper quia percussio non fit sine motu secundum locum, & huiusmodi motus exposcit medium in quo fiat, ideo etiam hoc tertium requiritur; In Altera parte manifestatur non quodvis Corpus producere Sonum, sed ea quæ solida, lenia, & caua sunt, ueluti Æs maximè sonum parit, cum lene sit; Similiter, caua Corpora, quia Aer in eis inclusus multoties repercutitur cum exire non ualeat.

Patentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

Considet. 1. Ordo sonantium.

VM pro Sono producendo tria requiri dicantur, considero Primò, facta inter ea comparatione, hunc statuendum esse ordinem, quod principatum obtineat percutiens, vt principale mouens; Secundò, ei succedit percussum, quæ duo Sonum efficiunt; postremum est, Medium, quod expellitur, & Sonum defert; Considero Secundò, quod quamuis dicantur tria requiri, frequenter tamen vnum fungitur officio duorum, & nonnunquam trium, per distinctas eius partes, vt patet de Aere oppositis Ventis agitato, & per partes varias oppositis motibus permutato; Similiter, de baculo velociter in Aere agitato, sonumq; producente, nam idem Aer percutitur, & Sonum defert; Considero Tertiò, quod pro

Dubitatio. 3 Sono producendo non videtur necessaria percussio, vt patet exemplo ligni aridi, quod per solam scissionem sonum edit; Similiter, confricando molli digito vitrum, producitur stridor quidam, & dum in sartagine vna cum aqua frigitur oleum, per solam frixionem sine percussione paritur sonus, & innumera consimilia exempla afferri

Solutio. possunt; Pro Solutione dico, dum sermo est de aliquo, semper id esse inspiciendum quod principale est, id enim est mensura cæterorum, & hoc principale inspexit Arist. in quo conspicua est eorum trium distinctio, in cæteris semper ea tria seruantur, nisi omnino & conspicuè, saltem confusè, & modo aliquo distincta; Sumebatur prima instantia ex scissione ligni solidi, & aridi, dico, per scissionem agitari, & moueri cum aerem externũ ambiẽtem, tum internum, in qua agitatione Aer fungitur officio percutientis, & Medij, & dum lignum est aridum, ob inclusum Aerem, acutiorem edit Sonum: nam humor Sonum obtundit; De extrema vitri parte molli digito in orbem confricata, sonumque pariente, dico, per illam confricationẽ agitari Aerem ambientem, & in vitro inclusum, adeò, vt digitò tangente vitrum, agitetur Aer, qui agitatus percutit & defert; De stridore ex frixione Olei prodeunte, dico, à calore Igneo agitari Aerem Oleum, quod agens in humidum Aqueum, repercutitur ab eo, ex qua actione, & percussione, stridor prodit, qui non producitur à solo Oleo feruente, veluti etiam producitur ab incenso carbone, Aqua merso semper itaque adest percussio, & agitatio, & semper conspirant pro Soni productione, ea tria, modo aliquo distincta. 4 Considero Quartò, vt pertinet ad ea quæ facilè Sonum pariunt, pro exactiore

Sex pro Sono cõducentia. Soni productione, conducere soliditatem percutientium, & percussorum, ob quam percussio est vehementior, & cum maiori resistentia; Insuper conducere Aerem inclusum in re percussa, quia ob percussionẽ Aer ille agitatur, & Sonum auget, vt ob humorem obtunditur sonus, hinc plumbum obscurè sonat; Tertiò conducit lenitas externæ superficiei, quia ob eam Aer medius magis iunctus repellitur; Quartò, conducit cauitas rei percussæ, quia ob eam multiplex fit inclusi Aeris repercussio; Quintò, conducit latitudo aliqua se percutientium, vt maior portio Aeris repellatur; hinc acus Sonum suo acumine non producit nec percutiens, nec percussus; Sextò motus se percutientium debet esse celer, vt Aer cum violentia excludatur, & cum maiori partium Aeris agitatione, repellatur.

Contex. 79. PRAETEREA *auditur Sonus in Aere, & in Aqua, sed in hac minus, non est autem Soni proprius Aer, neq; Aqua, sed oportet solidorum mutuam fieri percussionem, & ad Aerem, hoc autem fit, cum permanet percussus Aer et nõ dissipatur; Propterea, si celeriter et fortiter percutiatur sonat, opor-*

tet

tet enim vt motus percutientis, præcurrat fracturam aeris, veluti si quis percutiat cumulum, aut aceruum arenæ celeri motu.

PROSEQVENS Philosophus declarationem attinentiũ ad Auditum, relatis principalioribus quę requiruntur pro Soni productione, in hoc Contex. duo facit; Nam Primò declarat Medium in quo Sonus auditur; Secundò, manifestat velocitatem percussionis requiri pro pariendo sono; vt pertinet ad Primũ, inquit Sonum audiri in Aere, & in Aqua, at obscurius in Aqua; Secundò ait, nec solum Aerem, nec solam Aquam sat esse pro Soni productione, sed requiri vt duo solida mutuo se percutiant, & aerem repellant, adeò, vt Aer medius non diuidatur in exiguas partes, sed simul totus repellatur, quod accidit, dum velox, & vehemens est percussio, nam vt Sonus producatur, oportet vt motus percutientis, anteuertat diuisionem Aeris, quod patet exemplo cumuli Arenæ, qui si tardè percutitur baculo, Sonum non edit, at si velociter, adeò, vt percussio anteuertat descensum secundum Naturam partium Arenæ, Sonus producitur.

Intentio.
Diuisio.
Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò quod Arist. ait nec Aerem esse Soni proprium Græcè χύριον; nec Aquam, id verum est in duplici significatione, primò quia nec in solo Aere, nec in sola Aqua auditur, sed in vtrisque, per aliquid eis commune; Secundò, cum relatione ad generationem, quia non sat est alterum eorum, pro generatione Soni, sed alia requiruntur quæ mox referuntur, & in hac secunda significatione videtur Arist. id protulisse: nã quamuis nonnunquam partes Aeris, ventis oppositis agitatæ, mutuoque se percutientes, sonum pariant, vehementiorem tamen edunt sonum, dum montes attingunt, vel per meatus terræ progredientes, impetu quodam eius partes feriunt, adeò, vt Aer simul sit percutiens, & deferens, magis propriè tamen producitur sonus, dum ea quæ mutuo se percutiunt, fuerint solida, & impetu quodam intermedium Aerem repellunt. Considero Secundò, in dubium verti, in quo sit aptus gigni Sonus, num in solo Aere, vel & in Aere, & Aqua, de Igne non quæritur, tum, quia ad Aerem redigitur, tum, quia nemo in eo degit, nec in Sphæra Ignis fiunt percussiones solidorum; Dubitatio est obscura: nam ex vna parte Arist. in Contex. 76. dixit, Medium Soni esse Aerem, Odoris autem Aerem, & Aquam; & in Contex. 87. ait pisces carere voce, quia Sonus est motus Aeris; Insuper in Contextu 81. legitur vacuum rectè dici audiendi proprium: nam Aer videtur esse vacuum quoddam; ex aduerso, in præsenti Contex. inquit, nec Aerem, nec Aquam esse proprium Soni, & audiri Sonum cum in Aere, tum in Aqua, quamuis obscurius in Aqua, hinc pisces audiunt; Themistius 79. inquit: Porro Sonus & in Aere, & in Aqua editur, quamuis obscurius in Aqua. Idipsum affirmat Alexander in cap. de Sono. Pro resolutione accipio, facilius esse Sonum productum ferri, & deferre, quam ab initio ac ex integro illum producere, quare pro Soni productione necessarium affirmo esse Aerem, ob tenuitatem Naturæ eius, cessionem partium, velociorem motum, & faciliorem percussionem quæ fit in eo, Corporum solidorum, Sonum tamen genitum posse per Aquam deferri; quius enim exiguus motus Medij, aptus est productum Sonum auribus offerre; sic recte Auerr. Contex. 76. dixit, Sonum gigni in Aere, & deferri tamen posse etiam per Aquam, & hanc resolutionẽ experientia nobis patefacit, & confirmat, nunquam audimus gigni Sonum, non conspirante Aere, & dum à fluente Aqua trahuntur lapides, & in fundo fluminis Sonum pariunt, ille non producitur sine Aere in lapidibus incluso, & etiam in cauitatibus Terræ per quam trahuntur. Considero Tertiò, quod Arist. secum pugnare videtur:

Considet. 1.
1
2
In quo medio gignat Sonus.
Themist. & Alexan.
Resolutio.
3

Dubitatio. nàm in hoc Contrait Aerem non esse proprium Soni, mox in Contex. 81. inquit vacuum esse audiendi proprium, quia Aer videtur vacuum quoddam, cum fugiat Sensum; Respondeo, vtrumque distincta ratione verum esse, primò Aer non est proprius Soni, duplici ratione, relata sub initium; Ex aduerso dicitur proprius auditui, quia nil audimus sine Aere, si non externo, saltem interno, & ingenito, nam Arist. in hoc Contex. loquitur de Somno, in Cont. 81. de Auditu; Præterea, Aer etiam Soni potest dici proprius, tum, quia sine Aere non producitur, tum insuper, quia solum in Aere exactè percipitur.

Solutio.

Contex. 80. *ECHO autem fit, quando ab Aere reddito vno, ob vas terminans, & prohibens dissolui, iterum Aer repellitur, veluti Sphæra, videtur Echo semper fieri, at nõ conspicua: nam cuenit de Sono perinde ac de Lumine, semper enim Lumen repercutitur, alioquin vbiq; extra locum à Sole illustratum reperirentur Tenebræ; At, non sic repercutitur, vt ab Aqua, aut Aere, aut alio quouis læui, ut vmbrã pariat, qua Lumini terminus imponitur.*

Intentio. DECLARATA Soni productione, loquitur in præsenti Contextu de celebri quadam eius affectione, quæ Græcè ἠχώ, siue Echo dicitur, quæ cum fit repercussio soni, in præsenti Contex. duo facit; Primò, manifestat quomodo fiat ea repercussio, Secundò, exemplo Luminis declarat in omni

Diuisio.

Expositio. productione soni fieri repercussionem eius, at non semper conspicuè; Inquit Philosophus in Prima parte, quod Echo fit, dum ab Aere in aliquo loco concauo incluso, & simul iuncto, repellitur tanquam pila, Aer ille, qui in soni productione à mutuo se percutientibus fuit expulsus; Addit in Secunda parte, quod quotiescunque producitur Vox, uel sonus quilibet, semper fit Echo, & ea repercussio, at, non semper distincta apparet sed frequẽter iudicatur eamet Aeris pulso, quæ primò facta fuit, sine alia repercussione; quod semper ea repercussio fiat, ex eo patet, quia nisi fieret, qui loquitur non audiret propriam vocem; Hæc duplex soni repercussio, & Echo conspicua, & latens, declaratur exemplo repercussionis Luminis, nisi enim semper Lumen repercuteretur, solum appareret in ea medij parte quæ Lucido opponitur, reliquæ Tenebris essent offusæ, at nos inspicimus hãc tripliceni differentiam: nam Primò lumine præditæ apparent partes Lucido oppositæ; Secundò aliæ eis iunctæ, in quas Lumen rendit repercussum, dicuntur vmbram includere, aliæ ad quas non fit repercussio, dicuntur tenebricosæ.

ANNOTATIONES.

Considet. 1. CONSIDERO. Primò, repercussionem competere cunctis, quibus vel propriè, vel per similitudinem competit latio, & progressus, cum Materiatis, tum Spiritalibus, sic & Corpora, & Calor, & actiones Colorum,

Repercussio multorum. & Radij, dicuntur repercuti, quę repercussio ex resistentia aliqua prodit, Luci nil resistit, nisi opacum, ideò non à perspicuo, sed à solo opaco repercutitur, id opacum nonnunquam est valde terreum, & inæquale, quod obscurè valet repercutere, & solum repercutit Lumen, non figuram Lucidi, nonnunquam verò est, leue magis à terreo depuratum, ueluti Speculum, & tunc repercutit us lumen, vnà cum Lucidi figura, ut patet de gemino Sole, in nubibus apparente; Similiter se habet de repercussione vocis prodeunte ex resistentia antecedentis Corporis, quę repercussio ali-

quando

quando eſt exigua, & non apparet diſtinctio ſecundæ à prima, aliquando eſt maior, adeò, ut appareat diſtinctio, at non ſeruatur diſtincta dearticulatio, ſed ſolum uox; at, aliquando adeò eſt exacta, ut cum diſtinctio, tum dearticulatio uocis appareat, & hęc uerè, & propriè dicitur Echo, ſimilis repercuſſioni radiorum Solis à ſpeculo, ſic Ariſtot. in lib. de Senſu & ſenſili ait, quonnunquam eminus apparere colorem alicuius, ac non figuram. Conſidero Secundo, cum Echo ſit iterata uox, quæritur à quo fiat ea iteratio; num à primo loquente, ſiue pariente ſonum, uel ab eo in quo fit repercuſſio? Ariſtot. ait fieri ab Aere iuncto, & incluſo in loco cauo. At, ex aduerſo in 8. Phyſ. 32. ait Ariſtot. Sphæram repercuſſam, non à pariete moueri, niſi ex accidenti, ſed à proijciente; Confirmatur: quia Corpus non mouet, niſi id moueatur, at percutiens non mouetur in eam partem, in quam repercutit; Reſpondeo, mouere aliquid, contingit dupliciter, vel ſecundum ſe, vel ex accidenti, primum mouens mouet ſecundum ſe, reſiſtens & prohibens, dicitur mouere ex accidenti, quatenus impedit, ne id quod mouetur, progrediatur vlterius; Ariſtot. ait moueri Aerem parientem ſonum, ab Aere incluſo in loco cauo. Reſpondeo, moueri quidem ab eo, at ex accidenti, vt à pariete ſphæra, addo tamen, quod dum reſiſtens mouetur in oppoſitum, tunc etiam per motum illum in oppoſitum mouet ſecundum ſe, ut euenit dum parua pila a manu ludentium in oppoſitum mota repellitur. Conſidero Tertiò, quod iteratio vocis, præſertim fit in antris, locis cauis, vallibus, domibus non habitatis, & ſimilibus; Ratio eſt: quia in eis includitur Aer, qui cum non agitetur, redditur denſior, maximeque unus, ac ita totus ſimul iunctus reſiſtit, & repercutit, ut etiam accidit in percuſſione timpani, & cauitas etiam ſummopere conducit, quia in ea cauitate ſæpe repercutitur Aer; Hinc etiam euenit, quod Echo nonnunquam eſt ſimplex, aliquãdo gemina, & etiam multiplicior, quod euenit ex iteratis repercuſſionibus ex varijs cauitatibus prodeuntibus. Conſidero Quartò, iure in dubium verti, dum fit Echo, num ea iteratio ſit ſonus idem numero cum priore, uel potius diſtinctus, ſi dicitur diſtinctus, tunc nos noſtram vocem non audiremus, nam audimus eam per repercuſſionem, inſuper, ea ſequens percuſſio, ex ſe non ualet ſonum parere, quare prius ortum repræſentat; Confirmatur: quia Ariſtot. utitur exemplo pilæ, quæ eadem numero repercutitur; Ex aduerſo, ſi dicitur ſonus idem numero, tunc idem numero accidens in diſtinctis ſubiecti partibus reperiretur, & migraret ex uno ſubiecto in aliud; Præterea, prodit ex diſtincto motu, inter quem, & primum, mediat quies, cum ſint motus oppoſiti; Reſpondeo, ſonum pro Obiecto ſumptum eſſe eundem, diſtinctum verò pro repręſentante; eſt idem pro origine, diſtinctus ſecundum proximam formam; eſt idem per ſimilitudinem, diſtinctus pro eſſe abſoluto, & proprio, cum enim ſonus dicatur motus, quia ex motu prodit, ut motus continenter eſt varius, ita ſonus, adeò, ut dici poſſit cum varietate idem, & cum identitate varius; Ex his patet Solutio pugnantium rationum; Conſidero Quintò, dum Hominis loquutio repercutitur, & fit Echo, cum ea Hominis ſit ſonus, vox, & eloquutio, num eius repercuſſio, & iteratus ſonus, ſolum ſit ſonus, quia ſit ab inanimo, uel etiam uox, & loquutio dici mereatur? Reſpondeo illum re uera eſſe ſolum ſonum, repręſentantem tamen eloquutionem; ratione proximi repercutientis, ſolum eſt ſonus, ratione primi, & principalis mouẽtis, eſt uox, & ſonus. Conſidero Sextò, in dubium uerti, cur Echo ſit iteratio ſolum poſtremę partis eloquutionis, non autem totius, nam conſimiliter pars omnis uidetur debere repercuti. Reſpondeo, id euenire duplici ratione; Prima eſt, quia dum fit uox principalis, impedit auditum repercuſſionis, & ſolum repercuſſio percipitur abſoluta uoce principali, & ob id percipitur pars poſtrema; Altera ratio eſt, quia dum uox per aeream mediũ tendit in locum repercuſſionis, ſuo motu potentiore impedit motum reflexum oppoſitum, at, dum deſinit moueri in locum illum, cedit repercuſſioni, adeò, ut ob primam rationem minus audiatur repercuſſio, per alteram minus fiat.

Echo.

2 *A quo fiat repercuſſio. Solutio.*

3 *Cur Echo fit in locis cauis.*

4 *An ſint ſonus idẽ numero.*

Solutio.

5

6

An Echo ſit vox. Cur ſolũ iteretur finis vocis.

Contex. 81. *ACVVM autem rectè dicitur auditionis proprium, nam Aer videtur esse vacuum, hic autem ille est qui facit nos audire, cum mouetur continuus, & vnus; At, quia fragilis est, non sonat, nisi id lene sit quod percutitur, nam ab eo quia planum est, vnus redditur, planum enim lenis vnum est.*

Intentio. AER necessariò concurrit ad productionem soni; similiter, est necessarius pro auditione, adeò, vt eius proprius dicatur, non autem per solum Aerem defertur, sed etiam per Aquam; Hanc suam sententiam confirmat in præsenti Contex. Aristot. communi quadam voce Democriti, Leucippi, & multorum, dicentium vacuum esse proprium auditionis, nam nomine vacui Aerem denotant, quia sub Sensum nõ cadit, & locus Aere plenus, dicitur vacuus. Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima approbatur vacuum esse proprium auditionis; In Altera manifestatur quid requiratur, vt aer soni sit particeps; In Prima formatur hæc Ratio. Id quod facit nos audire, rectè dicitur auditionis proprium; Vacuum, hoc est Aer, facit nos audire, quare rectè dicitur proprius auditionis. In Altera parte declaratur quod cum Aer ex se facilè in partes diuidatur, ideo ut sonum producat, requiritur, vt simul iunctus impellatur, quod optimè fit à Corpore plano, & leni, ut dictum est in præcedentibus.

Diuisio. Expositio.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. De Soni productione. CONSIDERO, non facilè patere quomodo gignatur Sonus: nam Primò necessaria est aliqua percussio solidorum; Secũdò, necessarius est motus intermedij Corporis, facilè mobilis, & propterea in vacuo non posset gigni Sonus, quia non adesset Medium; Similiter in visceribus Terræ non fit Sonus, quia intermedium corpus non facilè est mobile, nec in eo solido, & denso fieri potest aliorum percussio, sed id Medium congruentissimum, cum ctis conditionibus præditum, Aer est, in quo cum fiat solidorum percussio, & ab eis Aeris pulsio, non potest primò totus Aer medius pelli, non enim totus à pellentibus tangitur, sed per partem proximam pellitur remotior, ut unda impellitur unda, sine qua Aeris prima pulsione, non fit Sonus, & sine subsequentibus vsque ad aures non auditur; hinc non percipitur Sonus dum fit prima percussio, sed dum pulsio Aeris peruenerit ad aures, quod patet exemplo coruscationis, & tonitrui, nam quamuis tonitruum prius fiat quam coruscatio, auditur tamen posterius quam ea videatur; Hæc intermedij Aeris pulsio terminum habet, & propterea vsque ad certum terminum Sonus auditur, & vt sensim minuitur Motus, ita sensim minuitur Sonus; Verum dubitatio est; num Aer primò à mutuo se percutientibus pulsus, ille sit qui vsque ad audientium aures deferatur, vel potius sit varius, à primo pulsus; Nonnulli aiunt esse eundem, alioquin non idem esset Sonus, non enim transire valet ex vno Subiecto in aliud, & Aristot. vtitur exemplo pilæ, quæ eadem est, pulsa, & repulsa; At ex aduerso Alexander, Themistius, Simplicius, & Auerroes aiunt, non eundem seruari Aerẽ, sed distingui per partes, adeò, vt pars proxima percussioni pellat alteram sibi proximam, ac ita deinceps, vt unda excitat vndam; Exemplum sumptum à pila, est simile in attinentibus ad pulsionem, & repercussionem, nõ ad distinctionem partium, & hoc nos conspicuè docet Aristot. propè calcem 8. Physicorum, loquens de motu proiectorum, & ob id affirmat motum illum non esse vnum, cum continenter varientur partes Aeris pellentes, & pulsę; At, cum varientur huiusmodi partes Aeris, dubitatio

Dubitatio. Alexander.

est de

est de Sono, num Sonus prima percussione genitus seruetur idem, & per subsequentes pulsiones repræsentetur, vel potius continenter per nouas pulsiones varietur, & nouus gignatur; Quidam aiunt seruari & audientibus omnibus repræsentari primũ, alioquin non eadem vox audiretur à pluribus, nec debilis pulsio partium Aeris valet Sonum nouum efficere, & huius opinionis est Simplicius; Alij ex aduerso inquiũt variari, alioquin transiret ex Subiecto in Subiectum, nam Sonus est motus in Aere factus, motus non est idem, quare nec Sonus, & huius secundæ opinionis est Alexand. Dicamus, Sonum considerari dupliciter; Vel secundum Formam eius; Vel secundum Materiam; secundum Formam, non est idem penitus, sed similiter; Secundum Materiam, est varius pro repræsentato est idem; pro repræsentante varius; idem ex parte originis; varius ex parte conseruationis: nam subsequentes percussiones, non ex integro Sonum producerent, sed valent iam productum cum aliqua varietate seruare, & repræsentare, vt dixi in præcedentibus de Echo, & de Aqua; At instabatur: quia si seruatur Sonus idem, migraret ex Subiecto in Subiectum; Soluitur: quia non est penitus idem, sed id materiatum egens Subiecto, est motus continenter varius, forma autem repræsentati Soni non est in eis partibus Aeris, vt in Subiecto, sed ut Signum & imago in repræsentante, eiusdem autem variæ valent esse Imagines, Signa, & Repræsentationes.

Simplicius.
Alexander.
Instantia.
Solutio.

SONANS igitur est quod mouet continuè Aerem, vsque ad auditum, Auditus autem connaturalis est Aeri, quia autem in Aere est, moto externo, mouetur ille qui intus est, propterea non vndique audit Animal, neque quocunque transit Aer, non enim vbique habet Aerem pars mota, & Anima prædita, vt pupilla humidum. *Contex. 82.*

DECLARATIS varijs conspirantibus ad Soni productionem, intentio Philosophi modo est patefacere, quodnam eorum dicatur efficere Sonum, & per quid audiatur; Contextus diuiditur in Tres partes; In prima Definitur id quod aptum est efficere Sonum, nam est id quod aptum est pellere Aerem continuè vsque ad auditum, & huiusmodi est primò percutiens, secundariò percussum, cum conditionibus in præcedentibus relatis, quæ modo denotantur, dicendo, quod valeat mouere Aerem vnum, & iunctum; Secundò, manifestatur auditum connaturalem esse Aeri, quatenus sine Aere nil audimus, nam moto externo mouetur Aer internus in auribus inclusus; Ex quo in Tertia parte elicit Aristot. Animal non per manum, pedes, & quasuis partes audire, sed solum per aures, quia Animal per eam partem audit, quæ incluso Aere est prædita, at non pars omnis est huiusmodi, sed solum aures, quare per eas solum audimus.

Intentio.
Diuisio.
Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. definiens id quod aptum est producere Sonum, considerauit Sonum non pro suo esse absoluto, sed cum relatione ad auditum; Ratio Prima est: quià hoc in loco consideratur ut obiectum auditus; Altera est: quia auditio est eius actus postremus. Considero Secundò, quod auditus dicitur connaturalis Aeri, quod uerum est Primò ex parte primę productionis Soni; Secundò, ex parte conspicuę repræsentationis, num in aqua solum obscurè repræsentatur; Tertiò, ex parte organi necessariò aerem exposcentis, & hoc præsertim denotat modo Aristot. Considero Tertiò, quod Aristot. rationem tradens

Consid. 1.
2
Quomodo auditus ut connaturalis Aeri.
3

Quomodo elicitur potentiam animę non distingui ab Essentia.

tradens cur animal non audiat per quamuis partem, eam accipit ex instrumento, nō ex facultate, nam cum facultas nō distinguatur ab Essentia animæ, vt animatum Corpus secundum omnem partem sit præditum anima, etiam secundum omnem partem est præditum prima audiendi facultate, nec ob id ea facultas est frustra, quia sat est, ut anima tota in una parte animalis fungatur officio proprio, in qua parte adest instrumentum, & proxima facultas audiendi, ex recta instrumenti constitutione prodiens.

4 Considero Quartò, quod Aristot. Aerem auditui pro instrumenti constitutione inseruientem, ait recta ratione respondere humido pupillæ, inseruienti pro constitutione instrumenti Visus; Pupilla dicitur humidi, quia Aristot. nomine Pupillæ, denotare

Pupilla nomen.

consuecuit humorem Crystallinum, ac ita est humidi, tum quia est humor, tum, quia ambitur humido. & humoribus, in quo humore tanquam in Speculo tam exactè recipiuntur actiones Colorum, quam in aere interno actiones Sonorum: Anatomici tamen, nomine Pupillę denotant medium oculi, circulum in humorem Crystallinum desinentem; vt alibi patefeci, & quodcunque intelligatur semper seruatur uerum, pupillam esse humidi, quia oculus ratione Elementi sua mole dominantis aqueus est, vt dicetur in progressu, & affirmatur in libro de Sensu & Sensili.

Contex. 83.

EX se itaque insonus est Aer, quia facilè dissipatur, at dum prohibetur dissipari, huius motus Sonus est; Hic autem in auribus insitus est, vt immobilis sit, & rectè sentiat omnes differentias motus, propterea etiam in aqua audimus, quoniam non ingreditur in connaturalem aerem, neque in aurem ob anfractus; dum autem hoc accidit, non audit, neque si Membrana laboret, veluti dum laborat Tunica quæ super pupillam est.

Intentio. Diuisio.

QVONIAM Aer dicebatur auditionis propriùs, propterea vt distinctius id pateat, intentio Aristotelis est manifestare, quomodo conducat pro Soni productione, eiusque auditione. Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima Aer ex se dicitur Soni expers, quia ex se facilè dissipatur, & in partes diuiditur, at, dum prohibetur dissipari, & totus iunctus cum impetu repellitur,

Expositio.

eius motus Sonus est; In Altera affertur ratio cur aer in cauitatibus aurium per Naturam insitus est, nam Ratio est: vt in organo includatur immobilis, facilè aptus recipere & percipere omnes differentias motus, nam recipiens eo debet esse nudatum quod recipere debet; Ex quo Tertiò infert, etiam in aqua nos audire, quia ob clices & anfractus meatuum aurium, aqua non ualet ingredi, & si eueniat vt aqua ingrediatur peruertitur organum auditus, & audire non ualemus, ueluti etiam non audimus dum interna aurium Membrana laborat, ueluti non uidemus, dum laborat Tunica pupillæ proxima.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, aerem dici ex se expertem soni: nam hoc conducit, vt appareat rectè in eo sonum ab alijs produci, materia enim & recipiēs debet esse nudatum eo quod recipere debet, ob quam rationem etiam deinde aer insitus dicitur immobilis, vt distinctè percipiat omnes differen-

2 *Definitio Soni.*

tias sonorum, qui in motu sunt positi; Considero Secundò, ab Aristot. Definiri sonū, quod sit motus aeris, in qua Definitione ea subintelligi debent quæ in precedentibus dicebantur requiri pro soni productione, adeò, vt sonus dicatur esse motus aeris simul

pulsi à

pulsi à mutuo se percutientibus, solidis & lenibus, & cum sonus dicatur motus id debet intelligi non per modum Formæ, sed Efficientis, vt dum Eclipsis dicitur obiectio, non enim forma Soni motus est, sed per motum primo efficitur, mox proximè repræsentatur, dicitur tamen motus, quia continenter fit unà cum motu, & non seruatur sine motu. Considero Tertiò, Sonum non esse Qualitatem primam, vt patet, neque propriè secundam, quia non consurgit ex Temperamento primarum, est tamen secundæ similis, quatenus solum competit Corporibus præditis primis Qualitatibus, ex quibus prodit durities & lenitas, & recipitur in aere, cui primæ Qualitates congruenter competunt pro Sono deferendo. 3 *Quæ Qualitas sit Sonus.* Considero Quartò, Aures esse Organum Auditus, mira arte elaboratum, in eis enim reperiuntur cauitates, quia in eis maxima fit repercussio, vt patuit in præcedentibus; Insuper, in eis includitur aer, qui facilè ab externo aere mouetur; 4 *Organum auditus.* Præterea, adsunt elices, & anfractus pro custodia interni aeris, ac vt prohibeatur ingressus aquæ, & externis Corporibus; Præterea, desinunt aures in partem satis osseam, quia ossa sicca, & terrea plurimum aeris in poris includunt, ratione cuius maximè pro auditu conducunt, immò Anatomici seruarunt intra aures duo exigua ossa reperiri, modo quodam seiuncta, incudis & mallei figura prædita, pro auditu coducentia; Insuper aures Membranis sunt circumtectæ siue tenuissima cute, in qua exiguę Venæ & arteriæ sunt insertæ, reddentes instrumentum maximè aptum pro suo sentiendi officio fungendo; Instrumentum integrum auditus, est tota auricula, nam singulæ eius partes conducunt, pars principalis est tenuis interna cutis, Venis & Arterijs prædita, cum insito aere iuncta, qui proportione respondet humori Crystallino tunica inuoluto, hinc Arist. ait si mẽbrana aurium laboret, uel si internus aer per ingredientẽ aquam lædatur, destrui auditũ. Et missa faciens varia quæ de auribus referunt insignes Anatomici, solũ refero verba Arist. in 1. de Hist. Animaliũ, cap. 11. Et hæc sunt, tota auricula ex Carne, & Cartilagine constituta est, pars eius interior forma anfractui Cochleę similis, desinit in os, quod auriculã penè imitatur, in quod quasi nouissimum vasculum, strepitus deuenit, hinc meatus ad Cerebrum nullus est, at in oris palatum vsque semita pertendit, & vena ex Cerebro descendit eodem, &c. Considero Quintò, experientia nos docere vnum, quod admirabile videtur, & est, quod etiam per dentes audimus, hoc præsertim illi experiuntur qui in parte sunt surdi, ob deprauatam aurium constitutionem, qui cum non audiant per aures, audiunt per dentes, dum dentibus extremam hastæ partem assumentes, adsit alius qui similiter alteram extremam hastę partem dentibus arripiens loquatur, tunc enim primus sermonem audit alterius satis distantis, etiam si intermedij homines non audiant, & id accidit quia hasta lignea, per inclusum aerem facilè defert Sonũ, & quia dentes ossei aliquid aeris includunt, & sunt iuncti per maxillam, cum osse aurium, quamuis Sonus per aures non ingrediatur, tamen auditur Sonus & vox loquentis; Audiui ego celebrem, & nunquam satis commendatum Anatomicum Gabrielem Faloppium dicentem; Cum ego sim surdaster, melius audio per dentes quam per Aures. 5 *Vnum mirabile, quod perdẽtes audiant.*

SIGNVM autem audiendi, aut non, est sonare aurem semper, tanquam Cornu, semper enim proprio quodam motu mouetur aer auribus insitus, sed sonus externus est, et non proprius; Hinc aiunt nos audire vacuo, & sonante, quia audimus pradito definito aere; Num autem sonet verberans, vel quod verberatur? an vtrunque, modo tamen vario; Est autem sonus motus eius quod potest eo modo moueri, quod resilientia à lenibus, *Contex. 84.* 85

nibus, dum aliquis percusserit vt itaque dictum est, non omne verberans, & verberatum sonat, veluti si acus acum percutiat, sed oportet id quod percutitur, consimile esse, vt aer vniuersus resileat, & concutiatur.

Intentio.

QVONIAM pro instrumento Auditus requiritur Aer in auribus insitus, ex cuius deprauatione prodit deprauatio auditionis, ideo intentio Arist. in hoc Contex. est, Primò signum patefacere quo noscamus an instrumentum audiendi incolume sit, vel deprauatum, ac insuper manifestare, quid producat Sonum, & quæ requirantur pro Sono producendo; Et ob hæc tria diuiditur præsens Contex. in tres partes; Signum in Prima parte traditum est,

Diuisio.

Expositio.

quod si inclusus Aer Sonum quendam edit, rectè se habet, si verò nullum, deprauatus est; Ratio huius signi est, quia aer ille insitus, & congenitus iunctus cum Spiritibus viuentis, redditur vitalis, & motu quodam proprio vitali mouetur, dum est secundū naturam dispositus, at dum ob extraneos humores inerassatur, & densior redditur, non valet eo motu moueri, Sonus tamen non est internus, sed externus motus, hoc est ambientis Aeris; Hinc approbatur sententia dicentium nos audire vacuo, quia audimus aere interno, nomine vacui denotato; In Altera parte quærit Aristot. quid producat sonum? Solutio est, quod verberans vt agens, percursum vt patiens, simul iuncta, repellendo aerem medium, sonum efficiant, principale tamen est percutiens, vt dixi in præcedentibus; In Tertia parte referuntur requisita pro Soni productione, non enim quoduis percutiens, nec quoduis percussum parit sonum, veluti si acus acum feriat, sed requiritur vt lata, & lenia sint, adeò, vt valeant aerem medium simul expellere, vt sæpè dictum est.

ANNOTATIONES.

Considet. 1.

CONSIDERO Primò, quod Arist. varia profert quæ videntur inuicē pugnare, dixit in præcedente Contextu aerem insitum non moueri, vt distinctè valeat percipere omnes differentias motus, modo autem affirmat moueri semper; Insuper, dixit aerem esse insonum, nunc verò inquit inclusum aerem sonare semper, ac ita esse sonorum; Diluuntur controuersiæ: nā

Cōtrouersiæ.

Solutio.

inclusus Aer continenter mouetur motu quodam vitali, & proprio, non autem alieno, mouetur internus Spiritus, non autem aer ei proximus, nisi per Spiritum ei iunctum; Insuper, est immobilis, quia idem seruatur sine conspicua varietate; Præterea,

2 aer est insonus ex se, sonans autem dum adest congruens percussio. Considero Secundò, duplicem interni aeris esse motum, & sonum; Vnus est vitalis, ei secundum naturam & rectam constitutionem competens; Alter ei competens per dispositionē præter naturam; Primus non percipitur nisi quando manu, vel cornu tegimus aures, tunc enim comprimitur, & à tegente repercutitur, & ob id internus sonus ex ea repercussione prodiens, producitur, & sentitur; Alter verò motus, & sonus, ex interna aurium obstructione, & illius aeris alteratione prodit, vt frequenter accidit deprauata capitis constitutione laborantibus, adeò, vt sonus qui solum percipitur imposita

3 supra aurem manu, sit signum rectæ constitutionis, alter verò deprauatæ. Considero Tertiò, quòd dum Arist. ait Aurem sonare semper tanquam cornu, id duplici significatione esse verum, prima est, quia quemadmodum quando cornu sonamus, adest interna percussio, qua sonans aerem impellit, eoque percutit cauas cornu facies, ita incluſus aurium aer à spirituum calore agitatur, & percutit cauitates aurium, sonumq; parit; Secundò, id etiam est verum, quia dum cornu tegimus aurem, maximè sonum

percipi-

percipimus, quia internus aer agitatus, agitat aerem cornui insitum, maximè enim sonorum est cornu, cum sit solidum & plurimum alieni aeris includat. Considero 4
Quartò, in dubium verti posse num sonus debeat dici Qualitas Violenta, vel potius secundum Naturam, videtur Violenta, quia solum oritur ex percussione, & violentia, videtur autem secundum Naturam quia nulla Qualitatis species vniuerso suo genere videtur iudicanda præter Naturam, & præsertim quia per Naturam paratus est Sensus pro sui & alterius iudicio. Respondeo, genus soni absolutè debere dici secundum Naturam, quia ex principijs & causis prodit, secundum Naturam operantibus, quamuis enim tempere adsit aliqua violentia, nihil refert, fere enim nulla est generatio immunis penitus à violentia, sat autem est, vt per propriam & naturalem cõstitutionem Corpora se percutientia sint apta parere sonum, hinc Aes secũdum propriam Naturam & conditionem dicitur sonorum, Lana insona. At considerando deinde varia, & facta varia comparatione, Sonus potest dici non Naturalis, sed artificiosus, vt Lyræ, & Tibiarum; Insuper, potest dici Violentus, vt soni magni, ex cõspicua aliqua violentia prodeuntes. Considero Quintò, hæc quæ de auditu dicuntur 5
ab Aristotele non videri vera de auditu cunctorum Animalium, nam pisces audiũt, in Aqua, & auriculis carent, & propterea non videntur audire vacuo, hoc est aere, Respondeo, de omni auditu ueram esse sentẽtiam Aristot. nam quamuis non omnia animalia auriculis sint prædita, sunt tamen prædita meatibus quibusdam, in quibus aliquid aeris per Naturam est insitus, & etiam spiritus eis competentes sunguntur officio aeris, ille tamen aer, est crassior, & magis aqueus.

An sonus sit Qualitas violenta.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

6

DIFFERENTIAE autem Sonantium in Sono qui actu est manifestantur, vt enim non videntur Colores sine Lumine, ita neque sine Sono Acutum & Graue; Hæc autem dicuntur per Metaphoram, sumptam à tangibilibus, Acutũ enim exiguo tempore plurimum mouet Sensum, Graue autem multo tempore parum, non igitur velox est Acutum, & Graue tardum, sed ob velocitatem fit motus illius huiusmodi, huius autem ob tarditatem; Et videntur similia esse Acuto & Retuso, attinentium ad Tactum, nam Acutum quasi pungitur, Retusum verò quasi pellet, quoniam mouent hoc quidem pauco, id verò multo, quare accidit, vt id sit Velox, hoc verò Tardum.

Contex. 86.

DVM de Sono & Organo auditus varia sint declarata, quoniam pro constituendo Sono necessaria sunt sonantia, ex quorum varietate, Soni prodit varietas, ideo intentio Arist. modo est patefacere, quomodo reddantur notæ differentiæ sonantium; Et diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima declaratur id quod dixi; & quoniam huiusmodi differentiæ in Acuto & Graui sunt positæ, ideò in Secunda parte ostenditur Acutum, & Graue dici de Sono per Metaphoram; In Tertia carpit latenter Platonem, siue corrigit; Inquit in Prima parte, differentias sonantium, ob quas dicimus nonnulla edere Sonum Acutum, alia Graue, noſci per Sonum actu, nam principia refulgent per opera, vt enim per Lumen quod est modo aliquo actus Colorum, videmus Colores, ita per Sonum actu, iudicamus conditionem eorum quorum est actus; In Altera inquit Acutum & Graue dici de Sono, sumpta Metaphora ab Acuto, & Retuso, attinentium ad Tactum: nam Acutum, quasi pungens, citò & vehementer mouet Sensum, Graue, contra. Non igitur

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

velox est Acutum, &c. Hæc est pars Tertia, in qua affirmat non esse dicendum, quod Acutum sit velox, Graue autem tardum, sed ex Acuto prodit velocitas, & ex Graui tarditas; adeò, vt Acutum & Graue sint causæ eius velocitatis & tarditatis; vt etiam se habet de Acuto & Retuso, attinentibus ad Tactum, ex quibus deprompta est Metaphora.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod iure Aristot. loquitur de differentijs sonantium, per id enim manifestat Sonum esse Qualitatem secundum Naturã, cum eius differentiæ prodeant ex varia constitutione operantium secundum Naturam, quæ sonantium differentia, quamuis ratione quadam, & per principia sonantium possit reddi nota, quatenus crassiora grauiorem, subtiliora verò, & aridiora acutiorem sint apta producere Sonum, id tamen conspicuè refulget per Sonum, qui actu est, per quem tanquam per Lumen illæ differentiæ refulgent, ex quo duo colligo; Primò, exemplum ex Lumine sumptum, esse simile in parte, vt alterum patefacit, quamuis non sit simile in omnibus, non enim Lumen ex Colorato prodit, vt Sonus actu ex sonantibus; Alterum est, quod cum Aristot. dicat differentias sonantium refulgere per sonum actu, per sonantia non debemus intelligere sonum, ut censuit Philoponus, sed Corpora vt apta sonum parere, vt rectius censuit Simplicius, nam sonus non dicitur manifestare suas differentias, cum idem sit, & nil se manifestet, sed rectè manifestat conditionem suorum principiorum. Considero Secundò,

2 *Sententia Platonis.* quod Plato in Timeo, loquens de Auditu, hæc profert: Omninò igitur vocem ponamus pulsionem quandam ab Aere per Aures, Cerebrumque & Sanguinem, vsque ad animam penetrantem, natam quoque circa motionem incipientem à capite, & in sedem Iecoris desinentem, auditum vocemus; Motio quidem velox, acuta prouenit, tarda grauis, vna æqualis, ac lenis, contraria verò aspera, magna, quæ multa est, parua, quæ parua, &c. Cum Plato dicat, quod motio velox, est vox acuta, tarda verò grauis, aduersus hoc inquit Aristot. Non igitur velox est acutum, & graue tardum, sed ob velocitatem fit motus illius huiusmodi, huius verò ob tarditatem, &c. At potest

Defensio Platonis. defendi Plato, dicendo, Sententiam eius debere intelligi per modum causæ, vt Eclipsis dicitur Obiectio Terræ, & hoc indicat Aristot. per subsequentia verba; & notat Simplicius, ea relata verba: Non igitur velox est acutum, &c. in nonnullis Contextibus legi sine negatione, & Philoponus sine negatione ea interpretatur, at sequentia

3 verba magis indicant esse legenda cum negatione. Considero Tertiò, quod Aristoteles vocem dici acutam, & grauem, sumpta Metaphora ab acuto, & retuso attinentib. ad Tactum, cum enim tangibilia nobis sint notiora, magisque materiata, eis primò imposita sunt nomina, quę mox per similitudinem rationis, translata fuêre ad Voces, & etiam ad Odores, & Sapores, & id præsertim contigit, quia omnis Sensus modo

Dubitatio. aliquo dicitur fieri per Tactum sensibilium, & Organorum; Sed occurrit Dubitatio, quia acutum & retusum non sunt propria Sensus Tactus, sed pertinent ad Figuram,

Solutio. quæ est sensibile commune, non proprium, nam à Visu quoque iudicatur; Respõdeo, quamuis acutum, & retusum sint sensibilia communia, tamen modus quo percipiuntur, pũgendo, & permurando continuum, & Qualitates Temperamenti, est proprius Sensus Tactus, & Aristot. modum illum considerauit. Considero Quartò, cum Acutum, & Graue dicantur de Voce per Metaphoram, num debeant iudicari Voces purè

4 æquiuocæ, vel ab vno? Respondeo, non esse purè æquiuocas, quia non æquè primo varia significant, sed esse ab vno, & esse deductas ex Analogia, vt deducuntur Metaphoræ omnes, nam Prima est mutua ratio; Secunda est Analogia, quæ est similitudo plurium rationum; Tertiò sequitur commutata proportio, & inde Quartò prodit Metaphora.

DE Sono igitur ita determinatum sit; Vox autem Sonus quidam est Animati, inanimorum enim nullum Vocem edit, sed secundum similitudinem dicuntur Vocem edere, vt Tibia, Lyra, & quacunque alia inanimorum, prædita sunt extensione, melo, & eloquutione, videntur enim Vocem edere, quia Vox hac habet; Multa autem Animalium carent Voce, vt exanguia, & Sanguinem habentium pisces, & iure: cum Sonus sit motus Aeris: Et qui dicuntur Vocem edere, vt pisces Acheloi; sonant branchiis, aut alio huiusmodi, Vox autem sonus Animalis est, & non qualibet parte; sed quoniam omne sonat verberante aliquo, & aliquid, & in aliquo, hoc autem est Aer, recta ratione vtique Vocem edent hac sola quæ Aerem suscipiunt; nam respiratio Aere Natura vtitur pro duplici obeundo munere, veluti Lingua pro Gustu, & eloquutione, quorum Gustus quidem necessarius est, propterea pluribus competit, interpretatio autē, vt bene sit, ita & spiritu vtitur, cum pro interno refrigerando calore, quod necessarium est, cuius rei causa alibi est tradita, tum pro Voce, vt bene sit. Contex. 87 88

DECLARATO genere, nimirum Sono, descendit Philosophus ad principalem eius speciem, quæ Vox est, de qua verba faciens, quatuor præsertim in hoc Contex. declarat, quorum Primum est. Nullum inanimum est præditum voce; Alterum est. Non omne animal uocem edit; Tertium, Sola respirantia prædita sunt Voce; Quartum, Natura vtitur respirato aere pro duplici fungendo munere, nimirum, pro refrigerando Corde, & pro formanda Voce. Vt pertinet ad primum, Definitur Vox, quod sit Sonus animati, nullum enim expers animæ est voce præditum; Et si quis infert de Lyra, Tibia, Cornu, & similibus, quæ videntur Voce prædita, sōluitur instantia dicendo his competere non Vocem, sed Vmbram, Imaginem, & imitationem eius; quatenus eis competit extensio quædam Melos, hoc est Harmonia, & eloquutio, hoc est, quædam Soni dearticulatio, arte formata, quæ est imitatio humanæ eloquutionis; Multa autem animaliū carent Voce, &c. Cum sola animalia sint Voce prædita, non tamen omnia, nam exanguia cuncta carent Voce, similiter, insecta, insuper, pisces, hinc à Græcis dicuntur ἀλλόφωνος hoc est Voce carentes; Ratio est: quia Sonus est motus aeris, quo non vtuntur pisces; Et si quis infert, quia pisces Acheloi fluminis, dicuntur Voce præditi; Soluitur, nō Vocem edere, sed Sonum per branchias agitando aquam, una cū aere in suprema parte aquę, idipsum efficiunt cauda, Vox autem Sonus animalis est, &c. In hac Tertia parte ostēditur sola respirantia edere Vocem; Ratio est: quia Vox est Sonus ore emissus, non quauis parte Corporis productus, pro sono producendo requiritur percutiēs, percussum, & aer medius qui repellatur, hæc autem tria solis animalibus respirantib. competunt: nam à pulmonibus mouetur inspiratus aer, quatenus ab eis tanquam à follibus trahitur, & expellitur, mox partim ab aspera arteria, partim à gutture repercutitur, & in Oris cauitate aptissimè Vox formatur, quæ mox per Linguam, Dentes, & Labia congruenter dearticulatur. Demum, in Quarta parte exemplo sumpto à Lingua, qua vtitur Natura pro duplici officio; Vno necessario, ut sit instrumentum Gustus; Altero, ut bene simus, nimirum pro interpretandis affectionibus animi, manifestat

Intentio. *Diuisio.* *Expositio.* *Instantia.* *Solutio.*

stat Naturam uti respirato aere pro duplici fungendo munere; Vno necessario, & est refrigeratio Præcordiorum; Altero, ut bene simus, & hæc est Vox.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Quatuor in humana voce considerantur.

CONSIDERO Primò, in Hominis Voce quatuor posse inueniri; Primò, Extensionē, quæ in sonis inanimorum frequenter non apparet, sed simul ex percussione prodit sonus; Secundò, Melos, hoc est Cantum & Harmoniam, quæ inanimis per artem competit, ut Lyræ; Tertiò, Eloquutionem, quæ competit inanimis arte, & cum imitatione, ut etiam Picæ; Et de his tribus mentionem fecit Aristoteles; Adest & Quartum; quod est, ut edatur cum intentione patefaciendi affectiones animi; Horum quatuor tria competūt etiam Vocibus expertum Rationis, at; Eloquutio, & dearticulatio Vocis, quę significet animi notiones ad libitum condentium nomina, soli competit Voci Hominis. Considero Secundò, quod Arist. in 4. de Histor. Animalium, cap. 9. inquit quod Lyra, Chromis, Aper, Erica, Oculus, pisces, stridorem edunt, qui tamen non est Vox, sed sonus, nec id faciunt sine aliqua aeris agitatione, & id efficiunt pisces nonnulli aridiores, & graciliores, ueluti etiam Serpentes sibilum edunt, Cicadæ, & Locustæ, quamuis dicantur carere, tamen carent Voce, & sonum edunt, agitando aerem, & internum quendam spiritum, non instrumentorum, sed per alas, & cartilagines in medio dorsi positas, quæ dilatantur, & contrahuntur, & per incisuram in medio dorsi positam, sonum edunt, ut etiam Locustæ, de hoc loquitur Aristot. in 4. de Histor. Animalium, cap. 9. Similiter Muscæ, & Vespæ sonum edunt, non Vocem; Dubitatio est de Ranis, quæ non respirant, & tamen videntur uoce præditæ, de quibus similiter dicendum est, quod carent propriè sumpta uoce, & solum patiunt ore sonum similem Voci, ideo Aristot. in 4. de Histor. Animalium, cap. 9. ait Ranas producere oloriginem in aqua, recipiendo aquam, in audiuntur etiam extra aquam in prauis sonum illum parere, quod faciunt per humorem in faucibus infixum, cum eo aerem agitando, Aristot. in 11. parte Problematum, multa dicit de sono. Considero Tertiò, quod Aristot. ait Naturam uti respirato aere pro duplici fungendo munere, minimum, pro refrigerando Corde, & formanda Voce; At, videtur secum pugnare: nam in 1. de Repub. ait Naturam formare unum pro uno officio, non pro uarijs; Respondeo, usus esse uarios, nonnulli sūt necessarij, alij ut bene simus; Regula, quod Natura facit unum instrumentum, pro uno officio, est uera de officijs necessarijs, & principalibus, hinc iure Aristot. referens gemina officia respirationis, & Linguæ, de ueraque dixit, unum esse necessarium, alterum, ut bene simus. Considero Quartò, quod cum Arist. dicat respirationem duas præbere utilitates, Galenus addit tertiam, nam ait ex inspirato aere etiam gigni portiones Spirituum Cordis, & Præcordiorum, qui tamen ex sententia Arist. solum gignuntur ex tenui parte Sanguinis; unus enim in Animali unus debet indicari generationis modus.

Serpentes sibilum edūt. Insecta pariter edunt.

Rana.

Controuersia. Solutio.

Galeni sententia.

Contex. 89. ORGANVM autem Respirationis Guttur est, cuius autem gratia hæc pars formata fuit, est Pulmo: nam hæc in parte calidiora sunt pedibus gradientia, aliis: Eget autem respiratione locus primus, qui circa Cor, propter ea

90 necesse est aerem respiratum intus ingredi; Quare percussio respirati aeris ab Anima quæ est in his partibus, ad uocatam arteriam, Vox est,

non

non enim omnis Sonus animalis eſt Vox, vt diximus, eſt enim & Lingua ſonare, vt tuſsientes; At, oportet verberans eſſe Animatum, & id efficere cum imaginatione aliqua, nam Vox eſt ſonus, ſed aliquid ſignificans, & non reſpirati Aeris, vt tuſsis, ſed hoc pulſat Aerem in Arteria exiſtentem, ad Arteriam, ſignum autem eſt, quia non valemus vocem edere inſpirantes, aut expirantes, ſed detinentes, nam Aere retento mouemus. Manifeſtum autem etiam eſt, cur piſces Voce carent, nam 91
Guttur non habent, & hac parte ſunt deſtituti, quia Aerem non recipiunt & non reſpirant, Et qui aiunt reſpirare, errant, quod cur eueniat, alia eſt ratio.

VT manum poſtremam imponat declarationi Senſus Auditus, & Obiecti eius, in hoc Contextu Sex pateſacit; nam Primò loquitur de Organo Reſpirationis, quod eſt Guttur, caput Aſperæ Arteriæ, in Os deſinens, quod Guttur formatum fuit vt Pulmoni inſeruiret, cum enim vniuerſa Aſpera Arteria Pulmoni inſeruiat, fit tamen mentio de Gutture, tãquam de eius capite, in quo Vox formatur; Eget autem Pulmo Gutture, quia Animalia progrediẽtia, quæ Voce ſunt prædita, hac in parte plus caloris habent cæteris, & ob id locus primus Cordis, eget pro refrigerio Reſpiratione, & dicitur qui circa Cor, locus primus, quia ille eſt cui primò calor competat, & eſt ſedes Animæ, & principium Arteriarum; Secundò, ex dictis colligitur Definitio Vocis, quæ eſt, vt ſit percuſſio reſpirati Aeris ab Anima, quæ in his eſt partibus ad Aſperam Arteriam; Et inquiens (ab Anima quæ in his eſt partibus) denotat facultatem motricem Pulmonis in Corde, & Præcordijs reſidentem, quæ ab eſſentia Animæ non diſtinguitur. Tertio loco excluduntur à Voce, Soni nonnulli Animalium, Voci ſimiles, vt eſt Tuſſis, & additur alia differentia Definitioni Vocis, & eſt, ut edatur cum intentione aliquid ſignificandi, quod Tuſſi non competit; Quarto loco, pro clariori diſtinctione Vocis à Tuſſi manifeſtatur modus uarius productionis utriuſque: nam pro Tuſſi à Pulmonibus pellitur Aer inſpiratus, ut vnà cum eo excludatur humor aliquis lædens; at, pro formanda Voce, detinetur Aer inſpiratus, & eo percutitur Aer in Arteria exiſtens, ad Arteriam, & caput eius. Quinto loco, eius quod dixit ſignum affert: nam experientia conſtat, nos non edere Vocem dum Aerem ducimus, nec dum reddimus, ſed oportet ut primò Aerem inſpiratum retineamus, mox eo retento moueamus Aerem in Arteria incluſum, & percutiamus arteriam & Guttur. Sextò & poſtremo ex dictis elicitur ratio, ob quam piſces careant voce, cum enim remiſſiore Cordis calore ſint prædiți, & perambientem Aquam cumulatè refrigerentur, non egent Reſpiratione, & Gutture, ſine quibus Vox non formatur, & qui aiunt piſces reſpirare, decipiuntur: nam ſolum per branchias Aquam recipiunt, & refrigerantur.

Intentio. Diuiſio. Expoſitio.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, cuncta viuentia ratione vitalis caloris, qui perinde se habet ac flamma, egere refrigeratione, alioquin flamma marcesceret, & suffocaretur, Plantæ remissiore calore præditæ, minori egent refrigeratione, & eis est satis aer ambiēs, in quo etiam nisi euentretur, Plantæ marcescunt, & suffocantur; Pro refrigerio piscium satis est aqua in qua degunt, & quamuis ea sit frigidior aere nos ambiente, eam tamen non tam frequenter nec adeò intus trahunt, hinc in aqua calida non seruantur, nec extra aquam: quia non valet aer extrinsecus, ut satis est, calorem contemperare; Animalia demum respirantia, respirato aere refrigerantur, simulque tanquam fumum interni caloris expirant, & repellunt, & inde euenit, quod frequenter quorundam halitus fœtet, indicans deprauatam pectoris constitutionem; Considero Secundò, Tussim à Voce tripli ci differentia secerni; Prima elicitur ex modo productionis, nam in Tussi simul, & cum violentia repellitur aer, in voce cum successione, in Tussi Sonus efficitur prope Pulmones, vbi adest molestus humor, in voce magis propè Guttur, in Tussi Aer inspiratus sine medio percutit arteriam, vt expellat humorem aduersum, in voce aer inspiratus detentus, mouet aerem in aspera arteria inclusum, vsque ad Guttur. Altera differentia est, quia vox editur ad libitum, tussis autem frequenter nobis inscitis; Tertia est, quia uox editur cum imaginatione, & intentione alicuius significandi, & significat vel per Naturam, uel ad libitum imponentium nomina, hoc autem tussi non cōpetit: nam tussis solum est signum alicuius deprauatę constitutionis; Considero Tertiò, in dubium uerti posse, num sibilus, & tussis aliquando possint dici uoces? Nonnulli id affirmant, ueluti dum Sibilo, tanquam dato signo, aliquid indicamus, similiter & tussi, & Philoponus huic parti adhæret; Quam opinionem non puto ueram; Primò, quia differt modus productionis; Secundò, quia uox uel significat intentionem animi secundum Naturam, uel ad libitum, & dum id facit ad libitum, ea impositio nominis debet esse communis, & communi usu approbata, Præterea, Vox ad libitum significās, debet esse apta literis designari, quod nec Tussi, nec Sibilo cōpetit; Insuper tussis ea & Sibilus significant aliquid pro tunc non absolutè, & propterea ex accidenti, nec secus ac etiam uaria alia signa, ut percussiones Lapidum, & Manuum; Dicamus itaque, dum tussis, & sibilus eduntur pro signo aliquid denotandi, eas non esse uoces, sed sonos, pro tunc fungentes officio uocis. Quartò Considero, quod Arist. ait uoces aliquid significare, hoc autem est dubium: quia multæ formantur uoces nil significantes, hinc Aristot. in libro de interpretatione ait, nomen esse uocem aliquid significantem, pro distinctione à uocibus nil significantibus, ueluti, blitiri, & similes; Insuper ait partes nominum nil significare, cum tamen sint uoces; Respondeo, uoces, omnes ordinatas esse ad patefaciendas animi affectiones, & dum hoc fine carent, sunt Vmbræ uocum & Imagines, non uerę uoces; Instabatur, quia blitiri, nil significat; Respondeo, quod ob id non est Nomen, cum non sit impositum alicui tanquam signum, est tamen uox, quia saltem scriptum patefacit: nam qui id profert, primò imaginatione illud concipit, quod mox ore manifestat. Instabatur de partibus Nominum; Respondeo, eas non esse integras uoces, sed partes, & ob id absolutè significare, sed consignificare, hoc est unà cum alijs aliquid denotare; Quintò Considero, in dubium uerti id, quod de uoce dicit Arist. quod producatur ab anima in Præcordijs existente, nam etiam sine Pulmone uidetur posse formari, ueluti aiunt nonnulli id fieri à capite celeriter abscisio, quod approbat Albertus lib. 25. similiter, id affirmat Homerus inquiens.

Differentia tussis à voce.

An Sibilus & tussis aliquando sint Voces.

An uoces semper aliquid significent. Solutio.

An sine pulmone fiat Vox.

Ipseque dum loquitur, miscetur puluere vertex.

Et multi

Et multi affirmant se Vocem audiuisse à capite celeriter amputato formatam, Aristot. in 3. de partibus Animalium, cap. 10. inquit, in terra Caria rem hanc pro-uera approbari, & referri caput à Cercida amputatum nominasse illum, ex propria tamen sententia id reijcit, inquiens apud Barbaros velocissimè capita amputantes non auditum id fuisse, quod confirmat exemplo cæterorum Animalium, quorum caput celeriter amputatur. Fundamentum est id quod dicitur in 8. Physic. Non mouente primo, cætera mouere non valent. Pro resolutione tria profero; Primum est, detruncato Cicadarum, & Locustarum capite, adhuc posse edere Sonum, hoc patet experientia, & ratio est: quia non edunt sonum per Os, sed per Dorsum, & detruncato capite aliquandiu viuunt, & volant; Alterum est, detruncatum caput Animalis respirantis non posse ab initio formare Vocem; Ratio est: quia initiũ est pulmo, & ei proxima; Tertium est, detruncatum Hominis caput posse absoluere vocem tunc inchoatam, nam dempto principio mouente, adhuc aliquantisper valet seruati motus, ut patet de proiectione, & quia Homo cui caput abscindi debet, frequenter inuocat nomen Dei, ideo euenire potest, vt caput eius statim abscissum nomen iam inchoatum absoluat; Addo tamen, quod ea tunc non propriè est Vox, quia abest intentio, sed potius Sonus Voci similis; Considero Sextò, orationem, eiusque principia Voci duo addere; Primum est dearticulatio, ob quam literis denotari potest; Alterum est impositio nominum ad libitum; ob quam dicuntur significare ad libitum, & hæc soli competit Homini, hinc dicitur instrumentum Rationis, nec sine aliquo Rationis usu ei competere apta est, & verè, ac propriè ille est sermo, qui ex recta ratione prodit, & quia recta ratio est propria viri sapientis, ideo solus Sapiens proprie loquitur, & tunc solum verè dicimur audire loquentem, dum audimus sermones Sapientum, adeò, vt quemadmodum Homo dicitur æquiuocè de Sapiente, & Ignaro, ita sermo æquiuocè dicitur de eo Sapientis & de eo Ignari, Hinc Socrates apud Apuleium de iuuene sermoso & silente dixit: si vis vt te videam loquere. Considero Septimò, quod Arist. in 5. de histor. Animal. cap. 9. ait omnes qui ab ortu sunt surdi, mutos esse; Ratio est: quia eloquium exposcit doctrinam, & disciplinam, cuius Sensus est Auditus, valent quidem Vocem edere, vt non propriè loqui, addiscunt tamen nonnulla nomina inspiciendo figuram, & motum labiorum ea enunciantium; Insuper inquit Arist. in 4. de historia Animal. cap. 8. quod cunctis in Aqua existentibus Sonus ingens, molestus, grauisque occurrit; Ratio est: quia non percipitur nisi fuerit vehemens, & percipitur per medium crassius & densius, quod non sine molestia mouet; Demum considero ex Aristot. hanc elici Vocis Definitionem; Vox est Sonus Animalis productus ab Anima in Præcordijs existente, detinendo inspiratum Aerem, eoque pellendo Aerem in Aspera Arteria inclusum vsq; ad Guttur cũ intentione aliquid significãdi.

Aristl.

An caput seiuncti̇ũ possit loqui.

Solutio.

Conclus. 1.

2

3

6

Propriè sermo est ille Sapiens.

Socrates.

7

Cur Surdi etiã sint muti.

8

Definitio Vocis.

DE Odore autem & Odorabili minus facilè est decernere, quàm de dictis, non enim ita patet qualis quid sit Odor, vt Sonus, aut Lumen, aut Color. Ratio est: quia hunc Sensum non habemus certum, sed deteriorẽ eo multorum Animalium, praua enim odorat Homo, & mil sentit odorabilium sine letitia & tristitia, tanquam non existente certo eo quo sentimus; Rationi autem consonum est, ita prædita duris oculis Colores sentire, & non conspicuas eis esse differentias Colorum, nisi cum terrore, vel sine, vt Odores Hominum genus; Videtur autem consimili ratione Odoratum respondere Gustui, & species Saporis, speciebus Odoris: At, certior nobis

Cœlest. 92.

93

94

bis competit Gustus, cum sit quidam Tactus, quo certissimo præditus est Homo, in cæteris autem superatur à plurimis Animalibus, at; Tactu excellentius cæteris percipit, ideò est Animalium prudentissimum, cuius rei signum est, quod in Hominum genere ex hoc Sensorio elicimus, qui valeant, & non valeant ingenio, non autem ex vllo alio cæterorum Sensuum, nam molles carne, iudicantur apti Mente, Duri verò inepti.

Intentio.

Diuisio.

DECLARATO Visu, & Auditu, seruans Naturæ præstantioris ordinē, loquitur de Odoratu, & more suo per obiectum, & actionem in eius notitiam nos deducit, & vt pertinet ad præsentem Contex. Tria præcipua ex eo elicimus: nam Primò Philosophus quasi se excusans manifestat difficile esse de Odoratu verba facere, cuius difficultatis rationem affert; Secundò, per attinentia ad Sapores & Gustum ait patefacienda attinentia ad Odores, & odoratum, quæ sibi mutuo certa ratione respondeant; In Tertia parte cū Gustus sit quidam Tactus, manifestatur tactum homini exactissimè competere; Inquit in Prima parte de Odore, & Odorabili, hoc est de Odore non absolutè, sed vt ad Sensum Odoratus refertur, non tam facilè est verba facere, vt de Auditu, & Visu, non enim tam conspicuè patet qualis quid sit Odor, vt Obiecta eorum; Ratio huius obscuritatis est, quia Odoratus Hominis est deterior odoratu multorum Animalium, & nil percipit sine lætitia, & tristitia, hoc est nisi vehementer ab Obiecto moueatur, & proportione respondet Oculis Cancrorum, & consimilium Animalium, qui cum sint duri, nil vident, nisi vehementer ab Obiecto moueantur. Videtur autē consimili ratione Odoratum respondere Gustui, &c. In hac Secunda parte methodum aperit noscendi Odores, inquiens Odoratum & Odores consimili proportione respondere Gustui, & Saporibus, & cum Gustus Hominis sit certior, per attinentia ad Gustum, patefacienda sunt attinentia ad Odoratum, Gustus autem Hominis est certior, quia est quidam Tactus, qui homini exactissimè competit; Tactum autem Hominis esse exactissimum ostendit in Tertia parte; hac ratione, Animal prudentissimum est præditum Tactu exactissimo, Homo est animal prudentissimum, quare Tactu exactissimo est præditus. Ostenditur Maior: quia dispositio instrumenti Tactus, & Ingenij, sibi mutuo respondent, & ex dispositione instrumenti Tactus, elicimus dispositionem Ingenij, & dicimus molles carne aptos Mente, duros verò ineptos.

Expositio.

ANNOTATIONES.

Consider. 1. Odo respondens Naturæ.

CONSIDERO Primò, vt pertinet ad ordinem, quod cum Arist. cœpisset seruare ordinem Naturæ, respondentem ordini perfectionis, illum nō deserit, & quamuis Gustus Hominis dicatur certior, & per Saporum differentias refulgeant differentiæ Odorum, non propterea prius loquitur de Gustu: nam in methodo sequimur nostrum cognoscēdi modum, & progredimur per nobis notiora, at, in ordine Naturam sequimur, & æmulamur, vt in ciuili Scientia patefeci; Considero Secundò, quod Arist. ait Hominem prauè Olfacere, & Odoratum Hominis esse deteriorem eo multorum Animalium, quæritur, cur prauè Odoret, ait Plato in Timeo, id euenire, quia Odor est quid medium, & inchoatè mixtum; At, ratio hæc, si alicuius est momenti, est communis, & cū habet de Odoratu cuiusuis Animalis; Dicamus, id euenire ob magnitudinem & humiditatem Cerebri Hominis, & nexum instrumenti Odoratus cum eo, humor enim Aqueus obtundit eius Odorum, & cum Odores sint calidiores, & sicciores, citissimè & maximè Cerebrum recreant & prosternunt: nam citissimè & familiariter nectuntur cum spiritibus Cerebri, solum

Odoratus hominis prauus est.

Homi-

Homines Odores oblectant, cætera Animalia solum delectatione ab eis afficiuntur ob cibum, & quia diuinior Hominis facultas, in capite apparens, Odoribus gaudet, idcò & Thura & fragrantia Odoribus Deo & Diuinis offerimus. Considero Tertiò, 3
in dubium verti, num Homo deterius odoret multis Animalibus, nam id videtur dubium, tum quia odoratus Hominis percipit omnes differentias odorum, alioquin nobis de illis non competeret scientia, tum insuper, quia Homo nedum iudicat odores vt pro cibo conducunt, & cum eo sunt iuncti, vt cætera Animalia, verum insuper, absolutè vt odores sunt, vel grati, vel aduersi; Arist. in 5. de Generat. Animal. cap. 1. nec non secundo, viam nobis aperuit diluendi hanc difficultatem, hac distinctione vtens, nam præstantia vel attenditur penes notitiam plurimarum differentiarum Obiecti, vel penes iudicium distantioris, & diminutioris; si de Primo loquimur, Sensus Hominis præstant cæteris; si de Altero cedunt nonnullis: nam inquit Arist. Homo pro magnitudine minimè fere omnium Animalium procul sentire potest, cum tamen differentiarum Sensu maximè omnium valeat. Considero Quartò, quod Arist. indicat 4
nexum Sensus Tactus cum Prudentia, inquiens Homini competere Sensum Tactus exactissimum, & ob id esse prudentissimum; Ratio connexionis est: quia instrumentum Tactus præsertim in Temperamento primarum Qualitatum est positum, ex cuius Temperamenti rectâ constitutione, consurgit recta dispositio instrumenti facultatis imaginandi, ex cuius varietate proditant varietates ingeniorum, vt ait Auct. in 3. de Anima, 20. Ex quo elicio, non inanem penitus esse Physionomiam: nam quamuis Diuinatrices Artes magna ex parte sint mendaces, Ars tamen Physionomię eatenus cæteris præstat, quatenus progreditur per attinctia ad Temperamenta, ex quibus proximè prodeunt propensiones Hominum ad varia; nam quamuis Homo sit præditus arbitrij libertate, magna tamen ex parte sequitur propensiones, ex Temperamento prodeuntes, ac ita magna ex parte verum est id, quod dixit Galenus, Animi mores sequi Temperamentum Corporis, quas propensiones ratione corrigunt viri prudentes. Considero Quintò, quod Tactus Hominis dicitur exactissimus, & 5
iure, cum Temperamentum eius sit exquisitissimum, & propterea approbandum id non est quod dicitur: Sed uincit Aranea Tactu; Et addit Aristoteles in Hominum genere ex solo Organo Tactus elici qui ualeant, uel non ualeant ingenio: nam molles Carne, dicuntur valere Mente, duri verò contra. Fundamentum huius Sententiæ est, quia Caro & Cutis mollis, & tenuis est, dum prodeunt ex subtilioribus & purgatioribus humoris, per quos redditur Temperamentum virtutis imaginandi congruentibus, & indicatur spiritus esse magis tenues & acutiores; Sed oritur Dubitatio, quia et ex instrumentis aliorum Sensuũ idipsum elicitur: nam dicimus præditos oculis, cælijs, aptos esse ad disciplinas ingenuas; Similiter, Hominum illi, qui Odoratu præstant, dicuntur valere ingenio, quia siccioris & purgatioris sunt Temperamẽti; Augetur Dubitatio, quia Auditus maximè id deberet indicare, cum dicatur esse Sensus disciplinæ. Respondeo, etiam ex alijs Sensibus eorumque instrumentis id posse in parte elici, at, non tam proximè, nec tam exactè; Ratio est: quia instrumenta cæterorum Sensuum, non constituuntur ex Temperamento Obiecti eorum, vt se habet de Tactu de Auditu autem dico, aliud esse, indicare præstantiam ingenij, & cõducere pro disciplina, Auditus conducit pro disciplina, & animaduertendum est, quod Aristot. in calce Contextus, Carnem ait esse instrumentum Sensus Tactus, qua de re loquar in Sermone de Sensu Tactus. Considero Sextò, in dubium verti Sententiam Aristotelis, quod molles Carne, valeant Mente, nam Fęminę, sunt præditæ mollioribus Carnibus, quam Mares, & Pueri, quã Senes, & tamẽ Mares, & Senes magis ualẽt ingenio; Præterea, Vermes, & Anguillæ Cutẽ & Carnes habent molliores; His additur, quod Arist. in 30. particula Probl. 1. ait Viros Atra Bile vexatos, valere ingenio, cum tamen Bilis Atra, & terrea, Cutem reddat asperam, & duram; Pro Solutione dico, per molles Carnes non denotari abundantes Pituita obtundente acumen

Num uerũ sit, quod Homo deterius odoret multis aĺalibus.

Nexus Prudentiæ & Tactus.

Physionomia.

Galenus.

Cur molles carne ualeãt Mente.

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

men Ingenij, sed præditos Cute tenui, ex purgatioribus, & subtilioribus humoribus constituta, quæ nec Pueris, nec Fœminis, nec Anguillis, nec Vermibus competit, sed Viro adulto, & iam consistentis ætatis; Ac insuper, de Vermibus, & Anguillis, addo Regulam supponere cætera paria, ideo rectè Arist. non eum profert absolutè, sed ait, in Hominum genere; Vt pertinet ad eos qui Atra Bile abundant, dico non omnes valere Ingenio, sed eos solum, quorum Bilis Atra non est adusta, sed tenuis, & tenui Sanguine contemperata, quæ non asperam reddit Cutem sed tenuem, vt Arist. in eodem Problemate affirmat; & in 2. de partibus Anim. cap. 2. ait: Est certe roboris efficacioris Sanguis qui crassior & calidior est, uim autem sentiendi, intelligendique, obtinet pleniorem, qui tenuior, atque frigidior est; Hoc idem discrimen in iis quoque seruatur, quæ sanguini proportione respondent, quam ob rem, Apes, atque huiusmodi alia Animalia, Ingenio magis ualent, multis carentibus Sanguine, necnon inter ea quę Sãguinem habent, magis pollent ingenio suis contrarijs, quę Sanguinem habent frigidiorem, & magis tenuem; Ex his elicitur explicatio Sententiæ Aristotelis, & Solutio aduersarum Rationum.

Contex. 95. EST *autem Sapor hic quidam dulcis, ille verò amarus, veluti etiam sunt Odores, sed alia quidem prædita sunt Odore qui proportione respondet Sapori, dico autem dulci Odore, dulcique Sapore, alia verò contra; Similiter autem & acer, & austerus, & acutus & pinguis est Odor, sed vt diximus, quia non adeò sunt manifesti Odores, vt Sapores, ab his secundum similitudinem deprompta sunt nomina, veluti dulcis à Croco, et Melle, acer autem à Thymo & huiusmodi,* 96 *eodem autem modo se habet de aliis: Adhuc autem, vt Auditus, & vnusquisque Sensuum, hic quidem est audibilis, & inaudibilis, ille verò visibilis, & inuisibilis, & odoratus odorabilis, & inodorabilis; Inodorabile autem vnum est, quod non valet recipere odorem, aliud verò paruum habens, & prauum, similiter autem ingustabile dicitur.*

Patentio. Diuisio. QVONIAM pro notitia sensus Odoratus agendum erat de eius Obiecto, quod dicebatur latere, & refulgere per Obiectum Gustatus, ideo Arist. in hoc Contextu tria facit; Primò patefacit ut Sapores, ita distingui odores; Secundò manifestat, quod in eodem Subiecto nonnunquam sibi mutuo respondent, nõnunquam non; Tertiò manifestat, id quod est commune singulis Sensibus, quod iudicant obiectum, eiusque priuationem, tradẽs simul priuationis

Expositio. distinctionem; Ait in Prima parte, ut dantur Sapores dulces, & amari, ita & odores; Addit pro secunda parte, nõnunquã sapores & odores in eadem re sibi mutuo respondere, ueluti in Melle sapor & odor dulcis, nonnunquam minime, ut in uarijs Floribus suaui odore, & ingrato sapore præditis; Nomina autem Primò Saporibus tanquam notioribus sunt imposita, mox per Metaphoram, & similitudinem translata sunt ad odores, latentiores, ueluti ex Croco & Melle dulcis saporis, translatum est nomen ad eorum odorem qui etiam dicitur dulcis, & ab acro Thymi sapore, eius odor dictus est acer. Mox in Tertia parte, quod etiam pertinet ad notitiam obiecti, manifestat hoc commmune cunctis sensibus quod idem est iudex sui obiecti, & priuationis eius,

nis eius, quæ priuatio est triplex, uel absoluta, uel forma diminuta, uel deprauata, ut etiam dicitur in 5. Metaphysicæ.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, ex Qualitatibus secundis nullam esse quæ certius nobis patefaciat Temperamentum sui Subiecti, quam sapor, ut rectè etiam declarauit Galenus, & iure: nam sapor est Qualitas magis materiata cæteris secundis Qualitatibus, positus enim est sapor in terreo quodam Sapido, humore ablato, tẽperamento Sapidi proximo, hinc etiam dicitur quidã Tactus, cũ sit Tactui simillimus, iudicium autem Temperamenti ad Tactum pertinet, odor uerò magis in Spiritu & tenui halitu est positus, & facilè est ut eueniat humidũ sapidum esse ingratum, ex quo tamen prodeant halitus purgatiores & grati, at, quia magna ex parte sibi mutuo respondẽt, ideò ex uno in aliud translata sunt nomina, & præsertim id accidit ob nexum quia ex eo humido Sapido excalefacto, prodeunt halitus odore præditi. *Consider. 1.*

Considero Secundò, Aristot. frequenter enunciare hanc sententiam: Oppositorum eandem esse scientiam, eandem facultatem cognoscendi, idem iudicium, eundẽ habitum, eandemq; rationem; Quæ sententia uera est de singulis Oppositis, ut opposita sunt, Ideo etiã de sensibus ait, quod sunt unius contrarietatis, uelut Visus, albi & nigri, ac insuper Formæ & Priuationis, hæc tamen est differentia, quia contraria ambo per se, & primò noscuntur, Priuatio autem nec per se, quia non mouet, nec primò, quia noscitur per Habitum, & quemadmodum est Priuatio, ita noscitur per Priuationem; quia sensum non mouet; At cum triplex sit Priuatio, ea triplici modo noscitur; Prima, quia omnino non mouet; Secunda, quia remissè mouet; Tertia, quia mouet peruersè; *2 Oppositorũ eadem Scientia.*

Considero Tertiò, pro mutua responsione Saporum & Odorũ, seruari has tres Regulas si sapor fuerit suauis, etiam odor erit suauis, si odor fuerit prauus, & ingratus, etiam sapor erit talis; Si odor fuerit suauis, non semper sapor suauis erit, nã odor conducit & pro nutritione indicando alimentum congruens & pro Spirituum & Cerebri recreatione. *3 Tres regulæ.*

EST autem Odoratus per medium, ut Aerem aut Aquam, nam Aquatica videntur Odorem sentire; Similiter & Sanguine pradita, eoque destituta, ueluti quæ in aere: nam horum quædam è longinquo tendũt ad alimentium ab odore mota; Hinc dubitatio oritur: num omnia similiter odorent: nam Homo solum inspirans, non autẽ dum non inspirat, sed expirat, aut spiritum detinet, sentit Odorem, neque eminus, neque cominus si intra nares ponatur. At collocatum in sensorio, non sentiri, commune est omnium, non sentire autem sine inspiratione, proprium est Hominum, & id patet experientia; Propterea quæ sanguine carent, quoniam non respirant, alio quodam sensu pradita sunt præter eos qui dicti sunt; Verum, id fieri nequit, cum odorem sentiant, sensus autem rei odorabilis, & cum prauitum boni odoris odoratus est; Insuper, etiam corrumpi videntur à uehementibus odoribus, à quibus Homo quoque corrumpitur, ueluti Bituminis, Sulphu- *Contex. 57. 98 99*

Sulphuris, & similibus; Olfacere igitur necessarium est, at, sine respiratione.

EXPLICATIONES

Intentio. Diuisio. Expositio.

DECLARATO Obiecto, loquitur Aristot. de medio & modo, quibus odores animalia percipiunt. Diuiditur Contex. in Quatuor partes; In Prima hæc proponitur, & approbatur Conclusio. Odores percipi per medium aerem, & aquam; De aqua ostenditur experientia: nam degentia in aqua, è longinquo tendunt ad alimentum eius odore perceptum; Similiter prædita Sanguine, ut Canes, eoque destituta per longa interualla tendunt ad alimenta, vt patet de Muscis, & Vulturibus; Hinc Dubitatio oritur, &c. In hac Secunda parte, ex duplici medio odorandi, ostenditur prodire difficultatem, num Animalia omnia eodem modo fungantur officio odorandi, vel vario, & ostenditur quod vario: nã percipere odores cum respiratione, & sine, sunt modi uarij; At Homo percipit eos cum respiratione, multa sine, quare modi sunt varij; Minor ostenditur, quia experientia constat, quod Homo non expirans, neque spiritum detinens, odores non percipit, sed solum inspirans, non autem secus, neque etiam si supra instrumentum odoratus collocetur Sensibile; At, quod Sensibile collocatum supra Sensum non sentiatur est commune singulis Sensibus, non sentire autem odores sine aeris inspiratione, est proprium Hominis ut patet experientia; Propterea quæ sanguine carent, &c. ex eo quod modus odorandi est uarius, oritur Dubitatio, num Sensus odoratus sit unus, uel uarius: nam videt dicendum non respirantia alio quodam Sensu, ab eo respirantium odores percipere; Verum id fieri nequit, &c. In hac Quarta parte ostenditur Sensum non esse varium, duplici ratione; Prima est, Obiectum nimirum odor, est idẽ, quare & Sensus, & formatur hæc Ratio: Sensus iudicans odores, est odoratus, Sensus non respirantium iudicat odores, quare ille quoque est Sensus odoratus. Altera Ratio sumitur ex læsione: nam quæ secundum se ab eisdem destruuntur, eadem iudicari debent, at, omnes Sensus odoratus ab eisdem secundum se læduntur & destruuntur, quare ijdem sunt iudicandi.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, iure in dubium posse verti, num aqua possit esse medium percipiendi odores, nam odor in fumoso quodam habitu est positus, sine quo non videtur posse percipi, qui dum miscetur cum aqua, redditur sapor quidam, qui Sensu Gustus percipitur, non eo odoratus; nec obest id quod dicitur ab Aristot. degentia in aquis tendere ad alimentum: nam id faciunt per Sensum Gustus degustando aquam Sapore alimenti præditam, vel quatenus eleuantur in superficiem aquæ, & per aerem ei proximum odores percipiunt, veluti faciunt Cancri, & Ranæ; Et confirmatur: quia pisces ore aquam recipiunt, ore autem degustatur aqua, Aristot. tamen secus iudicat, & pars vtraque probabiliter defendi potest, & varia pro omni parte possent afferri, quæ missa facio; Et pro approbanda sententia Aristot. ea accipio, quæ apud eum leguntur in 2. de partibus Animal. cap. 6. quo loci inquit; Animalia quæ non spirant, alia branchijs, alia fistula, alia præcinctu, vt insecta odores sentiunt, & cuncta id faciunt ingenito spiritu sui Corporis; Ex hoc possunt elici Solutiones instantiarum.

An Aqua odores deferat.

Pro opinione Aristot.

2 Considero Secundò quod Arist. ait non sentire sine inspiratione proprium esse Hominis, quod tamen non videtur verum, hoc enim est commune cunctis respirantibus, hinc nullum eorum percipit odores in aqua, quo tanquam signo Arist. uiturin Contex. 100. ad ostendẽdam necessitatem respirationis, quo loci Aristot. ait: Respirantia non odorant in aqua, necessarium enim est olfacere respirando; Ægidius respondens,

Dubitatio.

Aegidius.

ait

ait Hominem solum inspirando sentire, cætera verò etiam non respirando; at, conspi cuè aduersatur Aristot. qui vniuersè cunctis respirantibus tribuit, non percipere odo res sine respiratione, vt patet ex Contex. 100. Propterea Magnus Albertus ait, id di- *Magnus Al*
ci proprium Hominis, quia competit omni, & semper, quamuis non soli; Vel Dica- *bertus.*
mus, Aristot. sumpsisse Hominem gratia exempli, pro denotandis cunctis respiranti-
bus, vt se declarat in Contex. 100. Considero Tertiò, in dubium verti posse, quomo-
do odor cum in aqua, tum in aere percipiatur: nam cum odor sit Qualitas secunda, *3 Dubitatio.*
solis competens mixtis, non videtur posse competere aeri, vel aquæ, quæ mixta non
sunt. Respondeo, nec in puro aere, nec in pura aqua seruari sapores, sed in utrisque
permixtis: nam cum utrisque permisceri ualent halitus mixti, odore præditi. Et si
quis dubitet, num per Ignem sentiri possint, Respondeo, Ignem non esse medium cõ- *Solutio.*
gruens, tum, quia in eo non degunt Animalia, tum insuper, quia Ignis consumit, &
comburit vapores, odorem deferentes. Considero Quartò, quod Aristot. ostendit *4*
sensus odoratus respirantium, & non respirantium, esse eosdem, quia destruuntur ab
eisdem, cuius Rationis uis in hoc est posita, quia id quod secundum se corrumpit con
trarium est, uni autem unum est contrarium, & sententia Aristot. debet intelligi, &
vera est, de corrumpente secundum se, non autem ex accidenti, nam ex accidẽti idem
à varijs corrumpi potest, secundum se autem à suo contrario, loquendo de contrarijs
inuicem agentibus & patientibus.

VIDETVR autem in Hominibus differre hoc Sensorium, ab iis quæ aliorum Animalium, vt oculi ab oculis eorum quæ prædita sunt duris oculis, nam illi muniti sunt valle, & tanquam velo palpebris, quas nisi moueant, & retrahant, non videtur; His carent oculi duri, & statim vident quæ sunt in perspicuo. Ita quoque instrumentum odoratus, aliis competit sine operculo vt oculus, recipientibus autem Aerem, operculo est præditum, quod respiratione aperitur dilatatis venis, & poris, ideo respirantia non odorãt Aqua, necesse enim est olfacere respirando, quod in humido fieri nequit, est autem odor sicci, vt sapor humidi, instrumentum verò Odoratus est potestate tale. *Cont. 100. 1*

DIXERAT Philosophus Sensum odoratus respirantium, & non re *Intentio.*
spirantium esse eundem, modum uerò odorandi distinctum; Intentio
Aristot. in præsenti Contex. est id patefacere exemplo sumpto ex ua
ria oculorum constitutione; Diuiditur Contex. in tres partes; In Pri *Diuisio.*
ma exemplo uarietatis oculorum, & modi uidendi, illustrat uarietatem instrumenti odoratus, & modi odorandi; Ex qua uarietate in Secunda parte elicit rationem cur respirantia in aqua non ualeant odorare; In Tertia affertur conditio odoris, & Definitio instrumenti odoratus; Inquit in Prima parte, instrumentum *Expositio.*
odoratus Hominis differre ab eo cæterorum Animalium, ut oculi eius, ab oculis eorũ
qui duris oculis sunt prædi ti, ut Cancri & pisces, nam illi muniti sunt uallo & tegmi
ne, quo non eleuato nil uident, hi carentes tegmine, statim inspiciunt quæ eis in me-
dio perspicuo offeruntur; Idipsum seruatur in Sensu odoratus, nonnullis enim veluti
etiam oculus competit sine tegmine, ut respirantium instrumentum est tegmine co-
opertum, quod ut odorem sentiant aperiri debet, id autem fit inspiratione, dilatatis
venis & poris, siue meatibus ad Organum tendentibus, & propterea in Secunda par-

te ex eo elicitur Ratio, cur respirantia non valeant in aqua odorare, quia in ea non valent inspirare; Demum, in Tertia parte colligitur odorem in sicco esse positum, vt sapor in humido. Definitio autem instrumenti odoratus est, ut sit potestate tale, qualis odor est actu.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod cum Aristot. dicat instrumentum odoratus Hominis, differre ab eo cæterorum animalium; per instrumentum odoratus Hominis, debemus intelligere instrumentum omnium animalium respirantium, & per alia animalia intelligi debent non respirantia; quod patet ex secunda parte textus, in qua id quod Homini tribuit, statuit commune cunctis respirantibus, & cum addat (ut oculi) manifestat oculos non respirantium; carere tegmine, vt Muscarum, Apum, & Insectorum omnium, similiter piscium; Respirantium autem & oculos, & instrumentum odoratus esse prædita tegmine.

2 Considero Secundò, Anatomicos cărpere Aristotelem tribuentem instrumento odoratus tegumentum, quod tamen intra nares supra caruncolas mammillæ res non apparet, nec reperitur: sed defenditur Aristoteles nam ait tegi, quia dum Animalia ducentia Aerem non respirant meatus narium contrahuntur, & via claudi-

Defensio Aristot. contra Anatomicos

tur ducens ad Organum, & ob id dicitur cooperiri, & aperiri tanquam tegmine extenso, & contracto, & hoc indicat Aristoteles inquiens id fieri dilatatis Venis, & Porris, & Venarum nomine, more Veterum, etiam denotat Arterias, ad quas pertinent spiritus; Considero

3 Tertiò, quod Arist. dicens Odoratum non coopertum respondere oculis duris, dupliciter videtur errare; Primò, quia falsum enunciat; Secundò quia secum pugnat; Videtur enunciare falsum, quia si odoratus sine tegmine

Dubitatio.

similis esset oculis duris tunc vt oculi duri deterius vident, ita odoratus non tectus deterius perciperet Odores, quod esse falsum patefaciunt Apes, & maiores Muscæ, quæ è longinquo per odoratum tendunt ad alimentum; Secum autem pugnat, quia in præcedentibus odoratum hominis dixit similem Visui, habentium oculos sine

Solutio.

tegmine; Respondeo, cum hæc sit similitudo, inspiciendo uariæ, variæ possint referri similitudines, & dissimilitudines: nam si inspicimus certum, & incertum, odoratus hominis est similis visui oculorum sine tegmine, utrisque enim competit cognitio obscura, & incerta, si uerò inspicimus modum sentiendi seruatur similitudo modo relato: nam odoratus Hominis egens remotione tegminis, est similis oculis coopertis.

4 Considero Quartò, quod Arist. inquit Saporem esse humidi, odorem verò sicci, de

Dubitatio.

quo latius est sermo in lib. de Sensu & Sensili; At, instatur, quia Piper, Zinziber, Anisi, & alia similia, cum apprimè sint sicca, fere carent odore, & vehementi Sapore sunt

Solutio.

prædita; Similiter salsedo maris ex halitu terreo & sicco oritur; Respondeo, fundamentum cum odoris, tum Saporis, esse idem, nimirum, siccum Sapidum, at; pro Sapore debet esse humore ablutum, pro odore magis in Aereum resolutum; & excalefactum; hinc eget odor maiori coctione, propterea poma solum dum matura fuerint flagrant odore; Insuper, cum vtrorumque fundamentum sit Sapidum siccum, & ob id maximè nectuntur, vt patuit in præcedentibus, tamen, dum ad actum secundum erga Sensum transeunt, vt Sapor percipiatur, debet humore dilui & liquefieri, pro odore autem edendo excalefieri & exsiccari, sic Piperis, & Zinziberis percipiuntur

5 Sapores, dum humore fuerint dilura & liquefacta. Considero Quintò, vt pertinet ad instrumentum odoratus, quod Definitur ut potestate sit tale, qualis odor est actu;

Communis conditio instrumentorũ Sensuum.

nam hoc est commune omni instrumento Sensuum, sua facultate prædito, vt sit potestate tale, quale eius Obiectum actu est, cuius conditionis ratio est, quia recipiens debet esse nudatum eo quod recipere debet, ideo dicitur esse potestate; Insuper, omnis Sensus est aptus recipere species sine Materia, Sensus enim recipit spiritualiter, &

recipit agendo, hoc est, iudicando, & fit id quod recipit per imitationem, & cognitionem, & hoc est commune omni facultati iudicanti Animæ, siue utatur instrumento, siue non utatur, dum tamen vtitur instrumento, id rectius tribuitur instrumento facultate prædito, qua nuis distincta ratione etiam soli facultati id tribui possit, at, facultati non Organicæ, ut Menti, tribuitur facultati; sic in 3. de Anima Mens dicitur fieri omnia, & potestate talis, qualia actu sunt intelligibilia; Sextò considero, non constare, quodnam statui debeat instrumentum Odoratus, nam uarij uaria dicunt: Nonnulli aiunt instrumentum totum & integrum esse nasum, ex singulis suis partibus constitutum; At, contra, abscisso naso, adhuc percipiuntur odores; Insuper, id nō potest dici instrumentum commune, quia multa Animalia carent naso, & percipiunt odores; Philoponus, Auicenna, & Algazel, instrumentum statuunt duas caruncu- las, tanquam duas mammillas, quæ intra nares prope ossa Isthmi formam præseferentia inspiciuntur, collocatæ; Quæ opinio etiam est dubia: tum, quia hæ non reperiuntur in odoratu omnium Animalium, tum insuper quia caro conducit pro Tactu, non pro odoratu; Propterea alij aiunt, instrumentum esse exiguos neruos, ex Cerebro in nares oblique desinentes; at, nerui ex Sententia Medicorum sunt commune aliquid, & consimile, deferens facultatem sentiendi, ideo non constituunt instrumētum proprium alicuius eorum; Ex Sententia autem Arist. non nerui, sed potius uenæ, siue arteriæ sentiendi facultatem deferunt; Propterea alij id tribuunt venis quæ infra nares apparent; hinc Arist. ait ex Corde venas, siue arterias ad partem anteriorem capitis tendere, vt partem illam reddant sensu præditam, at uenæ sunt commune aliquid, ut dixi. Propterea, dicamus ex sententia Aristotel. Cor esse communem sedem Sensuum, spiritus, & venas, siue arterias, esse commune deferens facultatem, nasum totum esse instrumentum totum odorandi, nō tamen pro omni parte necessarium, quia abscisso naso, adhuc Homo odores percipit, caruncule sunt locus propè quem percipitur odor, proprium autem instrumentum est panniculus caruncules tegens, venulis præditus, congruenter contemperatus, pro percipiendis odoribus, pro quo conducunt alia ei proximè iuncta; Inquit Arist. in 2. de partib. Animal. cap. 10. Auditus odoratusque piscium & reliquorum generis eiusdem, declarant quod dicimus, nimirum Sensum in Corde residere, Audiunt enim atque Olfaciunt, cum nullum instrumentum eorum sensuum in capite habeant manifestum, mox cap. 16. ait Pisces Odorem percipere per branchias, & Insecta præcinctu, nam in eis partibus id principale quod dixi reperitur per quod percipiuntur Odores, in Homine tamen, & Animalibus copioso Cerebro præditis, id instrumentum positum est prope Cerebrum, vt Odoribus Cerebrum reficiatur, recreetur, & desiccetur, nares cōducunt tanquam organa pro formanda uoce, pro odoratu, pro expurgandis humoribus Cerebri redundantibus, pro sternutamentis quę iudicantur signa auguralia, nam legitur in 1. de histor. Animalium cap. 15. Sternutamentum, est signum augurale, & unum ex spirituū omnium generibus sanctum, & sacrum, nam sternutamenta ex capite prodeunt, quæ est pars eminens, & iudicatur sedes Mentis, & imperiū virtutis denotat. Considero Septimò loco, loquendo de Obiecto Odoratus, nimirum de Odore, non leuem esse difficultatem, num Odores per medium deferantur spiritaliter, vel potius modo materiato, tanquam accidentia in suo Subiecto, Auerr. Contex. 97. ait spiritaliter deferri, id ostendit: quia Vultures per quingenta milliaria, excitantur & tendunt ad alimentum, at non tam longe effundi possunt corpora odore prædita; Insuper, Odores percipiuntur per omnem partem Aeris, cum non per omnem partem effundi valeāt vapores ex corpore Odore prędito prodeuntes; Præterea, exiguum Castorei granū, longo tempore sine eius diminutione, replet Odore Aerem quemcunque sibi proximum; Præterea melius percipimus odores per aliquod interuallum, quam iunctos naribus vt ait Arist. in 12. parte Probl. 2. Prętera, omne Corpus Naturale, præditum est motu uno definito, at, odores per omnem differentiam positionis percipiun-

6 *De instrumēto Odoratus.*

Sententia propria.

Arist.

7 *Quo odores deferātur, num spiritaliter.*

tur; Demum, Elementa cum sint simplicia, non sunt Subiectum odorum; Ex horum itaque Sententia odores in odorifero solum insunt modo materiato, in Aere proximo utroque modo, in distante solum spiritaliter; Cuius opinionis etiam videtur esse Ammonius, in Prædicament. & Philoponus hoc in loco; Ex aduerso Auicenna in 6. suorum Naturalium, ait solum materialiter effundi; Quæ sententia videtur uerior: tum, quia in tempore effunduntur, tum, quia à vento repelluntur, tum, quia inter se miscentur in medio, tum, quia excalefactio eos excitat, & refrigeratio detinet, nam calor habitus gignit, tum, quia in medio inter se pugnant, & mutuo se destruunt, remoto Corpore Odore prædito; adhuc seruantur in Aere, & in linteis, & percipiuntur nedum directè, sed etiam obliquè, purgant, recreant, & lædunt Cerebrum, hęc autem solis materiatis competunt, non autem spiritalibus, ut experientia docet; Præterea, forma materiata, ex sui conditione ita operatur, ut est, & cum sit forma materiata, nisi aliquid aliud conducat, solum modo materiato operatur; & propterea hanc opinionem ueriorem puto. Pro Solutione aduersarum rationum accipio, siccum Sapidum esse fundamentum cum Saporum, tum Odorum, quod cum ablutum sit humore, in Odore magis siccum, in Sapore humidum denominatur; hinc pro Odore maior coctio, intensiorque calor requiritur; Ex quo elicio, Odores duobus modis effundi; Primò, per halitus qui miscentur cum Aere; Secundò, per sui similis generationem, instrumento sicci & calidi, quod sicciora & calidiora potentius efficiunt, vt patet de Sulphure, & Castoreo, & producunt odores consimiles, non in Aere puro, sed consimili vaporibus, qualis est Aer nos ambiens, & de hoc rectè sentit Plotinus; solum itaque spiritaliter odores sunt in Anima, quæ dicitur capax specierum sine materia; Rationes aduersæ facilè diluuntur: dicebat Auerr. Odores percipi per magnam distantiam, respondeo id euenire, partim quia per uentos deferuntur vapores, partim quia vt dixi, similes generant; Sic Soluuntur aliæ instantię; Quod autem Odores melius percipiuntur per aliquam distantiam, quam sine ea, vt dicitur in 12. parte Problem. nil obest: nam si uerba Arist. eo loci bene considerentur, potius nobis prosunt quam obsunt, id enim nonnunquam euenit dum proximè nimium uehementer mouent.

Ammon. Auicen.

Opinio verior.

Plotinus Diluũtur aduersæ rationes.

Context. 101.

102

GVSTABILE autem est tangibile quiddam, & hæc est causa vt non sentiatur per medium externum Corpus; neque enim Tactus, & Corpus quoque in quo sapor est; Gustabile est in humido tanquam materia, hoc autem est tangibile quoddam, propterea si in Aqua essemus, sentiremus appositum dulce, non esset autem Sensus nobis per medium, sed quia misceretur cum humido, quemadmodum in potu. Color autem non ita videtur, eo quod misceatur, neque defluxione; Tanquam igitur medium nihil est, vt verò Color visibile, sic Gustabile sapor; Nil autem facit saporis Sensum sine humiditate, quam habet actu, vel potestate, vt salsum, nam & facilè liquabile ipsum est, & valet linguam liquefacere.

ARISTOT. ſequens ordinē dignitatis,& intentionis Naturæ,Quārto loco de Guſtu loquitur,ordiens vt de cæteris ab Obiecto; Et in hoc Contex.tria declarat, Obiectum, Medium, & Requiſitum, vt ſentiatur Obiectū:ideo in tres partes diuiditur.In Prima parte accipit Obiectum, & eſt Guſtabile,nimirum Sapor,& hoc ait eſſe quoddam tangibile; Ex quo infert,Guſtum non egere externo medio; adeo,vt hæc formetur Ratio. Guſtabile eſt quoddam tangibile,igitur non eget externo medio. Aſſum prum oſtenditur: nam quod in humido tanquam Materia eſt poſitum,eſt quoddam tāgibile, Guſtabile eſt poſitum in humido tanquam Materia, igitur eſt quoddam tangibile; Intuper pro ſecunda parte confirmatur conſequens,nimirum,quod non egeat externo medio, experimento ex eo ſumpto, quia in Aqua percipimus dulce, appoſitum linguæ, ſine alio medio; Et ſi quis obijciat, quia ſentiretur per mediam Aquam,hoc reijcit Ariſtot. quia Aqua non mediat,ſed eſt ipſummet Guſtabile,quod cum ea permixtum eſt,veluti in potu miſcetur aqua cum vino,& id mixtum deguſtatur; De Colore ſecus ſe habet, non miſcetur cum medio perſpicuo, vt inquiunt qui putant Lumen eſſe Corpus,neque id fit per defluxionem Coloris,ex Colorato,vt putarunt Democritus & Leucippus,ſed ſentitur per ſolam eius ſpiritalem actionem; Colligitur itaque,non requiri externum medium, ſed ſimilitudo Coloris, & Saporis in hoc ſolo eſt poſita, quod vt Color eſt Obiectum Viſus, ita Sapor Guſtus. Nil autem facit ſaporis ſenſum, &c. In hac Tertia parte declaratur id quod requiritur vt actu ſentiamus Sapores,& eſt humor quo lingua maximè abundat, & quod deguſtatur debet eſſe humidū vel actu, vt vinum, vel poteſtate,vt ſalſa,quæ facilè liqueſcunt,cum ex Aqua Sal fiat, & ſua ſalſedine liqueſaciunt & trahunt humorem linguæ.

Intentio. Diuiſio. Expoſit.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, vt pertinet ad Ordinem, quod Senſus Odoratus iure optimo loco medio fuit declarandus,cum ſui conditione omni ex parte ſit medius: nam medius eſt Dignitate, Obiecto,quod in vapore medio eſt poſitum, poſitione inſtrumenti, nimirum Narium,& iudicio diſtantiæ,& diſtantis Obiecti,ei autem ſuccedit Guſtus,ex parte Obiecti maximè iunctus; At, poſſet aliquis dubitare,quia Ariſtot.in hoc ſeruādo ordine non ſibi conſtat: nam in lib.de Senſu & Senſili prius de Sapore, quam de Odore verba fecit; Reſpondeo,vel conſideramus ordinem Senſuum,uel Senſibile,Ariſtot.in libris de Anima,ordinem Senſuum inſpexit,in quorum gratiam loquitur de Obiectis,in libro autem de Senſu & Senſili,in quo magis de Senſilibus loquitur, inſpexit ordinem Senſibilium; Sapor autem eſt modo aliquo origine prior, cū ſit magis materiatus, & odor maiorē expoſcat coctione. Conſidero Secundò, quod Sapor dicitur quoddam tangibile, & Guſtus quidam tactus; additur (quidam) quia profectò propria forma ſeeernuntur; Dicitur tamen Guſtus modo aliquo Tactus,Primò,quia percipit Sapores per Tactum ſine externo medio; Secundò,ratione nutritionis,nam ambo dicuntur Senſus alimentū, & Fames, ac Sitis, per tangibilia Definiuntur, Tertiò ratione humoris ad Tactum pertinentis,qui neceſſariò requiritur pro Senſu Saporum,Quartò,quia Guſtus imperfectus cōpetens Stirpanimalibus ſola ratione à Tactu ſeeernitur, ut ſuo loco patebit.

Conſid. 1. Odoratus medius eſt. Dubitat. Solutio.

2 Guſtus cur dicatur quidā tactus.

Cõt.103. SICVT autem Visus cum Visibilis, tum Inuisibilis est, (Tenebræ enim Inuisibiles sunt, quas iudicat Visus) Insuper, & valde Splendidi, nam & hoc inuisibile est, alio tamen modo quam Tenebræ; Similiter quoq; Auditus est Soni, & Silentii, quorum vnum Audibile, aliud Inaudibile est, & magni Soni, vt Visus est Splendidi, vt enim parvus Sonus inaudibilis modo aliquo est, ita magnus, & violentus; Inuisibile autem aliud quidem omnino dicitur, veluti in cæteris quod fieri nequit; Aliud autem cum aptum sui Natura sit, non habet, aut prauè, vt carens pedibus, vel nucleis, sic vtique & Gustus est Gustabilis, & Ingustibilis; Hoc autem est quod exiguo, aut prauo præditum est sapore, vel aptum est corrumpere Gustum, videtur autem principium esse potabile & impotabile, nam ambo sunt Gustus quidam, sed hoc quidè est prauum, & aptum corrumpere Gustum, id verò secundum Naturam, Est commune autem potabile Tactus, & Gustus.

Intentio. *Diuisio.* DECLARABAT Philosophus attinentia ad principale Obiectum Gustus; Declarat modo oppositum eius, quod eadem facultate iudicatur, quod est commune omni sensui vt patuit in præcedentibus; Diuiditur Contex. in Quatuor partes; In Prima de visu & Auditu ostenditur quod sunt sub obiecto, & opposito; In Secunda declaratur, quotuplex sit inuisibile; In Tertia infertur similiter se habere de Gustu; In Quarta colligitur capita gustabilium esse tangibilia, ut pateat gustum esse quendam Tactum; Incipit in 2. parte sensum visus esse visibilium, nimirum, Coloris, & Luminis, & Inuisibilium, vt Tenebratum, & vehementer Splendidi, quorum unum nõ mouet sensum, alterum nimium uehementer mouet; Similiter ait auditum esse soni audibilis, & silentij inaudibilis, ac insuper magni soni, qui etiam inaudibilis dicitur; Prohorum clariore notitia declarat in Secunda parte, quotuplex sit inuisibile, ut ex eo tanquam notiore, pateat quotuplex sit insensibile cæterorum sensuum; & ait inuisibile esse triplex; Vnum per negationem, quia non est aptum videri, ut sonus; Alterum per priuationem, ut tenebræ; Tertium per depravationẽ, & hoc est duplex; Vel quia est diminutum, & cum difficultate videtur, ut animalia prædicta exiguis pedibus dicuntur esse sine pedibus, & fructus prædicti exiguis nucleis, dicuntur sine nucleis; Vel quia nimium uehementer mouet, & sensum lædit. Sic itaque & Gustus, &c. In hac Tertia parte ratione sumpta ex similitudine cum alijs sensibus, colligit idipsum esse uerum de sensu gustus, quod sit rei gustabilis, & ingustabilis, quæ duo, ut in communia principia redigantur, in potabilia, & impotabilia, & in hæc redigi dicentur, quia nil degustatur sine humido, quod pertinet ad potum. Ex quo in Quarta parte, ut pateat nexus Gustus & Tactus infert potabile ad Gustum, & Tactum pertinere.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod cum Aristot. dicat, Visum esse visibilis, & inuisibilis, declarans inuisibile, nil dicit de opposito Coloris, sed solum de attinentibus ad Lumen, ideo dico, iure Aristot. id fecisse: quia nullum nobis se offert Corpus, quod non sit Colore aliquo præditum, nisi dicamus huiusmodi esse puriorem aerem, cuius solum percipitur Lumen; Similiter, aer tenebricosus, vt Lumine, ita colore videtur carere, loquutus tamen Aristot. est de Lumine & Tenebris, tanquam magis conspicuè hanc oppositionem includentibus. Consid. 1. 2 Considero Secundò, quod quadruplex dicitur inuisibile; Vnum per negationem, vt Anima, & Vox, & hoc minus propriè dicitur inuisibile, sed dici debet non visibile, quoniam est negatio, non priuatio, cum non sit aptum videri; Alterum maximè propriè inuisibile, est tale per absolutam priuationem, vt Tenebræ; Tertium, per diminutionem, vt diluculum; Quartum, per deprauationem, quia sensum lædit, & hoc potest esse duplex; Vel quia est vehemens; Vel quia est nobis aduersum, vt multi colores nobis ingrati, & præsertim odores, ac sapores; Considero Tertiò, quod Aristot. attinentia ad Gustum, redigit in potabilia, qualia sunt illa, quæ secundum Naturam, & propriam conditionem Sensu Gustus percipiuntur, & impotabilia, qualia sunt oppositæ patefacta per inuisibilia; Potabilia autem dicuntur communia Tactui & Gustui, nam veriſque respondent, distincta tamen ratione, ea namque dum considerantur vt humida, ad Tactum pertinent, vt autem sapida, ad Gustum; Insuper, dum ad temperamentum referuntur, pertinent ad Tactum, dum verò referuntur ad nutritionem, pertinent ad Gustum, tanquam condimentum. *Quadruplex inuisibile.* 3

QVONIAM autem id quod est gustabile humidum est. necesse est instrumentum Gustus, neque humidum esse actu, nec tale vt humidum reddi nequeat: Nam Gustus patitur aliquid à gustabili, vt gustabile est, necesse est itaque humefieri quod potest humefieri, saluatũ, non hinc humidum itaque est instrumentum Sensus Gustus, signum autem est. quia nec lingua nimium arida sentit, nec ualde humida, tactus enim sit primi humidi, ueluti dum quis præguſtauit fortem humorem, guſtet alterum, ueluti etiam ægrotantibus cuncta uidentur amara, quia lingua imbuta huiusmodi humore. Cõt. 104. 3

QVOQVVTVS est de obiecto, intentio Aristot. in præsenti Cont. est ex conditione obiecti elicere cõditionem instrumenti Gustus; Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima ex eo quod Gustabile est actu humidum, infert instrumentum non actu, sed potestate debere esse humidum; In Altera parte id experientia confirmat; Formatur in Prima parte hæc Ratio; Gustabile est actu humidum, igitur instrumentum esse debet humidum potestate; Deducitur Consequutio, quia instrumentum debet esse potestate tale, quale est sensibile actu, & Ratio est: quia instrumentum patitur, agens autem & patiens, debent esse similia potestate, instrumentum itaque Gustus non debet esse actu humidum, sed potestate, adeò, ut per humidum non destruatur. Signum autem est, &c. In hac Secunda parte *Intentio.* *Diuisio.* *Expoſit.*

id quod

id quod dixit, experientia confirmat: nam experientia constat, quod Lingua nimium arida, ob inopiam humoris, non valet Sapores iudicare, quia sapidum in ea non liquescit; Similiter, nimium humida, nam dum valde est humida, Tactus per quem degustamus, est illius antecedentis humidi, non alterius additi, quod patet: quia dum aliquis prius gustet Saporem acrem, vel fortem, talia iudicat alia quæ superaddit, veluti etiam laborantes Febre biliosa, cuncta iudicant amara, quia lingua imbuta sapore amaro, cuncta iudicat talia, ut oculus albugine suffusus, cuncta iudicat alba.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

Cõmune omni instrumẽto sensuum.

CONSIDERO Primò, commune esse omni instrumento Sensuum, vt sit potestate tale, quale est Sensibile actu, hæc tamen est differentia: quia nonnunquam est potestate tale, spiritaliter tantum, vt se habet de instrumento sensus Visus, nonnunquam verò modo materiato, vt se habet de cæteris, & præsertim de Tactu & Gustu, quamuis per Relationem ad Animam, eiusque facultatem, semper sit potestate talis secundum esse spirituale, & ratione facultatis, & receptionis spiritalis, sensus dicitur capax specierum sine materia. Considero Secundò, Linguam esse instrumentum aptissimum Gustus, ea enim est tanquam Spongia, ex se expers humoris, apta tamen facillimè imbibere humores, dum ea est nimium arida, sua ariditate obsistit oppositio humori, nec facilè imbibere valet illum, debet itaque esse moderatè mollis, humore quodam tenui & insipido ex humido capite recepto, qui aditum præbeat alteri aduenienti humori sapido; Gustabile autem dicitur humidum, considerando præsertim constitutionem eius dum degustatur, non enim degustari potest sine humore.

Lingua cõditio.

Cõt. 105.

SPECIES autem Saporum, veluti etiam Colorum, simplices quidem, contrariæ sunt, vt dulce, & amarum, sequuntur autem illud quidem pingue, hoc verò salsum; Media autem horum sunt acre, & austerum, & acerbum, & acidum, ferè enim hæ videntur esse Saporum differentiæ, quare Gustatiuum est, quod potestate est huiusmodi, Gustabile autem est id, quod illud actu efficit.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

VT manum vltimam imponat declarationi Sensus Gustus, declarato obiecto, instrumento, & requisitis pro actu gustandi, loquitur de speciebus obiecti, & diuiditur Cõtex. in duas partes, In Prima, refert quatuor species Saporum; In Altera colligit Definitionem instrumenti Gustus, & rei gustabilis; Vt pertinet ad Primam partem, Sapores vel sunt Extremi & Simplices, vel Medij; si fuerint Extremi, sunt inuicem contrarij, quia sub eodem genere maximè distant; Medij autem non sunt contrarij, quia non distant maximè, sed solum contrarietatis dicuntur participes; Extremi sunt, dulce, & amarum, Medij verò acre, & austerum, acerbum, & acidum: nam hæ ferè sunt differentiæ Saporum, quia sunt principaliores; Ex quo in Secunda parte elicitur Definitio Gustatiui, hoc est instrumenti facultate gustandi præditi, quod sit potestate tale, quales relati Sapores sunt actu; Gustabile autem est id, quod instrumentum gustandi reddit actu tale.

ANNO-

ANNOTATIONES.

PRO fine huius capitis varia se offerunt considerandà; ordiar à leuioribus; Inquit Aristot. instrumentum Gustus per Sapores reddi actu tale, quales sunt Sapores actu. Considero Primò, quod actus ipsius Sensus est duplex; Vnus inducitur ab obiecto; Alter à facultate sentiendi; Primus est actus instrumenti; Alter facultatis; Primus non est sensus, sed sensibile; Alter est sensus. De Primò, nunc loquitur Aristot. & illum refert ad instrumentum; De Altero loquetur in progressu, dum dicet sensum recipere species sine Materia. Considero Secundo, quod Aristot. dixit ab ægrotis cuncta iudicari amara, ob amaram bilem Linguæ insitam; Quæritur, cur eam amaritudinem non percipiunt, dum nil recipiunt, & cur dulcia eis magis cæteris videntur amara, cum per illam mixtionem cum dulci remitti debeat sapor amarus? Respondeo, per sensum non iudicari instrumentum proprium, quia nil à se mouetur, & patitur, sed id quod est alienum, bilis in ægrotis adeò insita est Linguæ, ut reddita modo quodam sit eius propria, ideo, ut ab ea moueatur, & patiatur, debet cum alieno permisceri, ac ita tanquam ab alio, & distincto moueri; Magis autem dulce iudicatur amarum, quam acre; Primò, quia dulce cum sit calidum, non destruit temperamentum bilis calidæ, sed familiariter cum eo nectitur, acre verò cum sit frigidum obtundit uim bilis calidæ, & contemperat calorem; Secundò, quia mutatio est in suum contrarium, dulce autem contrarium est amaro. Cõsidero Tertiò, quod Arist. in hoc Capite Sensum Gustus videtur Aquæ tribuere, nam ait Gustabile esse humidum, & non percipi sine humore, at, in lib. de Sensu & sensili, Aquam tribuit Visui, Tactum Terræ, Gustum autem ait esse quendam Tactum, ac ita Gustui videtur tribuere Terram; Respondeo, Gustum dupliciter considerari; Primò, vt est quidam Tactus, ac ita ei Terra respondet; cum perinde ac Tactus valdè sit materianus; Secundò ratione propria, & ratione humoris requisiti pro officio eius, ac ita dicitur Aqueus, non autem ratione proprij instrumenti, vt Visus; At, cum de instrumento facta sit mentio. Considero Quarto loco, de instrumento Sensus Gustus, non constare quod statui debeat: nã Arist. in lib. de Sensu & Sensili, in lib. de hist. ria Animalium, 3. cap. 5. mxr. de partibus Animalium, cap. 10. & in 3. lib. cap. 4. Cor ait instrumentum Gustus; At, in 1. de hist. Animal. cap. 11. Linguæ id officium tribuit, & cum instrumentum proprium sit Linguæ, non constat secundum quam partem magis statui debeat instrumentum; Medici celebriores præsertim id tribuunt radici Linguæ, Aristot. verò in 1. de histor. Animal. cap. 11. extremæ & anteriori Linguæ parti; hæc cum videantur inuicem pugnare, cuncta tamen modo aliquo vera sunt; nam Gustus est duplex; Vnus Stirpanimalium; Alter Animalium præstantiorum, si de primo loquimur, ille non distinguitur à Tactu, proprio aliquo instrumento, sed sola ratione, vt tangibile refertur vel ad temperamenti conseruationem, vel ad nutritionem, de primò loquentes; omne Animal est præditum Sensu Gustus, non autem de secundo; & quia instrumentum Tactus ab Aristotele dicitur Cor; vel id quod cordi proportione respondet, ideo hac ratione, etiam est instrumentum eius; Si verò loquimur de Gustu præstantiorum Animalium, ille adhuc dupliciter potest considerari; Vel ut est quidam Tactus, ac ita id eius dici debet instrumentum quod etiam est Tactus, quod ab Aristot. dicitur Cor, vt patebit; At, dum consideratur ut distinctus ratione, & instrumẽto à Tactu, sic Linguæ dicitur instrumentum eius, & comparatis inuicem partibus Linguæ, radix eius est id, pro quod principalius tanquam pro fundamentum Sapor degustatur, acumen verò Linguæ est id, pro quod distinctius, & exactius iudicatur; Ratio est: quia in eo nerui, uenæ, siue arteriæ, necnon spiritus sunt magis tenues, purgatiores, & acutiores, & minus permixta cum alieno humore; Ratio ob quam paratum fuerat, ut per partẽ

anterio-

Consid. 1.

Actus sensus duplex.

Dubitat.

Solutio.

An Gustus respõdeat aquæ. Solutio.

De instrumento Gustus.

Solutio.

anteriorem linguæ, siue per eius acumen, exactius sapores iudicaremus, est, ut in primo occursu, & cum minori læsione cibos bonos à prauis internosceremus. Declarato instrumento, Quinto loco considerandum occurrit Obiectum, ac insuper, Species & contrarietas eius; Obiectum est Sapor, qui Definiri potest, quod sit Qualitas passibilis, consurgens ex parte sicca sapida mixti, in humido potabili recepta, quæ Gustum ualet ex potentia ad actum redigere. Loquendo autem de eius Speciebus, Arist. in hoc cap. Octo retulit, Dulce, Amarum, Pingue, Salsum, quos dixit Simplices, & Contrarios, Medios uerò esse dixit Saporem Acrem, Austerum, Acerbum, & Acidum; In libro autem de Sensu & Sensili, ait esse Septem, inquiens: Vt Colores sunt Septem, ita Sapores; Verum ut pateat quomodo & Octo, & Septem & Sex dici possint, hanc seriem considerabimus;

5 *De Obiecto. Gustus. Species saporum & quæ sint, & quot.*

Color Albus, cui respondet Sapor Dulcis vt Mellis
Flauus——Vnctuosus pinguis.
Puniceus——Acetosus, Aceti.
Ceruleus——Acerbus ut Sorba.
Viridis——Ponticus siue Austerus, vt malum Medicum.
Rubeus——Acutus vt Piper.
Purpureus——Salsus vt Sal.
Niger——Amarus, vt Fel.

Hac enumeratione cum Colores, tum Sapores Octo sunt, At si Flauum ad Albū, Vnctuosum ad Dulce redigimus, supersunt Septem; mox, si Purpureum ad Nigrum, Salsum ad Amarum redigimus, Sex erunt, adeò, vt Octo, Septem, & Sex sine pugna dici possint, & etiam dici possunt plures, si distinctius singulas uarietates considerabimus, Auerroes in 5. suarum Collectionum, Saporibus addit Insipidum, & Vinosum, qui à relatis solum per magis & minus distingui videntur; At, superest ut postremo loco de Saporum contrarietate loquamur; qua de re Galenus & Aristot. inuicem pugnare videntur: nam Arist. in hoc capite Dulce, & Amarum, simplicia esse affirmat, & inuicem contraria; Galenus uerò in 4. de Simplicium Medicamentorum facultatibus, secus censet, ipse enim sapores extremos iudicat Acutum, & Ponticum, non autem Dulcem & Amarum; Ratio est: quia Sapores ex temperamento prodeunt, & præsertim ex actione calidi, & frigidi, ex quo hæc aduersus Arist. elicitur Ratio; Illi Sapores statui debent contrarij qui ex principijs, & Temperamentis contrarijs prodeunt, huiusmodi non sunt Dulcis & Amarus, quare hi non sunt Contrarij: nam Sapor Amarus, Salsus, Acer, siue Acutus, & Dulcis, ex imperio caloris prodeunt, reliqui frigoris; Insuper, Sapor Dulcis in mediocritate est positus, & ob id nobis est gratus, propterea medius iudicari debet, non extremus, vt ait Arist. Vt itaque Sapores se habeat ad calidum, & frigidum, ita ad mutuam contrarietatem; At, Sapor Acutus, est apprimè calidus, Ponticus contrà, apprimè frigidus; quare, hi iudicari debent extremi, & Contrarij. Auer. in 5. suarum Collectionum, cap. 27. & in hoc lib. com. 105. pugnat pro Aristotele, & aduersus Sententiam Galeni hæ possunt afferri rationes; Primò, in eo Contrarietas Saporum non est posita, cuius uarietatem & gradum non necessariò sequitur uarietas saporum; At uarietatem & gradum caloris non necessariò sequitur varietas Saporum, non itaque in caloris varietate & gradu est posita eorum Contrarietas; Maior est Galeni, Minor ostenditur ab Auerroe, quia Amaritudo competit Glandibus, Opio, Cucurbitis nonnullis, quæ frigida sunt, ac etiam Absynthio, & Felli calidis; Præterea, illi Sapores per quos ex dulci in Amarum est transitus, Medij iudicari debent, transitus enim est ex extremo in extremum, at, alij à Dulci & Amaro huiusmodi sunt, quare sunt Medij; non tamen semper fit transitus per omnia media, dum media ex varietate proportionis quatuor Qualitatum prodeunt; Tertiò Sapores per id sunt in ordinem redigendi & per gradus distribuendi, quod eis competit ut sunt Sapores, & ad gustum referuntur, hoc autem eis competit per condi-

Auer. De cõtrarietate saporum.

Auerroes

conditionem, secundum quam mouent Sensum Gustus, sed Sapor Dulcis & Amarus illi sunt qui modo contrario mouent gustum, igitur hi statui debent contrarij, sic Sapor Dulcis maximè est gratus, Amarus ingratus. Quartò Sapor magis sequitur humidum & siccum, quam calidum & frigidum, hinc Arist. cum humore illum nectit, & potabilem appellat quare non calor solum, & frigus, sed aliæ etiam qualitates cõsiderari debent. Quinto cum Sapores sint condimentum alimenti, nutritionem tenemur inspicere, Dulce maximè alit, Amarum minimè; Sextò ea iudicanda sunt Cõtraria quæ mutuò se destruunt, & constituunt, at, dempto Amaro sequitur Dulce, dempto Dulci, sequitur Amarum, & quantum gignitur vnius, tantum perit alterius; Componi potest hæc lis, quia uni distincta ratione plura statui possunt Contraria, vt Terræ per Qualitates alterantes Contrarius est Aer, per mouentes secundũ locũ, Ignis, sic, dum considerantur Sapores: cum relatione ad Sensum Gustus, rectè sentit Arist. dum verò considerantur secundùm Temperamentum calidi & frigidi, rectè sentit Galenus. Prima est consideratio magis Physica; Altera magis Medica. Ex his elicitur conspicua Solutio pugnantium Rationum. At, dicebatur aduersus Galenum, Opium & Glandes, Amara esse, & frigida, quare non omne Amarum est calidum; Soluitur: quia hæc est similis Amaritudini, non autem propria Amaritudo, vt est ea Fellis, nulla enim vera Amaritudo est sine calore, nec propria Dulcedo sine contemperato calore. *Conciliũ*

DE tangibili autem & Tactu eadem est Ratio: si enim Tactus non est vnus Sensus, sed plures, necesse est, & tangibilia sensibilia plura esse; Dubium autẽ est, num sit vnus, vel plures, & quod sit instrumentum Tactus, num Caro, & id quod ei proportione respondet, an non, sed hoc quidem est mediũ; Primum autem Sensorij, aliud aliquid est intus, omnis enim Sensus vnius contrarietatis esse videtur, vt Visus Albi et Nigri; Auditus Grauis & Acuti, & Gustus, Amari & Dulcis; Tangibilium autem multa sunt contrarietates, veluti Calidum, Frigidum, Humidum Siccum, & alia huius generis, Adest solutio quædam huius dubii: nam & aliorum Sensuum sunt plures contrarietates, at, Vocis nedum acumen & grauitas, sed magnitudo, & paruitas, lenitas & asperitas & alia huiusmodi; Similiter, Coloris sunt differentia huiusmodi aliæ, at, quid sit vnum Subiectum vt Auditus, Sonus, ita Tactus, non patet. Cõt. 10 407 108

SERMO nunc est de Tactu; Ratio ordinis est conspicua ex dictis de ordine cæterorum Sensuum; Diuiditur præsens Contextus in Quatuor partes; In Prima Dubitatio proponitur de vnitate Sensus Tactus, vt appareat vnitas, vel multitudo tangibilium: nam eorum eadem est Ratio; Si Tactus non est vnus, nec tangibile esse poterit genus vnum; In Secunda parte proponitur dubitatio de instrumento, num sit Caro, vel potius ea sit medium, primum autem instrumentum sit aliquid intus, nimirum Cor. Omnis enim Sensus vnius est contrarietatis, &c. In hac Tertia parte affertur Ratio pro multitudine Sensus Tactus, quæ ita formatur, omnis Sensus unus uersatur circa unam contrarietatem, tactus non uersatur circa vnam, sed circa plures contrarietates, non itaque est Sensus unus; Adest Solutio, &c. In hac Quarta *Intentio. Diuisio. Expositio.*

parte

parte refert Aristot. apparentem Solutionem, negando Maiorem propositionem, nã & alij Sensus plures iudicant contrarietates, ut patet de Auditu, qui iudicat graue acutum, magnum, paruum, asperum, & leue, attinentia ad Sonum; Similiter Visus album & nigrum, & uarias differentias Colorum, quæ Solutio reijcitur, quoniam unitas cæterorum Sensuum ex eo patet, quia eorum est unum genus subiectum, ad quod cunctæ differentiæ rediguntur, non ita tactus, nullum enim commune eius genus referri posse uidetur.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Tactus quintuplex.

CONSIDERO Primò quod Tactus est quintuplex; Vnus uirtutis, quo motores Cęlorum tangunt Cęlum; Alter Cęlestis, quo Cęli mouent mortalia, & non repatiuntur; Tertius Physicus mortalium, quę inuicem aguat, & agendo repatiuntur; Quartus Metaphysicus quo Mathematica mutuo se tãgunt sine actione & passione; Quintus est
2 Animatticus, & Sensitiuus, de quo modo est sermo. Considero Secundò, quod si Aristot. orsus fuisset à Tactu, statim magna ei occurrisset confusio: nam Organum, medium & unitas eius, maximè latent, quæ in cæteris patent, & præsertim in Sensu Visus, adeò, ut ordiens à Visu, simul & Naturæ, & nostræ cognitionis modo aliquo sequutus sit ordinem, ordo tamen ex sui conditione ex Natura petendus est. Considero Tertiò, quod Aristot. Obiectum Sensuum nuncupare consueuit & Genus, & Oppositum, & Obiectum, hoc autem in loco id appellat Subiectum, quatenus subijcitur iudicio Sensuum, & in eo Sensus uersantur, quod etiam ait debere esse Genus unum,
4 ut Color, Sonus, Odor, & Sapor. Considero Quartò quod non apparet Visum esse unius generis, cum sit Coloris, & Luminis; Solutio patet ex dictis de Obiecto Visus, nam ea duo subordinata sunt pro Visu, uõ duo Obiecta distincta, & modo aliquo Color redigitur ad Lumen, ut dixit Plato, quia Color est tanquam flamma Luminis, modo alio Lumen redigitur ad Colorem, cũ dicatur Color perspicui, & uideatur ut Colore præditum, sic Planetarum distinctorum dicuntur esse Colores distinctiui. Con-
5 sidero Quintò, quod Aristot. Sẽsibilia communia numerat pro Sensibilibus proprijs, *Dubitat.* ueluti loquẽdo de uarietate sonorum referebat magnum & paruum Sonum, Vocem lenem, & asperam, ut magnitudo est Sensibile commune, similiter, lene & asperum *Solutio.* rediguntur ad Figuram quæ est Sensibile commune; Solutur, dicendo, magnum & paruum ad duo posse referri, uel ad Molem, & sunt Sensibilia communia, uel ad Vocem, Saporem, Colorem, & similia, & sunt Sensibilia propria, Idipsum est dicendum de aspero & leni, nam Vox per Metaphoram Felis dicitur, Ideo Aristot. ut considerarunt Plutarchus, & Simplicius, addidit Voces, ut indicaret se non commune, sed proprium Sensibile denotare.

Cõ. 109.

NVM autem Organum est intus, an non? sed confestim Caro, nullum signum id videtur esse, quod fiat Sensus statim tangentibus, nam si quispiam circa Carnem extenderet tanquã pelliculam quandã, similiter Sensus statim fiet, cum tetigerit, et tamen constat non eam esse Sensorium, & si iuncta fuerit, citius adhuc attinget Sensum.
110 *Propterea huiusmodi pars Corporis perinde se habere videtur, ac si nobis adgenitus esset Aer, videremur enim uno quodam sentire, sum So-*

num,

num, tum Colorem, tum Odorem, & appareret Visus, Auditus, & Odoratus Sensus vnus, nunc autem quia distinctum est id per quod fit motus, patet prædicta Sensoria distincta esse., hoc autem in Tactu latet, ex Aere enim & Aqua nequit constitui animatum Corpus, nam 111
oportet esse solidum quoddam; Sequitur itaque, vt mixtum sit ex Terra, & ex his, qualis est Caro, & id quod Carni proportione respondet: Nam si omnis Sensus est per medium, etiam Tactus talis erit, quare necesse est Corpus adnatum esse medium tactiui, per quod fiunt Sensus qua plures sunt.

LOQVENS Philosophus de tactu, difficultates proposuit de instru mento, medio, & unitate eius, simul quoque cum quadam comparatione uerba faciens de Obiecto, loquitur in præsenti Contex. de instrumento, ac simul de medio, & in sermonem de unitate transit. Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima ordiens ab instrumento, soluit rationem qua posset aliquis ostendere Carnem esse instrumentũ Tactus; In Altera ostendit eam esse medium; In Tertia, manifestat Sensum Tactus ut cęteros egere medio; Quęritur itaque, quodnã sit instrumentum tactus? Posset quis putare id esse Carnem, signum huius est, quia dum tangibile imponitur Carni, confestim percipitur; Reijcit Aristot. hoc Signum per aliud consimile Signum; nam si supra Carnem tenuissimam pellem extenderemus, eique apponeremus tangibile, ueluti Carbonem, confestim id sentiremus, cum tamen constet pellem illam non esse instrumentum, & si ea pellis esset adnata, citius sentiremus: Propterea huiusmodi pars, &c. In hac Secunda parte ostenditur, Carnem esse medium: nam Caro perinde se habet, ac si Corpori nostro adgenitus esset Aer, quod si contingeret, tunc eodem perciperemus Colores, Sonos, & Odores, & ob id putaremus, tres Sensus esse unum, quia non pateret distinctio instrumentorum, nunc uerò quia instrumenta apparent distincta, cognoscimus esse distinctos; At, de Tactu latet: nam medium adnatum, non potest esse Aer, uel Aqua, quia Corpus uiuens solidum est, & mixtum ex Terra, & alijs, qualis est Caro, uel id quod ei proportione respondet; Nam si omnis sensus est per medium, &c. In hac Tertia parte ostendum sensum omnem egere medio, quare cum tactus sit sensus, ille quoque eget medio, Corpus uerò adnatum ueluti Caro, est medium per quod fit tactus, & quamuis tale medium sit unum, tactus tamen non est unus.

Intentio.

Diuisio.

Exposit.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod cũ Arist. dicat, ex Aere, & Aqua non posse constitui Corpus viuẽs, per hoc causã affert cur medũ sensus tactuus non sit simile medio cæterorum sensuum quod est Aer, uel Aqua; Ratio est: quia medium tactus debet esse adnatũ, & congenitum, & ob id debet esse uiuens, Corpus autem uiuens est solidum, & mixtum; Consídero Secundò, ex hac eadem Aristotelis sententia elici, non approbari ab Aristotele. Dęmones Aereos, vel Aquoos; Similiter elici ex eisdem opiniones, Spiritus, & Sanguinem, non esse animata Corpora; nisi quatenus iuncta viuenti Corpori, modo quodam ab eo vitã recipiunt, qua de re alibi verba feci. Consídero Tertiò, in dubium verti, num omnis Sensus sit per medium: nam si Tactus esset per medium, non esset Tactus, ob id

Consid. 1.

Arist. non nouit Dęmones.

3 An Tactus.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, Aristot. ostendere solida se in Aqua tangere per medium, similiter & in Aere, non quia putet medium externum semper esse necessarium, nam saltem in Aqua sine medio sentimus Qualitates Aquæ, & in flamma calorem flammæ, sed solum vt patefaceret frequenter nos sentire per medium, & id medium nos latere, vt inde colligat, quod cum medium internum sit necessarium, mirari non debemus, si id nos latet, cum enim lateat frequenter externum, ratio consentanea est, vt longè magis lateat internum.

Inter duo Corpora solida mediare aliquid.

2 Considero Secundò, ex eò quod dicitur ab Aristot. elici communem quandam Regulam, & est, inter duo Corpora solida mediare Aquam, vel Aerem, quam Regulã Aristot. experientia comprobauit, pro qua etiam formatur hæc Ratio; Si duo sumamus solida, & plana, vt duos lapides, & ea simul iungamus, dum vnum æqualiter ab altero seiungimus, & nihil mediat, sed debet Aer ingredi, vel æquè primò, & simul repercutit Aer ille in medio, & extremitatibus, vel primò in partibus extremis, mox in medio, si in vtrisque simul, motus fiet momento, si prius in extremis partibus, tunc in eo priori, medium erit inane, quæ duo apprimè sunt absurda; Similiter formatur Ratio, dum simul nectuntur: nam Aer qui mediat, vel momento egreditur, quod fieri nequit, vel in tempore, si in tempore, tunc in eo tempore ante quam ex extremitatibus egrediatur, medium esset inane, quare videtur necessarium, vt semper aliquid Aeris mediet, vel Aquæ. Confirmatur: quia apud nos non reperitur Corpus adeò lene, & planum, vt non adsint pori, & aliqua inequalitas, ob quam mediet Aer, vel Aqua; At, ex aduerso, Experientiæ, & Rationi id videtur aduersari, Experientiæ quidem, quia

Rationes aduersæ.

dum malleo Lapidem frangimus, ictus profecto à solido malleo sine medio fit, non per medium Aerem: nam si malleus scindit Lapidem, longè magis putandum est quod repellat inter medium Aerem; Præterea, dum agens superat resistentiam parietis, sequitur motus, & actio; At, solidum supra solidum collocatum, conspicuè superat resistentiam exigui Aeris, quare illum remouet, scindit, & repellit; Experientia qua vtitur Aristot. est vera vt plurimum, & hoc est ei satis, vt ostendat medium aliquando latere, non autem semper, nam duo ligna Nauis adeò frequenter sunt iuncta, vt quamuis nauis sit in Aqua, inter ea nullus appareat inter medius humor; Similiter se habet de duobus iunctis Lapidibus, non nunquam enim vt si fuerint plani & marmorei, nullus inferitur humor. Colligo itaque, eam Regulam esse veram vt plurimum, non semper; & quæ pro ea afferebantur, facilè diluuntur. Dicebatur, dum Corpora duo solida iuncta à se inuicem in Aqua, vel Aere æquè seiunguntur, Aqua, vel Aer egrediens, vel æquè primò erunt in medio, & extremitatibus, vel prius in extremitatibus. Respondeo, si imaginamur esse plana, & sine medio iuncta, non poterunt æquè seiungi, sed est necesse vt seiungantur inæqualiter, adeò, vt cum successione Aer ingredi valeat, & si vnum eleuaretur, alterum id sequeretur, quousque posset dari ingressus Aeri cum requisita successione, & hoc frequenter experientia patet, præsertim dum nitimur solidum aliquod & planum in superficie Aquæ positum æquè eleuare, nam inspicimus Aquam id sequi, quousque Aeri detur ingressus, ac in connexione debet dari congruens recessus, intermedij Aeris. Addebatur, apud nos Corpus exactè leue, & planum, non reperiri, at, id non obest, saltem reperitur planum pro aliqua parte, & de ea continget vt nil mediet, quod autem non sit, vel sit æquale, id est ex euentu, non ut mediet tertium.

Quo vera sit ea Regula.

VTRVM igitur omnium consimiliter sit Sensus, an aliorum aliter, vt modo apparet, nam Gustus, & Tactus tangendo, alii è longinquo. Hoc autem non est, sed durum, & molle, per alia sentimus, vt sonans, visibile, & odorabile, sed alia quidem eminus, alia cominus, propterea latet: nam omnia sentimus per medium, in his tamen latet. Et quemadmodum prius diximus, si per latentem pelliculam sentiremus omnia tangibilia, perinde disponeremur ac modo in Aere, & in Aqua, putamus enim ea tangere, & nil mediare. Differs tamen tangibile à visibilibus, & sonantibus, quia hæc quidem sentimus, eo quod medium aliquod nos mouet, tangibilia verò non, quia à medio mouemur, sed à tangibili mouente vnà cum medio, vt dum quis per clypeum percutitur, non enim clypeus percussus percussit, sed simul accidit vtraque percuti; Omnino autem videtur sicut Aer, & Aqua, ad Visum, Auditum, & Odoratum se habent, ita Caro, & Lingua se habere ad Sensorium, tacto autem Sensorio, nec in eis, nec in his fiet vtique Sensus, vt si quis Corpus album supra extimum oculi imponat; Ex quo patet, instrumentum Tactus esse intus, ac ita seruabitur id quod competit aliis, nam imposita super Sensorium non sentiunt, posita autem super Carnem sentit, Caro itaque medium est Sensus Tactus. (Cõt. 114. 115 116

PROSEQVITVR Aristoteles sermonem de medio Tactus, vt colligat Carnem non esse instrumentum primum, sed medium; Diuiditur autem hic Contex. in tres partes; In Prima quæritur, num Sensibilia omnia sentiamus eodem modo? & ostenditur quod eodem modo; In Altera ostenditur discrimen; In Tertia, colligitur Carnem esse medium tactus. Quæritur itaque Primò, num Sensibilia omnia sentiamus eodem modo, hoc est per medium externum, vel uario, adeò, vt quædam per externum medium sentiamus, tangibilia autem sine eo; Soluens, ait cuncta sentiri per medium externum, sed quædam eminus posita, ut Visibilia, Sonantia, & Odorabilia, alia cominus; & ob id latere, vt prius diximus de superimposita pellicula, per quam putaremus sine medio sentire; In Secunda parte assignatur differentia: nam dū per medium externum percipimus Sonos, Colores, & Odores, medium est id, quod Qualitate præditum, vel spiritaliter, vel modo materiato nos mouet; At, loquendo de tangibili, secus se habet: nam Ignis per Aerem nos calefacit, non autem Aer nos calefacit, & se habet perinde, ac si quis Clypeo nos percuteret, non enim Clypeus, sed qui Clypeum mouit, nos percutere dicitur, quia simul Clypeum, & nos percutit. In Tertia parte ostenditur, quod ut Aqua, & Aer sunt media pro Odoratu, Visu, & Auditu, ita Caro est media pro Tactu, non autem instrumentum, & Ratio ita formatur; Nullum Sensibile collocatum supra instrumentum Sensus, sentitur, tangibile positum supra Carnem, sentitur, quare Caro non est instrumentum tactus, sed medium. *Intentio. Diuisio. Expos.*

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Arist. in Prima parte affirmat, omne Sensibile sentiri per medium externum, sed in Tactu latere, quia est exiguũ, ex hoc non debemus elicere, Tactum sine externo medio non sentire, alioquin Arist. Experientiæ, & sibi aduersaretur; De Experientia patefeci in præcedente Contextu; Quod autem secum pugnaret, ostendo: quia in Tertia parte, ostendens Carnem esse medium, ait tangibile positum suprà Carnem sentiri; hinc deinde colligit, Carnem esse medium, solum patefacere uoluit Aristot. Tactum etiam per externum medium sentire posse, adeò, vt pro cæteris externum medium sit necessarium, pro Tactu autem quamuis non sit necessarium, tamen etiam per illud nos frequenter tangimus, adeò, vt non differant, quia cæteri fiant per medium externum,

Pro Tactu externũ medium esse necessarium.

2 Tactus verò per solum contactum. Considero Secundò, quod Arist. statuens discrimen inter conspirare medium pro cæteris Sensibus, & pro Tactu, de cæteris ait Sensibilia agere in nos per medium, de Tactu verò agere tangibilia in nos vna cum medio, adeò, vt de illis loquendo, medium dicatur in nos agere, de Tactu verò, semper primũ tangibile, vna cum medio agit tanquam miles Clypeo alterum percutiens; Ratio huius discrimi nis latet: nam cum medium pro omni Sensu conspiret, omne Sensibile videtur agere vnà cum medio. Respondeo, rationem varietatis ex eo præsertim elici, quia in attingentibus ad Tactum, medium est eiusdem dispositionis cum primo, est calidum, frigidum, humidum, vel siccum, vt primũ alterans, at, non ita est Sonans, Coloratum, & Odore flagrans, vt primum, qualitatum enim tangibilium omne Corpus Physicum est proprium Subiectum, & principale, non ita cæterarum; Altera Ratio est: quia pro Tactu medium externum non est necessarium, sed debet fieri Sensus per Tactum, pro cæteris verò est necessarium, ideo dicuntur agere per medium, non vna cum medio.

Ratio discriminis tangibilium à reliquis Sẽsibilib.

Altera Ratio.

3 Considero Tertiò, cum Arist. loquatur de instrumento Sensus Tactus, de eo non leuem esse difficultatem; Arist. in 2. de partibus Animalium cap. 10. necnon in 3. cap. 5. Cor statuit Sensorium Tactus; Similiter, in lib. de historia Animal. & de Sensu & Sensili; In hoc autem capite ait esse aliquid intus, non autẽ Carnem, & per illud, Intus, Cor denotat; Ex aduerso in 2. de partib. Animal. cap. 1. ait: Sed cum Sensus in partibus simplicibus positus sit; euenit ratione optima, vt Tactus sedem similarem quidem, sed minimè simplicem sortiatur, quippe qui maximè uim recipiendi plura genera videntur habere, multasq; præseferre contrarietates sui Obiecti; & quidem Caro in quauis earum Qualitatum sentiẽdarum posita est, aut quod Carni proportione respondet, &c. His verbis videtur Philosophus carnem statuere Sensorium Tactus; Idipsum affirmat in 2. de partibus Animal. cap. 5. necnon cap. 8.

De instrumento sensus tactus.

Opinio 2. Medicorum.

Medici (& cum eis Auerroes) Neruis id officium tribuunt, hinc Auerr. Com. 108. ait Aristotelem in hoc cap. per illud, Intus, denotasse Neruos, propterea addit, quod Arist. in libris de Animal. non nouit officium Neruorum, quod mox nouit ratione, Medici verò experientia; At, conspicuè decipitur, Arist. enim per illud, Intus, Cor denotauit, & nunquam id officium tribuit Neruis, immò, in 1. de Animal. cap. 7. 9. ait: Ossa, Pili, Nerui, nil sentire videntur; Nonnulli se medios constituunt, & aiunt instrumentum esse Carnem Neruis præditam; Philoponus ait instrumentum esse Spiritus. Pro Resolutione dicendum puto, Instrumentũ Tactus esse duplex; Vnum proximum, Alterum primum; Instrumentum primum est Cor, proximum verò Caro, hoc indicauit Arist. dum in Contex. 107. de eo quod est (Intus) nimirum de Corde, dixit esse instrumentum primum, quod repetit in Cont. 117. & in 2. de partibus Anim. cap. 10. Addo Secundò, instrumentum Tactus esse duplex; Vel sentiens virtute propria, & hoc est Cor, vel virtute ei à principali tributa, qualis est Caro; Insuper, instrumentum proximum relatum ad primum, dicitur medium, at medium viuens,

Error Auerrois.

Opinio 3. Resolutio

uens, ideo sentiens; Hinc instrumentum modo dicitur Caro, modo Cor, sine controuersia; Similiter, Caro modo instrumentum, modo medium nuncupatur; Spiritus sunt instrumentum commune, non proprium, famulantur pro Sensu, at non sentiũt; Nerui, & Arteriæ, cum ob connexionem mutuam, tum, quia Spiritus deferunt & facultatem sentiendi, modo aliquo instrumenta iudicantur. At cum Cor ex Sententia Arist. sit sedes communis omnium Sensuum, iure mirari possumus, cur potius dicatur instrumentum Tactus, quam cæterorũ Sensuum, cuius varietatis Quatuor puto posse assignari Rationes; Prima est, quia tactus competit uniuerso Animali, non autem tantum vni parti eius, & propterea solum potest ei tribui, quod principatum obtinet inter partes, quale est Cor. Altera Ratio ex eo elicitur, quia Tactus & Cor hoc habent commune, ut sint fundamenta vitæ Animalis; Tertia Ratio est, quia instrumentum Tactus in Temperamento est positum, Temperamentum autem primò consideratur in Corde; Quarta Ratio est, quia etiam Cor sentit tangibilia, & cum id ei non per aliud competat, cum sit primum, sed cæteris per illud, ideò recta ratione ab Arist. statuitur, primum Sensorium Tactus; At cum mox facultas tangendi effundatur per alias partes, profectò non effunditur nisi per id per quod cum eis nectitur, patet autem necti per Arterias, Venas, & Neruos quæ in panniculis tenuissimè dilatantur, per quos cæteræ partes præsertim Sensu reddũtur prædictæ, Medici hoc proximum consideranunt, eique officium sentiendi tribuerunt, Arist. verò inspexit principale. At oritur Dubitatio, quia instrumentum Tactus debet esse Temperatum medium aliquod, vt sit iudex extremorum, Cor autem calidissimum est, & maximè feruet. Soluitur Dubitatio per duo fundamenta; Primum est, quod quamuis Cor sit calidius cæteris membris, absolutè tamen est magis temperatum cæteris, vt in sua Metaphys. ait Theophrastus; Alterum est, quod sat est ut medium quod etiam dicebatur Sensorium proximum, sit congruenter temperatum, hinc ait Arist. in 2. de partibus Animal. cap. 8. quod Caro uel est Sensorium primum Tactus, vt pupilla Visus, aut coniuncta, per quam agitur, perinde ac pupillæ omne perspicuum.

Cur Aristot. Cor statuat instrumẽtũ tactus potius quam cæterorũ Sensuum.

Dubitat.

Solutio.

TANGIBILES igitur sunt differentiæ Corporis quatenus Corpus; Dico autem differentias, quæ Elementa determinant, calidum, frigidum, humidum, siccum, de quibus prius dictum est in iis, quæ de Elementis; Sensorium autem quod eas aptũ est tangere, in quo Sensus qui dicitur Tactus primò inest, est pars potestate talis; Sentire enim est quoddam pati, quare faciens facit id quod potestate est tale, quale ipsum est actu, propterea id non sentimus quod similiter calidum est, & frigidum, durum & molle, sed exuperantias, tanquam existente Sensu mediocritate quadam contrarietatis Sensibilium, & ob id iudicat Sensibilia, medium enim iudex est, fit enim ad utrumque oppositorum alterum; Et quemadmodũ oportet ut id quod sentire debet, album, & nigrum, neutrum eorum sit actu, utrumque autẽ potestate, ita quoque in reliquis, sic & de tactu se habet, adeò, vt neque calidum sit, neque frigidum.

Cõt. 117.

118

119

id quod dixit, experientia confirmat: nam experientia constat, quod Lingua nimium arida, ob inopiam humoris, non valet Sapores iudicare, quia sapidum in ea non liquescit; Similiter, nimium humida, nam dum valde est humida, Tactus per quem degustamus, est illius antecedentis humidi, non alterius additi, quod patet: quia dum aliquis prius gustet Saporem acrem, vel fortem, talia iudicat alia quæ superaddit, veluti etiam laborantes Febre biliosa, cuncta iudicant amara, quia lingua imbuta sapore amaro, cuncta iudicat talia, ut oculus albugine suffusus, cuncta iudicat alba.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

Cõmune omni instrumẽto sensuum.

CONSIDERO Primò, commune esse omni instrumento Sensuum, vt sit potestate tale, quale est Sensibile actu, hæc tamen est differentia: quia nonnunquam est potestate tale, spiritaliter tantum, vt se habet de instrumento sensus Visus, nonnunquam verò modo materiato, vt se habet de cæteris, & præsertim de Tactu & Gustu, quamuis per Relationem ad Animam, eiusque facultatem, semper sit potestate talis secundum esse spiritale, & ratione facultatis, & receptionis spiritalis, sensus dicitur capax specierum sine materia. Considero Secundò, Linguam esse instrumentum aptissimum Gustus, ea enim est tanquam Spongia, ex se expers humoris, apta tamen facillimè imbibere humores, dum ea est nimium arida, sua ariditate obsistit oppositio humori, nec facilè imbibere valet illum, debet itaque esse moderatè mollis, humore quodam tenui & insipido ex humido capite recepto, qui aditum præbeat alteri aduenienti humori sapido; Gustabile autem dicitur humidum, considerando præsertim constitutionem eius dum degustatur, non enim degustari potest sine humore.

2 Linguę cõditio.

Cõt. text.

SPECIES autem Saporum, veluti etiam Colorum, simplices quidem, contrariæ sunt, vt dulce, & amarum, sequuntur autem illud quidem pingue, hoc verò salsum; Media autem horum sunt acre, & austerum, & acerbum, & acidum, ferè enim hæ videntur esse Saporum differentiæ, quare Gustatiuum est, quod potestate est huiusmodi, Gustabile autem est id, quod illud actu efficit.

Intentio.

Diuisio.

Exposit.

VT manum vltimam imponat declarationi Sensus Gustus, declarato obiecto, instrumento, & requisitis pro actu gustandi, loquitur de speciebus obiecti, & diuiditur Cõtex. in duas partes; In Prima, refert quatuor species Saporum; In Altera colligit Definitionem instrumenti Gustus, & rei gustabilis; Vt pertinet ad Primam partem, Sapores vel sunt Extremi & Simplices, vel Medij; si fuerint Extremi, sunt inuicem contrarij, quia sub eodem genere maximè distant; Medij autem non sunt contrarij, quia non distant maximè, sed solum contrarietatis dicuntur participes; Extremi sunt, dulce, & amarum, Medij verò acre, & austerum, acerbum, & acidum: nam hæ ferè sunt differentiæ Saporum, quia sunt principaliores; Ex quo in Secunda parte elicitur Definitio Gustatiui, hoc est instrumenti facultate gustandi prædicti, quod sit potestate tale, quales relati Sapores sunt actu; Gustabile autem est id, quod instrumentum gustandi reddit actu tale.

ANNO-

ANNOTATIONES.

DIRO fine huius capitis uaria se offerunt considerandą; ordiar à leuioribus; Inquit Aristot. instrumentum Gustus per Sapores reddi actu tale, quales sunt Sapores actu. Consid. 1. Considero Primò, quod actus ipsius Sensus est duplex; Vnus inducitur ab obiecto; Alter à facultate sentiendi; Primus est actus instrumenti; Alter facultatis; Primus non est sensus, sed sensibile; Alter est sensus. De Primò, nunc loquitur Aristot. & illum refert ad instrumentum; De Altero loquetur in progressu, dum dicet sensum recipere species sine Materia. Actus sensus duplex

Considero Secundò, quod Aristot. dixit ab ægrotis cuncta iudicari amara, ob amaram bilem Linguæ insitam; Quæritur, cur eam amaritudinem non percipiunt, dum nil recipiunt, & cur dulcia eis, magis cæteris videntur amara, cum per illam mixtionem cum dulci remitti debeat Sapor amarus? Respondeo, per sensum non iudicari instrumentum proprium, quia nil à se mouetur, & patitur, sed id quod est alienum, bilis in ægrotis adeò insita est Linguæ, ut reddita modo quodam sit eius propria, ideo, ut ab ea moueatur, & patiatur, debet cum alieno permisceri, ac ita tanquam ab alio, & distincto moueri. Magis autem dulce iudicatur amarum, quam acre; Primò, quia dulce cum sit calidum, non destruit temperamentum bilis calidæ, sed familiariter cum eo nectitur, acre verò cum sit frigidum obtundit uim bilis calidæ, & contemperat calorem; Secundò, quia mutatio est in suum contrarium, dulce autem contrarium est amaro. 2 Dubitat. Solutio.

Considero Tertiò, quod Arist. in hoc Capite Sensum Gustus videtur Aquæ tribuere, nam ait Gustabile esse humidum, & non percipi sine humore, at, in lib. de Sensu & Sensili, Aquam tribuit Visui, Tactum Terræ, Gustum autem ait esse quendam Tactum, ac ita Gustui videtur tribuere Terram; Respondeo, Gustum dupliciter considerari; Primò, vt est quidam Tactus, ac ita ei Terra respondet, cum perinde ac Tactus valde ut materiatus; Secundò ratione propria, & ratione humoris requisiti pro officio eius, ac ita dicitur Aqueus, non autem ratione proprij instrumenti, vt Visus; At, cum de instrumento facta sit mentio. 3 An Gustus respõdeat aquæ. Solutio.

Considero Quarto loco, de instrumento Sensus Gustus, non constare quod statui debeat: nã Arist. in lib. de Sensu & Sensili, in lib. de hist. ana Animalium, 3. cap. 5. in 2. de partibus Animalium, cap. 10. & in 3. lib. cap. 4. Cor ait instrumentum Gustus; At, in 1. de hist. Animal. cap. 11. Linguæ id officium tribuit, & cum instrumentum proprium sit Lingua, non constat secundum quam partem magis statui debeat instrumentum; Medici celebriores præsertim id tribuunt radici Linguæ, Aristot. uerò in 1. de histor. Animal. cap. 11. extremæ & anteriori Linguæ parti; hæc cum videantur inuicem pugnare, cuncta tamen modo aliquo vera sint; nam Gustus est duplex; Vnus Stirpanimalium; Alter Animalium præstantiorum, si de primo loquimur, ille non distinguitur à Tactu, proprio aliquo instrumento, sed sola ratione, vt tangibile refertur vel ad temperamenti conservationem, vel ad nutritionem, de primò loquentes; omne Animal est præditum Sensu Gustus, non autem de secundo; & quia instrumentum Tactus ab Aristotele dicitur Cor, vel id quod cordi proportione respondet, ideo hac ratione, etiam est instrumentum eius; Si verò loquimur de Gustu præstantiorum Animalium, ille adhuc dupliciter potest considerari; Vel ut est quidam Tactus, ac ita id eius dici debet instrumentum quod etiam est Tactus, quod ab Aristot. dicitur Cor, vt patebit; At, dum consideratur ut distinctus ratione, & instrumẽto à Tactu, sic Lingua dicitur instrumentum eius; & comparatis inuicem partibus Linguæ, radix eius est id, per quod principaliter tanquam per fundamentum Sapor degustatur, acumen verò Linguæ est id, per quod distinctius, & exactius iudicatur; Ratio est: quia in eo nerui, uenæ, fides arteriæque non spiritus sunt magis tenues, purgatiores, & acutiores, & minus permixti cum alieno humore; Ratio obiectam paratum facere, ut per partẽ 4 De instrumento Gustus. Solutio.

-ibuo

anterio-

anteriorem linguæ, siue per eius acumen, exactius sapores iudicaremus, est, ut in primo occursu, & cum minori læsione cibos bonos à prauis internoscceremus. Declarato instrumento, Quinto loco considerandum occurrit Obiectum, ac insuper, Species & contrarietas eius; Obiectum est Sapor, qui Definiri potest, quod sit Qualitas passibilis, consurgens ex parte sicca sapida mixti, in humido potabili recepta, quæ Gustum ualet ex potentia ad actum redigere. Loquendo autem de eius Speciebus, Arist. in hoc cap. Octo retulit, Dulce, Amarum, Pingue, Salsum, quos dixit Simplices, & Contrarios, Medios uerò esse dixit Saporem Acrem, Austerum, Acerbum, & Acidum; In libro autem de Sensu & Sensili, ait esse Septem, inquiens: Vt Colores sunt Septem, ita Sapores; Verum ut pateat quomodo & Octo, & Septem & Sex dici possint, hanc seriem considerabimus;

5 *De Obiecto.* *Gustus.* *Species saporum & quã sint, & quot.*

Color Albus, cui respondet Sapor Dulcis vt Mellis
Flauus —— Vnctuosus pinguis.
Puniceus —— Acetosus, Acetã
Cerulcus —— Acerbus ut Sorba.
Viridis —— Ponticus siue Austerus, vt malum Medicum.
Rubeus —— Acutus vt Piper.
Purpureus —— Salsus vt Sal.
Niger —— Amarus, vt Fel.

Hac enumeratione cum Colores, tum Sapores Octo sunt, At si Flauum ad Albũ, Vnctuosum ad Dulce redigimus, supersunt Septem; mox, si Purpureum ad Nigrum, Salsum ad Amarum redigimus, Sex erunt, adeò, vt Octo, Septem, & Sex sine pugna dici possint, & etiam dici possunt plures, si distinctius singulas uarietates considerabimus, Auerroes in 5. suarum Collectionum, Saporibus addit Insipidum, & Vinosum, qui à relatis solum per magis & minus distingui uidentur; At, supereſt ut postremo loco de Saporum contrarietate loquamur: qua de re Galenus & Arist. inuicem pugnare uidentur: nam Arist. in hoc capite Dulce, & Amarum, simplicia esse affirmat, & inuicem contraria; Galenus uerò in 4. de Simplicium Medicamentorum facultatibus, secus censet, ipse enim sapores extremos iudicat Acutum, & Ponticum, non autem Dulcem & Amarum; Ratio est: quia Sapores ex temperamento prodeunt, & præsertim ex actione calidi, & frigidi, ex quo hæc aduersus Arist. elicitur Ratio; Illi Sapores statui debent contrarij qui ex principijs, & Temperamentis contrarijs prodeunt, huiusmodi non sunt Dulcis & Amarus, quare hi non sunt Contrarij: nam Sapor Amarus, Salsus, Acer, hinc Acutus, & Dulcis, ex imperio caloris prodeunt, reliqui frigoris; Insuper, Sapor Dulcis in mediocritate est positus, & ob id nobis est gratus, proptereà medius iudicari debet, non extremus, vt ait Arist. Vt itaque Sapores se habeat ad calidum, & frigidum, ita ad mutuam contrarietatem; At, Sapor Acutus, est apprimè calidus, Ponticus contrà, apprimè frigidus; quare, hi iudicari debent extremi, & Contrarij. Auer. in 5. suarum Collectionum, cap. 27. & in hoc lib. com. 105. pugnat pro Aristotele, & aduersus Sententiam Galeni hæ possunt afferri rationes; Primò, in eo Contrarietas Saporum non est posita, cuius uarietatem & gradum non necessariò sequitur uarietas saporum; At varietatem & gradum caloris non necessariò sequitur varietas Saporum, non itaque in caloris varietate & gradu est posita eorum Contrarietas; Maior est Galeni, Minor ostenditur ab Auerroe, quia Amaritudo competit Glandibus, Opio, Cucurbitis nonnullis, quæ frigida sunt, ac etiam Absynthio, & Felli calidis; Præterea, illi Sapores per quos ex dulci in Amarum est transitus, Medij iudicari debent, transitus enim est ex extremo in extremum; at, alij à Dulci & Amaro huiusmodi sunt, quare sunt Medij; non tamen semper fit transitus per omnia media, dum media ex varietate proportionis quatuor Qualitatum prodeunt; Tertiò Sapores per id sunt in ordinem redigendi & per gradus distribuendi, quod eis competit ut sunt Sapores, & ad gustum referuntur, hoc autem eis competit per condi-

Auer. De cõtrarietate saporum.

Auerroes

conditionem, secundum quam mouent Sensum Gustus, sed Sapor Dulcis & Amarus illi sunt qui modo contrario mouent gustum, igitur hi statui debent contrarij, sic Sapor Dulcis maximè est gratus, Amarus ingratus. Quartò Sapor magis sequitur humidum & siccum, quam calidum & frigidum, hinc Arist. cum humore illum nectit, & potabilem appellat quare non calor solum, & frigus, sed aliæ etiam qualitates cõsiderari debent. Quinto cum Sapores sint condimentum alimenti, nutritionem tenemur inspicere, Dulce maximè alit, Amarum minimè; Sextò ea iudicanda sunt Cõtraria quæ mutuò se destruunt, & constituunt, at, dempto Amaro sequitur Dulce, dempto Dulci, sequitur Amarum, & quantum gignitur vnius, tantum perit alterius; Componi potest hæc lis, quia uni distincta ratione plura statui possunt Contraria, vt Terræ per Qualitates alterantes Contrarius est Aer, per mouentes secundũ locũ, Ignis, sic, dum considerantur Sapores: cum relatione ad Sensum Gustus, rectè sentit Arist. dum verò considerantur secundùm Temperamentum calidi & frigidi, rectè sentit Galenus. Prima est considerátio magis Physica; Altera magis Medica. Ex his elicitur conspicua Solutio pugnantium Rationum. At, dicebatur aduersus Galenum, Opium & Glandes, Amara esse, & frigida, quare non omne Amárum est calidum; Solvitur: quia hæc est similis Amaritudini, non autem propria Amaritudo, vt est ea Fellis nulla enim vera Amaritudo est sine calore, nec propria Dulcedo sine contemperato calore. *Concilia*

DE tangibili autem & Tactu eadem est Ratio: si enim Tactus non est vnus Sensus, sed plures, necesse est, & tangibilia sensibilia plura esse; Dubium autẽ est, num sit vnus, 107 *vel plures, & quod sit instrumentum Tactus, num Caro, & id quod ei proportione respondet, an non, sed hoc quidem est mediũ; Primum autem Sensorij, aliud aliquid est intus, omnis enim Sensus vnius contrarietatis esse videtur, vt Visus Albi et Nigri; Auditus Grauis & Acuti, & Gustus, Amari & Dulcis; Tangibilium autem multa sunt contrarietates, veluti Calidum, Frigidum, Humidum Siccum,* 108 *& alia huius generis, Adest solutio quædam huius dubii: nam & aliorum Sensuum sunt plures contrarietates, at, Vocis nedum acumen & grauitas, sed magnitudo, & paruitas, lenitas & asperitas & alia huiusmodi; Similiter, Coloris sunt differentia huiusmodi aliæ, at, quid sit vnum Subiectum vt Auditus, Sonus, ita Tactus, non patet.* Cõt. 10

SERMO nunc est de Tactu; Ratio ordinis est conspicua ex dictis de ordine cæterorum Sensuum; Diuiditur præsens Contextus in Quatuor partes; In Prima Dubitatio proponitur de vnitate Sensus Tactus, vt appareat vnitas, vel multitudo tangibilium: nam eorum eadem est Ratio; Si Tactus non est vnus, nec tangibile esse poterit genus vnum; In Secunda parte proponitur dubitatio de instrumento, hum sit Caro, vel potius ea sit medium, primum autem instrumentum sit aliquid intus, nimirum Cor. Omnis enim Sensus vnius est contrarietatis, &c. In hac Tertia parte affertur Ratio pro multitudine Sensus Tactus, quæ ita formatur, omnis Sensus unus uersatur circa unam contrarietatem, tactus non uersatur circa vnam, sed circa plures contrarietates, non itaque est Sensus unus, Adest Solutio, &c. In hac Quarta *Intentio. Diuisio. Expos.*

parte

parte refert Aristot. apparentem Solutionem, negando Maiorem propositionem, nã & alij Sensus plures iudicant contrarietates, ut patet de Auditu, qui iudicat graue acutum, magnum, paruum, asperum, & lene, attinentia ad Sonum; Similiter Visus album & nigrum, & uarias differentias Colorum, quæ Solutio reijcitur, quoniam unitas cæterorum Sensuum ex eo patet, quia eorum est unum genus subiectum, ad quod cunctæ differentiæ rediguntur, non ita tactus, nullum enim commune eius genus referri posse uidetur.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Tactus quintuplex.

CONSIDERO Primò quod Tactus est quintuplex; Vnus uirtutis, quo motores Cęlorum tangunt Cęlum; Alter Cęlestis, quo Cęli mouent mortalia, & non repatituntur; Tertius Physicus mortalium, quę inuicem agunt, & agendo repatiuntur; Quartus Metaphysicus quo Mathematica mutuo se tãgunt sine actione & passione; Quintus est
2 Animalticus, & Sensitiuus, de quo modo est sermo. Considero Secundò, quod si Aristot. orsus fuisset à Tactu, statim magna ei occurrisset confusio: nam Organum, medium & unitas eius, maximè latent, quæ in cæteris patent, & præsertim in Sensu Visus, adeò, ut ordiens à Visu, simul & Naturæ, & nostræ cognitionis modo aliquo sequutus sit ordinem, ordo tamen ex sui conditione ex Natura petendus est. Considero Tertiò, quod Aristot. Obiectum Sensuum nuncupare consueuit & Genus, & Oppositum, & Obiectum, hoc autem in loco id appellat Subiectum, quatenus subijcitur iudicio Sensuum, & in eo Sensus uersantur, quod etiam ait debere esse Genus unum,
4 ut Color, Sonus, Odor, & Sapor. Considero Quartò quod non apparet Visum esse unius generis, cum sit Coloris, & Luminis; Solutio patet ex dictis de Obiecto Visus, nam ea duo subordinata sunt pro Visu, nõ duo Obiecta distincta, & modo aliquo Color redigitur ad Lumen, ut dixit Plato, quia Color est tanquam flamma Luminis, modo alio Lumen redigitur ad Colorem, cũ dicatur Color perspicui, & uideatur ut Colore præditum, sic Planetarum distinctorum dicuntur esse Colores distinctiui. Con-
5 sidero Quintò, quod Aristot. Sẽsibilia communia numerat pro Sensibilibus propriis, *Dubitat.* ueluti loquẽdo de uarietate sonorum referebat magnum & paruum Sonum, Vocem lenem, & asperam, ut magnitudo est Sensibile commune, similiter, lene & asperum *Solutio.* rediguntur ad Figuram quæ est Sensibile commune; Soluitur, dicendo, magnum & paruum ad duo posse referri, uel ad Molem, & sunt Sensibilia communia, uel ad Vocem, Saporem, Colorem, & similia, & sunt Sensibilia propria, Idipsum est dicendum de aspero & leni, nam Vox per Metaphoram Felis dicitur, Ideo Aristot. ut considerarunt Plutarchus, & Simplicius, addidit Voces, ut indicaret se non commune, sed proprium Sensibile denotare.

Col. 109. *NVM autem Organum est intus, an non? sed confestim Caro, nullum signum id videtur esse, quod fiat Sensus statim tangentibus, nam si quispiam circa Carnem extenderet tanquã pelliculam quandã, similiter Sensus statim fiet, cum tetigerit, et tamen constat non eam esse Sensorium, & si iuncta fuerit, citius adhuc attinget Sensum.*
110 *Propterea huiusmodi pars Corporis perinde se habere videtur, ac si nobis adgenitus esset Aer, videremur enim uno quodam sentire, tum So-*

num,

num, tum Colorem, tum Odorem, & appareret Visus, Auditus, & Odoratus Sensus vnus, nunc autem quia distinctum est id per quod fit motus, patet prædicta Sensoria distincta esse, hoc autem in Tactu latet, ex Aere enim & Aqua nequit constitui animatum Corpus, nam 111
oportet esse solidum quoddam; Sequitur itaque, vt mixtum sit ex Terra, & ex his, qualis est Caro, & id quod Carni proportione respondet: Nam si omnis Sensus est per medium, etiam Tactus talis erit, quare necesse est Corpus adnatum esse medium tactui, per quod fiunt Sensus qua plures sunt.

LOQVENS Philosophus de tactu, difficultates proposuit de instrumento, medio, & unitate eius, simul quoque cum quadam comparatione uerba faciens de Obiecto, loquitur in præsenti Contex. de instrumento, ac simul de medio, & in sermonem de unitate transit. Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima ordiens ab instrumento, soluit rationem qua posset aliquis ostendere Carnem esse instrumentũ Tactus; In Altera ostendit eam esse medium; In Tertia, manifestat Sensum Tactus ut cęteros egere medio; Quęritur itaque, quodnã sit instrumentum tactus? Posset quis putare id esse Carnem, signum huius est, quia dum tangibile imponitur Carni, confestim percipitur; Reijcit Aristot. hoc Signum per aliud consimile Signum, nam si supra Carnem tenuissimam pellem extenderemus, eique apponeremus tangibile, ueluti Carbonem, confestim id sentiremus, cum tamen constet pellem illam non esse instrumentum, & si ea pellis esset adnata, citius sentiremus. Propterea huiusmodi pars, &c. In hac Secunda parte ostenditur, Carnem esse medium: nam Caro perinde se habet, ac si Corpori nostro adgenitus esset Aer, quod si contingeret, tunc eodem perciperemus Colores, Sonos, & Odores, & ob id putaremus, tres Sensus esse unum, quia non pateret distinctio instrumentorum, nunc uerò quia instrumenta apparent distincta, cognoscimus esse distinctos; At, de Tactu latet: nam medium adnatum, non potest esse Aer, uel Aqua, quia Corpus uiuens solidum est, & mixtum ex Terra, & aliis, qualis est Caro, uel id quòd ei proportione respondet; Nam si omnis sensus est per medium, &c. In hac Tertia parte ostendum sensum omnem egere medio, quare cum tactus sit sensus, ille quoque eget medio, Corpus uerò adnatum ueluti Caro, est medium per quod fit tactus, & quamuis tale medium sit unum, tactus tamen non est unus.

Intentio.

Diuisio.

Exposit.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod cũ Arist. dicat, ex Aere, & Aqua non posse constitui Corpus viuẽs, per hoc causã affert cur medium sensus tactuus non sit simile medio cæterorum sensuum quod est Aer, uel Aqua; Ratio est: quia medium tactus debet esse adnatũ, & congenitum, & ob id debet esse uiuens; Corpus autem uiuens est solidum, & mixtum; Considero Secundò, ex hac eadem Aristotelis sententia elici, non approbari ab Aristotele. Dęmones Aereos, vel Aquoos; Similiter elici ex eisdem opiniones, Spiritus, & Sanguinem, non esse animata Corpora; nisi quatenus iuncta viuenti Corpori, modo quodam ab eo vitã recipiunt, quia de re alibi verba feci. Considero Tertiò, in dubium verti, num omnis Sensus sit per medium: nam si Tactus esset per medium, non esset Tactus, ob id

Consid. 1.

Arist. non nouit Dęmones.

3 An Tactus.

egeat me dio. enim dicitur Tactus, quia fit per contactum, at, si fieret per medium, non fieret per contactum; Confirmatur: quia tangibile attingit Tactum non spiritaliter, sed modo materiato, quare non percipitur per medium; Insuper, concesso quod Caro non sit instrumentum primum, sed Cor, sat est quod Caro sentit, & id indicat quod illam attingit; Insuper, si Caro non est instrumentum, sed Cor, eadem vrgebit Ratio: quia tangibile Cordi appositum, maximè sentitur: hinc dolores Cordis sunt vehementissimi

Plotinus. Res itaque est apprimè dubia. Propterea Plotinus, & multi viri celebres, hanc sententiam non approbant, quod necessarium sit medium, & Sensibile collocatum supra

Solutio. instrumentum Sensus, non sentiatur. Pro Solutione dico, vel loquimur de medio externo, vel interno, si de externo, iam in præcedentibus apparuit de Visu, Auditu, & Odoratu, egere externo medio, at, loquendo de Tactu & Gustu, dico, externum medium non esse necessarium, ut nos experientia docet: nam quamuis in progressu Aristot. ostendat, inter duo solida mediare fluens, & ob id externum solidum tangamus per medium Aerem, vel Aquam, tamen frequenter tangibile est fluens, & non solidū, & procul dubio sine externo medio id sentimus, vt patet, dum manum in feruentem vel frigidam Aquam injicimus. Similiter, sentimus frigiditatem Cerebri sine externo medio, Visum quoque lingua sine externo medio degustamus, & ob id vterque Sensus dicitur Tactus, loquendo autem de medio interno, puto id pro omni sensu esse necessarium, nam vehemens passio perturbat iudicium, ideo oportet, ut iudicanti offeratur sensibile sine vehementi motu, & per aliquid ei adgenitum, & familiare; Sic pro Visu qui fungitur suo officio in humore Crystallino, parati sunt ambientes humores, & panniculi oculorum; Pro Auditu ingenitus Aer; Pro Odoratu etiam intermus aliquis Spiritus; Similiter, pro Gustu moderatus Linguæ humor; Pro Tactu autem nisi adsit aliud, pars vna fungitur pro altera officio medij, & si læditur pars vna, ea læsio à parte illi iuncta distinctè iudicatur, cum partis læsæ iudicium turbet, ut euenit dum Cor læditur. Rationes aduersæ diluuntur; Dicebatur Primò, quod Tactus non esset Tactus; Respondeo, est Tactus, quia medium externum vel latet, vel non est necessarium; Addebatur, quod tangibile attingit instrumentum modo materiato; Respondeo, attingit quidem modo materiato, at motu moderato, & per aliquid ei familiare, & congenitum; Reliquæ instantiæ solutæ sunt per dicta.

Diluuntur aduersæ Rōnes.

Cōt. 112. *QVOD autem Sensus tangendi plures sint, Tactus ille nobis ostendit, qui Lingua competit: nam Lingua per eandem partem sentit tangibilia omnia, & Saporem, si autem & reliqua Caro Sapores sentiret, idem Sensus iudicarentur Gustus, & Tactus, nunc autem iudicantur duo, quia non reciprocatur.*

Intentio. ONNVLLA dixit Philosophus de medio, & instrumento Tactus, dicturus & alias. Et quia dixerat, per medium congenitum fieri Tactum, qui multiplex est, confirmat hanc multitudinem, soluendo rationem qua posset aliquis ostendere esse vnum, & est, quia per eandem partem nostri Corporis sentimus omnia tangibilia; Respondet Aristot. Rationem hanc non cogere, vtens exemplo Linguæ: nam per eandem Linguæ partem sentimus tangibilia, & Sapores, cum tamen sensus sint distincti; Quæ distinctio patet de Gustu, & non de varietate tactuum: quia de Gustu non reciprocatur: nam per Linguam qua percipimus sapores, percipimus tangibilia, at non per reliqua per quæ percipimus tangibilia, percipimus sapores; De varijs autem tangibilibus reciprocatur, per quamcunque enim partem percipimus vnam differentiam

ferentiam tangibilium, percipimus & alias, & propterea multitudo ea latet. An autem Tactus sit unus, vel multiplex, in progressu considerabo, solum nunc considero id, quod de Lingua & Gustu modo dictum est ab Aristot. etiam esse verum de instrumentis cæterorum sensuum, omnis enim pars Sanguinea nostri Corporis, est apta percipere cuncta tangibilia, & ideo & per oculum, & per aures, & per instrumentum odoratus, si non per partes omnes, saltem per quasdam tangibilia cuncta sunt apta percipi, id tamen distinctius patet de Lingua, & Gustus est Tactui similior, ideo de his est loquutus. Contextus non exposcit Diuisionem, & verba sunt conspicua, nec aliud occurrit quod egeat distincta annotatione.

DVBITABIT *aliquis, si Corpus omne præditum est profunditate, hæc enim est tertia Dimensio, Corpora autem inter quæ medium est Corpus aliud, non se mutuo tangunt, humidum autem non est sine Corpore, neque madidum, sed necesse est, aut Aquam esse, aut Aqueum, quæ autem in Aqua se tangunt, cum eorum extrema non sint sicca, necesse est vt Aquam includant mediam, quæ plena sint ea extrema; si autem hoc verum est, fieri nequit, vt in Aqua vnum tangat aliud; Idipsum de Aere est dicendum, dum refertur ad ea quæ sunt in ipso; quod dictum est de Aqua, de Aere tamen id magis nos latet, vt quæ sunt in Aqua Animalia, num madidum tangat madidum.* Cõ:.113.

DOQVEBATVR Aristot. de necessitate medij pro Sensu Tactus, & dicebat id latere, quia est congenitum; vult modo manifestare, quod nedum latet de congenito, sed etiam de externo, dum fit per medium externum. Diuiditur Contex. in tres partes; In Prima accipitur, ea Corpora non se tangere, inter quæ mediat est tertium Corpus; In Secunda infertur, solida, in Aqua, vel Aere non se tangere, quia mediat tertium Corpus; In Tertia parte ait, latere, quod tertium Corpus mediet; Ex Prima, & Secunda parte hæc elicitur Ratio; Ea Corpora inter quæ tertium Corpus mediat, non se tangunt; at, inter duo solida, veluti duos lapides, in Aqua, & Aere mediat tertium Corpus, quare ea non se tangunt; Maior patet ex Definitione se tangentium, quorum vltima debent esse simul; Minor patet experientia: nam si duos simul iunctos lapides in Aqua mergimus, eos educentes, inspicimus superficies iunctas quas putabamus esse simul, esse humore præditas, humor autem non est sine Corpore, non enim humor seruari potest sine Subiecto, & si id accidit in Aqua, longe magis putandum est accidere in Aere, qui est magis tenuis; At, inquit Arist. in Tertia parte, id nos latere, & putare manu tangere sine medio lapidem, cum tamen mediet Aer, latere autem, quia est exiguus, & tenuis; vt etiam id latet pisces, dum in Aqua tangunt lapides, & etiam lateret nos, si mersi essemus in Aqua, & putaremus sine medio tangere ligna, & lapides. *Intentio.* *Diuisio.* *Oppositi.*

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, Aristot. ostendere solida se in Aqua tangere per medium, similiter & in Aere, non quia putet medium externum semper esse necessarium, nam saltem in Aqua sine medio sentimus Qualitates Aquæ, & in flamma calorem flammæ, sed solum vt pateaceret frequenter nos sentire per medium, & id medium nos latere, vt inde colligat, quod cum medium internum sit necessarium, mirari non debemus, si id nos latet, cum enim lateat frequenter externum, ratione consentaneum est, vt longè magis lateat internum.

Inter duo Corpora solida mediare aliquid. 2 Considero Secundò, ex eò quod dicitur ab Aristot. elici communem quandam Regulam, & est, inter duo Corpora solida mediare Aquam, vel Aerem, quam Regulã Aristot. experientia comprobauit, pro qua etiam formatur hæc Ratio; Si duo sumamus solida, & plana, vt duos lapides, & ea simul iungamus, dum vnum æqualiter ab altero seiungimus, & nihil mediat, sed debet Aer ingredi, vel æquè primò, & simul repercutit Aer ille in medio, & extremitatibus, vel primò in partibus extremis, mox in medio, si in utrisque simul, motus fiet momento, si prius in extremis partibus, tunc in eo priori, medium erit inane, quæ duo apprimè sunt absurda; Similiter formatur Ratio, dum simul nectuntur: nam Aer qui mediat, vel momento egreditur, quod fieri nequit; vel in tempore, si in tempore, tunc in eo tempore ante quam ex extremitatibus egrediatur, medium esset inane, quare videtur necessarium, vt semper aliquid Aeris mediet, vel Aquæ. Confirmatur: quia apud nos non reperitur Corpus adeò lene, & planum, vt non adsint pori, & aliqua inequalitas, ob quam mediet Aer, vel Aqua; At, ex aduerso, Experientiæ, & Rationi id videtur aduersari, Experientiæ quidem, quia

Rationes aduersæ. dum malleo Lapidem frangimus, ictus profecto à solido malleo sine medio fit, non per medium Aerem: nam si malleus scindit Lapidem, longè magis putandum est quod repellat inter medium Aerem; Præterea, dum agens superat resistentiam patientis, sequitur motus, & actio; At, solidum supra solidum collocatum, conspicuè superat resistentiam exigui Aeris, quare illum remouet, scindit, & repellit; Experientia qua nititur Aristot. est vera vt plurimum, & hoc est ei satis, vt ostendat medium aliquando latere, non autem semper, nam duo ligna Nauis adeò frequenter sunt iuncta, vt quamuis nauis sit in Aqua, inter ea nullus appareat inter medius humor; Similiter se habet de duobus iuncis Lapidibus; nonnunquam enim vt si fuerint plani & marmorei, nullus inferitur humor. Colligo itaque, eam Regulam esse veram vt plurimum,

Quo vera sit ea Regula. non semper; & quæ pro ea afferebantur, facilè diluuntur. Dicebatur, dum Corpora duo solida iuncta à se inuicem in Aqua, vel Aere æquè seiunguntur, Aqua, vel Aer egrediens, vel æquè primò erunt in medio, & extremitatibus, vel prius in extremitatibus; Respondeo, si imaginamur esse plana, & sine medio iuncta, non poterunt æquè seiungi, sed est necesse vt seiungantur inæqualiter, adeò, vt cum successione Aer ingredi valeat, & si vnum eleuaretur, alterum id sequeretur, quousque posset dari ingressus Aeri cum requisita successione, & hoc frequenter experientia patet, præsertim dum nitimur solidum aliquod & planum in superficie Aquæ positum æquè eleuare, nam intuemur Aquam id sequi, quousque Aeri detur ingressus, ac in connexione debet dari congruens recessus, intermedij Aeris. Addebatur, apud nos Corpus exactè lene, & planum, non reperiri, at, id non obest, saltem reperitur planum pro aliqua parte, & de ea continget vt nil mediet, quod autem non sit, vel sit æquale, id est ex euentu, non ut mediet tertium.

VTRVM igitur omnium consimiliter sit Sensus, an aliorum aliter, vt modo apparet, nam Gustus, & Tactus tangendo, alii è longinquo. Hoc autem non est, sed durum, & molle, per alia sentimus, vt sonans, visibile, & odorabile, sed alia quidem eminus, alia comminus, propterea latet: nam omnia sentimus per medium, in his tamen latet. Et quemadmodum prius diximus, si per latentem pelliculam sentiremus omnia tangibilia, perinde disponeremur ac modo in Aere, & in Aqua, putamus enim ea tangere, & nil mediare. Differs tamen tangibile à visibilibus, & sonantibus, quia hæc quidem sentimus, eo quod medium aliquod nos mouet, tangibilia verò non, quia à medio moueamur, sed à tangibili mouente vnà cum medio, vt dum quis per clypeum percutitur, non enim clypeus percussus percussit, sed simul accidit vtraque percuti; Omnino autem videtur sicut Aer, & Aqua, ad Visum, Auditum, & Odoratum se habent, ita Caro, & Lingua se habere ad Sensorium, tacto autem Sensorio, nec in eis, nec in his fiet vtique Sensus, vt si quis Corpus album supra extimum oculi imponat; Ex quo patet, instrumentum Tactus esse intus, ac ita seruabitur id quod competit aliis, nam imposita super Sensorium non sentiunt, posita autem super Carnem sentit, Caro itaque medium est Sensus Tactus. Cõt. 114. 115 116

PROSEQVITVR Aristoteles sermonem de medio Tactus, vt colligat Carnem non esse instrumentum primum, sed medium; Diuiditur autem hic Contex. in tres partes; In Prima quæritur, num Sensibilia omnia sentiamus eodem modo? & ostenditur quod eodem modo; In Altera ostenditur discrimen; In Tertia, colligitur Carnem esse medium tactus. Quæritur itaque Primò, num Sensibilia omnia sentiamus eodem modo, hoc est per medium externum, vel uario, adeò, vt quædam per externum medium sentiamus, tangibilia autem sine eo; Soluens, ait cuncta sentiri per medium externum, sed quædam eminus posita, ut Visibilia, Sonantia, & Odorabilia, alia cominus; & ob id latere, vt prius diximus de superimposita pellicula, per quam putaremus sine medio sentire; In Secunda parte assignatur differentia: nam dũ per medium externum percipimus Sonos, Colores, & Odores, medium est id, quod Qualitate præditum, vel spiritaliter, vel modo materiato nos mouet; At, loquendo de tangibili, secus se habet: nam Ignis per Aerem nos calefacit, non autem Aer nos calefacit, & se habet perinde, ac si quis Clypeo nos percuteret, non enim Clypeus, sed qui Clypeum mouit, nos percutere dicitur, quia simul Clypeum, & nos percutit. In Tertia parte ostenditur, quod ut Aqua, & Aer sunt media pro Odoratu, Visu, & Auditu, ita Caro est media pro Tactu, non autem instrumentum, & Ratio ita formatur; Nullum Sensibile collocatum supra instrumentum Sensus, sentitur, tangibile positum supra Carnem, sentitur, quare Caro non est instrumentum tactus, sed medium. *Intentio. Diuisio. Expos.*

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Arist. in Prima parte affirmat, omne Sensibile sentiri per medium externum, sed in Tactu latere, quia est exiguũ, ex hoc non debemus elicere, Tactum sine externo medio non sentire, alioquin Arist. Experientiæ, & sibi aduersaretur; De Experientia patefeci in præcedente Contextu; Quod autem secum pugnaret, ostendo: quia in Tertia parte, ostendens Carnem esse medium, ait tangibile positum supra Carnem sentiri; hinc deinde colligit, Carnem esse medium, solum patefacere voluit Aristot. Tactum etiam per externum medium sentire posse, adeò, vt pro cæteris externum medium sit necessarium, pro Tactu autem quamuis non sit necessarium, tamen etiam per illud nos frequenter tangimus, adeò, vt non differant, quia cæteri fiant per medium externum, Tactus verò per solum contactum.

Pro Tactu externũ medium esse necessarium.

2 Considero Secundò, quod Arist. statuens discrimen inter conspirare medium pro cæteris Sensibus, & pro Tactu, de cæteris ait Sensibilia agere in nos per medium, de Tactu verò agere tangibilia in nos vna cum medio, adeò, vt de illis loquendo, medium dicatur in nos agere, de Tactu verò, semper primũ tangibile, vna cum medio agit tanquam miles Clypeo alterum percutiens; Ratio huius discriminis latet: nam cum medium pro omni Sensu conspiret, omne Sensibile videtur agere vnà cum medio. Respondeo, rationem varietatis ex eo præsertim elici, quia in attingentibus ad Tactum, medium est eiusdem dispositionis cum primo, est calidum, frigidum, humidum, vel siccum, vt primũ alterans, at, non ita est Sonans, Coloratum, & Odore flagrans, vt primum, qualitatum enim tangibilium omne Corpus Physicum est proprium Subiectum, & principale, non ita cæterarum; Altera Ratio est: quia pro Tactu medium externum non est necessarium, sed debet fieri Sensus per Tactum, pro cæteris verò est necessarium, ideo dicuntur agere per medium, non vna cum medio.

Ratio discriminis tangibilũ à reliquis Sẽsibilib.

Altera Ratio.

3 Considero Tertiò, cum Arist. loquatur de instrumento Sensus Tactus, de eo non leuem esse difficultatem; Arist. in 2. de partibus Animalium cap. 10. necnon in 3. cap. 5. Cor statuit Sensorium Tactus; Similiter, in lib. de historia Animal. & de Sensu & Sensili; In hoc autem capite ait esse aliquid intus, non autẽ Carnem, & per illud, Intus, Cor denotat; Ex aduerso in 2. de partib. Animal. cap. 1. ait: Sed cum Sensus in partibus simplicibus positus sit; euenit ratione optima, vt Tactus sedem similarem quidem, sed minimè simplicem sortiatur, quippe qui maximè uim recipiendi plura genera videntur habere, multasq; præseferre contrarietates sui Obiecti; & quidem Caro in quauis earum Qualitatum sentiẽdarum posita est, aut quod Carni proportione respondet, &c. His verbis videtur Philosophus carnem statuere Sensorium Tactus; Idipsum affirmat in 2. de partibus Animal. cap. 5. necnon cap. 8.

De instrumento sensus tactus.

Opinio 2. Medicorum. Medici (& cum eis Auerroes) Neruis id officium tribuunt, hinc Auerr. Com. 108. ait Aristotelem in hoc cap. per illud, Intus, denotasse Neruos, propterea addit, quod Arist. in libris de Animal. non nouit officium Neruorum, quod mox nouit ratione, Medici verò experientia; At, conspicuè decipitur, Arist. enim per illud, Intus, Cor denotauit, & nunquam id officium tribuit Neruis, immò, in 1. de Animal. cap. 79. ait: Ossa, Pili, Nerui, nil sentire videntur; Nonnulli se medios constituunt, & aiunt instrumentum esse Carnem Neruis præditam; Philoponus ait instrumentum esse Spiritus.

Error Auerrois.

Opinio 3. Resolutio Pro Resolutione dicendum puto, Instrumentũ Tactus esse duplex; Vnum proximum; Alterum primum; Instrumentum primum est Cor, proximum uerò Caro, hoc indicauit Arist. dum in Contex. 107. de eo quod est (Intus) nimirum de Corde, dixit esse instrumentum primum, quod repetit in Cont. 117. & in 2. de partibus Anim. cap. 10. Addo Secundò, instrumentum Tactus esse duplex; Vel sentiens virtute propria, & hoc est Cor, vel virtute ei à principali tributa, qualis est Caro; Insuper, instrumentum proximum relatum ad primum, dicitur medium, at medium viuens,

uens, ideo sentiens; Hinc instrumentum modo dicitur Caro, modo Cor, sine controuersia; Similiter, Caro modo instrumentum, modo medium nuncupatur; Spiritus sunt instrumentum commune, non proprium, famulantur pro Sensu, at non sentiũt; Nerui, & Arteriæ, cum ob connexionem mutuam, tum, quia Spiritus deferunt & facultatem sentiendi, modo aliquo instrumenta iudicantur. At cum Cor ex Sententia Arist. sit sedes communis omnium Sensuum, iure mirari possumus, cur potius dicatur instrumentum Tactus, quam cæterorũ Sensuum, cuius varietatis Quatuor puto posse assignari Rationes; Prima est, quia tactus competit uniuerso Animali, non autem tantum vni parti eius, & propterea solum potest ei tribui, quod principatum obtinet inter partes, quale est Cor. Altera Ratio ex eo elicitur, quia Tactus & Cor hoc habent commune, ut sint fundamenta vitæ Animalis; Tertia Ratio est, quia instrumentum Tactus in Temperamento est positum, Temperamentum autem primò consideratur in Corde; Quarta Ratio est, quia etiam Cor sentit tangibilia, & cum id ei non per aliud competat, cum sit primum, sed cæteris per illud, ideò recta ratione ab Arist. statuitur, primum Sensorium Tactus; At cum mox facultas tangendi effundatur per alias partes, profectò non effunditur nisi per id per quod cum eis nectitur, patet autem necti per Arterias, Venas, & Neruos quæ in panniculis tenuissimè dilatantur, per quos cæteræ partes præsertim Sensu redduntur præditæ, Medici hoc proximum consideraunt, eique officium sentiendi tribuerunt, Arist. verò inspexit principale. At oritur Dubitatio, quia instrumentum Tactus debet esse Temperatum medium aliquod, vt sit iudex extremorum, Cor autem calidissimum est, & maximè feruet. Soluitur Dubitatio per duo fundamenta; Primum est, quod quamuis Cor sit calidius cæteris membris, absolutè tamen est magis temperatum cæteris, vt in sua Metaphys. ait Theophrastus; Alterum est, quod sat est ut medium quod etiam dicebatur Sensorium proximum, sit congruenter temperatum, hinc ait Arist. in 2. de partibus Animal. cap. 8. quod Caro uel est Sensorium primum Tactus, vt pupilla Visus, aut coniuncta, per quam agitur, perinde ac pupillæ omne perspicuum.

Cur Aristot. Cor statuat instrumẽtũ tactus potius quam cæterorũ Sensuum.

Dubitat.

Solutio.

TANGIBILES igitur sunt differentiæ Corporis quatenus Corpus; Dico autem differentias, quæ Elementa determinant, calidum, frigidum, humidum, siccum, de quibus prius dictum est in iis, quæ de Elementis; Sensorium autem quod eas aptũ est tangere, in quo Sensus qui dicitur Tactus primò inest, est pars potestate talis; Sentire enim est quoddam pati, quare faciens facit id quod potestate est tale, quale ipsum est actu, propterea id non sentimus quod similiter calidum est, & frigidum, durum & molle, sed exuperantias, tanquam existente Sensu mediocritate quadam contrarietatis Sensibilium, & ob id iudicat Sensibilia, medium enim iudex est, fit enim ad utrumque oppositorum alterum; Et quemadmodũ oportet ut id quod sentire debet, album, & nigrum, neutrum eorum sit actu, utrumque autẽ potestate, ita quoque in reliquis, sic & de tactu se habet, adeò, vt neque calidum sit, neque frigidum.

Cõt. 117.

118

119

Intentio. VM Philosophus patefecerit Carnem non esse instrumentum primum, sed medium, Tactus, intentio eius præsenti Contex. est patefacere Genus quod Sensui Tactus tanquam Obiectum respondet, vt pateat, quomodo sit vnus, ac insuper loqui de conditione orgáni; Diuiditur autem præsens

Diuisio. Contex. in Quatuor partes; In Prima refertur Obiectum Tactus, In Secunda ostenditur, quid, & quale sit eius instrumentum, ex cuius conditione in Tertia parte elicitur, tactu exuperantias nos sentire, non medium; In Quarta parte communis Regula

Exposit. profertur, quod recipiens eo debet esse nudatum, quod recipere debet; Inquit itaque, Obiectum Tactus esse Genus differentiarum Corporis, nimirum Physici, mortalis, vt tale Corpus est, & hæ sunt differentiæ illæ, quibus terminantur Elementa, calidũ, frigidum, humidum, & siccum, de quibus prius in lib. de Ortu & interitu loquuti sumus, dum in 2. lib. de Elementis verba fecimus. Relato Obiecto, in Secunda parte loquens de instrumento, ait id esse potestate tale, cum enim sentire sit pati, commune omni agenti est, id quod potestate est tale, reddere actu tale, quale agens est actu; Ex quo elicitur in Tertia parte nos Sensu tactus non percipere consimiliter temperata ei per quod tangimus, sed exuperantias quas Sensus vt medius iudicare aptus est, nã simile non agit in simile, ait autem extremum in medium, quia medium relatum ad vnum extremorum, seruat conditionem alterius; Pro quorum approbatione in Quarta parte manifestatur de omni Sensu, id esse uerum, quod recipiens debet eo esse nudatum quod recipere debet.

ANNOTATIONES.

Consil. 1. Quomodo tangibilia sint differentiæ Corporis, vt Corpus est. VINQVE hoc in loco præsertim se offerunt considerandã, Primum est, quod Aristot. ait, tangibilia esse differentias Corporis, vt Corpus est, quod profecto de Corpore Mathematico uerum non est, nec de Artificioso, vt est Artificiosum, neque etiam de omni Corpore Physico, nam Cælo quatuor primæ Qualitates non competunt, & si quis manu tangeret Cælum, solum id tactu perciperet, quatenus durum est, qua duritie manui tangenti resisteret, non itaque illa reduplicatio vera est de Corpore vniuersò sumpto, sed de Corpore Physico, quod est Genus supremum Prædicamenti Substantiæ, constituto ex materia prima, & forma, quod mortale est, hoc est illud cuius primæ differentiæ, sunt quatuor primæ Qualitates, nam Aristot. in 2. de Ortu, & interitu, constituens ordinem inter principia; Primam ait esse Materiam primam; Cui succedere ait contrarietates calidi, frigidi, humidi, & sicci; Tertia constituit quatuor Elementa. Conferо Secundò, nonnullos nitì

2 Non elici Qualitates esse formas Elementorũ. ex hoc elicere quatuor primas Qualitates esse formas Elementorum, nam differentiæ Corporis quod Substantia est, iudicari debent Substantiæ; At, ratio reflectitur: quia si sunt differentiæ Corporis, vt est tangibile, & sunt Obiectum Sensus Tactus, cum Sensus non apprehendat Substantiam, non possunt esse Substantiæ; Sunt itaque differentiæ Corporis Physici mortalis, vt est tangibile, & miscibile, sunt autem differentiæ substantiæ, vt formas Substantiæ circunscribunt, non autem absolutè. Considerõ Tertiò, quod Aristot. ait de his se prius egisse in ijs quæ de Elementis, hoc est in 2.

3 de Ortu & interitu, in ea parte in qua agebatur de Elementis, ex quo ego duo elicio; Primum est, quod inscriptio hæc de Elementis, non est inscriptio totius libri de Ortu & interitu, sed solum partis; hinc minus rectè ex hoc elicere nituntur nonnulli, quatenõs Elementa esse Subiectum libri de Ortu & interitu, hæc enim est inscriptio partis, & considerantur in parte, non in toto libro, vt exponens librum illum, patefeci; Elicio Secundò, quod minus rectè Galenus in lib. de Natura humana, ait Arist. non semper sumpsisse inscriptionem librorum à re de qua ageret: nam in libris de Ortu & interitu, loquitur de Elementis, non tamen eos de Elementis inscripsit; Respondeo

Aduersus Galenum. Aristot. in eis libris egisse de quatuor Elementis, nõ ut de toto Subiecto, sed tãquam

de parte, & propterea hoc in loco partem illam appellat de Elementis; Considero Quartò, quod Aristot. ait medium esse iudicem, & nos non percipere differentias tangibiles in ea mediocritate, in qua nobis competunt, sed solum exuperantias; Quod medium sit iudex, verum est de omni Sensu, at, non eodem modo: nam Sensus omnis dicitur in quadam mediocritate esse positus, & propterea ab excellentijs destrui, hoc tamen est proprium tactus, vt in medio, & contemperamento sui Obiecti sit positus, quod medium sit iudex, etiam dicitur in quinto Nicomachiorum; hinc tendere ad iudicem, est tendere ad medium, quod pertinet ad iustitiam; Medium est iudex, Primò, quia est tanquam mensura obliquitatum, hinc rectum dicitur mensura sui, & obliqui. Insuper, medium est iudex, quia iudex per habitum Iustitiæ quæ in medio vel Geometrico, vel Arithmetico est posita iudicium promit recessuum à medio; De tactu autem loquendo, medium est iudex, quia sensus fit cum perpessione, extremum autem agit in medium, vt calidum in tepidum, quatenus medium seruat conditionem alterius extremi, & in hac significatione modo explicatur ab Aristot. At, occurrit Dubitatio, quia si tactu non sentitur, contemperatum dubitur tangibile, quod secundum se non sentietur tactu, quod de nullo alio sensu dicitur; Respondeo, id non contingere de alijs sensibus, quia non constant ex temperamento sui Obiecti, vt tactus, & id medium percipitur tactu, tum per negationem & priuationem, tum per instrumentū siue medium uario modo contemperatum; hinc aqua tepida à nobis uario modo affectis, aliquando frigida, aliquando calida iudicatur. Considero Quintò, Aristot. dubitasse, num tactus sit unus, at, pro Resolutione nil conspicuè protulit, ex his tamen quæ dixit Solutionem elicere valemus: Nam quod tactus sit unus, ex eo patet: quia Aristot. in progressu ostendet, sensus non esse plures quam quinque, numerans tactū pro uno sensu; Ex aduerso, ostendebatur esse plures, quia contrarietates ad Tactum attinentes plures sunt, nec ad unum Genus cōmune uidentur redigi; Dicendum est, tactum esse sensum unum, unitas tamen potest esse maior, & minor, sensus quo magis est materiatus, eo minus est unus, nam per materiam, vt magis extenditur per uniuersum Corpus, ita, magis redditur particeps uarietatis; Similiter, instrumentū eius, cum in temperamento sit positum, multiplicis uarietatis est particeps, multiplex enim est temperamentum partium Corporis; Colligamus itaque, sensum tactus esse quidem vnum, at, multiplici varietate præditum, & hoc Aristot. per uaria quæ protulit indicare uoluit; quod etiam affirmauit in 2. de partibus Animal. capit. 1. inquiens: Cum sensus in partibus simplicibus positus sit, euenit ratione optima, vt tactus sedē similarem quidem, sed minimè simplicem sortiatur, quippe qui maximè uim recipiē di plura genera uideatur habere, & hoc est Caro, uel quod Carni proportione respondet; At instabatur, quia Obiectum eius non redigitur in genus unum; Solutio elicitur ex Contex. præsenti, nam Aristot. id commune ait esse Genus differentiarum Corporis Physici mortalis, vt tale est, quod Genus diuiditur in duo opposita nimirum in Qualitates agentes, & patientes, vt patet ex 4. Meteorum; ex his mox pendent reli quæ contrarietates; quæ tactu percipiuntur. Sic Alexand. & Simplicius, ad hoc cōmune genus aiunt redigi contrarietates ad Sensuum tactus pertinentes, & ex hoc ipsi quoque eliciunt Solutionem difficultatis; Est itaque Tactus Sensus vnus, magis tamen varietatis particeps, quam cæteri, tum ratione Obiecti, tum proximi instrumenti. Considero Sextò, cum ferme sit de ueritate Sensus Tactus, quod Arist. in 2. de part. Animal. cap. 10. ait Sensum omnem esse diuisum in dextrum & sinistrū, ob duplicem Corporis partem, dextram nimirū & sinistram; Quæ Diuisio apparet in Organis Sensuum; At, hoc in tactu est incertum; quia primum Sensorium non Caro, non pars eiusmodi aliqua est, sed aliquid intimum; Lingua etsi obscurius quā Oculi, tamen certius quam tactus geminum gustandi uestigium ostendit, fissura enim Linguam distingui conspicuum est. Considero Septimò, quod Sensus dicitur esse quædam medietas, hoc uerum est de omni Sensu, at, vario modo: nam medium vt ad

4 *Medium est iudex.*

Dubitat.

Solutio.

5 *Quomodo tactus unus.*

Solutio.

Instantia.

Alex.

6 *Sensum omnē diuidi in dextrum, & sinistrū.*

7

rem

rem facit, est duplex; Vel per mixtionem siue compositionem ex extremis; Vel per negationem, priuationem, & potentiam, instrumentum tactus est medietas primo modo, cæterorum autem instrumenta secundo modo, priuata enim sunt contrarietate sui Obiecti, & apta eam recipere, tactus solum est priuatus excellentijs, & cum partes Animalium distincto temperamento sint præditæ, inde euenit, quod tangibile contemperatum si non percipitur per partem vnam consimiliter temperatam, sentietur per alteram quæ non consimiliter est temperata.

Cõt. 120. *PRAETEREA vt Visus modo quodam est visibilis, et inuisibilis & reliqui oppositorum sic & Tactus est tangibilis, & intangibilis; Intangibile autem id est, quod exiguam habet differentiam tangibilium, veluti est Aer, & excellentia tangibilium, vt apta Tactum corrumpere. De vnoquoque itaq; Sensu figura dictum est.*

Intentio. Diuisio. Exposit. PRAETEREA Philosophus tactui id competere, quod est commune cęteris Sensibus, nimirum, vt iudicet Obiectum, & oppositum eius. Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima afferitur id tactui competere; In altera manifestatur quodnam sit oppositum Obiecti eius, inquiens esse duplex; vel quod exiguam includit differentiam tangibilium, vt Corpus ita temperatũ, vt manus tangentis, vel quod est præditum excellentijs; Primum non mouet; Alterum destruit; Colligit se figura egisse de vnoquoque Sensu; ait (figura) tum quia exactius de illis loquitur in lib. de Sensu & Sensili, tum gratia modestiæ, considerãs difficultatem cognitionis eorum, tum Tertiò, quia in libris de Animalibus, & præsertim de partibus, multa explicat ad eorum notitiam pertinentia.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, iure Arist. manifestare intangibile, nã loquendo de tactu, secus se habet de eo, ac de cæteris: nam Obiecto eorum opponitur Priuatio, ut Lumini tenebræ. Sono silentium, Odori priuatio eius; de tactu non sic se habet: quia nullum Corpus valet omnino esse nudatum Qualitatibus primis, & propterea cum Priuatio sit triplex; Vel absoluta Priuatio vel diminutio, vel deprauatio, cum non adsit absoluta priuatio, remanent diminutio, & deprauatio, quale est remissum, & uehemens, quæ sentiuntur uario modo, nam remissum est simile tangenti, & ideo non mouet, non enim simile agit in simile, & hoc sentitur per negationem, vehemens verò per nimiam motionem, per quam turbat iudicium. Considero Secundò, in dubium verti posse, cum insensibile cæterorum Sensuum non contineatur sub Obiecto per se, & proprio eorum, num intangibile contineatur sub Obiecto tactus, ex una parte, cum dicatur intangibile, nõ videtur contineri, ex altera videtur contineri, quia Obiectum includit uniuersum genus, non autem excludit excellens, vel remissum; Dicendum puto, hæc debere contineri, quia obiectum est vniuersum genus Qualitatum tangibiliũ, quæ quatenus sunt formæ illius generis, ex se aptæ sunt mouere Sensum tactus, & dum intangibiles dicuntur, id denotat non absolutam priuationem, sed difficultatem, diminutionem, vel deprauationem.

OPORTET autem de omni Sensu accipere quod est aptus suscipere species sine materia, vt Cera speciem sigilli, sine ferro, & auro, recipit autem signum aureum, aut aneum. At non vt aurum, aut as. Similiter autem & Sensus vniuscuiusque à prædito Odore, vel Sapore, vel Sono, patitur, At, non quatenus vnumquodque eorum dicitur, sed vt tale, & secundum rationem. Cōt.121.

LOQVVTVRVS Philosophus de Sensibus, declarauit Primò communia quædam manuducentia ad notitiam eorum; Nunc vero cum singulos declarauerit, varia colligit, quorum notitia ex his elicitur, quæ de illis dicta sunt, quorum Primum elicit in hoc Contextu; qui diuiditur in Duas partes; In quarum Prima elicit hoc, Sensum omnem esse aptum suscipere speciem sine materia, vt Cera sine materia recipit signum sigilli; In Altera id quod gratia exempli dictum est de sigillo, & Cera, ait esse verum de Sensibus uniuscuiusque rei Sensibilis, nam, eius recipit speciem & formam, non recipiendo eam, vt in ligno, vel ære est, sed vt est forma aliqua. *Intentio.* *Diuisio.* *Exposit.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Aristotelē accipere Sensum suscipere speciem sine materia, per Sensum debere intelligi facultatem sentiendi, instrumento iunctam, non enim operatur sine instrumento; per speciem sine materia, debemus intelligere formam spiritalem, hanc recipit non per actionem Obiecti, sed propriam: nam sentire est actio immanens, ut dicitur in 9. Metaph. hinc passio ab Obiecto desinit in actionem, quæ est iudicium eius, & ea receptio non est tanquam formæ in propriè sumpto Subiecto, sed ita, vt per imitationem, & repræsentationem iudicando dicitur fieri illud, ut dicitur in 3. de Anima. Considero Secundò, Aristot. hanc Sententiam elicere ex eo, quod declarauit motum, & passionem, dici de sensu non propriè, sed per Metaphoram, & esse perfectionem sine interitu, qualis est receptio spiritalis, non autem ea quæ est cum materia; At, dicet aliquis, Receptio figuræ sigilli, dicitur ab Aristot. sine materia, non est spiritalis, sed modo materiato, ut forma in Subiecto, & cum interitu antecedentis figuræ. Respondeo, exemplū esse simile in parte, quatenus est receptio figuræ sine auro, vel ęre, at nō absolutè, quia est sine iudicio, & est passio cerę quę nō desinit in actionē ut sensus; & demū, exemplū est simile vt pertinet ad actionē obiecti, at, non vt ad eā facultatis. Considero Tertiò, sentētiā hanc esse dubiā; Primò, quia Species sine materia est Vniuersale, cum materia verò Particulare, sensus autem non recipit Vniuersale; Præterea, dū Tactu percipimus tangibilia, veluti, dum manu tangimus Niuem, vel Corpus calidum, manus recipit Qualitates modo materiato, non autem sine materia; De Prima difficultate dico, sensum externum recipere quidem Speciem sine materia, & spiritaliter, at, non sine cōditionibus proprijs eius, nec sine præsentia Obiecti materiati, vt etiam se habet de Sensu communi, Phantasia autem abstrahit quidem à præsentia materiæ, non tamen à conditionibus eius, Phantasma enim semper est cum conditionibus indiuiduantibus. De Altera instantia, quia Tactus videtur suscipere modo materiato, & reddi Qualis, Respondeo, manum affici quidem calore, vel frigore, at, ea non est Species illa sine materia, quam denotat Aristot. ut iam dixi; Hinc rectè ait Simplicius, quod licet Corpus calefiat, receptio tamen formæ, non in eo fit quod calefiat, sed in eo quod cognoscendo circa calidi formam agat. *Consid.1.* *Qūo Sensus recipiat speciem sine materia.* 2 *Dubit.* *Solutio.* 3 *Dubitat.* *Solutio.*

SENSO-

Cõt.122. *SENSORIVM autem primum id est, in quo huiusmodi facultas inest, quod quidem est idem, esse tamen alterum est, Magnitudo enim quadam erit, id quod sentit, non tamen id est sensitiuo esse, neque sensus magnitudo est, sed ratio quadam, & facultas illius.*

Intentio. Diuisio. Expos. ASSVMPSERAT Aristot. sensum recipere Species sine materia, & quia recipiens est facultas instrumento iuncta, ideo à facultate ad instrumentum transit, manifestans quomodo recipiat, & suo munere fungatur; Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima, manifestat quodnam sit sensorium primum, inquiens esse id, in quo inest huiusmodi facultas, nimirum apta recipere Species sine materia; In Altera parte manifestat, quod cum sensorium recipiat differentias varias, & oppositas, id facit ratione, & facultate distincta, nam quamuis id quod sentit, veluti oculus, siue humor Crystallinus, sit Corpus, & Magnitudo, tamen dum consideratur ut sentit, nec Corpus est, nec Magnitudo, adeò, ut per distinctas partes recipiat Opposita, non tamen per distinctas partes iudicat, hoc enim est officium facultatis, quæ est ratio & forma instrumenti, quæ solum id facit distincta ratione.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quòd Aristot. loquens de instrumento, ait: Sensorium primum; addit (primum) pro distinctione à secundario, qualis in Tactu est Caro, primum autem est Cor, vt in oculo est humor Crystallinus, nam pars illa anterior perspicua in Visu perinde se habet ad Crystallinum humorem, ac Caro in Tactu se habet ad Cor, vt dicitur in 2. de partibus Animal. facultas autem non in Organo secundario residet, sed in primo, non quia sumpta pro essentia non sit vbique, sed quia in primo Organo inest cum instrumento, & ea facultate, quæ ex eius temperamento prodit, cum quo valet fungi officio suo. Considero Secundò, quod ut prima materia pro suo esse absoluto est una, vt verò apta primò recipere quatuor formas Elementorum, dicitur quadruplex, quia quatuor distinctis rationibus & facultatibus eas recipit, vt dicitur in 4. de Cælo 37. ita, quamuis gratia exempli facultas Videndi pro absoluto sit vna, tamen distincta ratione, & propria facultate, recipit Speciem albedinis, & eam nigredinis, & id facit eodem indiuisibili, vt dicetur de Sensu communi, alioquin non valeret noscere discrimen inter varia quæ iudicat. Considero Tertiò, quod sensus, siue sentiendi facultas, dicitur ratio, & potentia, non distinguit Aristot. potentiam ab essentia, quæ potentia relata ad Obiectum, dicitur Ratio, & facultas, Ratio quidem, quia ex se forma est, quæ dicitur rei Ratio, & per Definitionem explicatur, facultas verò, vt est principium sentiendi. Insuper, dicitur Ratio, quatenus congruente quadam ratione respondet moderato obiecto, quæ Ratio destruitur ab exuperante obiecto, ideo addit.

Cõt.123. *EX his autem patet, cur sensibilium exuperantia labefactant Sensoria: nam si motus fuerit fortior sensorio, soluitur Ratio, hoc autem erat Sensus, veluti consonantia, & tonus percussis vehementer Chordis. Et propter quid Plantæ*

124 *non sentiunt cum praditæ sint parte aliqua Animæ, & patiantur à tangibilibus,*

gibilibus, frigescunt enim, & calescunt; Causa enim est, quia carent medietate, & principio huiusmodi, apto recipere species sensibilis, sed patiuntur cum materia.

DIXERAT Philosophus, quod Sensus est Ratio, & facultas sensorij, ex eo autem quod est Ratio, elicit causam duorum, ideo Contex. in duas partes diuiditur; In Prima causam elicit cur excellens sensibile labefactet sensorium; Ratio est: quia euertit rationem ad sensorij facultatem pertinentem, veluti euertitur consonantia Lyræ per vehementem Chordarum percussionem; In Altera elicit causam cur Plantæ non sentiunt quamuis viuant, & sint præditæ aliqua Animæ facultate, nimirum, altrice; Ratio est: quia carent ea ratione, & medietate, apta recipere Species sine materia, & quamuis patiantur, calescant, & algeant, patiuntur tamen cum materia, & interitu, nimium enim sunt terreæ. *Intentio. Diuisio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Sensibile excellens non esse consimile, sed varium, duplici modo; Primò, quia potest, & magis & minus excellere, vt ità citius, vel tardius lædit; Secundò, quia excellens in Relatione consistit, propterea aliquid potest esse excellens, dum refertur ad vnum, non autem ad aliud, ut conspicuè patet de Lumine relato ad oculos varios, potentiores, & impotentiores. *Consid. 1. Excellens est varij.*

Considero Secundò, quod dum Sensus dicitur Ratio, & medietas, ea Ratio in tribus consideratur; In Faculeate, in Organo, & in Coniuncto, de Facultate patet ex Contex. præcedente, in quo Aristot. eam dixit esse Rationem; de Organo patet, quia congruente temperamento, & partium proportione debet esse præditum; Ratio Organi est proportio congruens, eorum ex quibus constituitur; Ratio Facultatis, quæ etiam medietas nuncupatur, est congruens proportio eius ad obiectum, per quam valet moderato motu id recipere, & iudicare, ex vtrisque autem consurgit Ratio Compositi, sine qua Compositi integra ratione, non fit Sensus, non enim sat est congruens Ratio unius, sed pro obeundo munere, requiritur congruens Ratio utriusque, & si vna perit, Sensus non iudicat. *2 Ratio Sensuum triplex.*

Considero Tertiò, quod cum excellens Sensibile euertat Sensorium, & Rationem, iure quæri potest, quidnam sit id quod destruitur; Pro Solutione dico, tria in Sensu considerari, Actionem, Organum, & Facultatem; de Actione patet destrui, nam nec illud excellens rectè iudicare valemus, nec moti ab excellenti, valemus mox rectè iudicare alia; Cum lædatur Actio, etiam est necesse vt lædantur eius Principia, & primò Organum, quod cum vehementer moueatur, turbantur, agitantur, & alterantur Spiritus, ac ita Ratio & congruens temperamentum, & medietas euertitur, euersionem Organi, sequitur euersio potentiæ eius, quæ ex congrua temperie consurgit, & mox euersionem hanc Organi, sequitur euersio Facultatis Animæ, non quidem absolutè, seruatur enim Anima à qua Facultas nõ distinguitur, sed quatenus ex ea instrumenti parte pendet, nam materia, & forma materiata, sunt Ad aliquid, nec variatur unum sine altero; Hinc ait Aristot. in 1. de Anima: Si senex reciperet oculum iuuenis, uideret ut iuuenis, nam si reciperet materiam congruentem, reciperet & formam pro ea parte quæ ex illa materia pendet; Sic itaque à vehementi sensibili primò lædit instrumentum, cuius læsionem sequitur læsio Facultatis, vt pendet ex instrumento, læsionem Principiorum sequitur Tertiò læsio Actionis, quæ maximè patet, Aristot. autem læsionem refert ad instrumentum, quia est principale quod lædit. *3 Experãtia Sensibilia quid destruant*

Considero Quartò, quod Aristot. ex eodem Principio rationem elicit, cur Plantæ non sentiant: nam carent ea medietate, & recta ratio- *4 Cur plãtæ nõ sẽtiãt.*

ne temperamenti; Ratio sumpta ex materia non est principalis, sed dicitur Causa sine qua non, ut patet ex calce 2. Physic. Facultas enim materiata, non reperitur sine congruente materia, nec Facultas Organica, sine suo Organo, ut dicitur in 2. de Generat. Animal. cap. 3. Plantæ dicuntur pati à tangibilibus, nam calescunt, & algent, at ea passio solum est materiata, & cum interitu oppositi, adeò, vt non desinat in actionem, quæ est iudicium, Species sine materia, & spiritalis; Sic Plantæ dicuntur præditæ Sensu quodam naturali, at, cum sit sine iudicio, rectius dicitur Consensio, & Sympathia, quam sensus, & ob id Plantæ rectius dicuntur reddentidæ, quam propriè mori.

Cōt. 125 *DVBITARE quispiam poterit, num id quod non valet Olfacere, patiatur ab Odore, quod non valet Videre, patiatur à Colore, & sic de reliquis: si autem Olfactibile Odor est, si quid facit vt Odor est, Olfactum facit, quare non apta Olfacere, nil pati possunt ab Odore, eadem quoque de cæteris ratio est, neque ea quæ valent senti-*
126 *re nisi quatenus vnumquodque sensitiuum est. Quod etiam ita redditur conspicuum, neque enim Lumen & Tenebræ, neque Sonus, neque Odor quicquam facit in Corpora, sed ea quibus sunt, vt Aer, qui cum tonitruo scindit Lignum; At tangibilia, & Sapores, faciunt: nam nisi facerent, à quo inanima paterentur, & alterarentur? Num igitur*
127 *& illa faciunt? An non omne Corpus est aptum pati ab Odore & Sono, & ea quæ patiuntur termino carent, & non manent, vt Aer? Olet enim tanquam passus aliquid. Quid igitur est Odorare præter pati aliquid? An Odorare sentire est? Aer autem passus mox fit sensibilis.*

Intentio. ASSVMPSIT Philosophus Sensum suscipere Species sine materia; Mox declarauit conditionem instrumenti, in quo est facultas sentiendi, & quia in eo vigebat Consonantia & Ratio. Ideo Tertio loco eliciebat rationem, cur excellens sensibile labefactet sensorium, & Quartò, cur Plantæ careant sensu; Nunc Quintò, difficultatem quam
Diuisio. dam ex eodem principio pendentem proponit, & soluit. Diuiditur Contex. in tres partes; In Prima, Philosophus proponit difficultatem; In Secunda, duplici ratione
Exposit. argumentatur pro vna parte; In Tertia, versatur in attinentibus ad Solutionem. Dubitatio quæ in prima parte proponitur hæc est, num Corpora sensuum expertia, patiantur à sensibilibus. Dubitatio ex eo oritur, quia Primò dictum est sensorium, & sensum, in quadam medietate esse positum, quæ medietas non competit omnibus, mox dictum est eam non competere Plantis, quamuis patiantur, calescant, & algeant, ideo statim emergit hæc dubitatio num carentia sensu, & ea medietate, patiantur à sensibilibus ei medietati respondentibus. Si autem Olfactibile, &c. In hac Secunda parte duplici utitur Ratione pro parte negationis; Prima ita formatur. Odor dum operatur ut odor, efficit odoratum, odorabile est odor, quatenus eo est præditum, igitur dū operatur ut odorabile, efficit odoratum, at in Corpore carente sensu, non efficit odoratum, quare in illud non operatur. Consimilis Ratio formatur de cæteris obiectis sensuum. Secundò id ostenditur inductione: nam Lumen, Tenebræ, Sonus, Odor, nil

agunt

agunt in Corpora, vt experientia patet; Et si quis instet, quia odores, & Soni Corpora permutant; Soluitur, quia non Sonus permutat ea, sed Subiectum soni, nimirum Aer, & incensus spiritus, quo ligna à tonitruo, & fulgure scinduntur. At, loquendo de tangibilibus, & Saporibus, fatetur Aristot. ea agere, id enim sensui patet: cum ligna, & reliqua Corpora, calescant, humectentur, & similibus alijs tangibilibus Qualitatibus afficiantur; Similiter vasa vinaria sapore prædita, alterant uina, eisque saporem impartiuntur; Num igitur & illa faciunt? &c. Hæc est pars Tertia, in qua soluit difficultatem, inquiens, cætera quoque sensibilia agere, nam Lumen illuminat Aerem, Poma, & Flores odore alia ea tangibilia afficiunt; Similiter pars una Aeris defert Sonum, alteri eum tribuit; Agunt igitur cuncta sensibilia in Corpora Animæ expertia, cum enim operentur per Naturam, sine discrimine agunt in unumquodque aptũ ea recipere, & ex hoc patet Solutio Rationis Secundæ, sumptæ ex experientia. At, supereſt diluenda Ratio Prima, quæ hæc erat; Odor dum operatur ut odor, efficit odoratum, nam sentire in perpessione dicebatur positum, & ob id nil uidebatur esse aliud præter perpessionem. Respondet Aristot. per actionem prodeuntem ex sensibilibus, Corpora inanima pati, affici Qualitate, & reddi sensibilia; At, odorare non est ea perpessio, sed est sentire, & iudicare eam, ac ita est actio facultatis sentientis, quæ non competit inanimis, cum non sint ea facultate prædita, & est ea actio in quam desinit præcurrens passio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, dum quæritur, num sensibilia agant in carentia sensu, ea posse considerari dupliciter, Primò, cum reduplicatione, vt sunt sensibilia; Secundò, pro esse absoluto; Prima consideratione in ea non agunt: nam sensibile ad sensum refertur, & vt tale, solum in id agit quod est aptum sentire; At, dum considerantur pro esse absoluto, sic profecto cum operentur per Naturã, agunt in vnumquodq; aptum ea recipere, quod cõfirmatur: quia nil agit în extremum nisi agat in medium, loquendo de actione prima, ac ita vtcunque, sine pugna dici potest, & quod agant, & quod non agant, in carentia sensu. Considero Secundo, quod Aristot. de solo Colore mentionem non fecit; Ratio est: quia Color vt sensibilis, operatur spiritaliter, quæ actio in perspicuo non apparet, vt ea Luminis, nec ob eam Aer redditur visibilis, vt per Lumen, Color tamen per suum esse absolutũ consimiliter operatur, ut Odor, quatenus atramentum nigrum denigrat paginam; & Corpora alba dealbant, & hac ratione ea reddunt sensibilia; Mentionem fecit Aristot. de Tenebris, quæ non sunt sensibile secundum se, nec aptæ sunt agere, cum sint Priuatio, & ob id non faciunt ad rem. Respondeo, Aristot. eas retulisse, dum ostendebat quod non agunt; & quamuis non sentiantur secundum se, tamen sunt sensibile proprium visu. Insuper, id fecit, quia nonnulli putarunt non esse puram Priuationẽ, sed formam contrariam Lumini. Tertiò Considero, ex Solutione huius difficultatis relata per postrema uerba Contex. conspicuè elici, quod sentire non est sola passio Sensus, sed actio, nam præcurrit quidem passio à re sensibili, at, ea desinit in actionẽ, quatenus facultas sentiens iudicat passionem illam, in Corporibus sensu carentibus passio illata ab Obiecto non desinit in actionem, & ob id patiens nõ sentit, sed solum sensibile redditur. Hinc ait Aristot. quod Odorare est aliud præter pati, & per passionem illam Corpus redditur sensibile, & non sentit; Odorare autẽ est sentire, & iudicare passionem, & hæc est actio facultatis sentientis, non competens Corporibus sensu carentibus. Ex quo elicio, in Corporibus sensu carentibus non recipi Species sine materia, quas Aristot. dixit sensum recipere, nam ea species non distinguitur ab actu sentiendi.

Consid. 1.

2 *Cur de colore ñ fiat mentio.*

Dubit.

Solutio.

3 *Sentire nõ est passio.*

De Principio, Intentione, & Diuisione Tertij Libri de Anima.

Principiũ tertij libri.

HOC in loco Græci omnes interpretes finem constituunt Secundi libri, & Principium Tertij, qua de re cum alij secus sentiant, expedit, ut aliquid dicamus. De Principio Tertij libri quatuor sunt opiniones; Vna est Græcorum, quos sequitur D. Thom. qui hoc in loco Principium statuunt; Auerroes autem in eo Contextu qui legitur: De particula autem Animæ, qua Anima, &c. Magnus Albert. & cum eo Ægidius, Principium esse dicunt Contextum illũ, qui est Centesimus & quinquagesimus Secundi Libri, secundum sectionem Auerrois. Demum nonnulli aiunt Principium esse, Contextum Centesimum quinquagesimum quintum Secundi de Anima; Hi de hoc consentiunt, quod illud statui debeat principium Tertij Libri, quod est initium Sermonis de Mente; At pro Minori propositione mox singuli diuisim accipiunt initium Sermonis de Mente, esse Contex. illum quẽ pro Principio libri seligunt & approbant; Græci aiunt Principium esse hoc, quia Sensus interni sunt apti obtemperare Rationi; Albertus ait in Contextu 150. Arist. incipere declarare quid Mens non sit, vt mox explicet quid sit. Alij inquiunt in Contex. 155. diuidi Mentem, & eam declarandam proponi; Auerrois inquit id fieri vbi propriè sumpta Mens proponitur explicanda; Ego (vt dicam quod sentio,) Primò communem illam propositionem, quod id sit Principium libri, quod est Principium Sermonis de Mente, necessariam non puto: nam uarij sunt gradus Animæ, & Arist. non diuisit libros, secundum diuisionem graduum eius, vt conspicuum est; Præterea, Sensus interni ex se attinent ad libros de Anima, non autem ut apti, uel non apti obtemperare rationi. Pro Resolutione dico Primò, Diuisionem in Tres libros non esse necessariam, se conducere pro bene esse, Potuisset Arist. hoc libros in plures & pauciores diuidere, immò Diogenes Laertius non plures, sed unum refert librum de anima, ab Aristotele constructum; Dico Secundò, recta ratione hoc debere statui initium Tertij libri, quod patet autoritate, nam in omnibus Græcis codicibus hoc statuitur Principium Tertij libri, Græci ad quorum manus emendatiores peruenere hi libri, hac de re non dubitant, sed tanquam exploratum supponunt hoc esse Principiũ: cum autem ad manus Auerrois hi libri satis conciti & deprauati peruenerint, ille inspicies particulare illud Proœmium, De particula autem Animæ, &c. iudicauit id esse Principium, cum tamen illud connectatur cum Contex. 155. vt Deo dante patebit, cæteri mox inspicientes varietatem opinionũ de Principio, putantes id non esse adhuc certum, moti varia ratione, varia excogitarunt Principia, quasi id in eorum facultate sit positum; Cum itaque cõcessione omnium Græcorum hoc statui debeat Principiũ, Ratio huius non ea est, quia in Tertiò sit sermo de Mente, nam reliqui etiam Animæ gradus ex se considerandi sunt; Sed Arist. in Primo libro lectores parauit; In Secundo, declaratis communibus, & facultate nutriente, ac insuper externis sensibus, in cõspicuo transitu ex externis sensibus ad internas facultates, vel cognoscentes, vel cognitionem sequentes, initium constituit Tertij libri; Insuper, id fecit recta ratione: nam facultates internæ apprimè sunt functæ, Veteres non secreuerunt illas à Mente, & in Sermone de Mente, prius est agendum de Obiecto eam mouente, quod est Phantasma, hoc autem refulget ex declaratione Phantasię; Demum, hæ internę facultates, præsertim per mutuam comparationem refulgent, ideo in eodem libro sunt explicandæ. Pro notitia intentionis Philosophi in hoc Tertio libro, considerandа Primo ea sunt, de quibus agitur, quod ex Diuisione refulgebit. Quinque ea sunt, de quibus futurus est sermo; nam Primo pro connexione cum Secundo libro, ostenditur externos Sensus non esse plures quam quinque, & simul agitur de Sensu communi, tanquam de communi eorum fonte; Secundò declaratur, quid non sit Mens, & quod ea sit duplex,

Opiniones quatuor.

De quo cõsentiũt.

Aduersus id de quo consentiunt.

Resolut. Concl. 1.

2

Ratio principij.

Intentio.

Diuisio.

plex,& simul agitur de Phantasia,de qua dicitur nomen Mentis; Tertiò sermo est de propriè sumpta Mente,eiusque munerum functione; Quartò,de Facultate, per quam Animalia sua sponte mouentur; Postremo loco, considerantur declarantq; Facultates Animæ,& ostenditur quæ earum sint necessariæ,& quæ conducant pro bene esse. Ex his elicio intentionem Arist. in hoc Tertio libro esse, loqui de internis Animæ Facultatibus,vel cognoscentibus,vel cognitionem sequentibus,nõ dico de Mente, quia etiam aliæ facultates attinent ad Phyticum,& ratione sui declarandæ sunt, vt pateãt gradus omnes Animæ; Dico de Facultatibus internis cognoscentibus,pro distinctione à Sentibus externis, quorum solus numerus declarabitur, idque fiet partim pro nexu cum Secundo libro,partim, vt manuducamur in considerationem Sensus communis. Insuper dico,cognoscentibus,pro distinctione à Facultate nutriente. Addo demum,vel cognitionem sequentibus,ut includam appetitum,& Facultatem mouentem à cognitione directam.

QVOD autem non sit Sensus alius præter quinque, Cõt.128.
Dico autem Visum, Auditum, Olfactum, Gustatum,
& Tactum, ex his credet aliquis; Si enim cuiusque
tangibilis, & nunc sensum habemus, omnis enim rei
tangibilis, vt tangibilis est, affectiones, tactu à nobis
aptæ sunt sentiri, necesse siquidem deest aliquis sensus, & sensorium
aliquod nobis deesse; Et quæcunque quidem ipsi tangentes sentimus, 129.
tactu sensibilia sunt, quem habemus; Quæcunque verò per media, & non
ea tangentes, simplicibus intermedijs: dico autem vt Aere, & Aqua,
ita se res habet, vt si per vnum plura, & sensibilia, genere inter se
distincta sint apta sentiri, necesse eum qui habet huiusmodi sensorium,
amborum sensitiuum esse. Vt si ex Aere est sensorium, estque Aer,
& Soni et Coloris. Si autem plura eiusdem, vt Coloris, cum Aer,
tum Aqua, ambo namque sunt perspicua, qui alterum eorum solum
habet, sentiet quod per ambo; Simplicium autem ex duobus his sensoria 130.
solum sunt, ex Aere, & Aqua. Nam Pupilla Aquæ est, Auditus Aeris, Odoratus verò [illegible] *alterius horum, Ignis autem aut nullius est, aut communis omnium, nil enim sine caliditate sentire valet,*
Terra verò aut nullius est, aut in tactu maximè mixta est propriè; Relinquitur itaque, nullum esse sensorium præter Aerem, & Aquam, 131.
Hæc autem & nunc habent nonnulla Animalia, omnes itaque sensus
habentur à non imperfectis, neque orbatis; Videtur autem & talpa sub
cute habere oculos.

Intentio. *Diuisio.* *Exposit.*

OSTENDENDVM sibi proponit Philosophus, Sensus externos non esse plures illis quinque in præcedente libro declaratis. Diuiditur autem præsens Contex. in Tres partes; In Prima proponitur ostendenda Conclusio; In Secunda formatur Ostensio; In Tertia colligitur Conclus. & simul Soluitur tacita Obiectio; Vt pertinet ad Primam partem, Conclus. est hæc. Præter quinque declaratos externos Sensus non datur sensus alius; Si enim cuiuis tangibilis, &c. Hæc est pars Secunda, in qua hæc formatur Ratio. Si deest aliquis sensus præter quinque, vel deest secundum partem, vel secundum totum, at neutro modo, quare non deest, quod neutro modo, ostenditur, & Primò, quod non desit secundum partem, adeò, ut attinentium ad aliquem eorum sensuum, non omnia Sensibilia percipiamus, ostenditur: quia si id esset, maximè contingeret de Tactu, qui minimè omnium est unus, & propterea posset quis putare, quod secundum partem deesset, adeò, vt quædam tangibilia à nobis non sentirentur, ideo Arist. ostēdit non deesse Tactum secundum partem; quia nulla est differentia ad tactum pertinens, quam sensu Tactus, quo præditi sumus, non sentiamus; Altera ex parte, quod non desit secundum totum, adeò, ut dari possit sensus Sextus, qui nulli competat, ostenditur quia si secundum totum deesset sensus, etiam deesset sensorium: nam de sensu & sensorio eadem est ratio, vt dicitur in 2. de Gener. Animalium, cap. 3. at, sensorium non deest, quare nec sensus; Assumptum ostenditur: nam si sensorium deesset, vel id esset quo sentimus sine medio externo, vel quo sentimus per medium externum, non Primum, nam ille est Tactus, quo præditi sumus, cum quo nectitur Gustus, non Alterum, nam media sunt simplicia interualla, ut Aer, & Aqua, de quibus experientia constat ueras esse duas Regulas, Vna est. Si per unum medium sunt apta sentiri plura sensibilium distincta genera, necesse est eum cui competit huiusmodi sensorium, siue qui per tale medium est aptus sentire, ut ualeat sentire vtrumque, veluti cum Aer seruiat pro Colore, & Sono, & homo utatur Aere, per aerem sentit utrumque. Altera Regula est. Si plura simplicia, & intermedia Corpora, seruiant pro eodem sensibilium genere, ut cum Aer, tum Aqua, pro uidendo Calore, cui competit alterum eorum, valet id genus sentire, ueluti homo uidet per Aerem, Pisces per Aquam, & transferendo hæc quæ de medio siue externo instrumento dicta sunt, ad instrumenta quæ sunt partes Animalium, quæ affinia sunt medio, dicimus, ex solo imperio Aeris & Aquæ, constitui instrumenta sensuum, nam Pupilla imperio molis Aquea est, Auditus uerò instrumentum Aereum, Odoratus autem ἀναπνεῦσις alterius horum: nam Piscium est Aqueus, degentium in Aere Aereus, Homo enim sentit Odores per inspiratum Aerem, Pisces uerò per Aquam branchijs tractam, quibus respondent interna sensoria. Loquendo de Igne nullius instrumenti proprius est, sed communis cunctis, nil enim sentit sine spirituum naturali calore; Terra reuera nullius sensus est propria, cum sit densa & frigida, & si cui debet tribui, tribuenda est Tactui maximè materiato & crasso. Ex his patet, ex nullo Elemento posse constare sensorium, nisi ex Aere, & Aqua, quibus perfectiora Animalia sunt prædita; Ex quo in Tertia parte elicitur Conclus. hunc in modum. Si deesset sensus, deesset & sensorium, & perfectioribus Animalibus, non mutilatis, nullum deest sensorium, quare nec sensus; Et si quis instet de Talpa, quæ Animal perfectum esse videtur, cum moueatur motu secundum locum; Respondet Arist. quod cum ei ob aliquam imperfectionem suæ vitæ & conditionis non competant absoluti, & perfecti oculi, Natura quæ de his quæ fieri possunt facit quod melius est, ei dedit umbram, & imaginem oculorum, nam uidetur sub pelle prædita inchoatis oculis, hæc est facilis expositio uerborum, at uaria se offerunt considerada.

Regula 1.

Regula 2.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ostendendum proponit externos Sensus non esse plures quinque, Cuius consilij multiplex est Ratio; Vna est, quia Tactus videbatur non esse vnus, cum sit uariarum oppositionum; Altera, quia Animalium quædã vno, alia pluribus sensibus videntur prædita, ideo iure posset aliquis ambigere de numero; Tertia Ratio est, vt pateat se exactè declarasse externos sensus, & propterea ad internos esse progrediendũ; Quarta Ratio est, vt sibi viam paret, & occasionem suscipiat agendi de Sensu communi, adeò, vt per hoc approbet dicta, & dirigat ad dicenda, quod est consentaneũ Principio alterius libri. *Consid. 1*

Cur sit sermo de numero sensuum.

Considero Secundò, quod Arist. ostensurus sensus non esse diminutos secundum partem, accipit sensum Tactus, qui infimus est omnium, & minus vnus cæteris, ad quem etiam redigitur Gustus, de quo maximè videtur, quod ualeat esse diminutus, non autem id apparet de cæteris, & ait: Nunc sensum habemus; Vtitur autem Aduerbio temporis, quasi dicat Nunc, hoc est sine Sexto sensu, & Nunc pro præsenti nobis competit, non ita, vt solum pro futuro nobis competere ualeat, adeò, ut pro præsenti desit; At dices, vnde accipit Arist. nos Tactu percipere cuncta tangibilia? Respondeo, id Primò patere experientia; Secundò, idipsum cõfirmatur Ratione, cum enim tactu percipiamus quatuor Primas Qualitates, rationi consonum est, ut noscamus reliquas ad Tactum pertinentes, reliquæ enim pendent ex primis earumque conditiones seruant. 2

Considero Tertiò quod Arist. media externa nuncupat sensoria, quod nomen eis competit, quatenus sensui inseruiunt, & per ea sentimus, ac insuper ex externo medio transit ad proprium instrumentum, quatenus ea affinitate quadam sunt iuncta, veluti Aures cum Aere externo, per internum, oculi cum externo perspicuo, per proprium, & id iure paratum est, ut internum ab externo affectionem eandem recipere ualeat. 3

Quo media sint sensoria.

Considero Quartò quod Aristot. declaraturus numerum sensuum considerat instrumenta quæ nobis sunt notiora: & ratio includit necessitatem; Primò, quia vt dicitur in secundo de Generat. Animalium, cap. 3. facultatis organicæ, & organi eadem est ratio, non enim unum reperitur sine altero; Secundo quia ratio ex materia ducitur, materia autem est causa sine qua non, & ideo ratio ex ea sumpta includit necessitatem per negationem, ut ea utitur Aristot. Nam quamuis instrumentum relatum ad officium suum redigatur ad causam efficientem, ut ei inseruiens, relatum tamen ad facultatem à qua formatur dicitur materia. 4

Considero Quintò in dubium uerti, an sensus, & sensorium reciprocentur, id enim uerum non uidetur, quia in cadauere apparent Organa sine facultate, & in sene oculis capto, seruatur facultas sine Organo, ideo legitur in 1. de Anima, si Senex reciperet oculum iuuenis, uideret ut iuuenis; Confirmatur: quia facultas sentiendi est eadem cum essentia Animę, essentia autem facultatis uidendi, seruatur in pede & manu sine suo instrumento; Confirmatur: quia Academici Cęlo, & Dæmonibus tribuunt facultatem sentiendi, & præsertim uidendi, & audiendi, sine instrumentis. 5

An sensus et sensorij eadem sit ratio.

Solutio.

Respondeo, ne vera reciprocari, quia vnum sine altero esset frustra, Natura autem nil in specie facit frustra; Confirmatur: quia facultas Organica, & Organum, sunt Ad aliquid, nam ea Organi est facultas, & hoc facultatis Organicæ Organum est, magis propriè tamen facultas sentiendi ad suum Obiectum refertur; Rationes aduersæ facilè diluuntur. Dicebatur in cadauere & sene reperiri organa sine facultate, inficiari hoc debemus, dum enim non adest facultas non sunt organa nisi æquiuocè, ut dicitur in 7. Metaph. & in 4. Meteorum, instrumenta enim sensuum, à facultate recipiunt esse; Addebatur, facultatem uidendi, & audiendi, etiam esse in pede, & manu, respondeo, reperiri quidem in omni parte, at non cum ultima sua perfectione, vt ualeat fungi officio suo, &

Diluũtur rõnes aduersę.

ne sit

ne sit frustra, sat est ut in parte congruente eo ualeat fungi, Cœlo autem & Dæmonibus vel Sensus non competunt, ut putat Arist. uel sunt alterius rationis, solum agentes, nil patientes, vt dicunt Academici. Considero Sextò, quod Arist. duas profert Regulas; Prima est, si per vnum medium plura sensibilia genere distincta, sint apta sentiri, necesse est eum qui habet huiusmodi sensorium, esse aptũ vtrumque sentire; Ratio est: quia si tale medium ei est accommodatum, ut est aptum ei inseruire pro uno, ita pro altero; Altera Regula, si plura media sunt apta seruire pro notitia unius, qui alterum eorum solum habet, per id sentiet, quod per utrumque sentiri potest; Ratio est: quia ea duo ut inseruiant, non debent simul conspirare, sed vtrumque seorsum valet fungi officio suo; At occurrunt difficultates, præsertim aduersus Primam, nam Apes utuntur Aere, vt uideant, non autem per Aerem audiunt, quia Aristot. ait eas carere auditu; Surdi similiter vtuntur eo pro Visu, non pro Auditu; Talpa eo vtitur pro Auditu, non pro Visu; Simplicius ait, quod etiam Purpura non audit; Pro Solutione difficultatum tria dicenda sunt; Primum est, eas Regulas debere intelligi cum relatione ad Animal omni ex parte perfectum, cui singulis modis inseruiunt media, & quia talis est Homo, ideo Aristot. vt hominem denotaret, vtebatur genere masculino, inquiens: Necesse eum qui habet, &c. Addo Secundò, Sententiam esse verã ex parte medii, & vt pertinet ad illud, & hoc est satis, quia intentio Aristot. est, ostendere, non deesse sensorium; Dico Tertiò, cum Aristot. id esse verum in Animali non mutilato; Instabatur, quia Apes vtuntur Aere pro Visu, non pro Auditu; Dico Primò, id non euenire ex defectu externi instrumenti, sed ex imperfectione Apis; Dico Secundò, dubium esse an audiant: nam quanuis Aristot. in Proœmio Metaph. dicat Apes non audire, tamen 9. de histor. Animal. cap. 40. ait Apes gaudere sonitu, & propterea tinnitu æris conuocari in Alueum, quamuis incertum sit an audiant, & voluptate ne an formidine id faciant, adeò, vt sub dubio id derelinquat; Similiter, in 4. de histor. Animal. cap. 8. de re hac dubitat, magis tamen eam partem approbare videtur quod audiant; Hinc Magnus Albertus putat Apes audire, & iure: nam cui competit facultas præstantior, competunt minus præstantes, Apibus autem Visus competit, qui est sensus præstantissimus, hinc Philoponus ait: Cui competit Visus, competunt & reliqui sensus. Credo itaque, Apes audire, at, auditum earum esse ualde obscurũ, & confusum, nec in eis conspicuum apparere instrumentum auditus nec per auditum esse disciplinabiles, adeò, vt sine controuersia, & audire, & non audire dici possint; Aristot. in Proœmio Metaphys. dixit non audire, tum, quia obscurè audiunt, tum, quia res est dubia, nec per auditum reddiuntur disciplinabiles, nec ille est locus proprius; De surdis dico, eos præter Naturam esse affectos, & esse mutilatos; De Talpa dico, eam carere postrema perfectione apta competere Animali. Considero Septimò, in dubium verti, an Talpa omnino sit facultate videndi destituta, uel solum exquisita, & exacta, ego partem primam veriorem puto: nam Arist. in 1. de histor. Animal. cap. 9. ait: Quæ Animal generant, oculos habent, præter Talpam, quam modo aliquo eam habere, quis posuerit, omnino autem non habet, omninò enim neque videt, neq; habet in apertum manifestos oculos. In 4. de histor. Animal. cap. 8. inquit: Genus Talparum Visum minimè habet, oculos enim in aperto non habet, cute tamen detracta, quæ crassa est, à capite, in situ exteriore oculorum, intus sunt oculi vitiati, præditi singulis partibus quibus veri oculi constant, habẽt enim nigrum, & quod intra nigrum pupillam appellant, & portionis albæ conditionem, minora autem hæc sunt, quam est apertis oculis, extra verò nil horum apparet, ob cutis corpulentiam, vtpote cum Natura in generatione lædatur; sic Arist. solum inchoatos, & crassa cute coopertos oculos eis tribuit, qua crassa cute si oculi perfecti cooperti essent nil penitus viderent; Insuper, in 5. Metaph. 27. legitur Talpam secundum genus esse Visu priuatam, & si putasset Aristot. modo aliquo uidere, non dixisset in hoc Contex. Talpam sub cute habere oculos, indicans pro soluenda instantia, Talpam orbatam esse, Auerroes Com-

6 *Regulæ duæ.*

Instantiæ.

Simplic. Solutio.

Soluũtur instantiæ.

7 *An Talpa uideat*

textu 31. & clarius in Paraphrasi de Generat. Animalium, libro 1. cap. 1. ait: Talpa (ut narrauit Galenus) prædita est tunicis cunctis præter quam tela aranea, in qua fit Visio; Magnus Albertus lib. 22. de Animalibus, inquit Talpam esse cęcam, & habere locum oculorum, non oculos, & in expositione huius contextus ait esse cooper- tos cute adeo densa, vt careat pilis. Galen. in 2. lib. de Semine, ait, Talpas re uera cę- cas esse, & oculos Talparum esse similes genitalibus mulierum quæ intus existunt, in eo tamen talpis præstat fęminæ Natura, quod talpæ nullam ex cæcitate vtilitatem consequuntur, fęminæ non parum hac suorum membrorum imperfecta fabrica, ad ge neris successionem conferunt, &c. Hinc talpæ libenius noctu, quam interdiu uagã- tur, & Philoponus, Contex. 44. huius lib. ait talpas minimè uidere. Confirmatur ra tione sumpta ex fine: nam degit in cauitatibus terræ, nutritur Radicibus Plantarũ, & Vermibus terræ; Insuper confirmatur ratione sumpta ex perfectione, & gradibus Vniuersi: nam vt dicitur in 4. de partibus Animalium, Natura nullum gradum dere- linquit inanem, quare etiam videtur rationi consonum, vt detur Animal præditum, Sensibus alijs sine Visu, cum id sine pugna fieri possit, & in ęternis, esse, & posse, non distinguuntur vt dicitur in 3. Physic. Ex aduerso tamen Simplicius hoc in loco, & Ca ietan. inquiunt, Talpam exacta visione esse orbatam, præditam tamen quadam remis- sa visione, per quam perinde ac nos clausis oculis, per obductam cutem inspiciunt Lucis, & tenebrarum differentiam, & perperam ait Caietan. Albertum quoque hu ius fuisse opinionis; Confirmant hanc opinionem: tum, quia Natura nil facit fru- stra, at, frustra sub cute formasset oculos, nisi aliquē præberent usum; Insuper, cui cõ- petit præstantior Animæ facultas, competit minus præstans, talpæ competit motus secundum locum definitus, qui potior est omni sensu; Demum, frustra Aristot. hoc loco dixisset, Talpam sub cute habere oculos, nisi putasset etiam videndi facultatem ei competere; At, hæ instantiæ facilè diluuntur; De Prima dico, non penitus esse fru stra, quia conducunt partim pro ornamento & perfectione Corporis, ut maximè vi forum, partim, vt pro facultate sint similes Animalibus pręstantioribus, Natura enim de his quæ fieri possunt, id facit quod melius est; De Altera dico, Talpis competere motum secundum locum, & valde confusum, ob inopiam Visus, qui est dux certus; De Tertia, quid sit dicendum, patet ex expositione contextus. Consideto Octauò, quod Aristot. de mutua retponsione Elementorum, & instrumentorum sensuum, non videtur sibi constare, & præsertim loquens de Odoratu, nam in lib. de Sensu & Sensi- li ait: Odoratus autem assignetur Igni, hoc autem in loco, ait Odoratum esse virtusq; hoc est, Aeris, & Aquæ, & Ignem ait uel nullius esse, uel communem singulis sensi- bus; Respondeo, distincta relatione, & consideratione de eodem uaria dici posse; Et vt pertinet ad Ignem, dum consideramus constitutionem Organorum, quam hoc in loco considerat Aristot. Ignis pro spiritu, & calore sumptus, communis est omnibus, dum verò id consideramus per quod Odores resoluuntur, & cum vaporibus tendunt ad Nares, id officium tribuendum est Ignis, vt se declarat Aristot. in libro de Sensu & sensili; Vt autem pertinet ad sensum Odoratus, ille est medius; Primò ordine dignita tis; Secundò, positionis instrumenti inter Oculos & Aures; Tertiò, ex parte Obiecti; nam Odores per vapores qui medij sunt, ad Nares deferuntur; Quartò, ratione medij; nam à Piscibus per Aquam, à Respirantibus per Aerem percipiuntur; hinc dicebatur in Cont. 97. quod Odoratus est per medium, vel aerem, uel aquam, etenim aquatica uidentur Odorem sentire, & hoc denotat Aristot. hoc in loco inquiens, Odoratum esse utriusque; Nec simili ratione dicere possumus, Visum esse utriusque quia Visio proximè semper fit per oculum aqueum, at, in Odoratu, Pisces proximè per aquam, Respirantia verò per aerem percipiunt Odores. De imperio in Oculi constitutione uerba feci in præcedentibus, solum de Igne hoc addo, quod sumptus pro carbone, & flãma, nullius est, sumptus pro dissoluente, & elcuante uapores, est Odoratus, sumptus pro Luce, est oculorũ, sumptus pro Spiritu, cõi instrumẽto animæ, est cõis omnium.

Albertus Magnus. *Galenus.* *Philopon.* *Simplicius.* *Caietan.* *Diluuntur Instantia.* 8 *Contra.* *Solutio.* *Odoratus varia ratione medius est.* *De Igne.*

QVARE

Cō. 132. QVARE *si neque est aliquod aliud Corpus et affectio, quæ nullius est eorum quæ hic sunt Corporum, nec vllus quidem poterit deesse sensus.*

Intentio. FORMATA prima ratione pro quinario numero externorum sensuum, consilium Aristotelis in præsenti Contex. est, duo facere; *Diuisio.* Primò accipere vim Primæ Rationis, & proponere medium pro Secunda; Secundò, ex eis tanquam ex antecedente inferre Conclusionem principalem Pro antecedente itaque accipitur, non dari Corpus, hoc est, instrumentum aliud, siue Corpus aliud, ex quo instrumẽta sensuum constituantur, præter relata simplicia Corpora, & hoc pertinet ad Primã Rationem; Addit, (neque affectio quæ nullius sit eorum quę hic sunt corporum,) nam sensibilia competunt uel quatuor Elementis, uel constitutis ex eis, affectiones autem Elementorum, & ex eis pendentium, à nobis sensu percipiuntur, & hoc est medium Secundę Rationis, cum enim non dentur alia sensibilia, non possunt dari alij cẽsus; Ex quibus ut ex antecedente, infertur, non dari sensum alium: nam si non dantur alia instrumenta, nec Obiecta, etiam non possunt dari alij sensus.

Expositio.

ANNOTATIONES.

NON me latet, rationes Aristotelis exponi uario modo, at inutile duco morari in uariarum expositionum relatione, dum Sententia principalis non uariatur; Propterea eam referam expositionem, quam magis probo; Et considero Primò, quod Aristot. ait, non dari aliud Corpus præter ea quę hic, hoc est, prẽter quatuor Elemẽta, ex quibus media & instrumentum sensuum constituuntur; Dicet quis, nonne datur Cęlum, quod etiam Visui pro medio inseruit, dum inspicimus stellas? Respondeo, Aristotelem cõsiderare media proxima, in quibus degimus, proximè inseruientia sensibus pro constitutione medij, & Organis Considero Secundò, mediũ pro Secũda Ratione ex Obiecti elici, & efficax esse, quia sensus parari sũt pro iudicio sensibiliũ, adeò, ut ex fine petatur; At, dices, unde patet non dari affectionem præter eas quę competunt quatuor Elemẽtis, & mixtis ex illis, ac etiã unde patet nos eas omnes Sensibus quinq; percipere? De prima difficultate dico, in 1. de Cęlo, & in 2. de Ortu & interitu, Aristot. ostendisse, Elemẽta esse quatuor; prẽter quorũ affectiones ad sensus attinentes, solũ datur Lumẽ ex Cęlo prodiens, quod non propriè est Obiectum, sed pro illustrando Obiecto, ad Visum pertinet; At quærebatur, unde pateat nos sentire affectiones omnes quatuor Elementorum, & pendentium ex illis? Respondeo, id patere cum Experientia, tum Ratione, cum enim affectionum omnium principia sint quatuor Primæ Qualitates, earumque temperamenta, rationi est consentaneum Animal perfectum noscens hæc principia, etiam noscere cuncta pendentia ex illis, & præsertim hoc verum est de Homine, cuius Mens ope sensuum nata est fieri omnia; Præterea, cum ea quæ sunt distribuantur in decem Prædicamenta, quorum nouem sunt Accidentia, & eorum quędam solum ex accidenti nata sunt sentiri, conspicuum est singulas eorũ species aptas secundum se sentiri aliquo quinque Sensuum iudicari, & cum sensibile sit notius sensu, progrediendo per sensibile ad sensum, progredimur per notiora; propterea leuiter Philoponus has rationes Aristotelis parũpendit. Confirmatur: quia cum non detur affectio eminentior colore cum luce iuncto, & Regula sit, quod potens maius, potest & minus, cum ab Animali perfecto noscatur Lumen est Color, inferendum est, etiam nosci inferiores omnes affectiones. Considero Tertiò, in dubium uerti posse, num sensus sint solum quinque: nam plures esse videntur; Primò ob sensus quos

Consid. 1.

Instantia de Cęlo.

2

Dubitat:

Solutio.

Quomodo pateat sensib. nosci omnes affectiões sensibiles Elemẽtorum.

3

Pythago-

Pythagorici tribuunt plantis; Secundò, ob sensus quos Academici tribuunt Cælo minimè patientes, sed solum agentes; Tertiò, ob sensus quos ijdem tribuunt Dæmonibus Organo distincto non egentes; Quartò, ob sensus Tactus quos Arist. dixit esse plures. Quintò, quia ait Raimundus præter quinque dari Sextum sensum, quo dum soli sumus & in tenebris uersamur, videmur aliquem accedentem sentire, vocemq; audire, nullo externorum sensuum operante; Præterea, cum æterna, & mortalia distinguantur genere, non apparet potentiam & sensuum vnum qui vnius dicitur esse generis, posse esse Qualitatis æternæ & mortalis, vt, Lux Cęli & Color, sunt distincti generis, cum ea sit æterna, hic mortalis, quare non vno solo sensu Visus, iudicari possunt; Demum si externi sensus sunt quinque, vel sunt quinque numero, vel specie, vel genere, non numero, ut patet, non specie, quia sensus secundum essentiam, non distinguitur ab Animæ, Animæ distinctorum Animalium distinguuntur specie, quare & sensus; Si ais genere, sic sensus posset esse unus, cum omnes sint eiusdem generis; Ex aduerso sensus non esse plures, ostenditur rationibus sumptis ex medio externo, ex proprijs instrumentis, ex obiectis siue generibus sensibilium, & ex ordine graduum perfectionis, est enim certa Regula in mortalibus non reperiri gradum eminentiorē, sine antecedentibus, cum autem homini competat Mens quæ præstat cunctis sensibus, est necesse fateri homini competere omnes sensus. Confirmatur: quia parati sunt sensus partim ut simus, partim vt bene simus, ut dicitur in 3. de Anima, at nos nec ut simus, nec ut bene simus vllo egemus sensu; Præterea, referendo eorum sensus ad simplicia Corpora, dicere possemus, ut quinque sunt simplicia Corpora, ita quinque esse sensus, quorum Visus per oculos respondet Cęlo, Auditus Aëri, Odoratus Igni, per quem Odores cum halitibus ad nares tendunt, Gustus Aquæ, sine qua non gustamus, Tactus Terræ. Academici quatuor considerant gradus sensuum; Primum tribuunt Animæ Mundi; Secundum Animis Cęlorum & simplicium Corporum; Tertium Animis particularium Animalium; Quartum Plantis; At cæteri per Metaphoram dicuntur sensus, proprius autem ille solus est, qui dicitur particularium Animalium, de quo est sermo; Instantię autem facilè diluuntur; Id quod dicitur de sensibus cęli, Dęmonum, & Plantarum, ad rem nō facit: nam vel eis non competunt, vel solum per Metaphoram; Instantia de multiplici sensu Tactus soluta est in præcedentibus, & apparuit esse vnum & pro vno numerandum; Id quod Quinto loco referebatur ex sententia Raimundi, nil obest, quia illę imagines in tenebris per facultatem imaginandi nobis offeruntur, non per externos sensus; Addebatur Sextò, æterna, & mortalia, non eadem facultate sentiri, nam ait Arist. in 6. Nicomachiorum, cap. 1. ad noscenda ea quæ sunt distincti generis, parata esse facultates distincti generis; Respondeo, esse eiusdem generis contingere dupliciter; Vel pro esse absoluto; Vel pro definita ratione, & ordine in finem, Lumen Cæli & Color sunt distincti generis pro esse absoluto, sunt tamen eiusdem generis rei sensibilis, & per relationem ad finem vnum pertinentem ad Visum; Insuper, Lumen Cæli receptum in mortalibus, redditur modo quodam mortale; & sunt eiusdem generis, si non Vniuocè, saltem ab uno, & ad unum. Sententia autem Arist. in 6. Nicomachiorum ita est intelligenda, ut sit quædam conformatio facultatis & officij, veluti dicimus Mentem practicam versari in attinentibus ad actionem effectricem & inspectricem, in efficiendis & contemplandis; Demum quærebatur, si sunt quinque, vel sunt quinque numero, &c. Respondeo, posse dici quinque, & numero, & specie postrema, & specie subalterna, & genere subalterno, nam uel considerantur pro esse absoluto, uel pro esse relato ad sensibile, dum considerantur pro esse absoluto, visus distinctorum specie, est distinctus specie, sic auditus, & alij, qua consideratione dicuntur esse quinque genere subalterno, quinque specie subalterna, & quinque numero genera, uel subalternæ species; ut etiam genera prima rerum, quæ Prædicamenta nuncupantur, dicuntur decem numero. At, dum deinde considerantur pro esse relato, & considerantur propria ratio, & propria eorum

An sēsus solū quinque.

Quod plures sint sēsus quam quinque.

Sensus nō esse plures.

Academici.

Diluūtur instantię.

forma-

formalitas; unita dicam, sic sunt quinque specie vltima, cum enim Genus sit sensus, quod diuiditur in externum, & internum, mox externus in egentem medio externo, & non egentem, & ille in Visum, Auditum, & Odoratum, hic verò in Gustum, & Tactum, cum ad hos venerimus, non ulterius progredimur diuidendo: nam reliquæ varietates dum considerantur ut sensus sunt, per magis & minus, clarius & obscurius distinguuntur, quæ non constituunt varietatem speciei, nisi ex accidenti.

Cont. 13. *AT verò neq; cõmunium esse potest sensorium aliquod proprium, quæ unoquoque sensu sentimus ex accidenti, ut motus, status, figura, magnitudinis, numeri, unius, hæc enim omnia motu sentimus, vt magnitudinem motu, quare & figuram, nam figura quoque est quædam magnitudo, quod autem quiescit, eo quod non moueatur, numerus autem negatione continui, & propriis, vnusquisque enim sensus sentit vnum.*

Intentio. Diuisio. Expos. DIXERAT Philosophus nullum deesse sensorium, posset aliquis obijcere & patefacere deesse sensorium proprium quo cõmunia sensibilia sentiremus, ideo intentio Arist. est hoc reijcere; Et diuiditur præsens Contextus in duas partes; In Prima negat ob ea deesse sensorium; In Altera rationem suæ sententiæ affert; Vt pertinet ad primam partem, posset quis dicere, deesse sensorium inseruiens iudicio sensibilium communium; Ratio est: quia id sensibile quod per unum sensum, & sensorium sentitur ex accidenti, debet per alterum sentiri secundum se, communia sensibilia per singulos quinque sensus sentiuntur ex accidenti, quare dari debet sextum sensorium, quo sentiantur secundum se; Hæc enim omnia motu sentimus, &c. Hæc est pars Altera, in qua Philosophus rationem suæ negationis affert, inquiẽs, minorem esse falsam, quod communia sentiantur per quinque sensus ex accidenti, nam quæ mouent, vel primò, vel unà cum primo sensum, nõ sentiuntur ex accidenti, communia sentiuntur motu, nam unà cum proprijs mouent, & afficiunt Sensus, quare nõ ex accidenti sentiuntur.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Arist. etiam in secundo libro diuidẽs sensibilia, de communibus sensibilibus uerba fecit, & eo loci multa dixi ad eorum notitiam pertinentia; ideo nunc breuitati studebo; Videtur Aristot. secum pugnare: nam in secũdo libro dixit sensibilia communia sentiri secundum se, nunc uerò ait sentiri ex accidenti; Soluitur Controuersia duplici modo; Primò, dicendo, quod dum ait modo sentiri ex accidenti id proferat pro parte eorum qui putare possent deesse sensorium, ideo mox ex propria Sententia id negat. Dico Secundò communia dici posse sentiri ex accidenti singulis sensibus, tum, quia non sentiuntur ab eis ratione propria singulorum, at à Visu, quatenus Visus, sed ratione communi vt sensus est, ideo dicebatur vnoquoque sensu sentiri ex accidenti; tum insuper, quia non Primò, sed Secundariò percipiuntur secundum se. Considero Secundò, quod formatur hæc Consequutio: Communia sentiuntur à singulis quinque sensibus ex accidenti, igitur debent ab aliquo sentiri secundum se; Hinc ait Auerroes: Quod vni competit ex accidenti, debet alteri competere secundum se; At variæ afferuntur instantiæ, nã Substantia sentitur ex Accidenti singulis sensibus, à nullo autem secundum se; Albe-

Cõtrouersia. Regula. Instantiæ.

do ex

do ex accidenti competit Cygno, & nulli secũdum se. Pro Solutione dico, Regulam debere intelligi, & esse veram, de illis quibus est aptum aliquid competere secũdum se, veluti omne aptum sentiri secundum se, si ab vno sensu sentitur ex accidenti, debet dari sensus à quo sentiatur secundum se, Substantia nõ est apta sentiri, sensibilia communia ut sunt apta sentiri ita sentiuntur, Albedo est accidens ex accidenti, & Subiecto competit ut apta est competere; Insuper addo, omne quod est ex accidenti, debet ad aliquid redigi quod sit secundum se, Albedo est ex accidenti, subiectum eius secundum se subsistit, puncta & Lineæ mouentur ex accidenti, subiectum eorum secũdum se, ita quod est ex accidenti, redigitur modo aliquo ad secundum se, non autem quod id semper sit natum esse tale secundum se. Considero Tertiò, quod Aristot. ait communia sentiri motu, & proprijs, cum dicat motu, non debemus intelligere motum relatum inter communia, ita enim solus motus secundum se sentiremus, sed intelligere debemus motionem propriam, qua mouent, & configurant sensum, & cum addat & proprijs, indicat sentiri secundum se secundariò, nam communia sensibilia sunt tanquam modi, quibus propria mòuent sensum, ideo dicuntur vnà monere, & configurare, & præsertim hoc dicit de numero, de quo dixerat sentiri negatione continui, vt indicaret nedum negatione, sed etiam aliqua positione mouere & formare, nam ea continui negatio, est cum positione aliqua formæ unitatis; De eo autem quod quiescit dixit sentiri eo quod non moueatur, at, uidetur secum pugnare: quia prius dixit omnia sentiri motu, moueri autem, & non moueri, sunt opposita: nam sic dicere possemus, etiam tenebras secundum se videri; Simplicius rectè respondet, inquiens, quiem non eo modo sentiri vt tenebræ, quæ Visum minimè mouent, nam quies sensibili proprio iuncta, certo modo sensum mouet, & afficit, quies enim modo aliquo habitus est, & modus quo mouet sensibile proprium quiescens, est varius ab eo quo mouet dum mouetur. Considero Quartò, quod Aristot. ait: Figura quoque est quædã magnitudo, at, secum pugnat: quia in Prædicamento Qualitatis Figuram numerauit pro quarta specie Qualitatis; Respondeo, Figuram duo includere; Primò extensionẽ, & hoc pertinet ad Quantitatem, & consideratur à Geometra Quantitatem considerante; Secundò, modum terminorum, & hæc est quædam Qualitas, adeò, vt dici possit Quantitas Qualitate aliqua prædita, præsertim tamen Figura Corporum Physicorum Qualitas est, & ex Qualitatibus prodit; Plotinus in libro de Generibus Entis, carpit Aristot. quia in Prædicamento Qualitatis, dixit Figuram esse Qualitatem, cum tamen re vera sit Quantitas, at errat, quia (vt patuit) figura, per varia dici potest, & Quantitas, & Qualitas. Considero Quintò, quod Aristot. inter communia hoc in loco numerat Vnum, de quo ait omni sensu sentiri, at, est Dubitatio, quia in 2. de Anima, non numerauit Vnum inter communia, & si dixeris redigi ad numerum, vt principium eius, hoc non satisfacit; quia similiter debuisset referre principium magnitudinis; Simplicius ait omnis sensus percipit Vnum, hoc est vnum genus obiectum, quamuis non semper id sit nomine præditum vt Genus tangibilium, at, hoc non facit ad rem, loquitur Aristot. de Vno prius relato inter sensibilia communia, Obiectum vt est genus vnum, non est sensibile commune; Propterea dicamus, Vnum in 2. de Anima fuisse denotatum per numerum, & quamuis dicatur redigi ad numerum tanquam principium, quod etiam ego dixi in 2. de Anima, melius est tamen dicere, denotari per numerum tanquam per oppositum; hinc rectè ait Philoponus, omnem sensum noscere Vnum sui sensibilis, ut Auditus sonum vnum, & id Vnum non iudicat ut principium numeri, id enim fit ratione, sed ut oppositum multitudini, hinc rectè ait Themistius, sensum omnem Vnum, & multa cognoscere; De principijs magnitudinis secus se habet: nam ea non cadunt sub sensum, ueluti Punctum respondẽs, Vno; Quot sint sensibilia communia, cur dicantur communia, & num sentiantur secundum se, in 2. de Anima patefeci.

3

Solutio.

Simplic.

4 Dubitat. Solutio.

5 Dubitat.

Simplic.

Solutio propria.

Cõt. 134. QVARE manifestum est, fieri non posse vt cuiusquo horum proprius sit sensus, vt motus, ita enim perinde se habebit, ac modo visu dulce sentimus, id autem accidit quoniam amborum praditi sumus sensu, quo (dũ coincidunt) cognoscimus, si autem non, nullo pacto, nisi ex accidenti sentimus, veluti Cleonis filium, non quia Cleonis filius sit, sed quia albus, cui accidit, vt sit Cleonis filius; At communium habemus sensum iam communem, non ex accidenti; non itaque sunt propria, nullo enim modo ea sentiremus nisi vt dictum fuit, nos Cleonis filium intueri. Quæ verò inter se propria sunt, ex accidenti sentiunt sensus, non quatenus ipsi, sed quatenus vnus, cum simul sensus in eodem factus fuerit, vt quod bilis amara, & flaua, non enim alterius est dicere quod vnum; quare etiam decipitur, & si fuerit flauum, bilem esse existimat.

Intentio. DICEBATVR ob communia sensibilia non debere dari sextum sensorium, & sensum proprium; & soluebatur ratio aduersa: Consilium modo Philosophi est, eandem Solutionem confirmare, & simul per eam reflectere rationem in partem aduersam, hunc in modum: omne sensibile proprium, alicuius externi sensus, percipitur ab alijs solum ex accidenti, Sensibilia communia non sentiuntur ab alijs solum ex accidenti, quare eis non respondet sensus, & sensorium proprium. Diuiditur Contextus in duas partes, quarum Prima versatur in attinentibus ad maiorem propositionem; Altera in attinentibus ad minorem; Verba sunt satis conspicua, ideo solum pro obscurorum elucidatione nonnullas afferam annotationes.

Diuisio.

ANNOTATIONES.

Consid. 1 CONSIDERO Primò Aristot. proponere hanc Conclusionem non posse vnius cuiusque communium sensibilium esse proprium sensum, veluti motus, & sic de cæteris, quæ Concluf. intelligi debet quòd neque eunctorum simul, neque eorum diuisim potest esse proprius sensus: nam si eorum deberet esse proprius sensus, illa non posset esse vnus, quia sensibilia communia non habent vnum commune genus, ideo singulorum deberet dari proprius, & distinctus; Aristot. tamen id protulit confusè, indicans quod neutro modo eis conuenire possit, & ob id fortè dixit, vt motus referens vnum solum seorsum ab alijs, indicans idipsum esse dicendum de alijs, quod seorsum non valet eorum esse sensus proprius. Consid. 2 Secundò, vt pertinet ad rationẽ, quod Aristot. profert hanc Regulam: Sensibile quod ab vno sensu secundum se, & tanquam propriam sentitur, ab alijs solum sentitur ex accidenti; Ratio est: quia Natura nil facit redundas, & frustra, propterea cum pro uno sentiendo sit satis vnum, non parauit plura, solum duplauit Organo, vt parte Animalis, ei dextram tum sinistram sensu muniret, ac etiam vt uno impedito superesset alterum, non autem multiplicauit facultates; Altera ratio est: quia idem Organum non valet esse secundum se & primò aptum ad ea quæ sunt distincti generis recipienda; addo tamen Regulam esse ueram de facultatibus eiusdem gradus, non de subordinatis;

tis: nam album & oculo, & communi sensu, & Phantasia secundum se iudicatur, sic de reliquis sensibilibus propriis se habet. Considero Tertiò, quod Aristot. patefaciēs quomodo sensibile proprium unius sensus, sentiatur ex accidenti ab alio, indicat Modos duos; Vnus magis proprius est, dum coincidunt, adeò, vt duo sensus conspirent in vnius iudicio, veluti Visu inspicimus Mel flauum, gustu dulce, mox inspicientes Mel flauum dicimur videre dulce; Modus Alter est dum primò illi duo sensus in Mellis iudicio non conspirarunt, si deinde Mel flauum inspicimus, videmus quidem ex accidenti dulce, at non iudicamus id esse dulce; Primus modus est cum iudicio coniuncti, Alter sine iudicio: non enim ob id iudicamus mel quod inspicimus esse dulce; & hic secundus modus est similis ei, quo ex accidenti videre dicimur particulares Substantias, quæ sub sensum nō cadunt, vt videntes album, ex accidenti inspicimus Cleonis filium, quia accidit vt id album sit Cleonis filius. Primo modus sentiendi ex accidenti est magis proprius, & est communis feris; Alter est minus, & vt pertinet ad sola accidentia nata sentiri à feris, est eis communis, at, non vt pertinet ad Substantias, quæ à solo homine sunt aptæ iudicari, nam opposita nata sunt fieri in eodem.

Considero Quartò, quod Aristot. ait: At communium habemus sensum communem, non secundum accidens, hæc sententia duobus modis vera est, Primò, per sensum cōmunem intelligendo sensus externos, ut eis competit commune aliquid, & hoc præsertim facit ad rem, nam Aristot. tenetur ostendere communia sentiri à proprijs sensibus secundum se, vt inde eliciat eis non competere proprium sensum. Secundò possemus intelligere sensum communem, qui est tanquam centrum propriorum cui respondent sensibilia communia, propria vero respondent vt, per illum externi sensus nectuntur & communi quadam conditione sunt præditi. Considero Quintò, quod Aristot. inquit externos sensus ex accidenti noscere sensibile proprium alterius, non vt ipsi, sed ut unus inquiens: vt vnus duo denotat, Primò, vt unà conspirarunt in iudicando melle, vel alio simili; Secundò, vt illi sensus communi aliquo iuncti sunt, & vnum redditi, & addit non esse alterius eorum officium, dicere quod dulce & flauum sint unum fundamento, indicans id esse officium vtriusque simul, immò illi duo soli non sunt satis, sed conspirare debet sensus communis in quo & cum quo illi sunt iuncti; neque etiam communis sensus est satis, sed conspirare debet memoria, qua seruemus notionem dulcedinis Mellis, & flaui; memoria autē non conspirat sine Phantasia, nam ea seruantur memoria, quæ per Phantasiam iudicantur, ideo iure Aristot. dixit non esse alterius eorum dicere quod flauum sit dulce, & quoniam huiusmodi nexus flaui & dulcis est ex accidenti, & variatur, ideo iure Aristot. addit, quod frequenter sensus decipitur. Sextò Considero, quod cum iudicemus propriè per Phantasiā, conspirante memoria, flauum esse dulce, quamuis visu ex accidenti solum dicamur videre dulce, tamen Phantasia per propriam speciem & secundum se iudicat vtrunque; nam interni sensus non egent instrumento ita proprio & distincto, ut externi, sed præsertim vtuntur instrumento quodam communi, ueluti spiritu, ideo secundum se dicuntur noscere sensibilia, quæ per distinctos externos sensus noscuntur; & quamuis noscant utrunque secundum se, dicuntur tamen noscere nexum ex accidenti, tum, quia ex accidenti nectuntur, tum insuper, quia non per eundem externum iudicantur. & quamuis dicantur simul per externos sensus distincta sensibilia nosci, non tamē id necessariò sit simul tempore semper; non enim dum mel uidemus, degustamus, nec dum degustamus, id uidemus, sed tamen iudicium internum semper est simul tempore; quia est necesse ut id quod prius externo sensu cognitum fuit, memoria seruetur, ac ita simul noscitur flauum & dulce, & iudicamus flauum esse dulce.

Cōt.135. *QVAESIVERIT autem quispiam, cuius causa plures habemus sensus, non autem vnum solum? an ne lateant consequentia & communia, vt motus, & magnitudo, & numerus; Nam si esset visus solus, et ipse albi, profecto magis latuisset, & viderentur hoc esse omnia, quia mutuo se sequerentur, Color, & Magnitudo, nunc verò quia in altero sensibili communia insunt manifestū redditur, quod aliud quid est vnumquodque eorum.*

CVM Phylosophus patefecisset ob communia sensibilia non dari sensus, & sensoria plura, & ea secundum se secundario ab externis sensibus sentiri; Intentio. Dubitat modo, cur natura paratum est, vt ea communia sensibilia non vno externo sensu solum, sed pluribus iudicarentur, & iure de hoc dubitat, cū enim sensilia secundum se, & propria, vnico sensu iudicentur, & id sit satis, frustra videtur naturam parasse ut communia pluribus iudicarentur. Diuisio. Diuiditur Cont. in partes Duas; Exposit. In Prima dubitat & soluit; In Altera solutionem exemplo illustrat. Dubitatio est cur plures habeamus sensus aptos noscere communia, non autem vnum solum; Solutio est, ne consequentia, hoc est communia quæ ordine cognitionis secundum se sequuntur propria, nos lateant, & uideantur à proprio non distincta. Nam si esset uisus, &c. In hac Secunda parte exemplo solutionem illustrans ait: Si gratia exempli solo Visu nobis datum esset noscere communia, quo uisu noscimus album, magis nos lateret cōditio communium, & iudicaremus colorem proprium obiectum Visus, & communia non distingui ab eo, sed esse idem; quia commune & proprium reciprocarentur, ueluti Color, & magnitudo, & iudicantes unum, simul iudicaremus, & alterum, modo uerò cum communia uarijs sensibus iudicemus, & sentiamus magnitudinem, Numerum, & alia communia, nedum cum Colore, sed etiam cum alijs senbilibus proprijs, distinctè noscimus ea distingui à proprijs, nam ea quæ cum uarijs diuisim nectuntur necessariò distinguuntur inter se.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod quamuis Arist. dubitare videatur, & quærere, cur sensus externi non sint unus sed plures, tamen ut per solutionē se explicat, & Plutarchus Lydus & plurimi Græci interpretes consentiunt, solum dubitat cur communia non vno, sed pluribus sensibus sentiantur, nam ratio cur sensus externi sint plures, partim ex se constant, partim manifestatur in clace 3. libri; Dubitat: Et si quis dubitet, cum intelligibilium omnium, quæ plura sunt sensibilibus proprijs, vnica Mens sit iudex, cur etiam sensibilium non unicus sit sensus; Ratio varietatis est, quia sensus externi, tanquam externi exploratores, proximè mouentur ab externis, materiatisq; Obiectis, quæ cum apprimè sint distincta, non sunt apta mouere, & formare idem instrumentum, at, mox per secretionem à materia, & quia reddantur magis spiritalia, etiā redduntur consimilis conditionis, adeò, vt per vnam Phantasiam apprehendi, per vnam Memoriam seruari, & per Mentem vnam sint apta intelligi, & præsertim, quia in facultatibus subordinatis, quod potest facultas inferior, potest & superior, adeò, vt ascendendo continenter ad pauciora eleuemur, & demum perueniamus ad ipsum Vnum. Considero Secundò, quod cum Arist. dicat pluribus sensibus sentiri communia, vt minus lateant, ea latere contingit duobus modis; Vel quod lateat ea distingui à proprijs; Vel quod lateat propria eorum

rum conditio, veluti Quãta, vel Qualis sit Magnitudo, Figura, & sic de reliquis, Aristot. de primo loquitur, at multiplicata cognitio etiam conducit pro altero: nam sensus vnus corrigit, & approbat iudicium alterius. Considero Tertiò, inte quæri posse, cur sensibilia communia tam exactè à nobis nosci debuerunt, ut pro eorum sensu plures sensus fuerint parandi; Ait Philoponus id euenire, quia communia sunt subiecta Mathematicarum scientiarum, quæ certissimæ esse dicuntur, at, hæc non satisfacit: tum, quia similiter dubitabo, cur Mathematicæ debeant esse certissimæ? tum insuper, quia Numerus, Figura, Magnitudo, & Motus, solum cadunt sub sensum pro esse quodam confuso, longe distincto ab eo quo in Mathematicis considerantur. Propterea dico, rationem peti posse, Primò ex fine, quia communia sunt iuncta cum omnibus proprijs, quatenus nobis prodesse, vel obesse possunt, ideo pro Animalium salute cunctis sensibus debuêre nosci; Altera ratio sumitur ex materia, nam communia necessariò sunt iuncta cum proprijs. Considero Quartò, quæri posse, in quibus sensus minus decipiantur, num in communibus, vel in proprijs? Philoponus ait Arist. pugnantia proferre, nam in 2. de Anima dixit minus decipi in proprijs, nunc uero minus in communibus, soluens cõtrouersiam, ait minus decipi in communibus, dum referuntur ad omnes sensus, magis verò dum referuntur ad vnum solum, at profectò nec Arist. pugnantia profert, nec solutio vera est; Arist. non secum pugnat, quia in 2. de Anima, dixit in sensibilibus proprijs sensum non decipi, modo vero ait, sensibilia communia sentiri pluribus sensibus, vt minus lateant quam si vnico sensu sentirentur, non autem ut minus lateant, quam propria, vt minus rectè exponit Philoponus; cum enim in eis sensus non decipiatur, non rectè dicimus quod communia minus lateant quam propria; Præterea, vtroque in loco Aristot. communia considerauit ut communia, non autem ibi cum relatione ad vnicum sensum, cum ibi dixerit esse cõmunia sensibus omnibus; Absolutè itaque dicendum est, propria esse magis conspicua; At oritur Dubitatio, quia Physica considerat sensibilia propria, Mathematica communia, & Mathematicæ sunt certiores scientiæ; Respondeo, Physicum considerare cum propria, tum communia, certitudo autem Mathematica non oritur ex re considerata, sed ex modo considerandi, nam communia vt considerantur à Mathematico, dicuntur certa, vt verò à Physico, incerta, quare varietas non oritur ex re cõsiderata, cum sit eadem, sed ex modo considerandi: nam Physicus cuncta referens ad Corpus Physicum, motus, & reliquorum communium sensibilium considerat interna, & latentia principia, cum ea consideret tãquam affectiones Corporis Physici, ex internis principijs prodeuntes, Mathematicus verò ea considerat, vt Quanta, abstrahens à Materia origine inconstantiæ; & à Substantia latente, ac ab internis principijs obscuris, hinc Mathematicæ cum sint de accidentibus tantum, sunt nobis clariores, & cum sint sine materia, sunt exactæ, & certæ, adeò, vt constet sic se habere, nec posse secus se habere; at, de Mathematicarum certitudine alibi verba feci. Considero Quintò, quod Themistius quem sequitur D. Thom. secus exponit dubitationem, & solutionem traditam ab Arist. censet enim ambigere, cur Natura vnicum nobis sensum non tribuerit, quo singula sensibilia iudicaremus, ut vnicam dedit Mentem, qua cuncta intelligere apti sumus; Non me latet hanc quoque expositionem probabiliter defendi posse, nam ita Arist. patefecisset sensus externos, nec esse plures, nec pauciores, quam quinque, per hoc tamen redditur dubia, quia tunc alia fuisset danda ratio & solutio: nam ratio ex Materia & Organo præsertim petenda esset, non enim formari potest Organum aptum proximè & primò moueri à sensibilibus genere distinctis.

3 *Cur sensibilia communia debeant exactè nosci. Solutio.*

4 *In quibus minus decipiatur sensus.*

Solutio propria. Dubit. Solutio.

5

Cō. 136. *QVONIAM autem sentimus quod videmus, & audimus, necesse est vel Visus, sentire quod videt, vel alio, sed & idem erit Visus, & subiecti Coloris, quare, vel duo erunt eiusdem, uel idem erit sensus suiipsius; Praterea, si alius est sensus ipsius Visus, vel in infinitum abibit, vel idem erit sensus suiipsius; Quare in primo hoc est fa-*
137 *ciendum. Dubitationem autem habet, si enim Visu sentire est uidere, cernitur autem Color, vel eo praditum, si uidebit aliquis ipsum videns, & Colorem habebit ipsum uidens primum.*

Intentio. *Diuisio.*

T cuncta refulgeant attinētia ad exactam sensuum cognitionem, intentio Philosophi est, alteram proponere, & soluere difficultatem, ad eos pertinentem. Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima dubitat; In Altera soluit; In Tertia, de solutione ambigit; Dubitatio est, cum sentiamus nos sentire, num eodem sensu fungamur utroque munere, adeò, vt Visu videamus, & sentiamus nos videre, vel potius distincto. Sed & idem erit Visus, & subiecti Coloris, &c. Hęc est pars Secunda, in qua soluens difficultatem, accipit quod idem sensus est vtriusq;, adeò, vt non percipiamus nos videre Colorem, nisi simul Colorem quoque sentiamus, quo assumpto infert, quod vel eiusdem veluti Coloris duæ erunt sentientes facultates, vel idem erit sensus suiipsius, adeò, vt eodem sentiamus Obiectum, & nos id sentire, quare cum primum sit absurdum, quia Natura nil facit redundans, approbandum erit secundum. Præterea, si alius est sensus ipsius Visus, &c. Hæc est Secunda ratio, qua idipsum confirmat: nam si distincto sensu sentimus nos videre, similiter de illo quæram, cum sentiamus nos sentire, vel id facimus eodem sensu, vel distincto, si distincto, similiter quæram de iudicio illius, ac ita uel dabitur progressus in infinitum, quod est absurdum, vel dabitur aliquis, qui simul sentiat, & iudicet se sentire, dari progressum in infinitum in facultatibus quòd est absurdum; Quare pro vitando infinito, confirendum est, dari sensum sentientem se sentire; At, Regula est, dum uitandum est infinitum, id in principio debere fieri, quare affirmandum est, eodem sensu nos sentire Obiectum, & iudicare quod sentiamus. Dubitationem autē habet &c. Cum duplici ratione ostendisset Arist. nos eodem sensu sentire Obiectum, & percipere nos sentire, in hac Tertia parte, solutionem traditam in dubium reuocat, hac ratione: Omne quod videtur, vel est Color, vel Coloratum, per solutionem traditam, Visio videtur, quatenus videmus nos videre, quare, vel erit Color, vel colorata, quod uidetur absurdum.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Cur quæratur an sensus sentiat se sētire.

ONSIDERO Primò, Aristot. quærere, an sensus sentiant se sentire; Ratio cur hoc quærat, à varijs varia assignatur, inquit Simplicius in 3. lib. sermonem esse de facultate Rationis compote, de sensibus autem ut Rationis modo aliquo sunt participes, conuerti supra se, & iudicare quod sentiunt, est Rationis opus, & competit non sensui vt sensus, sed vt modo aliquo Rationis est particeps, quales sunt sensus Hominis, qui cum ratione sunt iuncti. Hanc

Simplic.

Sententiam approbandam non puto, tum, quia Aristot. de sensibus loquitur absolutè, eosque considerat ut sensus, non autem vt iuncti sunt cum Ratione; tum insuper,

Exersio.

quia etiam sensibus expertium Rationis hoc competit, ideo dum Canis non uidet feram, nititur eā videre; Præterea, externi sensus in fungendo suo officio non subijciun-

tur

tur Rationi, sed sola Phantasia, & appetitus Hominis. Propterea dicamus, iure Aristotelem dubitare quomodo sentiamus nos sentire: nam Primò hoc cõducit ex se, pro exacta cognitione attinentium ad sensum; Secundò, hoc est vtile pro noscendo numero sensuum, vt appareat non esse plures ob iudicium id, quod sentiamus nos sentire; Tertiò, per hoc manuducimur in cognitionem sensus communis, tanquam communis Centri, in quem Aristot. vult nos deducere. Considero Secundò, quod Aristot. tanquam absurdum derelinquit, eiusdem Obiecti duas esse facultates sentientes, quod tamen non est absurdum: nam eorundem sensibilium Primò, sunt sensus externi; Secundò, sensus communis; Tertiò, Phantasia, & Memoria. Respondeo, Aristot. loqui de facultatibus eiusdem gradus, non distincti, nam loquitur de sensibus externis, quos ostendit non esse plures, facultates autem subordinatę possunt eiusdem Obiecti esse variæ; Ratio est, quia quamuis Obiectum sit idem, modus tamen iudicandi, & gradus abstractionis est varius. Considero Tertiò, quod Arist. profert hanc Regulam, dum abscindendum est infinitum, id faciendum est in principio; Ratio regulæ est: quia non maior ratio est de vno, quam de alio; Ideo si in principio id deberet distincta facultate nosci, etiam id deberet fieri in progressu, ac ita non posset vitari absurdum. Confirmatur: quia id quod est absurdum, quam primum fieri potest uitandum est, & radices eius abscindendæ progressus potentiarum animi in infinitum, absurdus est penitus. Considero Quartò, quod Aristot. ait: Omne quod Visu sentitur, vel est Color, vel Coloratum, loquitur cum disiunctione, quia quod videtur, uel est concretum quod propriè videri dicitur, vel est prima ratio per quam videtur, & huiusmodi est Color, at, dubitatur, quia Visu præter Colorem etiam videtur lumen, & lumine præditum, ut perspicuum illuminatum; Respondeo, Visum vt in terminum desinere in Coloratum, omne enim quod videtur, inspicitur ut Colore præditum, insuper, Lumen consideratur vt id per quod Coloratum inspicitur, & hac ratione reddi potest vera ea propositio, Aristot. tamen considerans Colorem vt distinctum à luce, dicet in sequenti Contex. propositionem illam esse falsam, quia nedum colorem, sed etiam lucem videmus.

Sentẽtia propria. *2 Dubitat.* *Solutio.* *3 Regula de infinito.* *4* *Cõt. 138.*

MANIFESTVM igitur, quod minimè vnum est ipsum Visu sentire, etenim, dum non cernimus, Visu iudicamus & tenebras, & lucem, verum non similiter; Insuper, & videns est veluti Colore affectum, nam sensorium quodlibet est aptum suscipere sensibile sine materia: Propterea & recedentibus sensibilibus insunt & Sensus, & Phantasia in sensorijs, sensibilis enim actio, & sensus, eadem, & vna est, Ratio autem non eadem. Dico autem, vt Sonus qui actu est, & Auditus actu, est enim & auditu præditum non audire, & quod sonum habet, non semper sonat: Dum autem operatur quod potest audire, & sonat quod potest sonare, tunc actu Auditus simul fit, & Sonus actu, adeò, vt dicere valeamus hoc quidem esse Auditum, id verò Sonationem.

DVBITABAT Philosophus num eodem sensu sentiamus, & iudicemus nos sentire, soluens dicebat id fieri eodem sensu, aduersus quam solutionem, hac ratione instabat, omne quod Visu sentitur uel est Color, vel Coloratum, Visio nec Color est, nec Colorata, quare non Visu sentitur. Intentio Aristot. in præsenti Contex. est, rationem diluere, quod ut exactè faciat, manifestat vtranque propositionem falsam esse. Diuiditur Contex. in tres partes; In Prima, negat Maiorem; In Secunda, Minorem; In Tertia digreditur, manifestans Minorem falsam esse; Inquit in Prima parte, patere Maiorem esse falsam, & Visu sentire, non esse vnum, nec Coloris tantum, patuit enim dum erat sermo de externis sensibus sensu iudicari cum Obiectum, tum priuationem eius, sic dum non cernimus, Colores Visu iudicamus, tenebras, & lucem, inspicientes Aerem tenebricosum, vel illustratum, non tamen eodem modo, nam tenebras per priuationem, lucem per habitum, & positionem apprehendimus, & cum noscamus tenebras, iudicantes non nō uidere, idque faciamus Visu, est necesse ut etiam eodem Visu iudicemus nos uidere, opposita enim eiusdem sunt facultatis. Insuper, & uidens est ueluti Colore affectum, &c. In hac Secunda parte, negat Philosophus Minorem propositionem, quæ erat, quod Visio nec Color esset, nec Colorata: nam Visio est ueluti Colorata, addit, (veluti) quia non primò & propriè est colorata, idque ostendit, quia omne includens speciem Coloris, est modo aliquo Coloratum, sensorium Visus recipit Colores sine materia, ut sensorium omne recipit Obiectum sui sensus, quare sensorium Visus est modo aliquo Coloratum. Propterea & recedentibus sensibilibus, &c. Hæc est pars Tertia, in qua Philosophus digreditur pro ostentione quod sensus actu sint suo sensibili præditi: nam hoc patet Experientia, & Ratione; Experientia quidem, quia recedentibus externis sensibilibus, præsertim dum uehementia fuerint, seruantur in sensorijs, sensus eorum, & Phantasiæ, hoc est imagines quædam & reliquiæ ob quas per nexum cum phantasia percipimus splendores, tinnitus, & consimilia sensibilia in sensorijs apparentia; Quod ratione confirmatur; nam sensibilis, & sensus idem est actus, ueluti etiam agentis & patientis, at actus Coloris est Colore afficere, quare actus Visus Colore præditus est, & sic de cæteris sensibus, & dum unum eorum non fuerit actu, alterum quoque non erit actu, dum uerò unum actu fuerit, similiter alterum actu erit, cum utriusque idem sit actus, & tunc referentes sonum ad sonorum, dicimus, id esse sonationem, referentes uerò ad sensum, dicimus esse auditum, adeo, ut auditio, & personatio actu pro absoluto sint idem, & sola distinguantur ratione, non secus, ac doctrina & disciplina; & hoc in loco sonus dicitur actu, cum relatione ad auditum, dum actu auditur, non pro suo esse absoluto.

Intentio.

Diuisio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ait Visu sentire, non esse unum, & per sentire non debemus solum intelligere quod est secundum se, sed quouis modo ad sensum proprium attinente, qui modi ad Visum relati, sunt tres; Vnus, sui principalis Obiecti, nimirum Coloris; Alter ordinati pro Obiecto, & est lucis; Tertius, priuationis, & singulorum Aristot. fecit mentionem, & latè accipit sentire, quia modo non quæritur num secundum se, uel alio modo sentiamus Visu nos uidere; Et iure etiam de iudicio tenebrarum fecit mentionem, quia tenebras solum inspicimus iudicando nos non moueri, & non sentire, quod cum faciamus Visu, etiam putandum est nos Visu sentire quod uideamus; Considero Secundò, quod Aristot. ait Visionem esse modo aliquo Coloratam, nam Visio est Color per iudicium, imitationem, & repræsentationem, hinc dicitur in 3. de Anima, Animam per sensum esse omnia sensibilia, per Mentem uerò intelligibilia, immò

Consid. 1.

Tria quæ videntur.

Quomodo Visio sit Colorata.

immò Visio eminentiori modo est Colorata, quam externa Corpora, ea enim est Colorata cum iudicio, externa autem Corpora sine iudicio, sensorium sentiens rectius dicitur Coloratum, actio autem rectius dicitur Color, & species sine materia. Considero Tertiò, quod Aristot. uniuersè de omni sensorio dixit esse aptum recipere species sine materia, hinc in Contex. 121. dixit id esse commune singulis sensibus, nam distincta ratione hoc cum de sensu, tum de sensorio dici potest, & sensorium dicitur susceptiuum: nam medium est id, quod defert, sensorium quod recipit, & recipit sensibile secundum se, hoc est, ut sensorium est cætera quæ ad hoc attinent declaraui in annotationibus Cont. 121. Considero Quartò quod Arist. ostendens Visum esse colore præditum, ait recedentibus externis sensibilibus, superesse in sensorijs reliquias, & Phantasias quasdam, quod potest dupliciter intelligi; Primò, id referendo ad imagines sensibilium, quæ seruantur in sensorijs post recessum externorum sensibilium, quæ tamen non seruantur semper, sed solum dum sensibilia vehementer mouent, adeò, vt spiritus vehementer agitentur, vt dum in Solem aciem oculorum cõuertimus mox auertimus, vel oculos claudimus; Similiter, dum à uehementi sono mouentur aures, nam Aer internus agitatus aliquandiu seruat intus quasi tinnitum quendam, maximè aũt seruat internum medium sensus tactus, & etiam gustus, quia modo materiato in eo recipiuntur, has Aristot. appellat Phantasias, hoc est consistẽtias, imagines, & reliquias eorum quæ apparuerunt: At instare quis posset, quia huiusmodi reliquię non sunt uisiones, nec auditiones, sed sensibilia; Respondeo eas dum sentiuntur, etiam esse sensationes, & ob id Aristot. statim addit, quod idem est actus sensibilis, & sensus; Secundò id intelligi potest: quia in præditis memoria seruantur imagines, quæ Phantasmata, & Phantasiæ nuncupantur, quæ sunt sensibilia actu & iudicia, & species, & hoc magis ad rem facit, tum, quia verè sunt sensus, & iudicia, tum insuper, quia id fit semper, non autem solum potest motum à vehementi sensibili; Huic tamẽ expositioni id videtur aduersari, quia Arist. ait, huiusmodi Phantasias seruari in sensorijs, non ait in Memoria; At, soluitur: quia etiam Memoriæ inseruiunt sensoria; & per hanc expositionẽ rectius sumitur nomen Phantasiæ, & Ratio redditur efficacior; In expositione tamen ego sequutus sum commune Sententiam expositorum; Considero Quintò, quod Aristot. ait actionem sensibilis & sensus, & eandem esse, & sola ratione distingui: nam multa reperiuntur quæ dicuntur eadem numero fundamento, & pro absoluto, distincta uerò Ratione, Forma, & ipso esse, veluti se habet de actu agẽtis & patiẽtis, de doctrina & disciplina, de ascensu, & descensu, & alijs similibus. At, aduertendũ est, quod actus sensibilis & sẽsus geminus est, quia passio sensus desinit in iudiciũ, quod est actio sensus, adeò, ut consideretur actio, sensibilis, per quam sensoriũ patitur, & actio sẽsus erga sensibile quod iudicatur, & de vtraq; actione verũ, est quod actus agentis & patiẽtis est idẽ; hinc sonus non dicitur postremo actu præditus, nisi dũ auditur; Cõsidero Sextò, ex dictis ab Arist. conspicuè elici, ueram speciem sensibilem, nõ distingui ab actu sentiendi, adeò, ut ante quã sentiatur, ea non propriè dicatur species sensibilis, sed actio, & motio eius; Sic Sonus actu, est Auditus actu, & Color actu, est Visio actu, Color autẽ, & Sonus actu, species sensibiles dicuntur, quare ab actu sensus non distinguitur species; hinc nisi actu sentiatur, nõ seruatur Memoria, & id quod seruatur Memoria, est iudicium memoriæ impressum, qui dicitur actus simul sensibilis, & sensus. At Septimo loco exactus explicanda occurrit Dubitatio proposita, & soluta ab Aristot. Quæritur itaque, num eodem sensu sentiamus sensibile, & iudicemus nos id sentire, & quo pacto id sentiamus? Aristot. ait eodem sensu utrumque sentiri: nam iudicans sensibile actu, iudicat sensationem, Sensus quilibet iudicat sensibile actu, quare & sensationem: nam idem sunt, ut dixit Aristot. iudicans autem sensationem, iudicat se sentire. Confirmatur: quia si id fieret ab alio, de eo erit consimilis ratio, quare daretur progressus in infinitum; Ex aduerso id non uidetur posse competere sensui, quia est facultas materiata, quæ non ualet supra se uerti, hoc enim est of-

Instantia.

Actus sẽsibilis & sensus duplex.

Species vera sensibilis nõ distinguitur ab actu sẽtiendi.

An eodẽ sensu sentiamus & iudicemus nos sentire.

ficium

ficium rationis, & facultatis supra materiam eleuatæ; Confirmatur: quia si idem esset sentire, & iudicare quod sentiamus, nunquam unum nobis competeret sine altero, at, nos frequenter sentimus, cum tamen non animaduertamus nos sentire; Res itaque est dubia, & propterea Viri celebres de ea uaria dicunt; Nonnulli aiunt, hoc non esse officium sensus, sed opinatricis facultatis, nec competere sensui ut sensu, sed ut cũ Ratione est iunctus; quæ opinio in pręcedentibus est reiecta: nam Arist. loquitur de sensibus, ut sensus sunt, non ut Hominis; Insuper, feræ iudicant tenebras, & quærunt lucem, cum autem iudicent tenebras, percipiunt se non uidere, quare consimiliter dum sentiunt, iudicant se sentire, alioquin ille sensus nullum præberet eis usum, tunc enim nitimur assequi, uel uitare Obiectum, dum noscimus nos id sentire; Propterea alij inquiunt, hoc esse officium facultatis attentricis, quam προσεχτικὴν appellant; hanc putant esse facultatem Rationalem, quæ vagetur per facultates singulas, noscẽtes, & vitales, earumque actiones animaduertat, ideo eius officium fit dicere, ego uideo, ego nutrior, ego imaginor; Cui Opinioni satis adhæret Philoponus, at ea reijcitur vt prima, ac insuper ea uidetur deterior, quia facultates multiplicat sine vlla necessitate, & eam addit, cuius Aristot. nunquam fecit mentionem. Præterea, quæro de hac attentrice facultate, vel noscit se ea noscere, uel nõ, si non, requiretur alia facultas quæ id noscat, ac ita in infinitum; Si autem sic, cũ id competat ei, non est negandũ alijs; His accedit, quod non datur facultas attentrix distincta ab alijs, sed attentio, & negligentia sunt modi operandi facultatum cognoscentium. Pro Solutione itaque difficultatis, approbandam puto Sententiã Alexan. in cap. de Sensu communi, quem sequitur Themist. in Paraphrasi Contex. 149. necnon Plutarchus Lydus, cum quibus dico, sentire, quod sentiamus, esse officium Sensus communis, non quidem ut seiuncti, sed ut coniuncti cum externis, nam Sensus communis non abstrahit à præsentia materiæ, & propterea una cum externis operatur, cõplens, & perficiens eorum actiones. Hanc Sententiam approbauit Arist. in lib. de Somno & vigilia, inquiens: Est autem quædam potentia communis, quæ sequitur omnes, quæ & quod uidet, & audit, sentit, non enim Visus quod uidet percipit, & Auditus quod audit, &c. Huius opinionis etiam fuit Theophrastus discipulus Aristotelis, quem sequuntur & Priscianus Lydus, & Marsil. Ficinus, dum illum exponunt, vt lucidè affirmant cap. 47. in quo uaria notatu digna hac de re proferunt; At dicet aliquis, Aristot. conspicuè secum pugnat: nam hoc in loco id tribuit sensibus externis, in lib. de Somno & vigilia, profert oppositum, insuper adhuc remanet dubitatio de sensu communi, an sentiat se sentire, & diluendę supersunt rationes quibus ostendebatur id esse officium sensuum externorum; Pro Solutione accipio, Sensum communem esse apicem, fontem, & centrum externorum, in quo externorum uires secundum quandam eminentiam, & unitissimè includuntur, & solum operatur pręsentibus sensibilibus, nec sine sensu externo; Propterea dici potest, id fieri ab externo sensu, & à cõmuni, ab externo actio recipit originem, à communi perfectionem; pro origine Arist. hoc in loco id tribuit sensui externo, quia modo intentio eius est, patefacere, ob hoc non requiri alium externum sensum, At, in lib. de Somno & uigilia, considerans perfectionem & facultatem principalem, negat id de externis, & affirmat de communi, at, vni non competit sine altero, immò, in progressu dicet Philosophus, omnem actionem externorum sensuum perfici in communi, tanquam in eo vnde recipiunt vires; At, ostẽdebatur id esse officium externorum, quia quo sentimus tenebras, & nos non videre, sentimus nos videre, id autẽ facimus Visu; Respondeo, quamuis Visus dicatur esse lucis & tenebrarum, non tamen tenebras iudicat non conspirante sensu communi, per quem tanquam principalem ut nos uidere, ita non uidere iudicamus. Insuper dicebatur, Actus sensibilis & sensus, est unus & idem, sensus externus iudicat actum sensibilis, quare & sensus; Respondeo cum Aristotele quod sunt idem fundamento, distinguuntur autem ratione, ut personatio actu, & auditio, ac ita ab externo, iudicatur ut personatio actu, à communi, vt

auditio.

Opiniones variorum.

Opinio altera.

Euersio.

Opinio propria.

Aristot.

Theoph.

Dubitat.

Solutio.

auditio. Insuper, iam dixi id etiam ab extremo sensu modo aliquo iudicari, quia communis id facit vna cum extremo. Præterea, dubitabatur quid sic dicendum de communi, num idem sentiat & iudicet se sentire, vel potius id fiat per aliam facultatem; Pro solutione animaduertendum, in dubium verti, num eodem, vel distincto actu intelligamus & percipiamus nos intelligere, similiter, sentiamus, & percipiamus nos sentire censuit Auic. id fieri actu distincto, adeò, vt Primò sentiamus sensibile, mox Secundò, actu sentiamus nos sentire, Tertiò sentiamus quod sentimus nos sentire, ac ita in infinitum; Auer. Disput. 6. in solut. 5. dubij, illum arguit, & vult id fieri eodem actu, sola ratione distincto, & distincto secundum esse perfectum, & imperfectum, cum diligentia, & sine, & hoc est id quod indicatur ab Aristot. dum progressum in infinitum reijcit, vt absurdum, & ait in principio esse rescindendum; Dico itaque, vel iudicamus nos iudicare eadem facultate, vel distincta & subordinata, dum id fit facultate distincta, procul dubio actus est distinctus, sic Mente percipimus Phantasiam imaginari, & Phantasia iudicamus communem sensum sentire; At, dum fit eadem facultate, tunc eodem actu quo sentimus, etiam percipimus nos sentire, solum distincto ratione, & secundum perfectum & imperfectum, sic actus externi sensus, cum perficiatur à communi, dicimus ab eo etiam iudicari, quod sentiamus, quia id non iudicamus, nisi actus sit absolutè perfectus, ac ita Sensus communis eodem actu quo sentit sensibile, etiam sentit se sentire, à Phantasia autem mox id fit distincto actu; Sic Mens eodem actu intelligit, & iudicat se intelligere; At, superest adhuc diluenda Ratio: quia nil sentit se sentire, nisi sentiat se, & conuertatur supra se, quod solum Rationis, & Mentis est officium; Respondeo, dum dicimus sensum sentire quod sentiat, id non ita debet intelligi, vt sentiat se, & actum sentiendi, non enim valet sentire se, nisi penitus ex accidenti, cum sit Substantia, sed solum quia iudicat actum sentiendi, quatenus nouit actum sensibilis sola Ratione distinctum, adeò, vt solum id iudicet directè, non autem cum reflexione in se.

An eodē actu sentiamus et iudicem⁹ nos sentire Auic.

SI autem motus, & effectio, & perpessio est in eo quod mouetur, necesse est & sonum & auditum, qui actu est, esse in eo auditu qui potestate est, quoniam efficientis & mouentis actus, in patiente ingeneratur, propterea non est necesse mouens mouere. Sonantis itaque actus est sonus, vel sonatio; Audientis verò auditus, siue auditio; Duplex namque est auditus, & duplex sonus, similiter de reliquis sensibus, & sensibilibus, vt enim effectio & passio in patiente est, non autem in efficiente, sic actio sensibilis in sensitiuo, sed in nonnullis quidem etiam nomine est prædita, vt sonatio, & auditio, in aliis verò alterum est sine nomine. Visio enim dicitur actio Visus, ea verò qua est Coloris, nomine caret; Similiter degustatio degustantis, ea vero Saporis, caret nomine; Quoniam autem idem est actus sensibilis, et sensitiui, sola ratione distinctus, necesse est simul interire, & seruari. ita dicetur auditum, & sonum, & saporem, & gustum, & reliqua similiter, quæ verò potestate dicuntur non est necesse.

Cōt. 139.

140.

141.

Intentio. PHILOSOPHVS ostendens eodem sensu nos sentire sensibile; & quod sentiamus, dicebat Visionem esse modo aliquo Coloratam, quia idem est actus sensibilis, & sensus; Modo autem intentio eius est, ostendere, actum illum non in sensibili, sed in sentiente fieri, & esse, vt inde pateat Visionem esse modo aliquo Coloratam, & auditionem sonoram; *Diuisio.* Diuiditur Contextus in quatuor partes; In Prima, accipitur motum actu esse in mobili; In Altera, quod similiter sensus, & sensibile actu sunt in sensitiuo; In Tertia declaratur, quod cum actus sensibilis, & sensus, sit distinctus ratione, ea distincta ratio nonnunquam est prædita proprio nomine, nonnunquam non; In Quarta colligit, quod cum actus agentis, & patientis vnus sit, simul sūt, *Exposit.* & non sunt, non autem dum considerantur potestate; Inquit in Prima parte: Si (vt est ostensum in 3. Physic.) actus motoris, & mobilis cum sit vnus, est in patiente, similiter dicendum est de actu sensibilis, & sensitiui, quod sint in eo quod est aptum sentire; Ex quo elicitur, non esse necesse, vt motor moueatur: nam id de solo mobili est necessarium, motor autem si mouendo mouetur, est ex accidenti; Duplex namq; est Auditus, & duplex Sonus, &c. In hac Secunda parte, cum Sonum, tum Auditum diuidit per actum, & potentiam, similiter, sensus alios, & sensibilia alia, & dum considerantur vt sunt actu, vnum sunt fundamento, & id est in sensitiuo, vt motus omnis est in mobili; Sed in nonnullis quidem etiam nomine est prædita, &c. In hac Tertia parte declaratur, quod cum actus sensibilis, & sensus distinguantur ratione, nonnunquam vtraque ea distincta ratio est prædita nomine proprio, vt personatio, & auditio, nonnunquam actus sensibilis caret nomine, vt actus Visus dicitur Visio, actus Gustus, dicitur Degustatio, actus verò Coloris, & Saporis nomine caret; Quoniam autem idem est actus sensibilis, &c. In hac Quarta parte ex eo quod actus sensibilis, & sensus est vnus, colligit, quod ut sunt actu, simul sunt, & non sunt, dum autem considerantur vt potestate, non sunt simul, seruari enim potest alterum eorum sine altero, ut etiam dicitur in 2. Physic. de causis, & effectibus actu, & potestate.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod quamuis sensibile, & sensus non proprie mouent, efficiant, vel patiantur, vt assumpsit Arist. in 2. de Anima, tamen vt ad id pertinet de quo est sermo, cōsimiliter se habent, de omnibus enim id verum est, quod actus vtriusque est vnus, & illa est in patiente; sic motor, ut est motor, non mouetur, sed mobile; similiter, sensibile mouens sensum, non recipit, nec mouetur, sed sensorium. 5 *Cōtrouersia.* Considero Secundò, quod Arist. uidetur secum pugnare: nam in hoc Contex. ait motum actionem ad sensum, non in mouente, sed in patiente esse, at 9. Metaphys. Contex. 16. inquit Visionem esse operationem immanentem, & esse in uidente. *Solutio.* Soluitur per id quod sæpè dixi, quia duplex potest fieri comparatio; Vna inter Obiectum sensuum, & sensorium; Altera inter facultatem sentiendi, & iudicium rei sensibilis; per Primā comparationem sensibile mouet, sensorium mouetur, & motus ille non in Obiecto mouente, sed in sensorio est, & hoc considerat modo Arist. per alteram comparationem, facultas est iudex, & agens, Obiectum est quod iudicatur, & id iudicium non est motus, sed perfectio iudicantis, & de hoc est sermo in 9. Metaphys. Contex. 16.

3 Considero Tertiò, quod Arist. ait Sonum, & auditum esse duplicem, vnum scilicet actu, alterum potestate; Insuper, actus & potentia est duplex: Nam datur actus primus, & secundus; Similiter, potentia ad actum primum, & potentia ad actum secundum, & vtraque distinctio est vera cum de sensu, tum de sensibili, explicauit autem Arist. hos geminos actus, dum dixit: Sonantis itaque actus est sonus, uel sonatio, Audientis verò auditus, siue auditio: nam auditus est actus primus, auditio verò secundus,

fundus, dum tamen modo diuidit per actum, & potentiam, considerat actum secundum, & potentiam ad illum. Considero Quartò, quod cum actus sensibilis, & sensus dicatur distinctus ratione, inquit Aristot. ei distinctæ rationi nonnunquam esse impositum nomen, vt doctrinæ & disciplinæ, ita personationi, & auditioni, intelligēs nomine personationis, actionem soni in aures, nonnunquam verò minimè, vt actioni Saporis, & Coloris; Ratio huius varietatis assignatur ab Auerr. qui ait actionibus sensibilium non esse impositum nomen, quia vulgus non eas cognoscit, at contra vulgus vt non cognoscit actiones sensibilium, ita neque actiones sensuum, quæ tamen sunt præditæ nomine; Præterea, officium imponendi nomina non vulgi est, sed viri sapientis, vt ait Plato in Cratilo, vulgus autem eis utitur. Propterea dicamus, id euenire, quia actiones sensibilium nomen recipiunt ex denominatione deducta ex nomine qualitatum, vt ex albedine dealbatio, ex calore calefactio, quæ nomina denotant actionem eorum communem, receptam in subiecto, & materia, non autem solum relatam ad sensum, immò etiam personatio talis est, de actione sensuum non sic se habet, non enim eis competit actio in materia cum transmutatione. Considero Quintò, quod Aristot. ait sensibilis, & sensus actum simul, esse, & non esse, dum autem considerantur ut sunt potestate, non esse simul; Eandem sententiam protulit in 2. Phys. de causis & effectis actu, & potestate; Similiter in Prædicamentis loquens de relatiuis, dixit scibilia, & sensibilia esse priora sensibus, & scientia, quæ sententia de sumptis actu, quod simul sint, non est dubia, at dubia est de sumptis potestate, nam ea quoque videntur esse simul, adeò, vt si vnum est potestate, alterum quoque necessariò fit tale, sic effectuum potestate, causæ sunt potestate, & uice uersa, ut patet ex secundo Poster. Et si quis instet, quia si per imaginationem non daretur sensus Visus, adhuc Color ex sui conditione esset uisibilis, quia est talis secundum se, & propterea quouis alio dempto semper est talis; Respondeo, competere secundum se, contingere dupliciter, uel absolutè, uel cum relatione, dum est absolutè, non pendet ex alio, at, dum est cum relatione, solum seruatur pro esse eius absoluto, at non pro esse relato; At, quid ad Aristotelem qui profert oppositum, & ait quod non sint simul? respondeo, eum considerasse fundamenta, non relationem: nam considerauit ea pro esse absoluto, non pro esse relato; Insuper, Aristot. id dixit, ut euerteret quorundam sententiã, dicentium, sine Visu non seruari Colores; nec sine Gustu Sapores, vt patebit ex sequenti Contex. Demum, Aristot. considerauit sensus & sensibilia particularia indefinitè, & quia continenter pereunt particularia sensibilia, seruatis sensibus, & uice uersa, ideo iure dixit non esse simul; Præterea, hanc sententiam Arist. profert, quia relatio parum à suo fundamento distinguitur.

4

Cur nonnullis actibus sensibilium nõ sunt imposita nomina.

5

Dubitat. Omnia relata, vt relata, simul sunt.

SED priores qui de Naturâ loquuti sunt, hoc non rectè dicebant, nil arbitrati seu album, seu nigrum esse, sine Visu, neque saporem sine Gustu: nam partim rectè dicebant, partim non rectè, cum enim dupliciter dicatur sensus, & sensitiuum, hoc quidem secundum potentiam, hoc verò secundum actũ, in his profectò contingit quod dictum est, in aliis verò non contingit; At, illi absolutè enunciabant de his, quæ non simpliciter dicuntur. Cõt. 142.

Intentio. DIXERAT Philosophus actum sensibilis & sensus, unum esse, & propterea sensibile, & sensum actu esse simul, non autem dũ sunt potestate, quia sic eorum actus non est vnus, nam vnus est actus secundus, non autem primus; Ex eo nunc Philosophus accipit occasionem euertendi Sententiam quorundam Philosophorum, qui etiam actus primos dicebant esse simul, adeò, vt sine Visu, & Gustu, nec Colores, nec Sapores inuenirentur; *Diuisio.* Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima refertur Sententia falsa quorundam Philosophorum; *Exposit.* In Altera, manifestatur quid ueri ea includat, & quomodo sit falsa; Inquit in Prima parte, non rectè sensisse nonnullos Veterum, dicentes non reperiri Colores sine Visu, nec Sapores sine Gustu, adeò, ut uterque eorum actus, cum primus, tum secundus, simul essent, & non essent; Nam partim rectè dicebant, &c. In hac Secunda parte, manifestatur, quid veri, & quid falsi protulerint; ea Sentẽtia est vera de actu secundo, non de primo; per quem sunt potestate ad actum secundum, ipsi autem non distinguentes, & de dicto multipliciter, tanquam de dicto uno modo, sententiam cõsimilem enunciarunt, & propterea errarunt.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod cum sensus & sensibilis duplex sit actus, unus primus, alter secundus, actus primi non veniunt in unum, nec unus eorum pendet ex altero, sed solum dicere valemus actum primum sensuũ, esse ordinatum in iudicium actus primi sensibilium; hinc illi actus non necessariò sunt simul; At, actus secundi, in unum ueniunt, & propterea Veteres non distinguentes, errarunt, & quod competit secundis actibus, tribuerunt primis. *2 Veteres cuncta in motu cõstituẽtes.* Considerandum occurrit Secundo loco, qui nam fuerint illi Veteres, qui eius fuẽte opinionis; Profectò, Democritus, Leucippus, & Epicurus hoc dixerunt; Insuper, Protagoras & Heraclitus, ac demum illi omnes qui cuncta putarunt fluere, & cuncta esse talia existimarunt, qualia nobis uidentur, nam putabant rebus solum competere potentias quasdam ad agendum, & patiendum, ex quarum mutua actione & perpessione, prodirent actus, & Qualitates uariæ, adeò, ut actus ille primus sensibilium, non distingueretur à secundo & inde euenire dicebant, vt eadem res uni dulcis, alteri amara uideretur, nam talis redditur ob uarietatem mutuæ actionis; Vtebantur autem hac ratione; *Ratio Veterum.* Ita iudicamus, vt patimur, patimur à quibus mouemur, mouemur ab his quæ agunt, agunt quæ sunt, ea quæ sunt, uera sunt, quare iudicium sentientium facultatum, & omnis nostra opinio vera est; Horum Sententiam sæpè euertit Plato, similiter Arist. & iure: nam Primæ quatuor Qualitates certæ, & definitæ sunt, ex quarum temperie prodeunt secundæ, & cum certa & definita sint temperamenta, etiam ex natura rei, & absolutè definitæ censeri debent Qualitates ex eis prodeuntes; *Euersio.* Propterea vtentes eorum armis dicamus, cũcta sunt talia qualia nos ea esse existimamus, at ego existimo opinionem illam esse falsam, quare tanquam falsa reijciatur. *Solutio Rationis.* Ratio eorum soluitur, dicendo, ea quæ agunt esse, & vera esse, at nos ob deprauationem peruersè recipere eorum actiones, ideo cuncta sunt talia, qualia, solum iudicantur à Sapiente, & uiro disposito secundum Naturam; *Non Homo sed sapiens est mẽsura rerum.* Et propterea non Homo absolutè, ut dicebat Protagoras, sed Sapiens ut ait Arist. est mensura rerum. Hinc in 3. Metaph. legitur: Furiosi opinantur Ignem esse eis nutrimentum, igitur si Ignem, siue uenenũ accipient, erit eis nutrimentum? *3 Quid veri includat Opinio Veterum.* Considero Tertiò, num aliquid ueri ea Veterum opinio includat, non enim penitus eos delirasse putandum est; Propterea per quinq; capita ualemus aliquid ueri in ea Opinione inspicere; Primum est inconstantia materiæ, ob quam nil est permanens apud nos, sed cuncta cunctis horis magis accedunt ad finem sui æui, ac ita cuncta dicuntur fluere; Alterum est, discrimen Cęlestium à

mortalibus, siue Mundi intelligibilis, à sensibili, apud nos enim nil puri est, nil syncери, nil adeò bonum, quin mali aliquid, nec adeò malum, quin boni aliquid includat, adeò, vt nil exactè, & absolutè tale inueniatur, dum comparatur cum rerum Ideis, siue diuinis eminentijs, & puritatibus; Tertium caput est, quia sensibile est duplex; Vnum remotum; Alterum proximè cum sensorio iunctum, Veteres id proximum considerarunt, quod redditur uarium, ob uarietatem humorum, & instrumenti, ut vinum iunctum cum bile, ut ægroto videtur, ita est amarum, quamuis alteri sit dulce; Quartum caput est, referendo cuncta ad vsum, & appetitum nostrum, nam dulce nobis est, quod tale apparet, bonum idest nobis, quo rectè utimur, malum, quo perperã; Diues est, non qui auro abundat, sed qui se talem iudicat, & sua sorte est contentus; Propterea, ut diuites euadamus potius appetitus id subtrahendum est quod est redundans & superuacaneum, quam addendum facultatibus. Postremum caput est, quia illi id quod est potestate, dicebant non esse, & id solum dicebant absolutè esse, cui competit postremus actus, ac ita sensibilia dicebant talia, qualis est actus postremus, qui idem est cum actu sensus, & est omni ex parte perfectus.

SI sanè consonantia vox quædam est, vox autem & auditus, sunt modo aliquo vnum, modo uerò alio non unũ, & consonantia est ratio, necesse & auditum rationem quandam esse; Propterea corrumpit quodcunque excellens, tum acutum, tum graue, auditum: Simili modo, & in Saporibus Gustum, & in Coloribus Visum quod valde splendidum, siue tenebricosum est, & in Odoratu vehemens odor, tum dulcis, tum amarus, tanquam existente sensu ratione quadam; Ideo & suauia tunc sunt, quando ducuntur, pura & syncera cum sunt, ducuntur ad rationem, veluti acutum, vel dulce, vel salsum, suauia enim tunc sunt: omninò autem magis quod mixtum est, cõsonantia est, quam acutum, & graue; tactus autem id quod calefacere, aut refrigerare ualet, sensus verò ratio est, excellentia autem vel molestiam afferunt, vel corrumpunt. Cõt. 143.

DICEBATVR sensibilis & sensus actum, esse vnum, sola ratione distinctum, ex eo sumebatur occasio reijciendi Sententiam Veterum, actum primum sensibilium à secundo non distinguentium: modo verò ex eo quod ille actus est unus, & consonantia est uox, elicit auditum esse consonantiam, & similiter omnem sensum, ex quo assumpto infert duo; Vnum est, cur excellens sensibile lædat sensum; Alterum, cur sensibile contemperatum, suaue sit; ac ita in Tres partes diuiditur Contex. Vt pertinet ad Primam partem, formatur hæc Ratio: Consonantia est vox, auditus actu, est uox, igitur auditus est consonantia; omnis autem consonantia est Ratio quædam; & quamuis Syllogismus sit in Secunda Figura ex ambabus affirmatiuis, tamen uim habet, quia Arist. utitur terminis, tanquam reciprocis; Propterea corrumpit quodcunque excellens &c. In hac Secunda parte, ex eo quod auditus est consonantia, infert excellens sensibile lædere, & hęc formatur Ratio: Quod labefactat cõsonantiã, labefactat sensum, excellens sensibile labefactat consonantiam, quare & sensum, qui est consonantia quædam, & hoc de omni sensu uerum est. Ideo & suauia tunc sunt, &c. *Intentio.* *Diuisio.* *Expositio.*

In hac Tertia parte hæc formatur Ratio: Quæ sunt consimilia sensibus, sunt eis iucunda, contemperata sunt consimilia sensibus, igitur eis iucunda, & hoc patet de omni sensu.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod ego Rationem primam formaui in Secunda figura, ex ambabus affirmatiuis: quia sic uidetur eam formare Aristot. cum dicat consonantia est uox quædam, & articulus sit iunctus cum consonantia, indicans eam esse subiectum, ac ita verior est propositio; Plutarchus tamen Lydus Simplicius & Philoponus, ne Syllogismus sit in Secunda figura ex ambabus affirmatiuis, consonantiam accipiunt pro prædicato, & inquiunt; Vox est consonantia, auditus actu, est Vox, &c. & ob id demunt articulum à consonantia, & cum verba communiter ita legantur ἐνδ' ἡ συμφωνία ipsi legunt ἐνδὲ at profecto minus vera erit propositio, dicendo, Omnis vox est consonantia, vtraque tamen expositio defendi potest. *Plutarchus.*

2 Considero Secundò, quod Aristot. suas rationes deduxit ex auditu, & voce, quia consonantia eorum est propria, & quod eis competit putandum est competere cæteris sensibus, cum consimiliter se habeant ad suum Obiectum; Quod autem consonantia sit ratio acuti soni, & grauis, & vniuersa Musica in ratione sit posita, nemo dubitat; 3 Considero Tertio, quod Aristot. ait, auditum esse rationem quandam, & ob id lædi à vehementi sensibili, pro cuius notitia animaduertendum, quod vt ex Sententia Theophrasti declarauit Priscianus Lydus cap. 45. triplex in sensu cōsideratur Ratio; Prima consurgit ex Elementis; Qualitatibus, & humoribus sensorij; secunda versatur inter sensoria & sensibilia, tertia in sensu relato distincta ratione ad distincta sensibilia, de qua ait Simplicius quod sensus est ipsamet Ratio & terminus iudicatorius, non autem ratione præditus; Hæc tamen Tertia Ratio tribuitur Animæ, potius more loquendi Platonico, quam Peripatetico, & cum Aristotele potius dicere possemus, Rationem esse quadruplicem, unam sensibili competentem, de qua Aristot. dixit quod Vox est consonantia, siue consonantia est vox; Secunda consideratur in temperamento instrumenti; Tertia inter Obiectum, & instrumentum, Quarta inter facultatem, & instrumentum, quatenus distinctæ facultatis, distinctum est instrumentum, & vtrunque vtrique congruere debet; Dum sensibile est excellens, dicitur inconsonans, & ob eius inconsonantiam dissoluitur cōgruens ratio inter ipsum & sensorium, ob cuius Rationis dissolutionem, tāquam agentis & patientis, dissoluitur congruens Ratio instrumenti, cuius euersionem sequitur euersio Rationis inter organum & facultatem, ob quam dixit Aristot. in 1. de Anima; Si senex reciperet oculum iuuenis, uideret ut iuuenis, Aristot. hoc in loco præsertim considerat secundam, & tertiam Rationem, 4 Considero Quartò, quod Ratio duplex est; Vna simplex in individuo posita, adeò, vt per quamuis unius termini uarietatem, uarietur; Altera cum latitudine considerata, ueluti ex acuto & graui uaria prodit harmonia, suis terminis circumscripta, hanc denotat modo Philosophus, alioquin sensus non esset aptus apprehendere latitudinem aliquam sui Obiecti. *Triplex in sensu Ratio.* *Ratio quadruplex.* *Ratio duplex.*

5 Considero Quintò, quod Aristot. secum pugnare uidetur, nam in 1. lib. damnat sententiam putantium Animam esse harmoniam, nunc uerò illam ei tribuit; Soluitur controuersia, quia aliud est Animæ tribuere eas rationes quas nuper explicaui, & dicere cum Timeo Pythagoreo essentiam Animæ esse harmoniam suarum partium, in se manentē, ex se opera promentem; & 6 Corpus contemperantem, Aristot. affirmat primum, negat alterum, de quo multa dicuntur à Proclo in Timei expositione. *Controu.* *Solutio.* *Cur auditus dicatur quædam.* *Simplic.* *Auerr.*

Considero Sextò quod Aristot. dixit auditum rationem quandam esse, quæritur cur addit (quandam,) ait Simplicius diminutionē addidit fuisse quia ratio absoluta est suprà sensum, & ad Animam pertinet ex se rationis compotem, quæ sententia Academica est, & non Peripatetica, nec Aristot. de ea ratione & cōsonantia loquitur, quę sit essentia Animę, ut apparuit, Auer. ait auditum

dici

dici rationem quandam, quia est ratio agens, ratio autem ut ratio, non agit sed vt est Qualitas, sensus igitur variò modo & Relationes & Qualitates sunt, quę expositio mihi est dubia Primò, quia Aristot. modo non loquitur de facultate, sed de actu ipsius sensus, Secundò, quia consideratur modo sensus, non ut agens, sed vt patiens à vehementi sensibili; Propterea dicamus, iure auditum & omnem sensum dici harmoniâ & rationem quandam, non primò, & propriè hæc dicuntur de illis, sed secundum similitudinem, & Metaphoram, propriè enim ea nomina dicuntur de rationibus, & cõsonantijs Musicis. *Sententia propria.*

7 Considero Septimò iure quæri posse quibus Animæ facultatibus tribui debeat, ut eis uel earum actionibus competat Ratio; Respondeo, id non competere facultati nutrienti, quia ea non mouetur ab Obiecto, sed illud permutat, & solũ includit rationem, quæ uersatur inter agens & patiens; Loquendo de Mente supra sensum eleuata, quæ à Simplicio Mens animaria dicitur, ex eius opinione, ut dixi ei competit ratio absolutè, non quædam; at minus rectè sentire uidetur: quia hęc nõ est ratio insita Animæ, sed quæ præsertim respicit instrumentum, quod Menti non competit, hinc in 3. de Anima, dicitur Mentem non lædi à vehementi intelligibili, sed acui, non itaque in mente residet ea Ratio, de qua modo est sermo, sed refulget inter sensibile, & sensorium, sensu præditum, & magis apparet in sensibus externis quam internis, quia Obiecta materiata vehementius eas mouent, & magis præditi sunt instrumentis proprijs, inter se distinctis, refulget tamen etiam in Phantasia, quę à vehemente, & formidabili Obiecto conspicuè turbatur, comparatis autem inuicẽ externis sensibus, sensus magis materiati, ut Tactus, & Gustus, prædit sunt ratione magis materiata, magisque necessaria, & in temperamento constituta, adeò, ut à uehementi & aduerso sensibili nedum sensorium, sed etiam Animal destruatur; In sensibus autem magis spiritalibus, uiget ratio spiritalior & consonantia eminentior, magis ad Animum attinens, & cum spiritibus magis iuncta, & inde euenit, quod per sensibilia eorum sensuum, magis recreantur, turbantur, excitantur, & componuntur perturbationes animorum, ut per Musicam, ueluti docet Arist. in 7. de Republica, necnon per Colores & lucẽ, Sẽsus odoratus medio modo se habet, præsertim tamen consonantia ad auditum pertinens, uires suas conspicuas patefacit, tum quia magis mouet internum spiritum, per aerem aurium, tum insuper, quia vox ab Animo formatur, & Animorum affectiones patefacit. *Quibus Animæ facultatibus competat vt sint Ratio.*

8 Considero Octauò, quod Arist. patefaciens excellens Visibile lædere sensum Visus, aitut ualde splendidum, & tenebricosum; at de tenebris dubium est, nam excellens sensibile lædit, quia vehementer mouet, tenebræ autem & tenebricosum vel non mouent, vel leuiter, quare non lædunt; Pro Solutione accipiendum, quinque reperiri subordinata; Non videre; videre tenebras; videre tenebricosum, siue diminutum; videre moderatum, & excellens; Hæc quinque distincta sunt, quorum Primum, non videre, quod competit nobis clausis oculis, non lædit, nisi ex accidenti, vt per ocium relaxantur, & languent uires; Videre tenebras non est pura priuatio, sed actio quædam, quatenus per oppositam memoriam seruatã lucem, agimus, acta iudicamus tenebras, quæ tenebræ etiam solum ex accidẽti lædere possunt, ob ocium, & iuncta cum eis, tenebricosum autem & exiguum visibile, conspicuè lædit, non quidem vt excellens, uehementer mouens, sed quia leuiter mouet, & nos intentis spiritibus nitimur eam leuem motionem iudicare, ueluti laboramus dum exiguas literas nitimur legere, & hoc denotauit Arist. per tenebricosum. *Dubitatio de tenebris. Solutio. Quinque subordinata.*

9 Considero Nonò, quod Arist. ait contemperata & ad medium redacta, esse iucunda, Nam sensus iudicat uniuersam latitudinem sui Obiecti, vt apta est iudicari, sed ab extremis lædituꝛ, à contemperatis seruatur & perficitur, moderata sunt iucunda, quia sunt simili ratione prædita, simile autem simili seruatur, eique iucundum est; Sententia est Platonis, Voluptatem esse reditum in Naturam; Sententia est Arist. Voluptatem prodire ex opere secundum Naturam, & opus perficere, per moderatum Obiectum seruatur propria Natura sensitiua, & cõsurgit actio *Cur moderata iucunda sit. Sententia Platonis.*

Cō.136. QVONIAM *autem sentimus quod videmus, & audimus, necesse est vel Visus, sentire quod videt, vel alio, sed & idem erit Visus, & subiecti Coloris, quare, vel duo erunt eiusdem, uel idem erit sensus suiipsius; Praterea, si alius est sensus ipsius Visus, vel in infinitum abibit, vel idem erit sensus suiipsius; Quare in primo hoc est fa-*
137 *ciendum. Dubitationem autem habet, si enim Visu sentire est uidere, cernitur autem Color, vel eo praditum, si uidebit aliquis ipsum videns, & Colorem habebit ipsum uidens primum.*

Intentio. *Diuisio.* VT cuncta resulgeant attinctia ad exactam sensuum cognitionem, intentio Philosophi est, alteram proponere, & soluere difficultatem, ad eos pertinentem. Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima dubitat; In Altera soluit; In Tertia, de solutione ambigit; Dubitatio est, cum sentiamus nos sentire, num eodem sensu fungamur utroque munere, adeò, vt Visu videamus, & sentiamus nos videre, vel potius distincto. Sed & idem erit Visus, & subiecti Coloris, &c. Hęc est pars Secunda, in qua soluens difficultatem, accipit quod idem sensus est vtriusq;, adeò, vt non percipiamus nos videre Colorem, nisi simul Colorem quoque sentiamus, quo assumpto infert, quod vel eiusdem veluti Coloris duæ erunt sentientes facultates, vel idem erit sensus suiipsius, adeò, vt eodem sentiamus Obiectum, & nos id sentire, quare cum primum sit absurdum, quia Natura nil facit redundans, approbandum erit secundum. Præterea, si alius est sensus ipsius Visus, &c. Hæc est Secunda ratio, qua idipsum confirmat: nam si distincto sensu sentimus nos videre, similiter de illo quæram, cum sentiamus nos sentire, vel id facimus eodem sensu, vel distincto, si distincto, similiter quæram de iudicio illius, ac ita uel dabitur progressus in infinitum, quod est absurdum, vel dabitur aliquis, qui simul sentiat, & iudicet se sentire, dari progressum in infinitum in facultatibus quòd est absurdum; Quare pro vitando infinito, confirendum est, dari sensum sentientem se sentire; At, Regula est, dum uitandum est infinitum, id in principio debere fieri, quare affirmandum est, eodem sensu nos sentire Obiectum, & iudicare quod sentiamus. Dubitationem autē habet &c. Cum duplici ratione ostendisset Arist. nos eodem sensu sentire Obiectum, & percipere nos sentire, in hac Tertia parte, solutionem traditam in dubium reuocat, hac ratione: Omne quod videtur, vel est Color, vel Coloratum, per solutionem traditam, Visio videtur, quatenus videmus nos videre, quare, vel erit Color, vel colorata, quod uidetur absurdum.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Cur quæratur an sensus sentiat se sētire. CONSIDERO Primò, Aristot. quærere, an sensus sentiant se sentire; Ratio cur hoc quærat, à varijs varia affignatur, inquit Simplicius in 3. lib. sermonem esse de facultate Rationis compote, de sensibus autem ut Rationis modo aliquo sunt participes, conuerti supra se, & iudicare quod sentiunt, est Rationis opus, & competit non sensui vt sensus, sed vt modo aliquo Rationis est particeps, quales sunt sensus Hominis, qui cum ratione sunt iuncti. *Simplic.* Hanc Sententiam approbandam non puto, tum, quia Aristot. de sensibus loquitur absolutè, eosque considerat ut sensus, non autem vt iuncti sunt cum Ratione; tum insuper, *Euersio.* quia etiam sensibus expertium Rationis hoc competit, ideo dum Canis non uidet feram, nititur eā videre; Præterea, externi sensus in fungendo suo officio non subijciun-

tur

tur Rationi, sed sola Phantasia, & appetitus Hominis. Propterea dicamus, iure Aristotelem dubitare quomodo sentiamus nos sentire: nam Primò hoc cõducit ex se, pro exacta cognitione attinentium ad sensum; Secundò, hoc est vtile pro noscendo numero sensuum, vt appareat non esse plures ob iudicium id, quod sentiamus nos sentire; Tertiò, per hoc manuducimur in cognitionem sensus communis, tanquam communis Centri, in quem Aristot. vult nos deducere. Considero Secundò, quod Aristot. tanquam absurdum derelinquit, eiusdem Obiecti duas esse facultates sentientes, quod tamen non est absurdum: nam eorundem sensibilium Primò, sunt sensus externi; Secundò, sensus communis; Tertiò, Phantasia, & Memoria. Respondeo, Aristot. loqui de facultatibus eiusdem gradus, non distincti, nam loquitur de sensibus externis, quos ostendit non esse plures, facultates autem subordinatę possunt eiusdem Obiecti esse variæ; Ratio est, quia quamuis Obiectum sit idem, modus tamen iudicandi, & gradus abstractionis est varius. Considero Tertiò, quod Arist. profert hanc Regulam, dum abscindendum est infinitum, id faciendum est in principio; Ratio regulæ est: quia non maior ratio est de vno, quam de alio; ideo si in principio id deberet distincta facultate nosci, etiam id deberet fieri in progressu, ac ita non posset vitari absurdum. Confirmatur: quia id quod est absurdum, quam primum fieri potest uitandum est, & radices eius abscindendæ progressus potentiarum animi in infinitum, absurdus est penitus. Considero Quartò, quod Aristot. ait: Omne quod Visu sentitur, vel est Color, vel Coloratum, loquitur cum disiunctione, quia quod videtur, uel est concretum quod propriè videri dicitur, vel est prima ratio per quam videtur, & huiusmodi est Color, at, dubitatur, quia Visu præter Colorem etiam videtur lumen, & lumine præditum, ut perspicuum illuminatum; Respondeo, Visum vt in terminum desinere in Coloratum, omne enim quod videtur, inspicitur ut Colore præditum, insuper, Lumen consideratur vt id per quod Coloratum inspicitur, & hac ratione reddi potest vera ea propositio, Aristot. tamen considerans Colorem vt distinctum à luce, dicet in sequenti Contex. propositionem illam esse falsam, quia nedum colorem, sed etiam lucem videmus.

Sentẽtia propria. 1

Dubitat. 2

Solutio.

Regula de infinito. 3

4

MANIFESTVM igitur, quod minimè vnum est ipsum Visu sentire, etenim, dum non cernimus, Visu iudicamus & tenebras, & lucem, verum non similiter; Insuper, & videns est veluti Colore affectum, nam sensorium quodlibet est aptum suscipere sensibile sine materia; Propterea & recedentibus sensibilibus insunt & Sensus, & Phantasia in sensorijs, sensibilis enim actio, & sensus, eadem, & vna est, Ratio autem non eadem. Dico autem, vt Sonus qui actu est, & Auditus actu, est enim & auditu præditum non audire, & quod sonum habet, non semper sonat: Dum autem operatur quod potest audire, & sonat quod potest sonare, tunc actu Auditus simul sit, & Sonus actu, adeò, vt dicere valeamus hoc quidem esse Auditum, id verò Sonationem. (Cõt. 138.

DVBITABAT Philosophus num eodem sensu sentiamus, & iudicemus nos sentire, soluens dicebat id fieri eodem sensu, aduersus quam solutionem, hac ratione instabat, omne quod Visu sentitur uel est Color, vel Coloratum, Visio nec Color est, nec Colorata, quare non Visu sentitur. Intentio Aristot. in præsenti Contex. est, rationem diluere, quod ut exactè faciat, manifestat vtranque propositionem falsam esse. Diuiditur Contex. in tres partes; In Prima, negat Maiorem; In Secunda, Minorem; In Tertia digreditur, manifestans Minorem falsam esse; Inquit in Prima parte, patere Maiorem esse falsam, & Visu sentire, non esse vnum, nec Coloris tantum, patuit enim dum erat sermo de externis sensibus sensu iudicari cum Obiectum, tum priuationem eius, sic dum non cernimus, Colores, Visu iudicamus, tenebras, & lucem, inspicientes Aerem tenebricosum, vel illustratum, non tamen eodem modo, nam tenebras per priuationem, lucem per habitum, & positionem apprehendimus, & cum noscamus tenebras, iudicantes nos nõ uidere, idque faciamus Visu, est necesse ut etiam eodem Visu iudicemus nos uidere, opposita enim eiusdem sunt facultatis. Insuper, & uidens est ueluti Colore affectum, &c. In hac Secunda parte, negat Philosophus Minorem propositionem, quæ erat, quod Visio nec Color esset, nec Colorata: nam Visio est ueluti Colorata, addit, (veluti) quia non primò & propriè est colorata, idque ostendit, quia omne includens speciem Coloris, est modo aliquo Coloratum, sensorium Visus recipit Colores sine materia, ut sensorium omne recipit Obiectum sui sensus, quare sensorium Visus est modo aliquo Coloratum. Propterea & recedentibus sensibilibus, &c. Hæc est pars Tertia, in qua Philosophus digreditur pro ostensione quod sensus actu sint suo sensibili præditi: nam hoc patet Experientia, & Ratione; Experientia quidem, quia recedentibus externis sensibilibus, præsertim dum uehementia fuerint, seruantur in sensorijs, sensus eorum, & Phantasiæ, hoc est imagines quædam & reliquiæ ob quas per nexum cum phantasia percipimus splendores, tinnitus, & consimilia sensibilia in sensorijs apparentia; Quod ratione confirmatur; nam sensibilis, & sensus idem est actus, ueluti etiam agentis & patientis, at actus Coloris est Colore afficere, quare actus Visus Colore præditus est, & sic de cæteris sensibus, & dum unum eorum non fuerit actu, alterum quoque non erit actu, dum uerò unum actu fuerit, similiter alterum actu erit, cum utriusque idem sit actus, & tunc referentes sonum ad sonorum, dicimus, id esse sonationem, referentes uerò ad sensum, dicimus esse auditum, adeo, ut auditio, & personatio actu pro absoluto sint idem, & sola distinguantur ratione, non secus, ac doctrina & disciplina; & hoc in loco sonus dicitur actu, cum relatione ad auditum, dum actu auditur, non pro suo esse absoluto.

Intentio.

Diuisio.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ait Visu sentire, non esse unum, & per sentire non debemus solum intelligere quod est secundum se, sed quouis modo ad sensum proprium attinente, qui modi ad Visum relati, sunt tres; Vnus, sui principalis Obiecti, nimirum Coloris; Alter ordinati pro Obiecto, & est lucis; Tertius, priuationis, & singulorum Aristot. fecit mentionem, & latè accipit sentire, quia modo non quæritur num secundum se, uel alio modo sentiamus Visu nos uidere; Et iure etiam de iudicio tenebrarum fecit mentionem, quia tenebras solum inspicimus iudicando nos non moueri, & non sentire, quod cum faciamus Visu, etiam putandum est nos Visu sentire quod uideamus; Considero Secundò, quod Aristot. ait Visionem esse modo aliquo Coloratam, nam Visio est Color per iudicium, imitationem, & repræsentationem, hinc dicitur in 3. de Anima, Animam per sensum esse omnia sensibilia, per Mentem uerò intelligibilia, immò

Tria quæ videntur.

Quomodo Visio sit Colorata.

immò Visio eminentiori modo est Colorata, quam externa Corpora, ea enim est Colorata cum iudicio, externa autem Corpora sine iudicio, sensorium sentiens rectius dicitur Coloratum, actio autem rectius dicitur Color, & species sine materia. Considero Tertiò, quod Aristot. uniuersè de omni sensorio dixit esse aptum recipere species sine materia, hinc in Contex. 121. dixit id esse commune singulis sensibus, nam distincta ratione hoc cum de sensu, tum de sensorio dici potest, & sensorium dicitur susceptiuum: nam medium est id, quod defert, sensorium quod recipit, & recipit sensibile secundum se, hoc est, ut sensorium est cætera quæ ad hoc attinent declaraui in annotationibus Cont. 121. Considero Quartò quod Arist. ostendens Visum esse colore præditum, ait recedentibus externis sensibilibus, superesse in sensorijs reliquias, & Phantasias quasdam, quod potest dupliciter intelligi; Primò, id referendo ad imagines sensibilium, quæ seruantur in sensorijs post recessum externorum sensibilium, quæ tamen non seruantur semper, sed solum dum sensibilia vehementer mouent, adeò, vt spiritus vehementer agitentur, vt dum in Solem aciem oculorum cõuertimus mox auertimus, vel oculos claudimus; Similiter, dum à uehementi sono mouentur aures, nam Aer internus agitatus aliquandiu seruat intus quasi tinnitum quendam, maximè aũt seruat internum medium sensus tactus, & etiam gustus, quia modo materiato in eo recipiuntur, has Aristot. appellat Phantasias, hoc est consistẽtias, imagines, & reliquias eorum quæ apparuerunt: At instare quis posset, quia huiusmodi reliquię non sunt uisiones, nec auditiones, sed sensibilia; Respondeo eas dum sentiuntur, etiam esse sensationes, & ob id Aristot. statim addit, quod idem est actus sensibilis & sensus; Secundò id intelligi potest: quia in præditis memoria seruantur imagines quæ Phantasmata, & Phantasiæ nuncupantur, quæ sunt sensibilia actu & iudicia, & species, & hoc magis ad rem facit, tum, quia verè sunt sensus, & iudicia, tum insuper, quia id fit semper, non autem solum potest motum à vehementi sensibili; Huic tamẽ expositioni id videtur aduersari, quia Arist. ait, huiusmodi Phantasias seruari in sensorijs, non ait in Memoria; At, soluitur: quia etiam Memoriæ inseruiunt sensoria; & per hanc expositionẽ rectius sumitur nomen Phantasiæ, & Ratio redditur efficacior; In expositione tamen ego sequutus sum commune Sententiam expositorum; Considero Quintò, quod Aristot. ait actionem sensibilis & sensus, & eandem esse, & sola ratione distingui: nam multa reperiuntur quæ dicuntur eadem numero fundamento, & pro absoluto, distincta uerò Ratione, Forma, & ipso esse, veluti se habet de actu agẽtis & patiẽtis, de doctrina & disciplina, de ascensu, & descensu, & alijs similibus. At, aduertendũ est, quod actus sensibilis & sẽsus geminus est, quia passio sensus desinit in iudiciũ, quod est actio sensus, adeò, ut consideretur actio, sensibilis, per quam sensoriũ patitur, & actio sẽsus erga sensibile quod iudicatur, & de vtraq; actione verũ, est quod actus agentis & patiẽtis est idẽ; hinc sonus non dicitur postremo actu præditus, nisi dũ auditur; Cõsidero Sextò, ex dictis ab Arist. conspicuè elici, ueram speciem sensibilem, nõ distingui ab actu sentiendi, adeò, ut ante quã sentiatur, ea non propriè dicatur species sensibilis, sed actio, & motio eius; Sic Sonus actu, est Auditus actu, & Color actu, est Visio actu, Color autẽ, & Sonus actu, species sensibiles dicuntur, quare ab actu sensus non distinguitur species; hinc nisi actu sentiatur, nõ seruatur Memoria, & id quod seruatur Memoria, est iudicium memoriæ impressum, qui dicitur actus simul sensibilis, & sensus. At Septimo loco exactus explicanda occurrit Dubitatio proposita, & soluta ab Aristot. Quæritur itaque, num eodem sensu sentiamus sensibile, & iudicemus nos id sentire, & quo pacto id sentiamus? Aristot. ait eodem sensu utrunque sentiri: nam iudicans sensibile actu, iudicat sensationem, Sensus quilibet iudicat sensibile actu, quare & sensationem: nam idem sunt, ut dixit Aristot. iudicans autem sensationem, iudicat se sentire. Confirmatur: quia si id fieret ab alio, de eo erit consimilis ratio, quare daretur progressus in infinitum; Ex aduerso id non uidetur posse competere sensui, quia est facultas materiata, quæ non ualet supra se uerti, hoc enim est officium

3

4

Instantia.

5

Actus sẽsibilis & sensus duplex.

6

Species vera sensibilis nõ distinguitur ab actu sẽtiendi.

7

An eodẽ sensu sentiamus & iudicemus nos sentire.

ficium rationis,& facultatis supra materiam eleuatæ; Confirmatur: quia si idem esset sentire,& iudicare quod sentiamus,nunquam unum nobis competeret sine altero, at,nos frequenter sentimus,cum tamen non animaduerramus nos sentire;Res itaque est dubia,& propterea Viri celebres de ea uaria dicunt; Nonnulli aiunt,hoc non esse officium sensus,sed opinatricis facultatis,nec competere sensui ut sensu,sed ut cũ Ratione est iunctus;quæ opinio in precedentibus est reiecta:nam Arist.loquitur de sensibus,ut sensus sunt,non ut Hominis; Insuper, feræ iudicant tenebras, & quærunt lucem,cum autem iudicent tenebras, percipiunt se non uidere,quare consimiliter dum sentiunt,iudicant se sentire,alioquin ille sensus nullum præberet eis usum,tunc enim nitimur assequi, uel uitare Obiectum, dum noscimus nos id sentire; Propterea alij inquiunt, hoc esse officium facultatis attentricis, quam προσεκτικὴν appellant; hanc putant esse facultatem Rationalem,quæ vagetur per facultates singulas, noscẽtes, & vitales, earumque actiones animaduertat, ideo eius officium sit dicere, ego uideo,ego nutrior,ego imaginor;Cui Opinioni satis adhæret Philoponus, at ea reijcitur vt prima,ac insuper ea uidetur deterior, quia facultates multiplicat sine vlla necessitate, & eam addit, cuius Aristot. nunquam fecit mentionem. Præterea, quæro de hac attentrice facultate,vel noscit se ea noscere,uel nõ,si non,requiretur alia facultas quæ id noscat, ac ita in infinitum; Si autem sic,cũ id competat ei,non est negandũ alijs; His accedit,quod non datur facultas attentrix distincta ab alijs,sed attentio, & negligentia sunt modi operandi facultatum cognoscentium. Pro Solutione itaque difficultatis, approbandam puto Sententiã Alexan.in cap.de Sensu communi,quem sequitur Themist.in Paraphrasi Contex.149.necnon Plutarchus Lydus,cum quibus dico, sentire, quod sentiamus, esse officium Sensus communis,non quidem ut seiuncti,sed ut coniuncti cum externis, nam Sensus communis non abstrahit à præsentia materiæ,& propterea una cum externis operatur, cõplens,& perficiens eorum actiones. Hanc Sententiam approbauit Arist.in lib.de Somno & vigilia, inquiens: Est autem quædam potentia communis,quæ sequitur omnes,quæ & quod uidet,& audit, sentit,non enim Visus quod uidet percipit,& Auditus quod audit,&c.Huius opinionis etiam fuit Theophrastus discipulus Aristotelis,quem sequuntur & Priscianus Lydus; & Marsil.Ficinus,dum illum exponunt, vt lucidè affirmant cap.47.in quo uaria notatu digna hac de re proferunt; At dicet aliquis, Aristot.conspicuè secum pugnat: nam hoc in loco id tribuit sensibus externis,in lib.de Somno & vigilia,profert oppositum,insuper adhuc remanet dubitatio de sensu communi,an sentiat se sentire,& diluendę supersunt rationes quibus ostendebatur id esse officium sensuum externorum: Pro Solutione accipio, Sensum communem esse apicem,fontem, & centrum externorum,in quo externorum vires secundum quandam eminetiam,& unitissimè includuntur,& solum operatur præsentibus sensibilibus,nec sine sensu externo; Propterea dici potest,id fieri ab externo sensu,& à cõmuni,ab externo actio recipit originem, à communi perfectionem; pro origine Arist.hoc in loco id tribuit sensui externo, quia modo intentio eius est, patefacere, ob hoc non requiri alium externum sensum, At, in lib.de Somno & vigilia,considerans perfectionem & facultatem principalem, negat id de externis, & affirmat de communi,at,vni non competit sine altero,immò,in progressu dicet Philosophus, omnem actionem externorum sensuum perfici in communi,tanquam in eo vnde recipiunt vires; At, ostẽdebatur id esse officium externorum,quia quo sentimus tenebras, & nos non videre, sentimus nos videre,id autẽ facimus Visu; Respondeo,quamuis Visus dicatur esse lucis & tenebrarum,non tamen tenebras iudicat non conspirante sensu communi, per quem tanquam principalem ut nos uidere,ita non uidere iudicamus. Insuper dicebatur,Actus sensibilis & sensus,est unus & idem, sensus externus iudicat actum sensibilis, quare & sensus; Respondeo cum Aristotele quod sunt idem fundamento, distinguuntur autem ratione, ut personatio actu,& auditio,ac ita ab externo, iudicatur ut personatio actu, & communi, vt auditio.

Opiniones varium.

Opinio altera.

Enersio.

Opinio propria.

Aristot.

Theoph.

Dubitat.

Solutio.

auditio. Insuper, iam dixi id etiam ab externo sensu modo aliquo iudicari, quia communis id facit vna cum externo. Præterea, dubitabatur quid sic dicendum de communi, num idem sentiat & iudicet se sentire, vel potius id fiat per aliam facultatem; Pro solutione animaduertendum, in dubium verti, num eodem, vel distincto actu intelligamus & percipiamus nos intelligere, similiter, sentiamus, & percipiamus nos sentire etsi uit Auic. id fieri actu distincto, adeò, vt Primò sentiamus sensibile, mox Secundò, actu sentiamus nos sentire, Tertiò sentiamus quod sentimus nos sentire, ac ita in infinitum; Auer. Disput. 6. in solut. 5. dubij, illum arguit, & vult id fieri eodem actu, sola ratione distincto, & distincto secundum esse perfectum, & imperfectum, cum diligentia, & sine, & hoc est id quod indicatur ab Aristot. dum progressum in infinitum reijcit, vt absurdum, & ait in principio esse rescindendum; Dico itaque, vel iudicamus nos iudicare eadem facultate, vel distincta & subordinata, dum id fit facultate distincta, proculdubio actus est distinctus, sic Mente percipimus Phantasiam imaginari, & Phantasia iudicamus communem sensum sentire; At, dum fit eadem facultate, tunc eodem actu quo sentimus, etiam percipimus nos sentire, solum distincto ratione, & secundum perfectum & imperfectum, sic actus externi sensus, cum perficiatur à communi, dicimus ab eo etiam iudicari, quod sentiamus, quia id non iudicamus, nisi actus sit absolutè perfectus, ac ita Sensus communis eodem actu quo sentit sensibile, etiam sentit se sentire, à Phantasia autem mox id fit distincto actu; Sic Mens eodem actu intelligit, & iudicat se intelligere; At, superest adhuc diluenda Ratio: quia nil sentit se sentire, nisi sentiat se, & conuertatur supra se, quod solum Rationis, & Mentis est officium; Respondeo, dum dicimus sensum sentire quod sentiat, id non ita debet intelligi, vt sentiat se, & actum sentiendi, non enim valet sentire se, nisi penitus ex accidenti, cum sit Substantia, sed solum qua iudicat actum sentiendi, quatenus nouit actum sensibilis sola Ratione distinctum, adeò, vt solum id iudicet directè, non autem cum reflexione in se.

An eodē actu sentiamus et iudicem⁹ nos sentire Auic.

SI autem motus, & effectio, & perpessio est in eo quod mouetur, necesse est & sonum & auditum, qui actu est, esse in eo auditu qui potestate est, quoniam efficientis & mouentis actus, in patiente in generatur, propterea non est necesse mouens mouere. Sonantis itaque actus est sonus, vel sonatio; Audientis verò auditus, siue auditio; Duplex namque est auditus, & duplex sonus, similiter de reliquis sensibus, & sensibilibus, vt enim effectio & passio in patiente est, non autem in efficiente, sic actio sensibilis in sensitiuo, sed in nonnullis quidem etiam nomine est predita, vt sonatio, & auditio, in aliis verò alterum est sine nomine. Visio enim dicitur actio Visus, ea verò qua est Coloris, nomine caret; Similiter degustatio degustantis, ea vero Saporis, caret nomine; Quoniam autem idem est actus sensibilis, et sensitiui, sola ratione distinctus, necesse est simul interire, & seruari. ita dictum auditum, & sonum, & saporem, & gustum, & reliqua similiter, quæ verò potestate dicuntur non est necesse.

Cōt. 139.

140.

141.

Intentio.

PHILOSOPHVS ostendens eodem sensu nos sentire sensibile; & quod sentiamus, dicebat Visionem esse modo aliquo Coloratam; quia idem est actus sensibilis, & sensus; Modo autem intentio eius est, ostendere, actum illum non in sensibili, sed in sentiente fieri, & esse, vt inde pateat Visionem esse modo aliquo Coloratam, & auditionem sonoram; Diuiditur Contextus in quatuor partes; In Prima,

Diuisio.

accipitur motum actu esse in mobili: In Altera, quod similiter sensus, & sensibile actu sunt in sensitiuo; In Tertia declaratur, quod cum actus sensibilis, & sensus, sit distinctus ratione, ea distincta ratio nonnunquam est prædita proprio nomine, nonnunquam non; In Quarta colligit, quod cum actus agentis, & patientis vnus sit, simul sūt,

Exposit.

& non sunt, non autem dum considerantur potestate; Inquit in Prima parte: Si (vt est ostensum in 3. Physic.) actus motoris, & mobilis cum sit vnus, est in patiente, similiter dicendum est de actu sensibilis, & sensitiui, quod sint in eo quod est aptum sentire; Ex quo elicitur, non esse necesse, vt motor moueatur: nam id de solo mobili est necessarium, motor autem si mouendo mouetur, est ex accidenti; Duplex namq; est Auditus, & duplex Sonus, &c. In hac Secunda parte, cum Sonum, tum Auditum diuidit per actum, & potentiam, similiter, sensus alios, & sensibilia alia, & dum considerantur vt sunt actu, vnum sunt fundamento, & id est in sensitiuo, vt motus omnis est in mobili; Sed in nonnullis quidem etiam nomine est prædita, &c. In hac Tertia parte declaratur, quod cum actus sensibilis, & sensus distinguantur ratione, nonnunquam vtraque ea distincta ratio est prædita nomine proprio, vt personatio, & auditio, nonnunquam actus sensibilis caret nomine, vt actus Visus dicitur Visio, actus Gustus, dicitur Degustatio, actus verò Coloris, & Saporis nomine caret; Quoniam autem idem est actus sensibilis, &c. In hac Quarta parte ex eo quod actus sensibilis, & sensus est vnus, colligit, quod ut sunt actu, simul sunt, & non sunt, dum autem considerantur vt potestate, non sunt simul, seruari enim potest alterum eorum sine altero, ut etiam dicitur in 2. Physic. de causis, & effectibus actu, & potestate.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, quod quamuis sensibile, & sensus non propriè moueant, efficiant, vel patiantur, vt assumpsit Arist. in 2. de Anima, támen vt ad id pertinet de quo est sermo, cōsimiliter se habent, de omnibus enim id verum est, quod actus vtriusque est vnus, & ille est in patiente; sic motor, ut est motor, non mouetur, sed mobile; similiter, sensibile mouens sensum, non recipit, nec mouetur, sed sensorium. Consi-

Cōtrouersia.

dero Secundò, quod Arist. uidetur secum pugnare: nam in hoc Contex. ait motum attendentem ad sensum, non in mouente, sed in patiente esse, at 3. Metaphys. Contex. 16. inquit Visionem esse operationem immanentem, & esse in uidente. *Soluitur.* Soluitur per id quod sæpè dixi, quia duplex potest fieri comparatio; Vna inter Obiectum sensuum, & sensorium; Altera inter facultatem sentiendi, & iudicium rei sensibilis; per Primā comparationem sensibile mouet, sensorium mouetur, & motus ille non in Obiecto mouente, sed in sensorio est, & hoc considerat modo Arist. per alteram comparationem, facultas est iudex, & agens, Obiectum est quod iudicatur, & id iudicium non est motus, sed perfectio iudicantis, & de hoc est sermo in 9. Metaphys. Contex. 16.

3

Considero Tertiò, quod Arist. ait Sonum, & auditum esse duplicem, vnum scilicet actu, alterum potestate; Insuper, actus & potentia est duplex: Nam datur actus primus, & secundus; Similiter, potentia ad actum primum, & potentia ad actum secundum, & vtraque distinctio est vera cum de sensu, tum de sensibili, explicauit autem Arist. hos geminos actus, dum dixit: Sonantis itaque actus est sonus, uel sonatio, Audientis verò auditus, siue auditio: nam auditus est actus primus, auditio verò secundus,

fundus, dum tamen modo diuidit per actum, & potentiam, considerat actum secundum, & potentiam ad illum. Considero Quartò, quod cum actus sensibilis, & sensus dicatur distinctus ratione, inquit Aristot. ei distinctæ rationi nonnunquam esse impositum nomen, vt doctrinæ & disciplinæ, ita personationi, & auditioni, intelligēs nomine personationis, actionem soni in aures, nonnunquam verò minimè, vt actioni Saporis, & Coloris; Ratio huius varietatis assignatur ab Auerr. qui ait actionibus sensibilium non esse impositum nomen, quia vulgus non eas cognoscit, at contra vulgus vt non cognoscit actiones sensibilium, ita neque actiones sensuum, quæ tamen sunt præditæ nomine; Præterea, officium imponendi nomina non vulgi est, sed uiri sapientis, vt ait Plato in Cratilo, vulgus autem eis utitur. Propterea dicamus, id euenire, quia actiones sensibilium nomen recipiunt ex denominatione deducta ex nomine qualitatum, ut ex albedine dealbatio, ex calore calefactio, quæ nomina denotant actionem eorum communem, receptam in subiecto, & materia, non autem solum relatam ad sensum, immò etiam personatio talis est, de actione sensuum non sic se habet, non enim eis competit actio in materia cum transmutatione. Considero Quintò, quod Aristot. ait sensibilis, & sensus actum simul esse, & non esse, dum autem considerantur ut sunt potestate, non esse simul; Eandem sententiam protulit in 2. Phys. de causis & effectis actu, & potestate; Similiter in Prædicamentis loquens de relatiuis, dixit scibilia, & sensibilia esse priora sensibus, & scientia, quæ sententia de sumptis actu, quod simul sint, non est dubia, at dubia est de sumptis potestate, nam ea quoque videntur esse simul, adeò, ut si vnum est potestate, alterum quoque necessariò sit tale, sic effectuum potestate, causæ sunt potestate, & uice uersa, ut patet ex secundo Poster. Et si quis instet, quia si per imaginationem non daretur sensus Visus, adhuc Color ex sui conditione esset uisibilis, quia est talis secundum se, & propterea quouis alio dempto semper est talis; Respondeo, competere secundum se, contingere dupliciter, uel absolutè, uel cum relatione, dum est absolutè, non pendet ex alio, at, dum est cum relatione, solum seruatur pro esse eius absoluto, at non pro esse relato; At, quid ad Aristotelem qui profert oppositum, & ait quod non sint simul? respondeo, eum considerasse fundamenta, non relationem: nam considerauit ea pro esse absoluto, non pro esse relato; Insuper, Aristot. id dixit, ut euerteret quorundam sententiã, dicentium, sine Visu non seruari Colores, nec sine Gustu Sapores, vt patebit ex sequenti Contex. Demum, Aristot. considerauit sensus & sensibilia particularia indefinitè, & quia continenter pereunt particularia sensibilia, seruatis sensibus, & uice uersa, ideo iure dixit non esse simul; Præterea, hanc sententiam Arist. profert, quia relatio parum à suo fundamento distinguitur.

4

Cur nonnullis actibus sensibilium nõ sunt imposita nomina.

5

Dubitat. Omnia relata, vt relata, simul sunt.

SED priores qui de Natura loquuti sunt, hoc non rectè dicebant, nil arbitrati seu album, seu nigrum esse, sine Visu, neque saporem sine Gustu: nam partim rectè dicebant, partim non rectè, cum enim dupliciter dicatur sensus, & sensitiuum, hoc quidem secundum potentiam, hoc verò secundum actũ, in his profectò contingit quod dictum est, in aliis verò non contingit; At, illi absolutè enunciabant de his, quæ non simpliciter dicuntur. Cõt. 142.

Intentio.

DIXERAT Philosophus actum sensibilis & sensus, unum esse, & propterea sensibile, & sensum actu esse simul, non autem dū sunt potestate, quia sic eorum actus non est vnus, nam vnus est actus secundus, non autem primus; Ex eo nunc Philosophus accipit occasionem euertendi Sententiam quorundam Philosophorum, qui etiam actus primos dicebant esse simul, adeò, vt sine Visu, & Gustu, nec Colores, nec Sapores inuenirentur; Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima referetur Sententia falsa quorundam Philosophorum; In Altera, manifestatur quid ueri ea includat, & quomodo sit falsa; Inquit in

Diuisio.

Expositio.

Prima parte, non rectè sensisse nonnullos Veterum, dicentes non repetiti Colores sine Visu, nec Sapores sine Gustu, adeò, ut uterque eorum actus, cum primus, tum secundus, simul essent, & non essent; Nam partim rectè dicebant, &c. In hac Secunda parte, manifestatur, quid veri, & quid falsi protulerint; ea Sentētia est vera de actu secundo, non de primo; per quem sunt potestate ad actum secundum, ipsi autem non distinguentes, & de dicto multipliciter, tanquam de dicto uno modo, sententiam cōsimilem enunciarunt, & propterea errarunt.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, quod cum sensus & sensibilis duplex sit actus, unus primus, alter secundus, actus primi non veniunt in unum, nec unus eorum pendet ex altero, sed solum dicere valemus actum primum sensuū, esse ordinatum in iudicium actus primi sensibilium; hinc illi actus non necessariò sunt simul; At, actus secundi, in unum ueniunt, & propterea Veteres non

2

Veteres cuncta in motu cōstituētes.

distinguentes, errarunt, & quod competit secundis actibus, tribuerunt primis. Considerandum occurrit Secundo loco, qui nam fuerint illi Veteres, qui eius fuēre opinionis; Profectò, Democritus, Leucippus, & Epicurus hoc dixerunt; Insuper, Protagoras & Heraclitus, ac denum illi omnes qui cuncta putarunt fluere, & cuncta esse talia existimarunt, qualia nobis uidentur, nam putabant rebus solum competere potentias quasdam ad agendum, & patiendum, ex quarum mutua actione & perpessione, prodirent actus, & Qualitates uariæ, adeò, ut actus ille primus sensibilium, non distingueretur à secundo & inde euenire dicebant, vt eadem res uni dulcis, alteri amara uideretur, nam talis redditur ob uarietatem mutuæ actionis; Vtebantur autem hac

Ratio Veterum.

ratione; Ita iudicamus, vt patimur, patimur à quibus mouemur, mouemur ab his quæ agunt, agunt quæ sunt, ea quæ sunt, uera sunt, quare iudicium sentientium facultatum, & omnis nostra opinio vera est; Horum Sententiam sæpè euertit Plato, similiter Arist. & iure: nam Primæ quatuor Qualitates certæ, & definitæ sunt, ex quarum temperie prodeunt secundæ, & cum certa & definita sint temperamenta, etiam ex

Euersio.

natura rei, & absolutè definitæ censeri debent Qualitates ex eis prodeuntes; Propterea vtentes eorum armis dicamus, cūcta sunt talia qualia nos ea esse existimamus, at ego existimo opinionem illam esse falsam, quare tanquam falsa reijciatur. Ratio eorum soluitur, dicendo, ea quæ agunt esse, & vera esse, at nos ob depranationem peruersè recipere eorum actiones, ideo cuncta sunt talia, qualia, solum iudicantur à Sa-

Solutio Rationis. Non Homo sed sapiens est mēsura rerum.

piente, & uiro disposito secundum Naturam; Et propterea non Homo absolutè, ut dicebat Protagoras, sed Sapiens ut ait Arist. est mensura rerum. Hinc in 3. Metaph. legitur: Furiosi opinantur Ignem esse eis nutrimentum, igitur si Ignem, siue aeneū

3

Quid veri includat Opinio Veterum.

accipient, erit eis nutrimentum? Considero Tertiò, num aliquid ueri ea Veterum opinio includat, non enim penitus eos deliraſſe putandum est; Propterea per quinq; capita ualemus aliquid ueri in ea Opinione inspicere; Primum est inconstantia materiæ, ob quam nil est permanens apud nos, sed cuncta cunctis horis magis accedunt ad finem sui æui, ac ita cuncta dicuntur fluere; Alterum est, discrimen Cęlestium à

morralibus, siue Mundi intelligibilis, à sensibili, apud nos enim nil puri est, nil syncèri, nil adeò bonum, quin mali aliquid, nec adeò malum, quin boni aliquid includat, adeò, vt nil exactè, & absolutè tale inueniatur, dum comparatur cum rerum Ideis, siue diuinis eminentijs, & puritatibus; Tertium caput est, quia sensibile est duplex; Vnum remotum; Alterum proximè cum sensorio iunctum, Veteres id proximum consideratunt, quod redditur uarium, ob uarietatem humorum, & instrumenti, ut vinum iunctum cum bile, ut ægroto videtur, ita est amarum, quamuis alteri sit dulce; Quartum caput est, referendo cuncta ad vsum, & appetitum nostrum, nam dulce nobis est, quod tale apparet, bonum idest nobis, quo rectè utimur, malum, quo perperã; Diues est, non qui auro abundat, sed qui se talem iudicat, & sua sorte est contentus; Propterea, ut diuites euadamus potius appetitui id subtrahendum est quod est redundans & superuacaneum, quam addendum facultatibus. Postremum caput est, quia illi id quod est potestate, dicebant non esse, & id solum dicebant absolutè esse, cui competit postremus actus, ac ita sensibilia dicebant talia, qualis est actus postremus, qui idem est cum actu sensus, & est omni ex parte perfectus.

SI sanè consonantia vox quædam est, vox autem & auditus, sunt modo aliquo vnum, modo uerò alio non unũ, & consonantia est ratio, necesse & auditum rationem quandam esse; Propterea corrumpit quodcunque excellens, tum acutum, tum graue, auditum: Simili modo, & in Saporibus Gustum, & in Coloribus Visum quod valde splendidum, siue tenebricosum est, & in Odoratu vehemens odor, tum dulcis, tum amarus, tanquam existente sensu ratione quadam; Ideo & suauia tunc sunt, quando ducuntur, pura & syncera cum sunt, ducuntur ad rationem, veluti acutum, vel dulce, vel salsum, suauia enim tunc sunt: omninò autem magis quod mixtum est, cõsonantia est, quam acutum, & graue, tactus autem id quod calefacere, aut refrigerare valet, sensus uero ratio est, excellentia autem vel molestiam afferunt, vel corrumpunt. Cõt. 143.

DICEBATVR sensibilis & sensus actum, esse vnum, sola ratione distinctum, ex eo sumebatur occasio reijciendi Sententiam Veterum, actum primum sensibilium à secundo non distinguentium: modo verò ex eo quod ille actus est unus, & consonantia est uox, elicit auditum esse consonantiam, & similiter omnem sensum, ex quo assumpto infert duo; Vnum est, cur excellens sensibile lædat sensum; Alterum, cur sensibile contemperatum, suaue sit; ac ita in Tres partes diuiditur Contex. Vt pertinet ad Primam partem, formatur hæc Ratio: Consonantia est vox, auditus actu, est uox, igitur auditus est consonantia; omnis autem consonantia est Ratio quædam; & quamuis Syllogismus sit in Secunda Figura ex ambabus affirmatiuis, tamen uim habet: quia Arist. utitur terminis, tanquam reciprocis; Propterea corrumpit quodcunque excellens &c. In hac Secunda parte, ex eo quod auditus est consonantia, infert excellens sensibile lædere, & hęc formatur Ratio: Quod labefactat cõsonantiã, labefactat sensum, excellens sensibile labefactat consonantiam, quare & sensum, qui est consonantia quædam, & hoc de omni sensu uerum est. Ideo & suauia tunc sunt, &c.

Intentio.

Diuisio.

Expositi.

dici rationem quandam, quia eſt ratio agens, ratio autem ut ratio, non agit ſed vt eſt Qualitas, ſenſus igitur variò modo & Relationes & Qualitates ſunt, quę expoſitio mihi eſt dubia Primò, quia Ariſtot. modo non loquitur de facultate, ſed de actu ipſius ſenſus, Secundò, quia conſideratur modo ſenſus, non ut agens, ſed vt patiens à vehementi ſenſibili; Propterea dicamus, iure auditum & omnem ſenſum dici harmoniá & rationem quandam, non primò, & propriè hæc dicuntur de illis, ſed ſecundum ſimilitudinem, & Metaphoram, propriè enim ea nomina dicuntur de rationibus, & cõſonantijs Muſicis. *Sententia propria.*

7 Conſidero Septimò iure quæri poſſe quibus Animæ facultatibus tribui debeat, ut eis uel earum actionibus competat Ratio; Reſpondeo, id non competere facultati nutrienti, quia ea non mouetur ab Obiecto, ſed illud permutat, & ſolũ includit rationem, quæ uerſatur inter agens & patiens; Loquendo de Mente ſupra ſenſum eleuata, quæ à Simplicio Mens animaria dicitur, ex eius opinione, ut dixi ei competit ratio abſolutè, non quædam; at minus rectè ſentire uidetur: quia hęc nõ eſt ratio inſita Animæ, ſed quæ præſertim reſpicit inſtrumentum, quod Menti non competit, hinc in 3. de Anima, dicitur Mentem non lædi à vehementi intelligibili, ſed acui, non itaque in mente reſidet ea Ratio, de qua modo eſt ſermo, ſed reſulget inter ſenſibile, & ſenſorium, ſenſu præditum, & magis apparet in ſenſibus externis quam internis, quia Obiecta materiata vehementius eas mouent, & magis præditi ſunt inſtrumentis proprijs, inter ſe diſtinctis, reſulget tamen etiam in Phantaſia, quę à vehemente, & formidabili Obiecto conſpicuè turbatur, comparatis autem inuicẽ externis ſenſibus, ſenſus magis materiati, ut Tactus, & Guſtus, prædicti ſunt ratione magis materiata, magiſque neceſſaria, & in temperamento conſtituta, adeò, ut à uehementi & aduerſo ſenſibili nedum ſenſorium, ſed etiam Animal deſtruatur; In ſenſibus autem magis ſpiritalibus, uiget ratio ſpiritalior & conſonantia eminentior, magis ad Animum attinens, & cum ſpiritibus magis iuncta, & inde euenit, quod per ſenſibilia eorum ſenſuum, magis recreantur, turbantur, excitantur, & componuntur perturbationes animorum, ut per Muſicam, ueluti docet Ariſt. in 7. de Republica, necnon per Colores & lucẽ, Sẽſus odoratus medio modo ſe habet, præſertim tamen conſonantia ad auditum pertinens, uires ſuas conſpicuas patefacit, tum quia magis mouet internum ſpiritum, per aerem aurium, tum inſuper, quia vox ab Animo formatur, & Animorum affectiones patefacit. *Quibus Animæ facultatibus competat vt ſine: Ratio.*

8 Conſidero Octauò, quod Ariſt. patefacieos excellens Viſibile lædere ſenſum Viſus, aitut ualde ſplendidum, & tenebricoſum, at de tenebris dubium eſt, nam excellens ſenſibile lædit, quia vehementer mouet, tenebræ autem & tenebricoſum vel non mouent, vel leuiter, quare non lædunt; Pro Solutione accipiendum, quinque reperiri ſubordinata; Non videre; videre tenebras; videre tenebricoſum, ſiue diminutum; videre moderatum, & excellens; Hæc quinque diſtincta ſunt, quorum Primum, non videre, quod competit nobis clauſis oculis, non lædit, niſi ex accidenti, vt per ocium relaxantur, & languent vires; Videre tenebras non eſt pura priuatio, ſed actio quædam, quatenus per oppoſitam memoria ſeruatã lucem, agimus, acta iudicamus tenebras, quæ tenebræ etiam ſolum ex accidẽti lædere poſſunt, ob ocium, & iuncta cum eis, tenebricoſum autem & exiguum viſibile, conſpicuè lædit, non quidem vt excellens, uehementer mouens, ſed quia leuiter mouet, & nos intentis ſpiritibus nitimur eam leuem motionem iudicare, veluti laboramus dum exiguas literas nitimur legere, & hoc denotauit Ariſt. per tenebricoſum. *Dubitatio de tenebris. Solutio. Quinque ſubordinata.*

9 Conſidero Nonò, quod Ariſt. ait contemperata & ad medium redacta, eſſe iucunda, Nam ſenſus iudicat vniuerſam latitudinem ſui Obiecti, vt apta eſt iudicari, ſed ab extremis lædituꝛ, à contemperatis ſeruatur & perficitur, moderata ſunt iucunda, quia ſunt ſimili ratione prædita, ſimile autem ſimili ſeruatur, eique iucundum eſt; Sententia eſt Platonis, Voluptatem eſſe reditum in Naturam; Sententia eſt Ariſt. Voluptatem prodire ex opere ſecundum Naturam, & opus perficere, per moderatum Obiectum ſeruatur propria Natura ſenſitiua, & cõſurgit actio *Cur moderata iucunda ſit. Sententia Platonis.*

eius perfecta, nil autem facultati est iucundius, quam exactè fungi officio suo, hinc summum Hominis bonum in eius perfecta actione dicitur collocatum, vt patet ex 1. Nicomachiorum. At pulchra occurrit Dubitatio: nam inquit Arist. in Rhetoricis: *Dubitat.* Si simile esset iucundum, quia simile, idem esset iucundum sibimet; Respondeo Pri- *Solutio.* mò, quod aliud est simile, aliud idem, Arist. in Rhetoricis probabiliter loquitur; Addo Secundò, quod re vera, simile non est iucundum quia simile, alioquin omne simile esset iucundum, & omne iucundum simile, quod verum non est: nam sitienti arido, iucundus est potus humidus, & plurimæ voluptates sunt remedia dolorum; Sed solum ea sententia est uera de iucunditate rebus competente secundum Naturam dispositis, non ex deprauatione prodeunte.

Cit. 144. *VNVSQVISQVE igitur sensus et subiecti sensibilis, existens in sensorio qua sensorium est, iudicans subiecti sensibilis differentias, vt album & nigrum Visus, dulce & amarum Gustus, & similiter se habet de reliquis.*

Intentio. CVM Philosophus cumulatè satis attinentia ad externos sensus patefecisset, cupiens eorum declarationi postremam manum imponere, & ad sequentes facultates nos dirigere, tradit in præsenti Contex. Definitionem sensus, quæ tanquam Epilogus cuncta ad eum pertinentia includit; *Diuisio.* Diuiditur Contextus in Duas partes; In Prima ex hactenus declaratis colligitur Definitio sensus; In Altera explicatur quomodo iudicet differentias sui Obiecti; & verba ex se sunt conspicua.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò vniuersam sensus Definitionem colligi ex declaratis in præcedentibus, ideo ait (igitur,) quæ Definitio est communis omni externo sensui, Philosophus eam tradens supponit id quod est commune, & remotum genus; ut quod sit facultas Animæ, & id accipit quod proprium est, referens Obiectum ad quod refertur Subiectum in quo est, & officium *Definitio Sensus.* cuius gratia paratus est. Sensus itaque est Animæ facultas, in sensorio qua sensorium est, existens, subiecti sensibilis, differentiarumque eius iudex. 2 Considero Secundò, *Dubitat. Solutio.* iure quæri posse; cur communem hanc sensuum definitionem, non dedit in principio, ut in principio dedit communem Definitionem Animæ? Respondeo Aristotelis communem Animæ Definitionem collegisse ex discrimine viuentium à non viuentibus; & ex resolutione Substantiæ in sua principia, insuper, vniuersè per secundam communem Definitionem apparuit, Animam esse principium sentiendi, ac etiam communia requisita pro notitia sensuum primò fuêre declarata, cum autem mox singulos sensus declarasset, ex eis per modum Conclusionis elicit communem eorum Definitionem, seruans methodum approbatam in 2. Poster. & erat ex Definitionibus Specierum, colligendum esse communem Definitionem Generis. 3 Considero Tertiò, quod Arist. in Contex. 121. dixit Sensum recipere species sine materia, nunc verò ait esse iudicem sensibilium, indicans speciem sine materia, esse eandem cum eius iudicio, & quia iudicare est agere, ideo colligendum, officium proprii sensus esse, non pati, sed agere, ea tamen actio exposcit præcurrentem passionem. 4 *In quo modo secundū se,* Considero Quartò, quod Aristot. ait sensum esse in sensitiuo, vt sensitiuum est, indicans esse in eo secundum se, at quæritur, in quo modo secundum se sit in eo; non in Primo, quia sensitiuum sumitur in Definitione eius, non in Secundo, quia sensus nō

est

est affectio sensitiui, sed forma. Respondeo, sensum esse in sensitiuo in Primo modo dicendi per se, nam est forma eius, nec est necessarium vt vnum directè dicatur de altero; Sic Aristot. in 1. Poster. dicebat Punctum esse in Linea secundum se, nam Sensitiuum per sensum Definitur, vt Viuens per Animam, & quamuis sensus Definiatur per sentitiuum, nil obest, quia per id non Definitur vt per principium, sed vt forma per formatum, & compositum, in quo est, non autem à quo recipiat esse; Sed instabis: Si sensitiuum est organum facultatis, quomodo dicitur materia eius; non enim Materia est Organum suæ Formæ. Præterea, si potentia sentiendi non distinguitur ab essentia Animæ, ea non in sensitiuo erit nisi vt in parte, sed in toto Animali; De prima difficultate Simplicius distinguit facultatem animæ in formantem organum, & eo vtentem, at ex Sententia Arist. eiusdem facultatis officium est formare, & vti, non enim sine necessitate multiplicandæ sunt facultates; Et dum instatur, quia Materia non est instrumentum suæ Formæ; Respondeo, id euenire distincta ratione, nam vt recipit esse, & consideratur vt distincta à Forma, dicitur Materia eius partis extensionis, vt autem consideratur tanquam totum constitutum, & refertur ad Animam totã eo vtentem, & ad officium ex eo prodiens, dicitur instrumentum, nam pars non sui, sed totius est instrumentum, & quamuis præcipua facultas Animæ non distinguatur ab eius essentia, & sit in toto Animali, non tamen est in toto cum potestate instrumẽti, & relatione ad opus ex ea proximè prodiens. Considero Quintò, quod iure Aristot. in secunda parte Contex. repetit id quod prius dixerat, nimirum sensum iudicare differentias sui subiecti generis, siue Obiecti: nam id facit vt pateat quod valeat quidem discrimen iudicare inter eas, at inter differentias distinctorum generum non valeat, cum non vtrasque noscat, & ob id dari debet alia facultas quæ valeat id efficere, de qua statim incipiet loqui, & erit sensus communis. 5

sensus sit in sensitiuo. *Solutio.* *Instantia.* *Solutio.*

QVONIAM autem & album, & dulce, & vnumquodque sensibilium, ad vnumquodque iudicamus ali quo, & sentimus quod differunt, necesse sanè sensu id fieri, sensibilia enim sunt; Quo etiam notum est, quod Caro non est vltimum sensorium, necesse enim erit, quod iudicans id iudicet tangendo illud: Neque etiam distinctis contingit, vt iudicans id iudicet aliud esse dulce ab albo, sed oportet vno aliquo vtraque esse manifesta, alioquin perinde se haberet, at si ego quidem hoc, tu verò illud sentires, & notum esset quod inuicem distinguantur, oportet autem vnum dicere quod differunt; Alterum enim dulce ab albo, quare idem dicit, & quemadmodum dicit, sic intelligit, & sentit; Quod igitur non contingat separatis iudicare separata, notum est, Quod autem neque distincto tempore id fiat, hinc erit notum, quemadmodum enim idem dicit quod alterum est bonum, & malum, sic quando vnum dicit quod sit alterum, etiam dicit & aliud, non ex accidenti sumendo illud quando; Dico autem veluti nunc dico, quod differunt, non tamen quod nunc differunt, sed ita dicit, & nunc, & quoniam nunc, simul igitur; Quare inseparabile id profert, & tempore non distincto. Cõ. 145. 146

Intentio.

Diuisio.

EX riuulis Philosophus ad fontem, hoc est ex sensibus externis, ad communem internum nos deducere sibi proponit, & more suo per operà nobis notiora parefacit necessitatem principiorum latentium; Ostensurus itaque necessitatem communis sensus, in præsenti Contextu tria declarat, & ob id in tres partes diuiditur; In Prima, accipit opus nos ducens in necessitatem sensus communis, id autem est cognitio distinctionis sensibilium distinctorum sensuum; In Altera, manifestat, quod ponens discrimen inter duo, debet utraque cognoscere; In Tertia, ostendit iudicem teneri eodem tempore vtraque noscere; Accipit in prima parte vt experientia notum est, nos aliqua facultate noscere sensibilia distinctorum sensuum inter se distingui, veluti album à dulci, & eam facultatem esse sensum, cum ea sint sensibilia, nam sensibile primo iudicandum est à sensu, ea differentia sunt sensibilia, quare sensu sunt iudicanda, ex quo infert Philosophus constare Carnem non esse vltimum sensorium, hoc exponunt Simplicius, & Philoponus, quod sensorium vltimum hoc est sensus, non sit Caro, hoc est Corpus, sed vis incorporea, alioquin tactu iudicaret huiusmodi differentias, quod tamen non contingit, at per hanc expositionem Sententia non videtur ad rem facere, & minus propriè sumuntur verba, non enim consueuit Aristot. nomine sensorij sensum denotare; verius puto dicendum Aristot. denotare in proximo sensorio non perfici actum sentiendi, sed dari progressum ad aliquod vltimum, in quo absoluatur, in quo vt in centro, & fonte resideat sensus communis, & quod dicit de sensorio Tactus, vult intelligi de reliquis sensoriis. Neque etiam distinctis, &c. In hac Secunda parte vt distinctè ostendat necessitatem Sensus communis, manifestat Philosophus quod facultas noscens discrimen inter varia, debet esse vna, eaque teneatur vtraque noscere, hoc autem declarat Philosophus, quasi instantiam soluens, nam posset quispiam putare, discrimen inter album & dulce, nosci per duas facultates, nimirum, per Visum, & Gustum, hoc reijcitur à Philosopho, exemplo satis conspicuo: nam tunc perinde se haberet, ac si ego solum album, tu verò solum dulce noscerem, & ita discrimen dicerem sentire quod conspicuè est absurdum; neuter enim nostrũ tunc discrimen nosceret; idipsum ita ostendit. Ille nosci discrimen inter duo, qui profert ea distingui, sed proferens est unus, quare & noscens; Quod autem neque distincto tempore id fiat, hinc erit notum, &c. Hæc est pars Tertia, in qua Philosophus ostẽdit facultatem noscentem discrimen inter varia, nedum esse vnam, quæ noscat utrunque, verum insuper requiri ut ea una facultas simul tempore noscat utrunque, & Ratio ita formatur: Noscens discrimen, tunc noscit utrunque, quando dicit utrunque distingui, sed dicit simul de utrisque, quare simul noscit, dum enim dico album differre à dulci, simul dico dulce differre ab albo, nam differens à differente differt, & differentia est una, sola ratione distincta, ut via ab Athenis ad Thebas, & vice versa, Non ex accidenti sumendo illud quando, &c. Reijcit modo Philosophus errorem quendam, nam dixerat quod quando dicimus unum differre, dicimus & alterum, posset quis putare, illud quando ex accidenti tunc dici de cognitione differentiæ, ut nunc dico, quod differunt, at non quia nunc differant, veluti nunc uolo ire Romam, at non pro nunc, Deus ab æterno uoluit creare Mundum, at non pro æterno, reijcit hoc Aristot. Inquiens id debere esse, & intelligi secundum se, adeò, ut illud nunc, sine quãdo, ut enunciationi ita cognitioni competat, quo errore reiecto colligit Philosophus Conclusionem quæ est, Differentiam itaque profert facultas una, idque facit simul, & tempore non distincto.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò quod Arist. in prima parte ait differentiam inter sensibilia distinctorum sensuum debere nosci sensu, cum ea sint sensibilia; Posset quis hoc inficiari, nam vis imaginandi, & Mens, huiusmodi differentias distinctius noscunt; confirmatur: quia differentia est quædam relatio, quæ solum ex accidentia sensu noscitur; Respondeo, loquendo de Sensibilibus Regula est, nil esse in Phantasia, & Mente, nisi prius fuerit in Sensu, valent quidem Phantasia, & Mens, id facere, sed præcurrente notitia sensuum, hinc priuati ab ortu sensu aliquo, etiam priuari dicuntur scientia de illo; Addebatur, Relationem solum ex accidenti sentiri; Respondeo, Relationem vsurpari dupliciter; Vel secundũ Formam; Vel pro Fundamentis, & secundum Materiam; Primo modo non iudicatur sensu, sed secundo, noscendo quod album, non est idem cum dulci, ac ita confusè noscitur à sensu. Considero Secundò, Arist. inferre, Carnem non esse vltimum sensorium, nimirum, Tactus, nec Oculos Visus, quod ita deducitur: Id per quod non noscitur differentia sensibilium distincti generis, non est ultimum sensorium, id non fit per Carnem, Caro itaque non est ultimum sensorium; Maior ostenditur: quia ea differentia cum exposcat notitiam cunctorum sensibilium, debet nosci per sensorium vltimum; Minor ostenditur: quia Caro proximè, & tactu sentit, at tactu non possunt noscidifferentiæ nisi tangibilium; Mox pro hujus ostentione quod tactu nõ noscantur huiusmodi differentiæ, & quod Caro non sit ultimum sensorium, ostenditur iudicem differentiarum esse facultatem vnam, simul noscentem ea quæ differunt. Considero Tertiò, quod Arist. ostensurus eam differentiam non cognosci per externum sensum & sensorium, sumpsit potius Carnem, quam Oculum, vel Aures, Primò, quia iam in cap. de Tactu, dixerat sensorium eius primum esse intus, quod modo ratione confirmat, insuper quia caro iudicat plures sensibilium differentias, propterea magis videtur id posse esse, cum non sit. Tertiò, quia est extensa per omnes partes corporis, & per omnem partem tangibilia sentimus. Quartò, quia modo aliquo sensorium omne est particeps Carnis, ac ita magis videtur esse sensorium commune. Quintò, quia instrumentum primum tactus magis est iunctum cum sede Sensus communis, vtriusque enim sedes dicitur Cor, nam ex sententia Aristot. sensorium ultimum, in quo relidet sensus communis, est Cor, quod in cap. de Tactu, dicebatur sensorium primum, in hoc autem Cor ex vltimum, est enim primum facultate, & absolutè, est ultimum ordine sentiendi, nam sensibilia primò occurrunt externis sensorijs, qui ordo nunc contemplatur; Medici tamen vna cum Platone, inquiunt esse Cerebrum, ut loquens de sede Animæ, declarauit. Considero Quartò, quod Arist. profert hanc Cõclusionem: Noscens discrimen inter duo diuersa, debet esse facultas una, quæ simul noscat vtrumque, at dubia est, Primò, quia dicam ego quod Homo ille est, qui per varias facultates, noscens varia, noscit discrimen inter ea; Insuper, ego nunquam vidi Elephantem, tamen constanter dico, Formicam ab Elephante distingui. Præterea, pro exacto iudicio congregantur plures iudices, & cum sint plures, exactius iudicant, non itaque est necesse ut facultas sit vna, neque etiam requiritur, vt noscat ea simul, nam vno tempore degusto Mel, alio vinum, & dico, vinum non dulce, distingui à Melle, dulci, vel dulciore; Pro Solutione dico, sensum iudicare differentias, & dissimilitudines potius secundum materiam, & fundamentum, quã secundum propriam formam, nam noscere similitudinem, dissimilitudinem, conuenientiam, & differentiam, secundum propriam formam, est Rationis opus, varia inuicem comparantis, utentis tamen instrumento & iudicio sensuum; Ex quo patet, perperam à nonnullis similitudinem, dissimilitudinem, conuenientiam, differentiam, & alia huius generis, numerari inter sensibilia communia, nam dum considerantur secundum formam, nec

Consid. 1.

Dubitat.

Solutio.

2

3

4

Dubitatio cõtra Regulam prolatam ab Arist.

Solutio.

pro-

propria, nec communia sensibilia sunt, sed Ratione comparante iudicantur, facultas iudicans discrimen debet noscere utrumque, nam discrimen est tanquam medium, quod refulget ex notitia extremorum, hinc de iudice dicitur, audi alteram partem; Insuper vt iudicium est vnum, ita iudicans vt iudicans, debet esse vnum; Confirmatur: quia comparatio exposcit vt comparans sit tanquam medium indifferens & noscat ea quæ comparat, nam comparatio comparabilium est comparatio. Rationes aduersæ diluuntur; Dicebatur Primò, quod sat est, vt Homo per varias facultates varia noscat; Respondeo, nisi illæ uariæ facultates in vnum venirent, non posset id facere, nam Homo id facit ut unus, est autem unus per formam & facultatem eius; Addebatur, quia nunquam vidi Elephantem; Respondeo eam differentiam non noſci a sensu communi, sed à Phantasia, quæ per relata de Elephante imaginem concepit distinctam ab ea Formicæ; Dicebatur, congregari plures pro exacto iudicio; Respondeo, id non esse iudicium unum, sed conspirationem plurium iudiciorum; Addebatur, sæpè noſci ea quæ comparantur distincto tempore; Respondeo, tunc discrimen non noſci à Sensu communi, solum operante præsentibus sensibilibus, sed à Phantasia cui per Memoriã ea sunt præsentia, quæ prius nouerat. Confidero Quintò, quod Arist. ait: Vt idem dicit quod varium est bonum à malo, sic quando alterũ dicit quod varium, dicit & alterum, non enim dicere possumus Senas distare ab Vrbe Roma, quin simul dicamus Romam distare ab Vrbe Senarum, cum distantia sit eadem; At, id quod parit difficultatem, est, quia dicere, & enunciare, non est officiũ Sensus, sed Phantasiæ, & Rationis. Insuper ait: Vt idem dicit dulce differre ab albo, ita idem intelligit & sentit; at, modo non de Mente sed de Sensu est sermo, ideo ad rem non facit, dicere, quod intelligat; Respondeo, differentiam sensibilium distinctorum confusè noſci per Sensum communem, distinctè per Phantasiam, distinctius per Mentem; Id dicere dum refertur ad Sensum communem, solum est iudicare, dum ad Phantasiam, est dicere diminutè, dum ad Mentem, exactè, Mens enim ea est quæ format distinctam enunciationem, & Arist. ait, quod idem dicit, sentit, & intelligit, per intelligere denotans vel internum sensum, qui à Veteribus non secernebatur è Mente, vel Mentem contradistinctam à Sensu, quia hæc quæ dixit, nedũ vera sunt de Sensu, sed etiam de Mente, ac modo eminentiore; Confidero Sextò, quod cum Arist. ostendat dari Communem sensum, non propterea ostendit Subiectum librorum de Anima esse, sed solum explicat per opera, vires, & facultates eius, patefaciendi numerum & conditionem earum, an autem Subiectum, uel eius species in scientia ostendi possit quod sint, non est præsentis considerationis, solum addo, necessitatem Communis sensus etiam à Platone fuisse approbatam, propterea in Theæteto inquit, Absurdũ id esset o puer, si multi in nobis sensus, vt in ligneis equis intiderent, & omnia hæc in vnam siue Ideam, siue Animam, siue quomodocunque uocari decet, minimè tenderent, qua per ista tanquam per Organa, quæcunque sensibus subiacent sentiamus, &c.

Rationũ aduersarũ dilatio.

Dubitat.

Solutio.

Platonis sensus necessitatem probauit.

Anim. 2. Com. 47.

AT verò fieri nequit simul contrariis motibus moueri idẽ, quatenus indiuiduum, & in indiuiduo tempore, si enim dulce ita mouet Sensum, vel Mentem, amarum verò contrario modo, & alio modo album, num igitur simul quidem, & numero indiuiduum, et tempore indiuiduo ipsum iudicans, ipso autem esse distinctum? Est quidem vtique aliquo pacto vt diuiduum, diuisa sentiat, est autem vt indiuiduum, ipso quidem esse diuiduum, loco verò, tempore, & numero indiuiduum; At

minimè id fieri potest, facultate enim idem diuiduum, & indiuiduum 148
est, & contraria, ipso autem esse nequaquam, sed eo quod mouetur di-
uiduum. Et non contingit simul album, & nigrum esse, quare neque
species pati eorum, si huiusmodi sit Sensus, & Mens; Sed quemad-
modum quod vocant nonnulli Punctum, quatenus vnum, & quate-
nus duo, eadem ratione etiam diuiduum; Quatenus igitur indiuiduum,
vnum est quod iudicat, & simul, vt verò diuiduum est, non vnum;
bis enim vtitur eodem signo simul; Quatenus igitur duobus vtitur, fine
eorum duo iudicat, & separata sunt, veluti etiam sunt fines separato-
rum, quatenus verò iudicat vnum, vno id efficit, & simul... De prin-
cipio igitur quo Animal dicimus esse sensitiuum, hoc modo sit definitũ.

STENDERAT Philosophus dari sẽsorium vltimũ, in quo resi- *Intentio.*
deret Sensus communis, qui esset vnus, simul noscens opposita, &
varia, ac ita varietatis eorum esset iudex; modò ut Sẽtentia redda-
tur lucidior, dubia soluit quæ veritatẽ eius sententiæ possent obũ-
brare. Diuiditur autem Cõtex. in Quatuor partes; In Prima Philo- *Diuisio.*
sophus dubitat; In Secunda, leuiter soluit; In Tertia solutionem in
dubiũ vertit; In Quarta exactè soluit, & colligit, se attingẽtia ad sen-
sum explicasse; In Prima itaque parte ita dubitat; Idem vt est indiuiduum, non po- *Exposit.*
test simul moueri contrarijs motibus; Sensus communis dicitur idem, & indiuiduus
quare non valet simul contrarijs motibus moueri, at, dulce ita mouet Sensum, & Mẽ
tem, amarum modo contratio, album modo uario, quare non possunt tempore in-
diuiduo id indiuiduum mouere; Num igitur simul quidem, & numero indiuiduum,
&c. Soluit in hac Secunda parte difficultatem, inquiens hæc posse competere simul
vni indiuiduo, non eadem, sed distincta ratione considerato, adeò, ut sentiens ea, mo-
do aliquo sit diuiduum, nimirum ipso esse, & ratione, alio verò indiuiduum, numero
& fundamento, tempore & loco, quia in eadem est sede, neque id ei competit per va-
rietatem extensionis partium; An minimè id fieri potest, &c. Hæc est pars Tertia, in
qua reijcit traditam solutionem, hac ratione, quod aliquid sola ratione distinctum;
moueatur motibus contrarijs, contingere quidem potest facultate est distincto tem-
pore, non simul, at, per relatam Solutionem concedebatur moueri simul, quare ea nõ
est approbanda, veluti, non potest idem lapis secundum eandem partem, simul cale-
fieri, & refrigerari, quamuis consideretur ut ratione distinctus, nimirum ut potesta- ε
te calidus, & potestate frigidus, nam hæc ei simul competere non possunt, sed eo quod
mouetur & ad actum deducitur diuiditur, quia id fit distincto tempore, & cum non
contingat vt idem simul sit album & nigrum, quia contraria mutuo se expellunt, etiã
contingere non potest, ut idem simul patiatur, & moueatur à speciebus eorum, si sen-
sus & Mens fuerint tales, ut ab eis sint aptæ moueri, easquæ recipere, ut de Sensu dã
ctũ est, vel potius fuerint tales, vt sola ratione distinguãtur. Sed quemadmodum quod
vocant nonnulli punctũ, &c. Hæc est pars Quarta, in qua Philosophus exemplo verio
rem tradit Solutionem, inquiens, perinde se habere de Communi sensu, ac de Pũcto,
quod Centrum est Circuli, in quod desinunt variæ Lineæ à Circuli Linea ductæ, nam
id Centrum pro absoluto consideratum, est vnum, & indiuiduũ, ut uerò terminus plu
rium Linearum, totuplex est quot sunt illæ Lineæ: nam variarum Linearum uarij di-
cuntur esse termini; ita Sensus communis, ut unus est, iudicat; & vnum discriminis
affert iudicium, ut uerò est terminus distinctorum Organorum & Sensuum, mouetur

motibus uarijs, & iudicat varia, & contraria; Colligit demum, se hactenus attinentia ad Sensus explicasse.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, dubitationem propositam ab Aristotele habere locum nedum in Sensu communi, uerũ etiam in externis, nam externi sensus iudicant contraria, eam tamen Aristot. mouit de sensu communi, quia plura iudicat, nedum contraria, sed etiam proximo genere distincta, & cum in primis verbis Aristot. dubitationem proponat de Contrarijs, inquiens idem simul non posse moueri motibus contrarijs, statim exemplo eam extendit etiam ad Genera distincta, inquiens: Si dulce ira mouet, amarum contrario, & album modo alio; Insuper, eadem Dubitatio vim habet de Phantasia, & de Mente, quæ facultates inter contraria & genere distincta discrimen noscunt: hinc Aristot. & de Sensu

2 & de Mente mentionem facit; Consídero Secundo, quod idem distincta ratione simul potest moueri motibus distinctis, at, non contrarijs, ut lapis potest simul descendere, & calefieri, non autem simul ascendere, & descendere, siue calefieri, & refrige-

Discrimē se cũdę Solutionis à prima. rari, Ex quo elicio Primam Solutionem, sumptam ex distinctione rationis, posse satisfacere pro notitia distinctorum genere, at, non pro notitia contrariorum, & motu contrario; ideò Philosophus Alterã dedit, quæ differt à Prima, quia per Primam dicebatur solum distingui ratione, at, per Alteram additur distingui per Lineas, uias, & partes, per quas defertur, adeò, ut contrarietas & motus contrarius, in eis seruetur; Sensus autem ut unus, unum iudicium profert, sic in Oculo non per eandem partẽ, tanquam per Lineam defertur species albedinis ad Centrum Oculi, per quam defertur ea nigredinis, & in Tactu non per eandem partem Carnis simul defertur actio caloris, & frigoris, sed per uarias, facultas autem sentiens tanquam in Centro posita, vnum iudicium profert, & in ea præcurrens passio in actionem definit, quæ est iudicium, nam facultas sentiens patitur, & mouetur ratione Organi, & Corporis in quo est, ex se autem iudicat; Similiter, est extensa & diuisa ratione Corporis, ex se autem indiuidua est, & ubique est tota secundum essentiam, & ideo unum profert iudicium; Ex quo elicio Secundam Solutionem non pugnare cum Prima, sed eam perficere, eique aliud addere, ut apparuit, & hoc, conspicuè ex eo elicitur, quia Aristot. in lib. de Sensu & sensili, prope finem, affirmat id competere Sensui communi, ut ratione distincto; Quod etiam affirmat in libro de Somno & vigilia; At, dum ea utitur Solutione, tolum considerat motum, & affectionem distincti generis, non autem contrariã, nam idem pomum in eadem parte potest esse album, calidum, dulce, & odore præditum;

3 Consídero Tertiò, quod Aristot. inquit, & non contingit simul album, & nigrum esse, quare nec species patiẽtes, si huiusmodi sit Sensus & Mens, hoc est (ait Simplicius) si fuerint facultates patiẽtes, & extrinsecus recipiẽtes, nã ex opinione Simplicij, Arist. vult ostendere, eas esse facultates agentes, non patientes; At, quia Aristot. frequenter affirmat Sensum pati, quia passio præcurrit, ideo melius est dicere si huiusmodi fuerint, nimirum, vt soluendo dicebatur, quod sola ratione distinguantur, & si denotat, si fuerint huiusmodi, hoc est patientes, putandum, quod id proferat tanquam frequenter prolatum, & approbatum; est itaque vis sentiens ex se agens, ex accidenti patiens, ex se vna, & indiuidua, ex accidenti diuidua, & multiplex. Consídero Quartò, quod Aristot. in lib. de Somno & vigilia, ostendit necessitatem Sensus

4 *Necessitas Sẽsus cõmunis. Plato.* communis, Primò, per iudicium quod sentiamus, id enim ait esse officium Sensus communis. Secundò, per iudicium differentiæ sensibilium distincti generis, & addit esse unum Subiecto, distinctum ratione; Plato verò id facit in Theeteto ratione sumpta ex vnione sensuum, ne sint multi, seiuncti, vnitioneque destituti, sine qua animalium

malium partibus nulla consensio competeret. Considero Quintò, Communem sen 5
sum sic Definiri posse, quod sit facultas Animæ sentientis interna, terminus & origo
extremorum sensuum, primò in Corde residens, iudicans externos sentire, & discri- *Definitio Sensus cõ*
men sensibilium distincta generis præsentibus sensibilibus, pro quo illustrando Philo *munis.*
sophus vtitur exemplo accommodatissimo sumpto à Centro Circuli, nam ut Centrũ
est internum, est vnum ex se, multiplex per Lineas, quarum est terminus, est nexus
variarum Linearum, principium, & finis earum, ita Sensus communis ad externos se
habet; Propterea, vt reuoluuntur Circulus, & Lineæ, Centro seruato immobili, ita
mutantur cætera inseruientia Sensui, iudice seruato immobili; Præterea, Punctũ id
non est Corpus, nunquam tamen existit seorsum à Corpore, ita Sensus communis *Similitudo centri, & sensus cõmunis.*
seorsum non requiritur. Demum, si consideramus actionem, & motum, primò appa-
ret in Circulo, & desinit in Centrum; si verò absolutam originem, dicimus Lineas
prodire ex Centro, eoque tanquam fundamento niti, sic Communis sensus se habet
ad externos, adeò, ut absolutè sit primus, ordine verò originis operationum, sit ulti-
mus, cui externi famulantur. Ex quo elicitur, Communem sensum dignitate præsta- *Sensus cõ munis præstat externis dignitate.*
re externis, non secus ac Fons Riuulis, & Lucidum Radijs ex eo prodeuntibus. Et si
quis instet, quia mouens præstat ei quod mouetur, externi autem sensus mouent com- *Dubitat.*
munem; Respondeo, vires mensurari per maximum quod possunt, & per id quod rei
competit secundum se, maximum quod potest Sensus communis, nimirum iudicare, *Solutio.*
& perficere actiones externorum, præstat maximo quod possunt externi sensus; Insu-
per Communi ex se competit agere, ex accidenti autem, & per sensorium, pati, quæ
passio inseruit actioni, absolutè tamen verum est, quod omne mouens & agens, præ-
stat patienti, ut patiens est, at, non absolutè. Considero Sextò, quod Arist. loquens 6
de Sensu communi, ait: Vt mouetur à varijs, distingui ipso Esse; & Ratione; Simi-
liter putandum est, quod distincta ratione iudicet uaria, quatenus iudicium est quæ-
dam conformatio cum Obiecto, vt patebit in sermone de humana Mente; At, iu- *Quæ sit distincta Ratio. Academici.*
re quæritur, quænam sit huiusmodi Ratio eadem, uel distincta, qua Anima iudi-
cat? Qua de re varij uiri celebres, uaria dicunt; Ex Sententia Academicorum,
quos sequuntur Simplicius, Plutarchus, & Priscianus Lydus, Menti compe-
tunt Ideæ, Animæ Rationes, quæ vsque ad Sensus descendunt, Naturæ Semina,
Materiæ participationes formarum, Sensoria aiunt per distinctas partes recipere, &
pati, sensum verò vtentem sensorijs, non pati aiunt, sed per proprias sensibilibus re-
spondentes rationes, aiunt iudicium de illis promere, adeò, vt species sensibilis, quæ
est id iudicium, à sensu promatur, non autem formetur, & imprimatur à sensibili, &
hæc etiam Iamblichi sententia fuit, at, qui exactius sequuntur Aristot. vt Ideas Men-
ti, ita huiusmodi distinctas rationes Animæ non tribuunt, Propterea Magnus Alber- *Magnus Albertus*
tus hoc in loco, inquit Animæ competere inchoationes omnium sensibilium Forma
rum, ac ita eas præsentibus sensibilibus, potius promere, quam recipere; Si nomine
inchoationis intelligimus gradum Formæ Sententia non est approbanda: nam ita
Anima nuda dicitur, & gradus Formæ cum potentia pugnat; At, si puram intelligi-
mus potentiam, quæ modo aliquo media dicitur, inter non esse penitus, & esse actu,
vt etiam materia in 1. Phys. dicitur media, ita & Materiæ, & Animæ, inchoationes
Formarum concedere valemus; & quia potentia est duplex; Vna agens; Altera pa-
tiens; ita duplex erit inchoatio, at, longè varia: nam ea patientis est imperfectio, du-
cenda ad perfectionem, ea agentis est actus, facultate & quadam eminentia includēs
ea quæ efficere aptum est, tribuens alteri perfectionem, huiusmodi rationes variæ,
competunt omni agenti, & patienti, per quas dicimus, quod distincta ratione distin-
cta recipiunt, & producunt, quæ rationes fundamento, & pro absoluto non distinguū
tur, solum distinguuntur extrinsecus in operante per Naturam, vt ad varia refertur:
in Artifice autem, etiam intrinsecus & absolutè sunt distinctæ sic alterius formæ, al-
tera est Materia, & Materia prima cum primo apta sit recipere quatuor priuas for-

7 mas Elementorum, in 4. de Cælo 37. dicitur quadruplex. Considero Septimò, in dubium verti posse, num contraria secundum esse spirituale inuicem pugnent, nam dicere quod pugnēt videtur absurdum, quia pugna & oppositio in Forma seorsum à Materia cōsiderata, minimè seruatur, contraria enim pugnant, pro formando eodem Subiecto, quare seorsum ab eo non pugnant, neque etiam patiuntur, vt dicitur in 1. de Ortu & interitu; Insuper ostenditur, quia Memoria seruātur innumera, & contraria, & genere distincta sine vlla pugna, sic Mens dicitur fieri omnia, cum tamen sit indiuidua; Præterea, patet experientia, per eandem Aeris partem simul deferri actiones cōtrariorum Colorum, nam eorum actiones momento per Aerem extenduntur in orbem, sine vlla pugna; Ex aduerso, si dicimus non pugnare, leuis & inanis erit Dubitatio proposita ab Aristot. cum dicat, idem non posse simul moueri motibus cōtrariis, nam de motione spiritali, ea Sententia falsa est, sensus autem spiritaliter, & sine materia recipit; Sic etiam, minus rectè ab eo solueretur: nam dicere debuisset eas species nō pugnare, cum sint sine materia, & confirmatur: quia Aristot. oppositum profert, inquiens: Et non contingit simul actu album & nigrum esse, quare neque species patiuntur eorum, si huiusmodi sit Sensus, & Mens; Soluens itaque dico, actiones sensibilium quousque fuerint materiatæ, proculdubio semper inuicem pugnare, adeò, vt uel recipiantur cum remissione earum, vel per distinctas partes, at, dum considerantur pro esse spiritali, quod est quædam imago, & representatio, sic non pugnant, vt Primò patefeci, & quando contraria repræsentantur uarijs, vt albedo, & nigredo, sine vlla pugna, per idem medium, & per idem speculum repręsentari possunt, euenit tamen, vt dum vni sensui repręsentantur, & proximè in eius sensorio recipiuntur, ratione distinctæ oblationis, & repręsentationis, id fiat per partes uarias, sic non in eadem speculi parte vnus inspicit albedinem & nigredinem, at duo id facere possunt, vt experiētia docet, & id non prouenit ex pugna spiritalium, sed ex relatione, & repręsentatione quæ per uaria uni fiat; sic Sensui communi per uaria, tanquam per uarias Lineas debent offerri uaria, & contraria, ac ita non leuiter dubitat, nec malè soluit Aristot. & dum dicebat, quod vt simul actu album, & nigrum esse non potest, ita neque species eorum; Respondeo, id esse verum ex parte repræsentationis, quæ eidem fieri debet, nam quamuis sensui Communi repræsententur sensibilia iudicata per externos solum spiritaliter, tamen ea debet fieri per uarios Spiritus, & partes. Considero Octauò, quod dubium est, quomodo externi sensus se habeant ad communem, num sint essentiæ distinctæ, vel potius essentia vna extensa per varia, vt ex eodem fonte varij riuuli manant, cum tamen aqua sit eadem; Qui putant potentias Animæ esse Qualitates distinctas ab essentia Animæ, facilè soluunt: nam inquiunt, essentiam Animæ esse eandem, facultates verò distingui, & in varijs organis esse varias, quod confirmari posse videtur: quia ait Aristot. in 2. de Gener. Animal. cap. 3. facultatis & organi eandem esse rationem, nec posse vnum esse sine alio; At, quia alibi exactè patefeci facultates præcipuas quæ operandi sunt principia, à fundamento non distingui, propterea dicamus essentiam Animæ esse talem, vt tanquam forma eminens includat vires efficiendi uaria, at, non sine congruente Organorum varietate, & quemadmodum Sol liquefacit cærā, & indurat lutum, ita hæc eminens Animę virtus, instrumentorum uarietate, varia producit, hinc legitur in 1. de Anima, quod si senex reciperet oculum iuuenis, videret ut iuuenis, & in 2. de Anima, inquit Aristot. non undique Hominem sonum audire, quia non in omni eius parte insitus est Aer, qui moueatur ab eo, facultates prodeuntes ex uarietate partium, & temperamentorum Organorum, uariæ sunt, & ab essentia Animæ distinctæ, at, non illę quæ sunt prima operandi principia; At, dicebatur, quod eadem Organi & facultatis est ratio; Respondeo, id esse uerum de potentia considerata secundum suum esse postremum, & ratione propria, ut principium est operādi, insuper cum relatione ad totum Animal, in quo organum reperiri debet, 9 ne sit frustra. Considero Nonò, distingui Sensus in externos & internos, externi sunt

An cōtraria spiritalia inuicē pugnent.

Solutio.

Quo sensus externi se habeant ad cōmunē.

quinque, internorum Primus est Sensus communis, quæritur, cur illi dicantur externi, non enim quia Organa extrinsecus apparent, dicuntur externi, nam instrumentum Tactus dicebatur intus, & Caro dicebatur non esse ultimum sensorium; Propterea nonnulli (ut mirabile aliquid dicere uideantur,) reijciunt hanc Diuisionem, & inquiunt, Sensum omnem esse internum, ut etiam forma, & essentia Animæ, est internum aliquid, non externum; At, hi decipiuntur, non enim Sensus ideo dicuntur externi, quod extrinsecus ut figura sint positi, sed quia externa sensibilia eis primo occurrunt, & se offerunt iudicanda, quod Sensui communi non competit, qui quamuis solum operetur præsentibus sensibilibus, non tamen primò ea iudicat, sed supponit iudicium externorum, & ideo dicitur esse intus, ut Centrum Circuli. Considero Decimò, quod Aristot. colligit se egisse de Principio quo Animal dicitur esse sentitiuum, ait (de Principio) quia potentia describitur per esse Principium, simul indicans, ea non distingui ab essentia; At, dicet aliquis, nonne etiam reperiuntur alij interni Sensus, ueluti Phantasia, cui iuncta est Memoria? Respondeo, Aristotelem denotare Sensum contradistinctum à Mente latè sumpta; Phantasia autem dicitur Mens brutorum, & præsertim ex Sententia Veterum non secernentium eam à Mente; Præterea, Aristot. cautè loquitur: nam ait se egisse de Sensu, quo Animal sensitiuum est, at, sine exacta Phantasia & Memoria, Animal est sensitiuum, quia non competunt omni Animali, ut aliquis externorum & communis, qui nuncupatur Communis, non quia uniuersalia iudicet, sed quoniam est tanquam fons, & commune Centrum externorum, ac etiam, quia ei magis propriè respondent illa sensibilia, quæ communia nuncupantur, ut dicebat Aristoteles.

Cur sēsus dicantur externi.

Dubitat.

Solutio.

QVONIAM autem duabus differentiis distinguunt maximè Animam, & motu secundum locum, & ipso intelligere, & iudicare, & sentire, nam videtur ipsum intelligere, & sapere, tanquam sentire quoddam esse, per vtraque enim hæc Anima iudicat, & noscit, ea quæ sunt, & Veteres sapere, & sentire, idem esse putarunt, veluti etiam dixit Empedocles; Ad præsens namque consilium augetur hominum, & alibi; vnde ipsis semper sapere aliena adest; Idipsum denotat & illud Homeri,

Huiusmodi namque est Mens Mortalium hominum,
Qualem in dies ducit Pater Hominumque, Deorumque.

Hi namque omnes intelligere Corporeum, perinde ac sentire arbitrantur; Et sentire, ac sapere simili simile, vt in Sermonibus circa principia diximus. Atque oportebat simul, & de eo quod est, deceptum esse ipsos verba facere, id enim magis est proprium Animalium, & plus temporis in eo consumit Anima; Propterea necesse est siue vt nonnulli dicunt quæcunque apparent esse vera, siue contactum dissimilis esse deceptionem, hoc enim contrarium ei est, quod simili simile cognoscatur. Videtur autem cum deceptio, tum scientia contrariorum eadem esse.

Cōt. 150.

151

Intentio. DECVRSIS externis Sensibus, vnà cum Communi, consilium modo Philosophi est, de Mente verba facere, pro cuius distincta explicatione; Primò, declarat quid ea non sit, vsque ad Contex. 155. Mox quid sit Mens, de facultate imaginandi dicta; Tertiò, quid sit propriè sumpta Mens, dum dicet de particula Animæ, &c. Vt itaque patefaciat quid Mens non sit, in præsenti Contex. tria facit; Primò, refert diuisionem Animæ ex sententia Veterum; Secundò manifestat, Veteres Mentem non secreuisse à Sẽ su; Tertiò, disputat aduersus eos; Vt pertinet ad Primam partem, inquit Aristot. Veteres Philosophos maximè, hoc est præsertim, & tanquam principalibus differentijs, Animã diuisisse per motum secundũ locum, & per intelligere, iudicare, & sentire, nã intelligere, & sapere, videtur esse quoddam sentire, cũ eis cõe sit iudicare, ea aũt quæ iudicamus dicimur modo aliquo sentire; Et prisci sapere & sentire idẽ esse inquiunt, &c. Hæc est Secunda pars, in qua refertur Sẽtentia Veterum, qui sapere & sentire idẽ esse inquiunt, adeò, vt Intelligere pertinens ad contemplationem, Sapere ad Prudentiam, & Sentire ad iudicium particularium idem esse putarunt, & ob id duabus solis differentijs diuiserunt Animam; Hoc confirmat per uerba Empedoclis, mox Homeri, de quibus in annotationibus, ideo colligit eos vt sentire, ita intelligere putasse esse materiatum, corporeum, ac uarietati obnoxium, ac insuper existimasse cum sapere, tum sentire fieri per simile, adeò, ut simili secundum esse materiatum, simile iudicaretur, ut in 1. de Anima apparuit per Carmina Empedoc. quæ retulit; At qui oportebat simul & de eo quod est deceptum esse ipsos, verba facere, &c. In hac Tertia parte disputat Philosophus aduersus eos, & more suo illos redarguit, per eorundẽ principia, simulque indicat diminutionem explicationis sententiæ eorum, nam de attinentibus ad deceptionem, quæ magis propria hominum est, quam scientia, nil dixerunt, ideo vel putarunt non dari deceptionem, sed omnia quæ apparent esse vera, quod falsum est, & alibi reiectum, vel si datur deceptio, ea per illorum principia erit contactus dissimilium; Nam oppositorum eadem scientia, & deceptio, opposita tamen conditione, at deceptio & scientia sunt opposita, & hæc per eos fit contactu similis, quare ea fiet contactu dissimilis, quod est absurdum, nam eodem tactu dissimilia rectè & verè iudicamus.

Diuisio.

Expos.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. VT pertinet ad verba, in principio Contex. ait Arist. Quoniam &c. ea particula causam denotat, & debet ei aliquid respondere, cuius sit causa, nil autem adesse videtur quod ei respondeat, propterea dicebat Alexander referente Philopono, particulam illam esse redundantem; Plutarchus Lydus & cum eo Philoponus, & Simplicius, aiunt ei id respondere, quod dicitur in Contex. 152. Quod igitur non est idem sentire & sapere, &c. Auerr. in Cont. 152. idipsum videtur indicare, sed quia nimium longa videtur intermedia suspensio, ideo Argirop. hoc in loco addit, considerandum est si quid interfit inter intelligere & sentire, at, addere, hoc non est interpretari Aristotelem, sed potius patefacere diminutionem, ideo potius approbanda est Sententia Plutarchi, nam quamuis suspensio sit longa, nil refert, quia id contigit ob occasionem relationis falsæ Sententiæ Veterum. Considero Secundo, ex sententia Magni Alberti, necnon Aegidij, hoc esse principium Tertij libri, propterea Arist. in calce præcedentis Contex. colligebat se de Sensu egisse, at de re hac suo loco verba feci, propterea hoc prætermisso, considero diuisionem Animæ ex Sententia Veterum per duas differentias quæ sunt motus secundum locum, & intelligere, iudicare, & sentire; Hanc diuisionem etiam retulit Arist. in 1. de Anima, 19. inquiens Animatum ab in animo, duobus præsertim differre videtur, motu, & sensu; Similiter

Plutarchus Lydus.

Sententia Magni Alberti de principio Tertij libri. De Animæ diuisione.

in 3.lib.Contex.40.legitur: Quoniam Animalium Anima secundum duas definit: est potentias,& iudicio,quod intelligentiæ opus est,& sensus, & adhuc motu secundum locum,&c. Arist.loquuturus de differentijs Animæ, tenetur primò eas referre, vt pateat de quibus, & quo ordine sit agendum; At, diuisio videtur diminuta, cum de nutriente,& appetente non fiat mentio, dicendum diuisionem esse ex Sententia Veterum, qui nutritionem putarunt opus Naturæ, ut in 2.de Anima dicebatur ex opinione Empedoclis,appetitus autem redigitur ad Sensum ex quo prodit, & ad motum cuius est principium; fecit autem mentionem Arist. de ipso sapere, intelligere, sentire,iudicare, ut denotaret ex Sententia Veterum cuncta Animæ officia iudicium includentia ad eandem facultatem attinere, & propterea non est laborandum in distincta explicatione propriæ significationis earum uocum, quia consilium modo est Aristotelis,patefacere Veteres eas confudisse, & ad eandem Animæ partem retulisse,cuius officium esset iudicare, ea autem essent uaria eiusdem facultatis iudicia.

Considero Tertiò,non motum,& intelligere esse differentias,sed facultates quæ sunt principia horum,denotatas per opera nobis notiora, & sunt differentiæ per quas viuentia constituuntur; Insuper,sunt differentiæ non inuicem oppositæ, sed subordinatæ tanquam gradus,quorum vnus includitur in alio, vt Trigonum, in Quadrato, sunt tamen differentiæ,per quas viuentia à non viuentibus differunt,eisque opponuntur. 3

Considero Quartò, quod Arist. tribuit Empedocli quod Mentem à sensu nõ secreuerit, idque ostendit per Carmina eius quæ refert; Similiter, id tribuit Homero,referens & eiusdem Carmina; Idipsum eis tribuit in 4. Metaphys. 21. referens Empedoclis Carmina, aliaque addens per quæ distinctius sententiam illam patefacit; Anaxagoram quoque ait fuisse eiusdem opinionis; Vt autem pateat, quomodo ex eorum Carminibus Arist.eliciat sententiam illam,quod Sensum à Mente non secreuerint, accipio ex sententia Arist.in 7.Phys.per mutationem posse attingere Sensum, non autem Mentem, & in 3.de Anima, Mens dicitur separata, non permixta, non apta pati; Propterea hæc formatur Ratio: Ea facultas iudicans, quæ cum Corpore patitur,& varijs permutationibus est obnoxia, non distinguitur à Sensu, at, ex opinione eorum,Mens est huiusmodi,quare non distinguitur à Sensu; Minor probatur per eorum Carmina:nam dixit Empedocles. Ad præsens namque consilium augetur Hominibus,hoc est,cum permutetur habitus Corporis, permutatur etiam cõsilium,siue Prudentia,sic exponitur ab Arist.in 4.Metaph.21. adeò, vt consilium attinens ad Mentem,sequatur Corporis constitutionem; Insuper,dixit: Vnde semper ipsis adest aliena sapere, hoc est continenter ut mutatur Corpus, mutatur ipsum sapere,hoc est Mens; Eadem Minor ostenditur per verba Homeri, dicentis: 4

Quo ex uerbis Veterum elicitur sẽsum à mẽte non distingui.

Huiusmodi namque est Mens mortalium Hominum
Qualem in dies ducit Pater Hominumq; Deorumq;

Hoc est,vt per cœli reuolutiones & varios Fortunæ euentus variantur Hominum uitæ,& Corporum constitutiones,ita variatur & cum eis conformatur humana Mens, quasi dicat: Fortuna nobis qualis est, est & ingenium. In primo autem de Republ. inquit, At Bene Homerus de Ioue inquit, quod sit Pater hominum atque Deorum; Profectò, si solum hæc relata Carmina consideraremus, non cogeremur eis tribuere,quod Mentem à Sensu non secreuerint,nam mutantur opera Mentis per mutationem Phantasiæ ei inseruientis,sic in puero crescente, dicimus crescere consilium, & prudentiam, Insuper, Prudens in Arena mutat consilium, & sapientis esse dicimus mutare consilium,& languente Corpore languet & Mens. Hunc Simplicius & Philoponus inquiunt, eos non fuisse illius Sententiæ, & multa dicunt pro eorum defensione; At,quia etiam Plato idipsum eis tribuit, & affirmarunt cuncta esse talia, qualia nobis videntur,& Sensum esse mensuram rerum, putandum est non leuiter Arist. id eis tribuisse; hinc Plato in Theeteto ait: Nil enim est vnquam,semper autem fit, *Plato.*

Simplic. & Philoponus.

& de hoc omnes Sapientes excepto Parmenide consenserunt, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, & Poetarum in utroque Poemate summi, in Comœdia Epicharmus, in Tragedijs Homerus, qui cum Oceanum diceret Deorum Generationem, & matrem Tethi, omnia ex fluxu, motuque genita prædicauit; Hæc Plato. Cum itaq; nil esse, sed continenter fieri dixerint, & Sensum statuerint rerum mensuram, coguntur Sensum cum Mente confundere; Hinc Homerus de Hectore recumbente & delirante, non dicebat quod deliraret, sed quod aliud saperet, vt refert Arist. in 4. Metaph. 21. & in 1. de Anima, 23. Hinc etiam iumentis, & feris dicebat Anaxagoras Mentem competere, vt legitur in 1. de Anima, 24. Considero etiam, quod Plato in 2. de Rep. refert Sententiam Homeri ei similem, quam in hoc Contex. refert Arist. nam ait illum dixisse, in Iouis Limine duo sita esse dolia, plena sortibus, unum bonis, alterum malis, quas Iupiter commixtas hominibus impartiretur, &c. Quinto loco considero, quod Arist. quotiescunq; de Mente loquitur à Sensu cõtradistincta, semper patefacit eam nõ permixtam esse Corpori, nec pendere ex eo, nec mutari mutationibus eius, & hoc profert de Mente hominis, adeo, ut conspicuè indices, se putare eam esse immortalem; At, dicet aliquis, etiam Theologi Mentem à Sensu secundum essentiam non distinguunt, quare illi quoque erunt increpandi; Respondeo, duplici modo Mentem posse in vnum redigi cum Sensu, vel cum depressione Mentis, affirmãdo eam eiusdem conditionis cum Sensu, & hoc fecêre Veteres; vel eleuando Sensum ad Mentem, dicendo, quod in ea includatur Sensus facultate, & hoc affirmant nostri Theologi, rectè dicentes, in Homine vnicam reperiri Animæ essentiam, quæ sit principium variarum actionum; Simile aliquid etiam enunciant Academici, dicentes, solam Rationis compotem verè esse Animam, cæteras autem esse Vmbras, Imagines, & Vestigia quædam Animæ; At, non ob id exactè verum attingunt. Considero Sextò, quod Arist. latenter carpens Veteres, utitur quadã Amphibologia in Græcis verbis apparente, dum inquit: Atque oportebat simul & de eo quod est deceptos esse ipsos verba facere, id pronomen (ipsos) potest necti & cum antecedente verbo, dicendo deceptos esse ipsos, & cum sequente, dicendo, ipsos verba facere, nam Græca verba hæc sunt, περὶ τῦ ἠπατῆσθαι αὐτὺς λέγειν, quasi latenter, inquiens quod debuissent de modo suæ deceptionis loqui. Considero Septimò, quod Arist. ait, deceptionem magis proprium esse Animalium, & plus temporis in ea Animam consumere, ait (Animalium) quia etiam expertia Rationis decipi possunt, ignorantia tamen ut cõtradistincta à scientia, eique contraria, soli Homini competit, quia cõtraria in eodem versantur; Insuper, etiam ita loquitur ob Veteres, cunctis Animalibus Mentẽ tribuentes. Dicebat Heraclitus, veritatem in puteo latere; Affirmabat Democritus (referente Aristot. in 4. Metaphysicæ 21.) aut nihil esse uerum, aut nobis non manifestũ; Inquit Themistius maximũ eorum quæ scimus, esse minimum, dum refertur ad ea quæ ignoramus; At, ex aduerso, nonnulli omnem deceptionem longè à nobis repulerunt, & dixêre, cuncta esse talia, qualia nobis videntur, quam sententiam etiam in hoc Cõtex. refert Aristot. Rectè tamen Aristot. hominem cum ueri, tum falsi esse capacem affirmat; At, hoc est dubium, quid nobis magis sit proprium, num scientia, vel ignorantia, num uirtus, uel uitium; qua de re cumulatè in Ciuili scientia uerba feci, propterea nunc breuibus dico, vel consideramus tempus, numerum hominum eruditorũ, id quod nobiscum oritur, & sine vigilijs nobis competit, magis propria nobis est ignorantia; At, si consideramus finem ob quem nobis tributa est Mens, perfectionem, & id quod conditioni Mentis est magis consentaneum, sic scientia est nobis magis propria; Considero Octauò, quod Arist. inquit: Videtur autem cum deceptio, tum Scientia contrariorum eadẽ esse; Ratio ita formatur: Contrariorum modo tamen oppositorum eadem est scientia, deceptio & cognitio sunt contraria, igitur eorum eadem est scientia, sed modo oppositos; At, per eos contactus rei similis, & cognitio, modus oppositus est contactus dissimilis, quare vt scientia est contactus similis, ita deceptio erit con-

Homerus

Dubitat.

Solutio.

6

7

Quõ deceptio magis sit propria.

Sentẽtia Heraclti

8

cõtactus dissimilis. Oppositorum eadem dicitur esse facultas, eadem scientia, quia ad eandem pertinent, at, cum modo oppositionis; Insuper, cum inuicem opponantur, per mutuam comparationem refulgent, & opposita iuxta se posita exactius apparent. Ex quo patet veritas duarum Regularum; Vna est: Eadem est scientia oppositorum; Altera eadem est ignorantia oppositorum, quæ per Tertiam Regulam approbantur, quæ est; si affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis. Hinc dicitur ut propositum in proposito, ita oppositum in opposito, & vice versa.

QVOD igitur non idem est sentire & sapere, manifestũ est, id enim omnibus inest, hoc verò paucis Animalibũ, sed neque intelligere, in quo est, & quod rectè, & quod non rectè, quod enim rectè, Prudentia est, & scientia, & opinio vera, quod verò non rectè, contraria horum; Neque hoc quidem idem est cum sentire, Sensus, enim propriorum semper verus est, & omnibus inest Animalibus, cogitare autem contingit etiam falso, & nulli inest cui non insit Ratio. Cõt. 152.

STENSVRVS Aristotel. quid Mens non sit, patefaciendum sibi proposuit eam non esse Sensum, id autem facturus, retulit Primò opiniones Veterum, qui Mentem non seiunxerunt à Sensu, modo verò ex propria Sententia manifestat seiungi; Et quoniam Mens vsurpatur dupliciter; Vel pro ea quæ semper est vera, qualis est Mens primorum Principiorum, quæ Intelligentia dicitur; Vel pro ea quæ veri & falsi est capax, ideo diuiditur Contex. in duas partes; In Prima seiungitur Sensus à Mente in Prima significatione; In Altera, ab ea sumpta in Secunda significatione; Vt pertinet ad Primam partem, Concluſ. hæc est: Sentire, & sapere, Græcè φρόνειν, distinguuntur. Ratio ita formatur; Competens Animalibus cunctis, distinguitur ab eo quod inest paucis, Sensus competit cũctis, sapere sumptum pro eo quod semper verum est, competit paucis, quare distinguuntur. Sed neque intelligere in quo est, & quod rectè, &c. Hæc est pars Altera, in qua Sensus seiungitur à Mente latius sumpta, quæ veri, & falsi est capax, vt autem id faciat, Primò, numerat attinentia ad Mentem ita sumptam, quæ diuiduntur in recta, & non recta, recta sunt Prudentia, Scientia, & Opinio vera, non recta verò Imprudentia, Ignorantia, & Opinio falsa, quo assumpto, duplicem affert differentiam: Prima est, quia Sensus propriorum semper est rectus, ac ita similis est Menti in priore significatione, distinguitur autem ab ea in altera significatione; Alia differentia est, quia Sensus seruatur sine Ratione, ea autem non seruatur sine ratione, & ob id soli competit Homini. *Intentio.* *Diuisio.* *Expositio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, ex sententia Plutarchi, Simplicij, & Philoponi, quos sequitur etiam Auerr. prima verba huius Contex. respondere primis antecedentis Cõtex. vbi proferebatur particula (quoniam) denotans causam, nũc refertur id cuius est causa, quasi dicat, quia Veteres Sensum non seiunxerunt à Mente, & errarunt, dicimus manifestum esse quod seiunguntur, additur particula (igitur) ob longam interpositionem, & ait manifestum esse, non ex dictis, sed ex dicendis, nomine autem Sensus denotat externos, vnà cum Communi, de quibus dixerat se egisse. Considero Secundò, ut pertinet ad *Consid. 1.* 2

net ad primã Partem, quod Arist. ait Sensum cõpetere cunctis Animalibus, ut conspicuum est, φρονεῖν verò paucis, denotans Mentem supra Rationem eleuatam, magis propriè sumptam, qualis est cognitio primorum Principiorum, quæ etiam nomine Mentis appellatur, de hac intelligi debet Arist. dũ in 1. de Anima. 24. contra Anaxagoram ait Mentem nedum nõ competere omnib. Animalib. verũ neq; etiam omnib. ominib.

3 Cõsidero Tertiò, vt pertinet ad secundã partẽ, quod Arist. ait sensũ etiã non esse Mentem cui competit rectum, & non rectũ, quasi dicat Sensum nedũ non esse Mentem maximè propriè sumptam, eleuatam supra Rationem, sed neque etiam esse Mentẽ cum ratione iunctam recti & non recti capacem, ait potius recti & non recti, quam veri & falsi, quia id est communius, & locum habet etiam in attinentibus ad Prudentiam & Artem, & numerans attinentia ad eam, inquit: Quod enim rectè est Prudentia, Scientia, & Opinio vera: Cur autem hæc tria numeret, & quid sint, patebit in explicatio-

4 ne sequentis Contex. 54. Consideró Quartò, quod Aristot. ait Sensum non decipi circa proprium Obiectum, Mentem verò & rectam, & non rectam esse posse; At dicet aliquis, Sensus igitur erit rectior, & præstantior iudex, quam Mens; Respondeo, & missum faciens quomodo Sensus non decipiatur circa proprium Obiectum, de quo in 2. lib. verba feci, dico, non ob id Sensum præferri, Primò, quia dantur quinque habitus Mentis, in quorum ratione est, vt semper sint recti, qui præstant cuilibet cognitioni Sensuum; Secundò, quia in latentioribus, sæpe Mens corrigit Sensum; Tertiò, quia Obiectum Mentis, longè præstat Obiectis Sensuum, ex Obiecti autem præstantia, maximè prodit præstantia cognitionis, ut dicitur in 1. de partibus Animalium. Quartò, Mens etiam supra se uertitur, noscens suam rectitudinem, non autem Sensus. Quintò, Mens supponit veritatem Sensuum, eique eminentiorem addit perfectionem, & solum delinquit quia plurima sublimia, & latentia perquirit; Sextò (vt cum Themistio considerat Auerroes) Sensus decipitur circa communia sensibilia, vt dicebatur in 2. de Anima; At, Mens in communibus quæ dignitates nuncupantur, non errat, sed circa propria nonnulla ob eorum obscuritatem; Demum, dum consideratur Mens absolutè & seorsum à Sensibus, ea non errat, solum errat ut Sensibus iuncta, & vtens eis tanquam famulis.

Dubitat.
Solutio.

Cõ. 153.

IMAGINATIO enim est quid alterum à Sensu, & cogitatione, & eadem minimè fit sine Sensu, & sine hac nõ est ὑπόληψις hoc est æstimatio, Quod autẽ eadẽ non est Imaginatio, & æstimatio manifestum est, hæc enim passio in nobis est, quãdo volumus, ante oculos enim licet efficere, vt in attinẽtibus ad memoriã cõstitu-

154 *ti, & idola efficientes, opinari autem minimè in nobis est, necesse namque est vel decipi, vel falsa putare; Præterea, cum opinati fuerimus graue aliquid, vel formidabile statim compatimur; Simili quoque modo, si aliquid sit quod confidentiam pariat; At, per Imaginationem non secus disponimur, ac illi, qui in pictura conspiciunt terrorem, siue confidentiam excitantis, sunt autem & ipsius æstimationis differentia; Scientia, Opinio, & Prudentia, et horum contraria, de quorum discrimine alius erit sermo.*

ARISTOT. Primò Mentem considerat suprà Rationem eleuatam, semperque veram; Secundò, eandem cum Ratione vel necessaria vel non necessaria iunctam, quæ & recta, & non recta esse potest, & hæc Diania, siue Dianoetica facultas nuncupatur, id quod ex eius Ratione colligitur; dicitur ὑπόληψις cuius differentiæ sunt Scientia, Opinio, & Prudentia. Inter hanc & Sensum communem, media est Vis imaginandi, seiuncta Mente à Sensu; Intentio Arist. est modo Vim imaginandi seiungere à Sensu, & Dianoetica facultate; Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima profertur Conclusio; In Secunda & Tertia duabus Rationibus seiungitur Vis imaginandi à facultate Dianoetica; Conclusio est; Quod Imaginatio differt à Sensu, & facultate Dianoetica, est enim media, & ob id supponit Sensum, & supponitur à facultate Dianoetica, & ob id sine ea non est æstimatio, quæ est conclusio Dianoeticæ. Quod autem eadem non est, &c. In hac Secunda parte affertur ratio Prima, quod Imaginatio non sit æstimatio Dianoeticæ, quæ sic formatur; Id quod est in nostra facultate, differt ab eo quod in nostra facultate non est, Imaginatio est in nostra facultate, non autem opinio, ad Dianoeticam pertinens, quare imaginatio ab Opinione æstimatione differt; Minor ostenditur pro vtraque parte, & Primò, quod imaginatio sit in nostra facultate, patet Experientia, ad libitum enim imaginamur quodcunque volumus; Quod opinio & æstimatio non sint in nostra facultate ostenditur: nam id in cuius ratione est vt sit uel uerum, vel falsum, non pendet ex nobis, sed ex principijs ex quibus deducitur, & ex Natura rerum. Præterea, cum opinati fuerimus, &c. In hac Tertia parte affertur Altera Ratio quæ est; Ea facultas per cuius officium non commouemur, differt ab ea per quam commouemur, & passione aliqua Animi afficimur, per officium virtutis imaginandi, non commouemur, per Opinionē commouemur, quare distinguuntur, Minor patet experientia: nam sine vllo timore imaginari possumus fulgura, & militum exercitus, non secus ac dum picta hæc intuemur, at, dum opinamur nobis proximos esse hostes, incipimus formidare, si opinamur eos nobis esse imbecilliores, confidimus, & quia de Existimatione & Opinione mentionem fecit, ne quis putet eas esse facultates varias, refert differentias Existimationis, ad Dianoeticam attinentis, quæ sunt Scientia, Opinio, & Prudentia, quarum etiam in præcedente Cont. mentionem fecerat; Quo autem pacto distinguantur alibi explicandum affirmat.

Intentio.
Diuisio.
Expositi.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod cum Arist. in principio Contex. dicat: Imaginatio enim est quid alterum, inquiens (enim) videtur reddere causam alicuius quod dixerit, at cuius reddat causam, non apparet, nisi dicamus, quod cum Arist. in præcedente Contex. dixerit, Dianiam siue Vim cogitandi, non esse sine Ratione, posset aliquis putare, quod esset eadem cum imaginatione, & propterea, quod esset sine Ratione, ideo Arist. hoc excludens, afferens causam relatæ sententiæ inquiens, Imaginatio enim est quid distinctum à Sensu, & cogitatione; Alij alia dicunt, sed parum refert. Considero Secundò, quod Arist. air, Imaginationem non esse sine Sensu, quod ad duo potest referri, Primò, ad facultates, & de hoc non est Dubitatio, conspicuè enim patet, nulli competere Vim imaginandi, cui non competat Vis sentiendi; Secundò, ad officia, ac ita Imaginatio potest quidē operari absentibus sensibilibus, nil tamen ualet imaginari, quod prius vel secundum totum, vel secundum partes, non fuerit in Sensu; hinc Cæcus ab ortu, vel Surdus, nec Colores nec Sonos ualēt imaginari; Et si quis obijciat, quia imaginamur Chimeras, Mōtem aureum, Dæmones, Angelos quæ nunquam Sensu percepimus, immò inane, & infinitum, quæ non sunt; Præterea, imaginor cum Auicenna creari hominem in tene-

Consid. 1.
2
Dubitat.

Solutio. tenebris, ætate perfectum, qui nil senserit, ille tamen aliquid imaginabitur; Respondeo, Vim imaginandi nil concipere, quod vel secundum totum, vel secundum partes non deprompserit ex Sensibus, imagines enim ab ea formatæ, solum sunt eorum quæ Sensu usurpantur, si imaginamur Chimeram, eam componimus ex Partibus, Figuris, Coloribus, & alijs similibus, quæ seorsum inspeximus; Similiter vidimus Montes, & aurum inde formamus, montem aureum, Dæmones imaginamur nigros, cauda præditos; & nil eis tribuimus quæ non viderimus; Addebatur, nos imaginari Vacuũ, & Infinitum, quæ non sunt; Respondeo, nos videre interualla, ideo valemus ea imaginari, non imaginato Corpore quod in eo sit: nam valet imaginatio sensibile commune imaginari seorsum à proprio, vt Mathematicus imaginatur superficiem sine Colore; Similiter, vidimus progressum in numero & magnitudine, quem imaginari possumus sine fine, non autem infinitum valemus Imaginatione comprehendere, cũ comprehendi non sit aptum; De Homine in tenebris creato, qui nil senserit, dico, supposito quod nil senserit, nil etiam imaginabitur, vt pueri in primis diebus nõ somniant, at quod nil sentiant, contingere non potest, saltem enim sentient læsionem famis, actionem interni coloris, & spirituũ, frigus ambiens, & similia, quæ poterit mox imaginari; Marsilius Ficin. in Platonica Theologia, lib. 6. cap. 2. ait, quod tunc Mens ita affecta, Animæ Substantiam excogitabit; At, errat, quia id erit opus Mentis, quæ tamen non se intelligit, nisi intelligendo alia, vt dicitur in 3. de Anima, Contex. 8. Considero Tertiò, quod Aristotelis ait æstimationem non esse sine Imaginatione: Quæ Sententia si refertur ad facultates, conspicua est, non enim seruatur facultas posterior sine sua priore: at si referatur ad officium & opus, est dubia, quia habemus æstimationem, & opinionem de Dijs, per internum contactum qui est supra Imaginationem, non autem per Sensus & Imaginationem; Philoponus respondens, ait sententiam Aristotelis debere intelligi de existimatione, & opinione rerum sensibilium, non autem eorum quæ sunt supra Sensus; Quæ Solutio est dubia, Aristoteles enim absolutè loquitur, & sæpè affirmat intelligentem necessariò Phantasmata exposcere; Propterea absolutè dicendum, nil Mente nos apprehendere nisi in Imaginatione imago aliqua eius formetur, id repræsentans, primo enim in nobis Sensus aliquis excitatur, ac inde imaginandi facultas imaginem aliquã eius format, quam Menti offert, sic Diuinæ Trinitatis formantur imagines, eam repræsentantes. Considero Quartò, quod Arist. de opere imaginationis loquens inquit: Hæc enim passio in nobis est quando volumus, ante oculos enim licet efficere vt in attinentibus ad memoriam, & idola formare; Indicat Aristot. attinentia ad memoriam Artificiosam, quam localem appellant, per quam ope Phantasiæ ad libitum formamus imagines, easque in ordinem constituimus, vt nobis id repræsentent, cuius cupimus recordari, & hæc non est memoria, sed reminiscentia, quia per imaginem vnam recordamur alterius, vtitur tamen Aristot. nomine Memoriæ pro reminiscentia, & ait, quod tunc ante oculos nobis imagines proponimus; indicans non oculos Corporis, sed animi, eas namque imagines oculo interno animi offerimus. Considero Quintò, in dubium verti, num ad libitum imaginemur quodcunque volumus, id enim experientiæ aduersatur, frequenter enim imaginationes varias nos turbantes optamus longè repellere, & id facere non valemus; Similiter, frequenter dum sumus mesti, optamus imaginari læta, & iucunda quod facere non valemus; insuper de multis dicimus, nos non posse ea imaginari, veluti quod lapides volent; Respondeo, vim imaginandi obtemperare voluntati, quæ libera est, hinc iumentis & feris id non competit, vt ad libitum quodcunque imaginentur: Et imaginari quod cupimus contingit dupliciter; Vel facilè; Vel cum difficultate; Præterea, adhuc imaginari aliquid dupliciter accidit; Vel cum assensu, adeò, vt id imaginemur tanquam verum; Vel sine; Cũ assensu, id facere non valemus, nisi eorum quæ putamus esse, vt non valemus imaginari quod lapides volent; Insuper nos valemus imaginari omne aptum à nobis imaginari,

Imaginatio supponit sensu.

Marsil. Ficinus.

An æstimatio sit sine Imaginatione Philopon.

Solutio.

4

Memoria Artificiosa.

5

An imaginatio sit in nostra facultate.

Solutio.

ginari,non autem omne absolutè,vt Cæcus ab ortu non valet imaginari Colores,nec Surdus Sonos; Demum,addo,quod cum valeamus ad libitum varias formare imagines,non tamen ad libitum valemus aduersas imagines repellere,vt imaginem mortis amicorum,& varia infortunia: nam hæc etiam nobis inuitis vltrò se nobis offerunt, nosque turbant; Ex his patet Solutio aduersarum rationum. Considero Sextò,quod 6
Aristot.inquit per imaginationem nos non commoueri,id debet intelligi,dum pura fuerit imaginatio sine vlla assensione, at dum fuerit cum assensione, quod ita res se habeat,turbamur,excitamur,& alteramur, vt euenit per insomnia, quæ ad imaginationem pertinent; Aristot. tamen imaginationem modo considerat secundum se, & quatenus à suasione distinguitur: nam proculdubio pueri,& expertia Rationis, per vim imaginandi commouentur, cunctaque agunt, non secus ac homo vtens ratione per eam operetur, vt dicetur in progressu, & dicitur ab Aristot. in 2.Physic.80. Demum,id quod hoc in loco de imaginatione Aristot.profert,intelligi debet de ea imaginum constitutione, quas ad libitum formamus, quæ uirtuti imaginandi, tanquam interno oculo offeruntur,per quas etiam modo aliquo commouemur, & lætamur, ac tristamur,vt etiam inspicientes picturas id facimus; hinc iubent Medici, in thalamis imagines pulchras,& lætas collocari; At facta comparatione cum opinione, tam obscurè id facimus,vt commoueri non dicamur. Considero Septimò,quod commune 7
nomen est Mens, cuius vna differentia est facultas Dianoetica,cuius officium est ratiocinari, eius autem tanquam conclusio est,ὑπόληψις, quæ dicitur assensio, siue æstimatio; Huius tres ab Aristot.statuuntur differentiæ,quæ & in Contex.152. & in hoc referuntur, & sunt Scientia, Opinio, & Prudentia; nam vel versatur in attinentibus ad contemplationem per principia necessaria,& dicitur Scientia; uel in attinentibus ad actionem per principia necessaria,& dicitur Prudentia;cum qua conuenit Ars; vel in utrisque per probabilia,& dicitur Opinio;Intelligentia autem supra rationem eleuata est, quæ parit sapientiam, quæ sapientia etiam potest per Scientiam denotari: nam est Scientia capite prædita. Considero Octauò, quod Aristot.de his differẽtijs 8
loquens,ait:de quarum differentijs alius erit sermo,hæc profecto opera sunt, ea tamẽ circumscribunt facultates,quę non essentia, sed sola ratione inter se distinguuntur,at, non patet quid denotet Aristot.dum inquit:de quarum differentijs aliàs erit sermo; Auerr.id refert ad librum de Sensu & sensili,at,id eo loci non facit; probabilius Simplicius ait,denotari sextum librum de Moribus,in cuius principio refert Arist. officia facultatis Dianoeticæ, & in progressu distinctè loquitur de habitibus eius; At, fortè adhuc melius est cum Philopono dicere,id fieri ab Aristot.in sequenti capie, nam aliud faciet sermonis principium,ideo inquit: de quorum differentia,nimirum à facultate imaginandi,sumpto alterius capitis principio,loquemur. Hinc etiam non desunt nonnulli viri docti,qui Secundi libri hunc putant esse finem.

DE ipso autem intelligere,quoniam aliud est à sentire, huius autem hoc quidem imaginatio videtur esse, hoc autem, ὑπόληψις, hoc est assensio siue æstimatio,de Imaginatione agentes, sic & de altero dicendum erit; si sanè est Imaginatio secundum quam dicimus imaginem aliquã in nobis fieri, & non si quid per Metaphoram dicimus, vna quadam est horum facultas, vel habitus, quo iudicamus, & veri sumus,vel mentimur; Hæc autem sunt Sensus,Opinio,Mens,Scientia. Cõt.155.

ARI-

ARISTOTELES constituerat Phantasiam, quam virtutem imaginandi dicimus, mediam inter Sensum, & Mentem, & quia media cũ extremis nectuntur, & ab eis non uidentur distingui, ideo quamuis modo aliquo seiunxerit, tamen intentio eius modo est, exactius discrimen patefacere, simulque declarare quæ attinent ad notitiam virtutis imaginandi, sicq; seruabit id quod dixit in calce antecedentis Contextus. Diuiditur præsens Contextus in Duas partes; in quarum Prima tanquam Procemio quodam diuiditur Mens in Duas partes, quæ quo ordine sint declarandæ profertur; In altera refertur, quid esse uideatur Phantasia, ut ab eis eam distinguat; In Prima itaque parte, inquit: Cum intelligere distinguatur ab ipso sentire, ut apparuit per dicta, & apparebit per dicenda, & ipsius intelligere aliud uideatur esse Phantasia, siue imaginatio, aliud uerò ὑπόληψις, hoc est assensio, siue æstimatio, cum de Phantasia in hoc capite egerimus, mox loquemur de altero, dum proponetur agendum de particula qua Anima cognoscit & sapit; Hactenus habemus particulare procemium pro attinentibus ad Mentem; Si sanè est imaginatio, &c. Hæc est pars Altera, in qua incipiens loqui de Mente, dicta de Phantasia, accipit primò se nomine Phantasiæ intelligere, non dictam per Metaphoram, sed pròpriè sumptam, per quam in nobis formantur Phantasmata, & hæc est una aliqua harum facultatum, uel habitus, quo iudicantes, ueri sumus, uel falsi, huiusmodi autem sunt Sensus, Opinio, Mens, Scientia.

Intentio.

Diuisio.

Exposit.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò quod Aristot. assumpsit Intelligere, siue Mentem, eamque diuisit in Phãtasiam, & vim æstimandi, adeò, ut etiam Phantasia, nomine Mentis ab Aristot. nuncupetur, vt etiam patebit in Contex. 20. tertij, & clarius, 48. id autem facit Primò ob Veteres, qui Phantasiam à Mente non secreuerunt, ideo hoc in loco ait (videtur) Secundò, quia ea quoque per Mentem formatur Ratione, & redditur Rationis particeps; vt in progressu patebit; Tertiò, quia in carentibus vsu Rationis, ea est dux, & illo fungitur munere, quo in prædictis vsu Rationis, fungitur propriè sumpta Mens; Addo Quarto, quod vt dicitur in 2. de Phys. 80. Opera expertium Rationis per uim imaginandi producta, sunt talia, vt Mente elaborata videantur. Quintò, hoc habet commune cum Mente, vt etiam absentibus sensibilibus, ad libitum, & vnà cum Mente operetur; Consideto

Cur Phãtasia dicatur Mẽs.

2 Secundò, quod Aristot. ait se loqui de Phantasia propriè sumpta, non per Metaphoram; At quæritur, quænam sit Phantasia dicta per Metaphoram; Respondeo, eam esse, dum omnem tenuem, & adumbratam cognitionem siue apparitionem cum Sensus, tum Mentis, Phantasiæ nominæ denotamus, vt etiam opiniones leues dicimus

Phantasia per metaphoram.

3 esse Phantasias, nullo fundamento nixas, & inanes. Consideto Tertiò, quod Arist. inquit: Facultates vel habitus, quibus iudicamus & veri sumus, vel mentimur, esse Sensum, Opinionem, Mentem, & Scientiam; inquit Facultates, vel Habitus, quia Sensus est Facultas, Mens partim Facultas, partim Habitus, Opinio, & Scientia sũt Habitus, quitamen Facultates circunscribunt; At dubitatur: quia per Scientiam & Mentem non mentimur, cum in eorum ratione sit rectum; Insuper diminutus videtur, quoniam in 6. de Moribus ait quinque esse quibus Anima affirmando, vel negando, verum dicit, nimirum, Intelligentiam, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, & Artem; Præterea, Aristot. in præcedentibus etiam numerauit Prudentiam; Respondeo, Aristot. in præcedentibus seccasse Animam ex Sententia Vẽterum in Iudicantẽ, & Mouentem, Phantasia communi consensione inter facultates Iudicantes numeratur, propriè autem facultas dicitur noscens, & iudicans, dum eius finis est Veritas, quamuis non semper illum attingat cognitio ueri, uel est singularium; & infra Ratio-

Dubitat.

Solutio.

nem,

nem, & dicitur Sensus, uel supra Rationem, & est Mens principiorũ, uel cum Ratione necessaria, & dicitur Scientia, vel non necessaria, & est Opinio; Instantiæ facilè soluuntur; Dicebatur Primò, per Mentem & Scientiam nos non mentiri; Respondeo, nos saltem decipi per Opinionem & Sensum communium; Aristot. est loquutus cum disinuctione, pro cuius ueritate, sat est, unam partem esse veram, dimisit autem Prudentiam, & Artem, quia finis earum non est Veritas, sed actio, vel effectio, & si quid veri includunt, id pertinet ad Opinione, uel ad Scientiam. *Instantiarum dissolutio.*

QVOD itaque Phantasia non est Sensus, ex his patet, Sensus enim, vel facultas est, vel muneris functio, vt Visus, et Visio; Apparet autem aliquid & neutro horum existẽte, vt quæ in somnis; Deinde Sẽsus semper adest, Phantasia autem minimè, si autem idem essent functione muneris, cunctis brutis Phantasia competeret, quod minimè apparet, vt Formicæ, vel Api, vel Vermi; Præterea, ille semper verus est, imaginationum autem plurimæ falsæ fiunt; Insuper, neque dicimus dum operamur exactè circa sensibile, quod apparet nobis hoc Homo, sed magis dum non exactè sentimus, tunc aut verus, aut falsus, & quod antea dicebamus apparent & claudentibus visa, Græce μηνύσιν. Cõt. 156.

RETVLIT Aristot. facultates iudicantes, ad quas redigi posse videbatur Phantasia, modo uerò intentio eius est, illam ab eis secernere, & Primò à Sensu; Diuiditur Contextus in Sex partes, ob sex discrimina quæ refert: & quoniam Sensus vsurpatur dupliciter, pro facultate, & pro eius actione, ideo vt distinctè secernat, accipit Primò Sensum his duobus modis usurpari; mox hunc format Rationem; Ea quorum unum adest, non præsente altero, procul dubio distinguũtur, at frequenter imaginamur, & per Phantasiam operamur, cum nec actio, nec facultas sentiens adsit, quare distinguuntur; Maior est conspicua; Minor ostenditur exemplo dormientium, & somniantium, tunc enim operatur Phantasia, cum tamen nec facultas, nec actio Sensus adsit, nam somnus est sensuum requies; At, dices, saltem adest facultas. Respondeo, eam residere in proprijs Organis, non eo loci ubi apparent imagines, hinc Themist. soluens hanc instantiam inquit: Potentia non adest, quia insomnium est commotio sensorum, quæ impressa & derelicta intus sunt; Præterea cęci nõ tamen ab ortu, imaginantur Colores, quos tamen neque actu, neque potentia sentiunt, nimirum ut pertinet ad instrumenta. Secunda Ratio hæc est; Quod semper adest, ab eo distinguitur quod non semper adest, sensus semper adest, non autem Phãtasia, quare distinguuntur; Hæc ratio vera est de actione, & proxima potentia, nam pueri nuper orti, & in vtero positi, vtuntur Sensu, saltem Tactus, non autem facultate imaginandi, supponit Phantasia officium sensuum, quare primo vti possunt sensu, non autem Phantasia, hinc pueri nuper orti non somniant, sed vt ait Aristot. in 4. de Historia Animal. capit. 10. quarto vel quinto ætatis anno incipiunt somniare. Affertur mox Tertia Ratio ita formanda; Facultas non competens cunctis Animalibus, ab ea secernitur quæ cunctis competit; sensus cunctis competit, non Phantasia, quare secernuntur, minor ostenditur: nam conspicuè sensus Competit cunctis Animalibus, saltem Tactus, non autem Phantasia, ut Formicæ, uel Api, vel Vermi; vti- *Intentio. Diuisio. Exposit.*

tur autem Aristot. hoc modo loquendi, si autem actu idem essent, addens actu, quia per actus distinguet potentias, considerando quibus competunt, vel non competunt actus, vt rectè ait Simplicius. Quarta Ratio hæc est, facultas semper vera, distinguitur ab ea quæ non semper est uera sensus circa propria semper est uerus, non autem Phantasia, num etiam quæ fieri nequeunt imaginari possumus, & insomnia plurima falsa sunt, quare distinguuntur. Quinta Ratio hæc est; Facultas quæ solum dum adumbratè & leuiter operatur, dicitur Phantasia, non autem dum exactè, à Phantasia censeri debet distincta, at solum sensui confusè & adumbratè operanti tribuimus Phantasiæ, & apparentiæ nomen, quare sensus à Phantasia secernitur; per hoc patefacit Philosophus, quę sit Phantasia dicta per Metaphoram, & simul soluit instãtiam, quia posset quis putare, Sensum esse Phantasiam, cum sępè ei tribuatur Phantasiæ, & apparentiæ nomen, at, si Phantasia esset, tunc maximè Phantasia diceretur, dum distinctè iudicat, & operatur. Et quod quidem dicebamus, &c. Hæc est Ratio Sexta, quæ ex parte medij eadem est cum prima, vt ipsemet Aristot. affirmat inquiens quod dicebamus, differt solum, quia formans primam, præsertim considerabat facultatem, nunc uerò solum actum, & sic formatur, facultas quæ operatur altera non operante, est ab ea distincta, at conniuentibus, & claudentibus oculos, apparent idola Colorum per Phantasiam, & tanquam reliquiæ, Visu non operante, quare à Visu, & eadem ratione ab alijs Sensibus Phantasia secernitur, & cum dicat quod dicebamus, per id potest denotare cum rationem primam, tum id quod dixit in præcedentibus, dum affirmabat; Visionem esse modo aliquo Coloratam.

ANNOTATIONES.

Consid. IN attinentibus ad hunc Contex. hoc solum considero, quod Aristot. inquit, Phantasiam minimè uideri competere omnibus brutis, ut Formicæ, Api, & Vermibus; Hac de re Aristot. uaria profert, nam in Contex. 20. 2. libri ait cui competit Sensus, etiam competit, Phantasia, & appetitus, mox in Cont. 32. inquit quibusdam Animalium Phantasiam non competere, ueluti etiam hoc in loco. In Contex. 29. affirmauit de Phantasia latere an competat omnibus & in progressu asseruit esse declarandum. Augetur dubitatio, quia concesso Phantasiã non competere omnibus, non uidetur dicendum competere Formicæ, & Api, ob præclara eorum officia, quæ ex sola Phantasia, cum instinctu Naturæ prodire posse uidentur. Vt pertinet ad Primam partem difficultatis, respondet, eamque explicat Aristot. in 3. de Anima, 56. constituens Phantasiam distinctam & confusam, Animalibus ut competit motus, ita competit Phantasia, nam motus ex Phantasia & appetitu pendet, quæ distinctè mouentur, prædita sunt Phantasia, appetitu, lætitia, & tristitia, distinctis, quæ verò confusè, confusis, confusissimè vermes & affixa lapidibus mouentur, per contractionem, & extensionem, quomodo autem differat Phantasia distincta à confusa, quæ sit ea confusa Phantasia, & num in absolutioribus Animalibus ambæ, vel vna tantum reperiatur, & reliqua ad hoc pertinentia, in libro de internis sensibus distinctè explicaui; Vt uerò pertinet ad Formicas, & Apes, quæ satis distinctè moueri videntur, duo dicere valemus, unum est, cum Aristot. dicat uideri Phantasiam non competere omnibus, vt Formicæ, uel Api, vel Vermi, quod numeret prima quibus competit, & Vermes quibus non competit, vt per mutuam comparationem pateat non competere omnibus, sic puto Themistium, hunc locum exposuisse quæ expositio ita sumpta mihi uidetur apprimè probabilis intelligendo eam vt permutentur uerba Aristot. Secundò dicere possumus in attinentibus ad Phantasiam, considerari duo extrema, & vnum medium; Datur Phantasia exactè distincta, vt Hominum, Equorum, & Canum; Datur summè confusa, ut Vermium; Datur Tertiò

Quibus competat Phantasia.

An Formicæ, & Apes sint prædita Phantasia.

medium

medium inter maximè distantia, & talis est Phantasia Formicarum, & Apum, quæ satis confusè mouentur, & solum ab Odoribus alliciuntur, & repelluntur, nec disciplina formari queunt, nec seruant custodum & parentum distinctas imagines vt Canes, Equi, & Agni, & si quid efficiunt dignum admiratione, id instinctui Naturæ est tribuendum. Auerroes inquit Apes & Formicæ necessario imaginantur at nobis non debent esse curę exempla.

ATQVI neque vlla earum erit quæ veræ sunt semper, vt Scientia seu Mens, est enim Phantasia etiam falsa; Reliquum igitur est videre, num sit Opinio, sit namque Opinio vera & falsa; At, Opinionem quidem sequitur Fides, non enim contingit ea opinari, quibus non adhibemus Fidem; Brutorum autem nulli competit Fides, Phantasia verò plurimis, Præterea, Opinionem omnem sequitur Fides, Fidem suasum esse, Suasionem Ratio, Brutorum autem nonnullis Phantasia quidem inest, Ratio autem minimè. Cōt. 157.

PHANTASIA videbatur esse vel Sensus, vel Scientia, vel Mens vel Opinio, seiunxit eam à Sensu, nunc consilium Arist. est eandem à reliquis secernere; Diuiditur autem Contex. in Duas partes, In Prima seiungit eam à Scientia, & Mente; In Altera ab Opinione; Formatur in Prima parte hæc Ratio; Ea Facultas siue Habitus qui & veri & falsi est capax, ab eo distinguitur in cuius ratione est uerum, Phantasia ueri & falsi est capax scientia, & Mēs semper vera, quare Phātasia à Scientia & Mente secernitur, nomine autem Mentis denotatur apprehensio primorū principiorum, quæ est eleuatio supra Rationem; Reliquum igitur est videre, &c. In hac Secunda parte secernitur Phantasia ab Opinione, cum qua magis conuenire videtur, quia ut Phantasia, ita opinio vera & falsa esse potest, secernitur autem hac Ratione; Quod non competit Brutis, differt ab eo quod illis competit, Opinio non competit Brutis Phantasia plurimis eorum competit, quare opinio distinguitur à Phantasia, Minor pro secunda parte est nota, pro prima duplici ratione ostenditur, & primò Fides, non competit Brutis, Opinio iunctam habet Fidem, quare Opinio non competit Brutis; Secundò, Opinio non est sine Fide, nec Fides sine Suasione, nec Suasio sine Ratione, at, Ratio non competit Brutis, quare neq; Opinio; Hęc Secunda Ostensio est perfectio prioris. *Intentio.* *Diuisio.* *Expositi.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Arist. ostendens in Secunda parte Phantasiam differre ab Opinione, inquit Primò, quod Opinionem sequitur Fides, quæ Fides Brutis non competit, mox quasi distinctam afferens rationem, repetit quod Opinionem sequatur Fides, Fidem Suasum esse, Suasionem Ratio quę Brutis non competunt; Hęc repetitio partim est perfectio Primę Rationis, partim autem est noua Ratio, quia Fides duobus modis potest considerari; Primò, ex parte sui, quatenus ex propria conditione non competit Brutis; Secundò, ex parte Rationis, quam supponit, Prima consideratione formatur Prima Ratio, Altera uerò Secunda. Considero Secundò, quod sequi contingit dupliciter, uel per modum productionis, ut Eclipsis sequitur obiectionem opaci, vel per modum illationis *Consid. 1.* *Fides duobus modis consideratur.* 2

& suppositionis, vt Speciem sequitur Genus, dum Arist. ait quod Opinionem sequitur Fides, Fidem Suasum esse, id non est verum per modum causæ, sed per modum illationis & oppositionis. Considero Tertiò, quod Arist. ait Feris nec Opinionem, nec Suasionem competere, id tamen est dubium: nam illæ quoque Fidem adhibent his, quæ noscunt, & ob id irascuntur, lętantur, mouentur, variaque efficiunt, quæ non efficerent nisi Fidem adhiberent his quę sentiunt; Similiter custodes & eorum moderatores suadent eis varia efficere, corrigũt disciplina, at disciplina non videtur posse esse sine Suasione; Respondeo, Iumentis & Feris multa competere, multaque eis tribui, vt Artem, Prudentiam, Fortitudinem, & similia, quę tamen eis non propriè, sed solum per Metaphoram, & similitudinem aliquam competunt, idipsum est dicendum de Fide, & Suasione, quę tribuuntur eis per Metaphoram, & similitudinem, non propriè, vt eis per similitudinem etiam tribuitur Ratio, quatenus ea efficiũt per naturæ instinctum, quę Homo sine Ratione non efficeret. At consideremus Quarto loco nonnulla ad opinionem pertinentia. Pro cuius notitia accipio suprà externos Sensus, & Communem, reperiri Phantasiam, cui iungitur Memoria, supra Phantasiã est Mens, quę dum supra rationem eleuatur, & in primis principijs versatur, absolutè Mens est, & semper dicitur vera, dum autem Ratiocinatur dicitur Dianoetica facultas, siue Cogitatio, Ratiocinans, si progreditur per necessaria, dicitur Scientia, cuius culmen est Sapientia, quę dicitur Sciẽtia capite prędita, dum progreditur per ea quę carent necessitate, dicitur Opinio, quibus officijs fungi potest in attinentibus tum ad Contemplationem, tum Actionem, tum effectionem, & inde prodit distinctio in Scientiam, Prudentiam, Artem, Suasionem Rhetoricam, probabilitatemque Dialecticam; In functione muneris Rationis, consideratur hic ordo; Prima est facultas quę Ratiocinatur, hęc si progreditur per necessaria, non dicitur suadere, sed cogere, si per non necessaria, vel ea approbantur ab auditore, vel non, si approbantur, dicimus quod suadetur, quę suasio per Rationem dicitur Fides, quatenus fidem ei adhibemus, Fides autem parit Opinionem; Quem ordinem retulit Arist. Fides tamen ad duo referri potest; Vel ad Conclusionem cui fidem adhibemus, & sic pendet ex Suasione, & est posterior, & hoc considerauit Arist. Vel refertur ad Principia, ac ita est prior Suasione, quia enim Fidem adhibemus principijs, ideo per ea suademur. Considero Quintò, quod Opinio vsurpatur dupliciter; Vel prẽssius, & propriè, & est ea quę declarata est, & propriè magis in his versatur, quę varietati sunt obnoxia, quamuis etiam extendatur ad alia, dum obscura & incerta nobis fuerint; Vel Secundò vsurpatur latius, & ita latè sumpta, vel eleuatur, & dicitur de Scientia, nam ea quæ scimus etiam secundum eminentiam quandam dicimur opinari; Vel deprimitur, ac ita tribuitur etiam Phantasiæ, & dicitur Opinio & assensio quædam sine Ratione; hoc nos docet Arist. in 3. de Anima, 57. inquiens, Phantasiæ non competere opinionem illam quæ est cum Syllogismo, & Ratione, vt eo loci considerauit Simplicius. Considero Sextò, quod cum Arist. loquatur de Fide, ea triplex est; Vel Theologica, quæ per Infusam, & Acquisitam diuiditur; Vel Moralis, de qua dicimus cunctis seruandam esse Fidem, & Fidem hanc, dicimur dare, & accipere; Tertiò accipitur vt pertinet ad inspectricem Philosophiam, de qua Tertia modo est sermo, de alijs in Scientia Ciuili verba feci; De Tertia itaque loquens, dico eam vsurpari dupliciter; Vel latè, ac ita etiã his quæ scimus dicimur adhibere Fidem, in hac significatione Arist. in 1. Poster. inquit: Eum qui debet habere Scientiam per Demonstrationem, non solum oportet Principia magis cognoscere magisq; eis credere, quam Conclusioni, sed etiam nil ei credibilibus esse, &c. Insuper inquit, magis oportere Fidem adhibere Principijs, vel omnibus, vel quibusdam, &c. adeò, vt Fidei nomen, etiam extendatur ad cognitionẽ Principiorum & Conclusionis Demonstrationis; in hac significatione Simplicius Cont. 157. inquit, Fidem, Menti, Scientiæ, Prudentiæ, & Opinioni inesse, adeò, vt sit communior quam ὑπόληψις, cum etiam insit Menti; At, dum magis propriè vsurpatur,

An Feris competat Suasio. 3

Solutio.

De Opinione. 4

Ordo rationis.

Opinio dupiex. 5

Fides triplex.

patur, ad ea pertinet, in quibus versatur Opinio, & sola Ratione ab Opinione distinguitur; Opinio enim magis respicit Conclusionem, Fides verò, magis Principia, quibus cum Fidem adhibeamus, dicimur deinde Opinari, & credere Conclusionem veram esse; Et dum etiam arctius, & magis propriè accipitur, est minus communis quã Opinio: nam est de re necessaria, sine formidine de opposito, sine causa tamen; Sic etiam constantem Fidem adhibemus Viro Sapienti; Huiusmodi Fides non est in nostra potestate, quia ad Cognitionem pertinet, quæ in nostra potestate non est; Hinc interrogati cur ita credimus, non respondemus, quia ita volumus, sed dicimus quia id vero videtur nobis consentaneum, quia à Viro Fide digno est enunciatum, quia Principia satis conspicua id nobis suadent.

MANIFESTVM itaq; est, quod neque Opinio cum Sensu, neque per Sensum, neque complicatio Opinionis & Sensus, Phantasia est, & ob hoc etiam constat, quod non alia quædam est Opinio, sed eius est, cuius est & Sensus. Dico autem, ex albi opinione & sensu Phantasia est, non enim ex opinione quidem boni, sensu verò albi; Imaginari itaque est opinari id quod sentitur, non ex accidenti. Apparent autem & falsa, de quibus simul verè æstimat, vt apparet Sol vnius pedis, suasum autem est esse maiorem habitabili; Euenit itaque, vel suam abiecisse veram opinionem quam habebat, re seruata, non oblitum, neque dissuasum, si adhuc illam retinet, necesse eandem veram, & falsam esse, sed falsa redditur cum latet res mutata. Cõt. 158. φάντασμα. 159

SEIVNXIT Aristot. Phantasiam cum à Sensibus, tum à Facultatibus Rationalibus, at cum ea mediet inter Sensum, & Opinionẽ Rationalium infimam, & media frequenter constent ex extremis, & Plato de Phantasia id putasse visus sit, propterea Aristot. vt exactius patefaciat quid non sit Phantasia, & per id appareat quid sit, sibi in præsenti Contex. declarandum proponit Phantasiam non constare ex Opinione, & Sensu; Hoc autem facturus; Primò, Conclusionem ostendendam refert; Secundò, vt distinctius eam reijciat, manifestat quomodo debeat intelligi; Tertiò, fundamentum iacit pro euersione; Quartò, euertit, ducendo ad absurdum; Concluſ. itaque hæc est; Patet ex dictis, & patebit distinctius ex dicendis, Phantasiam non esse neque Opinionem cum Sensu, adeò, vt Opinio præcipua sit, neque per Sensum, adeò, vt Sensus ducat & præstet, neque complicationem vtriusque, adeò, vt æquè conspirent; Et ob hæc etiam notum, &c. In hac Secunda parte explicatur Conclusio, dum enim imaginamur Phantasiam consurgere ex opinione & Sensu, non est putandum id referri ad varia obiecta, vt quod consurgat ex opinione boni, & sensu albi, id enim esset ex accidenti, & à nemine diceretur, sed ex opinione & sensu eiusdem; sic itaque Conclusio intelligi debet, adeò, vt secundum hanc opinionem, imaginari, sit opinari, id quod sentimus, non ex accidenti, hoc est, non cum relatione ad varia, sed ad idem; Apparent autem & falsa, &c. In hac Tertia parte pro euersione relatæ sententiæ accipit vnum experientia notum, & est, quia nonnũquam sensu inspicimus vnum, idque imaginatione concipimus, cuius oppositum ratione suasi, æstimamus, vt sensui apparet Sol vnius pedis, ac ita imaginatione concipitur, suasum tamen ratione est, esse maiorem Terra, cuius incolæ sumus, & hoc opinamur;

Intentio. *Diuisio.* *Expoſit.*

Euenit itaque, uel suam abiecisse ueram opinionem, &c. In hac Quarta parte Ratio formatur ducens ad absurdum, hunc in modum; Si ex huiusmodi opinione & sensu consurgit Phantasia, vel id fit mutata opinione ex uera in falsam, uel seruatis utrisq;, non primum, quia res de qua est opinio, seruata est, qui eius est opinionis, non est oblitus, neque aduersa ratione dissuasus, ut supponimus; Si dicimus seruatis utrisque, idē simul erit uerum & falsum, quod non contingit, non enim opinio uera redditur falsa per nexum cum sensu falso, sed per latentem rei de qua est permutationem.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. VT pertinet ad verba, considero Primò, quod Aristot. inquit patere, Phantasiam nō constitui ex opinione & sensu, id enim colligi potest, tum ex dictis, tum ex dicendis, tum ex alijs quæ addi possent; Ex dictis quidem, quia cum Phantasia competat Feris, quibus nō competit opinio, constat eam non constare ex sensu, & opinione, ex dicendis autem patet, per Rationem iam formatam, ex alijs autem quæ addi possent, quia duæ facultates non nectuntur pro cōstitutione tertiæ; Præterea facultas anterior non constituitur ex posteriore, Phantasia autem antecedit, & seruatur sine opinione; Insuper ad libitum imaginamur quodcunque volumus, & ea quæ nec opinamur, nec iudicamus sensu, nō autem ad libitum sentimus & opinamur, & hoc elicitur ex dictis ab Aristot. in præcedentibus. Con-

2 *Dubitat.* sidero Secundò, quod Ratio Aristot. videtur diminuta, nam ait, dum ex opinione uera, & sensu falso, consurgit Phantasia, uel seruantur ambo, uel mutatur opinio; Dicam ego, non mutari opinionem ueram, sed sensum falsum mutari in uerum, & corrigi per

Solutio. Rationem; Respondens dico Primò, Rationem Aristot. esse perfectam, quia ipse inquit apparent Græcè φαίνεσθαι, hoc est Phantasia per sensum concipiuntur falsa, adeò, quod supponit ea adesse, nam oblatio imaginis per sensum præcurrit, & ob id supponitur; Addo Secundò, id quod sensu apparet, mutari non posse, quia ea oblatio est per naturam, & non pendet ex nobis. Con-

3 *Dubitat.* sidero Tertiò, quod Arist. inquit opinionem reddi falsam, dum res mutata latuerit cur additur latuerit, nonne etiam si nō

Solutio. latuerit, redditur falsa; Respondeo, iure id addi, nam quando permutatio est nobis cōspicua, opinio non redditur falsa, quia nos mutamus opinionem, at dum latuerit, persistimus in eadem opinione. Con-

4 sidero Quartò, quod Aristot. refert ea per quæ opinio abijcitur: nam tria pro eius constitutione conspirant; Opinans, Opinabile, & Suasio; Quare si mutatur, unum eorum perire debet, at, supponimus adesse omnia, ideo inquit, re seruata, hoc est non mutato opinabili, non oblitum, hoc pertinet ad opinantem, adeò, ut ipse cum sua opinione sit superstes, nec dissuasum hoc pertinet ad Rationem. In 1. Poster. loquens de interitu scientiæ, similiter tria refert, inquiens non perire dum sciens est saluus, salua re, nec est oblitus; At ea refert uario modo, hoc in loco dimittit ut opinans sit saluus, & addit, ut non sit dissuasus, in 1. Poster. refert ut sit saluus, & dimittit ut sit dissuasus; Ratio uarietatis est, quia hoc in loco loquitur de mutatione opinionis unius in alteram, quæ supponit salutem opinantis, in 1. Poster. loquitur de interitu Scientiæ, non de permutatione; Insuper, hic loquitur de opinione quæ pendet ex suasione quæ mutari potest, in 1. Poster. de Scientia, quæ est

5 per media necessaria, quę secus se habere nequeunt. Considero Quintò, quod longè ab Arist. multi recedunt qui inter Sensus internos numerant æstimandi facultatem, competentem brutis, & vim cogitandi quam tribuunt homini: Nam Aristoteles pro internis sensibus solum ultra communem numerat Phantasiam, ad quam pertinet Memoria, Vis æstimandi, dicitur ὑπόληψις, quę vt apparuit, Rationi tribuitur tanquam Conclusio eius, sub qua est Scientia, Opinio, & Prudentia, & ad quam pertinet Fides, Vis autem cogitandi, est Vis Dianoetica, Ratione prædita; At, de hoc

aliàs

aliàs erit sermo. Considero Sextò, quod Arist. ea quæ protulit, aduersus Platonem 6
protulisse videtur, propterea vt certiores reddamur opinio Platonis est referenda;
Plato in 6. de Rep. & mox in 7. quatuor subordinata considerat; Scientiam, Cogitationem, Fidem, & Imaginationem; Duo prima simul nuncupat Intelligentiam, quæ versatur circa essentiam rerum; Duo verò postrema Opinionem, quæ versatur circa generationem; In Sophista autem inquit Plato, quod Cogitatio est interna, & sine strepitu loquutio, in qua locum habet Affirmatio & Negatio, & addit: Quando igitur hoc in Anima per cogitationem silentio fit potest ne alio quam opinionis nomine nuncupari? & cum non per ipsam, sed per Sensum rursus talis passio accidit, potest ne aliter quam Phantasma nominari? Postquam oratio partim vera, partim falsa apparuit, Cogitatio verò sit interior ipsius Animæ colloquutio, & Opinio Cogitationis conclusio, in qua Opinionis Sensusque commixtio reperitur, &c. his uerbis uidetur Plato Phãtasiam dicere commixtionem Opinionis, & Sensus; Insuper, in eodem Sophista uim Imaginandi diuidit in assimilatricem, cuius officium est rei externæ æmulam & consimilem imaginem concipere & formare, quæ profecto non est in nostra facultate, sed cogimur sequi conditionem rerum, ut per sensus offeruntur. Alteram dicit Phantasticam, quæ non res ut se habent, sed ut uidentur concipit, & ad libitum uariatur; Hæc est Platonis Sententia, quæ dum rectè consideratur, solum differt per uoces & modum loquendi, ab ea Aristot. & Ratio ab Aristot. formata ei non obest: nam Plato imaginationis nomine denotauit id officium, dum non per necessaria principia, sed per sensus uenimus in alicuius rei opinionem, tunc enim rem illam non scire, sed imaginari dicimus, & instantia Arist. est leuis, nam dum inquit per Sensum uideri Solem paruum, & nos putare esse maiorem terra, diceret Plato, quod tunc ea non est Imaginatio, sed Scientia, nam Imaginatio dicitur dum ea Opinio ex Sensu oritur, & uis cogitandi ex qua prodit opinio, pro medio utitur illis quæ sensu apparent, non autem causa eius.

Opinio Platonis de Phantasia.

ON itaque vnum quoddam horum est, neque ex his Phantasia; At, quoniam contingit moto hoc, moueri alterum ab hoc, & Phantasia motus quidam videtur esse, & non sine sensu fieri, sed sentientibus, & quorum sunt sensus, contingit autem fieri motum ab actione sensus. Et hunc similem necesse est esse sensui, 161
erit vtique & ipsa motus, nec sine sensu contingens, neque non sentientibus competens, & multa per hanc efficere, & pati, quod ea est præditum, & esse cum veram, tum falsam, hoc autem euenit ob hæc, sensus propriorum verus est, vel quam minimum falsi habens, secundario autem eius, cui hæc contigerunt, & in his iam contingit falli, quod enim album sit non decipitur, si autem hoc quod album est, sit hoc, vel aliud quid, fallitur. Tertiò autem communium, & sequentium sensibilia, & accidentia, quibus insunt propria, dico autem, vt puta motus, & magnitudo quæ acciderunt sensibilibus, circa quæ maximè iam contingit decipi secundum sensum: Motus autem qui ab actione fit, differt à sensu qui est ab his tribus sensibus, & primus quidem præsente sensu verus, Alii verò & præsente, & absente esse possunt falsi, & præsertim dum Cõt. 160.

procul

procul ipsum sensibile fuerit; Si itaque nil aliud habet ea quæ dicta sunt, quam Phantasia, hoc autem est quod dictum fuit, Phãtasia utique erit motus factus à sensu qui actu est.

OQVVTVRVS Aristot. de Phantasia quæ Vis imaginandi dicitur, vt distinctè pateant pertinentia ad eam, septem nobis declarat, nimirũ, quid non sit, quid sit, qualis sit, quibus competat, quorum sit, quos præbeat vsus, vnde eius nomen sit deductum, Quid ea non sit, iam apparuit, simulque dictum est eam pluribus Animalibus competere; Reliqua modo sibi explicanda proponit, & præsertim quid ea sit; Hoc autem facturus, in præsenti Cõtextu Primò Conclusionem declaratam profert, includentem quid ea non sit; Secundò nonnullis assumptis, colligit quid ea sit, quorum sit, quibus non competat, & qualis sit, nimirum, vera & falsa; Tertiò, distinctè declarat quomodo vera & falsa sit; Quartò colligit Definitionem eius. Conclus. in Prima parte prolata hæc est; Phantasia itaque non est unum horum, hoc est, nec Sensus, nec Opinio, neque tertium quoddã ex his conflatum; At, quia contingit moto hoc, &c. In hac Secunda parte patefaciẽs ex propria sententia quid sit Phantasia, accipit Primò contingere moto vno; moueri aliud, ut mota manui, mouetur calamus, & ait contingere, quia id non est necessariũ, alioquin daretur progressus in infinitum, in actione autem Sensuum, primus motor est sensibile. Secundò, accipit quod Phantasia uidetur esse quidam motus, ait (uidetur,) quia experientia patet, per ea quæ apparent externis sensibus intus imagines formari, qui non est propriè sumptus motus, ideo additur quidam, & hoc non est verum de facultate, sed de actione, siue passione eius, non enim facultas est motus, sed explicatur per motum; Et non sine sensu fieri, &c. Accipit Tertiò Phantasiam nulli competere sine Sensu, sed solum Sensu præditis, non enim competit Plantis, & eius Obiectum non sunt quæuis, sed ea solum, quorum est Sensus, & quæcunque Idola, ac Imagines Phantasia format, semper eas concipit vt sensibiles, & eorum quæ modo aliquo Sensibus se obtulerunt, quas deinde tanquam internus Oculus intuetur; Cõtingit autem fieri motum ab actione sensus, &c. Hoc est Quartum quod accipit, & est, quod vt sensibile mouet externum Sensum, ita actio externi sensus potest mouere aliud, qui motus est similis Sensui, quia est oblatio iudicij eius, facultati imaginandi. Ex his elicitur, & præsertim ex hoc Quarto assumpto, Phantasiam esse motum qui nec sine sensu, necnon sentientibus competat; Ratio ita formatur; Id quod competit solis sentientibus circa sensibilia, per actiones externorum sensuum, nil aliud esse potest, nisi motus factus ab actu sensuum, Phantasia est huiusmodi, quare, &c. Insuper colligitur, quod prædita Phantasia multa per eam efficiunt & patiuntur; Ratio est, quia Animalia per sensibilia excitantur ad ea vitanda, vel prosequenda, aliaque efficienda; Insuper, quia actiones externorum sensuum & ueræ & falsæ esse possunt, inde pendet Phantasiam quoque esse talem; Hoc autem euenit ob hæc, &c. Hæc est pars Tertia, in qua redditur ratio eius quod proximè dictum est, nimirum, quod Phãtasia cum vera, tum falsa esse possit; Ratio autem est: quia sensus quoque sunt tales: nam dum uersantur circa sensibilia propria, uel sunt ueri, uel quam minimum falsi, quia solum ex accidenti falli possunt, dum autem uersantur circa Subiecta propriorum, quæ ex accidenti sentiuntur, maximè falli possunt, & dum Tertiò versantur circa sensibilia communia, quæ sequuntur ea sensibilia ex accidenti, nimirum, Substantias, quibus insunt sensibilia propria, quæ sensibilia communia sunt Motus, & Magnitudo, nam hæc sunt principalia, & hæc accidunt Substantijs quæ sentiuntur ex accidenti, in his inquam communibus maximè decipitur sensus; Motus autem qui ab actione fit, differt à Sensu, qui est ab his tribus sensibus, &c. Cum Philosophus

Intentio. Diuisio.

Exposit.

dixerit

dixerit Phantaſiam eſſe motum à ſenſu factum, & mox dixerit verſari circa tria genera ſenſibilium, poſſet quiſpiam putare, Senſum eorum trium eſſe eundem cum motu qui ex actione prodit,& Phantaſiæ tribuebatur, & propterea putare poſſet, Phantaſiam eſſe officium externorum Senſuum,& non diſtingui ab eis, ideò ne erremus, addit, quod ille motus qui pendet ex actione ſenſuum,differt à ſenſu,& iudicio eorũ trium generum ſenſibilium, & iure: nam mouens, differt ab eo quod mouetur,& cauſa,ab eo cuius eſt cauſa; Et motus attinens ad Phantaſiam dum fit per propria,& prę ſentia, verus eſt, ut ſenſus, dum verò per alia ſiue præſentia, ſiue abſentia falſus eſſe poteſt,& præſertim dum longè diſtant; Si itaque nil aliud habet ea quæ dicta ſunt, &c. Hæc eſt pars Quarta, in qua colligitur hæc Phantaſiæ Definitio, quod ſit motus factus à ſenſu, qui actu eſt; & Ratio ita formatur; Id cui dicta competunt,eſt motus factus ab actu ſenſus, Phantaſiæ, eique ſoli,dicta comptunt,quare, &c. *Definitio Phãtaſiæ*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò,quod Ariſt. inquit, contingere fieri motum ab actione ſenſuum;ait (contingere) quia non ſemper externi ſenſus mouent,& excitant Phantaſiam, ſed ſolum dum cum diligentia operantur; Inſuper inquit fieri ab actione ſenſuum, tribuens ſenſibus nõ paſſionem ſolam,ſed etiam actionem, & de Phantaſia inquit,multa per eam efficere,& pati Animalia,nam Phantaſia relata ad ſenſum, patitur,ad ſuam verò muneris functionem,agit; Inſuper Animalia per Phantaſiam patiuntur,quia varijs perturbationibus agitantur,ac etiam per eam agunt,quia illa eſt principium motus Animalium,ut patebit in progreſſu; Inſuper Ariſt.ut experientia notum accipit, fieri motum ab actione ſenſuum,qui motus ſpiritalis eſt, cum actiones ſenſuum ſint ſpiritales,& ille motus fit per ſpiritus medios,apprimè familiares Animæ,nam ſi externa ſenſibilia materiata per externum medium mouent ſenſus, longe intimius id efficere poterit actio ſpiritalis ſenſuum, quæ iudicium eſt, per medium internum & familiare. *Conſid.1.* Conſidero Secundò, quod Ariſt. inquit Phantaſiam non eſſe ſine ſenſu, nec competere non ſentientibus,ſed ſolis ſentientibus, & quorum ſunt ſenſus; quibus verbis patefacit,quibus competat,nimirum,ſentientibus,& quorum ſit,nimirũ, ſenſibilium,vel ſecundum ſe propriorum,vel communium, vel ex accidenti, præſertim tamen propriorum; Non ſentientia autem ſunt duplicia; Vel infrà ſenſum; Vel ſuprà; Infra ſenſum ſunt tria, nimirum, Inanima, Plantæ, & Animalia quæ ab ortu aliquo ſenſu priuata ſunt, vt Viſu vel Auditu,quæ non apta ſunt imaginari ſenſibilia eorum Senſuum quibus ſunt priuata; Similiter pueri ante vſum externorum ſenſuum carent vſu Phantaſiæ eorum ſenſibilium. *1* Supra ſenſum ſunt, Cælorum Animę,eorumque motores,quibus ſolum ſecundum eminentiam,non ſecundum propriã formam competit Phantaſia; Academici & Cælo, & Dæmonibus tribuunt Senſus, & Vim imaginandi,ſed diſtincti generis; Dubitatio eſt de Homine, dum per Mentẽ diuina ſpeculatur,num utatur Phantaſia; Simplicius id negat,ſed de hoc alibi. *Dubitat.* Conſidero Tertiò, quod Ariſt.videtur ſecum pugnare, nam in præcedentibus dixit, per Imagines Phantaſiæ nos non turbari,& commoueri,niſi ut inſpicientes picturas,nũc ait oppoſitum; *3 Controuerſia.* Reſpondeo,id quod dixit in præcedentibus,ſolum eſſe verũ de Phantaſia non Brutorum,ſed Hominis,& de illa Hominis quæ ad libitum formatur,ut diſtinctius etiam dixi in præcedentibus; *Soluttio.* At, inſtare aliquis poteſt, ſi Imaginatio formatur ad libitum,& non ſemper formatur per ſenſum, nõ itaque ſemper erit motus factus ab actione ſenſus; *Dubitat.* Reſpondeo eam Brutorum ſemper fieri ab actione ſenſuum, ea autem Hominis dum formatur ad libitum,& non per externos ſenſus, dicitur etiã fieri per ſenſum,quia fit per ea quæ uel ſimul,uel diuiſim,per ſenſum iudicata,& memoria ſeruata fuerunt. *Solutio.* Conſidero Quartò, quod Ariſt. patefaciens in Tertia parte *4*

quo-

quomodo Phantasia possit esse vera & falsa, quia dixerat motum ab actione sensuum esse similem sensibus, ideo declarat quomodo sensus verus & falsus esse possit, & loquens de Sensu propriorum in 2. libro, absolutè dixerat, sensum in eis non decipi, nunc cautius loquens addit, (vel quam minimum,) & iure addit (quam minimum) quia ut prius patefeci, decipitur solum ex accidenti hoc est ob depravationem requisitorum pro eo; At, quod parit difficultatem est, quia Arist. inter sensibilia, Primum locum tribuit proprijs; Secundũ sensibilibus ex accidenti; Tertium Communibus, in 2. autem libro, locum secundum tribuit Communibus, & iure: nam ea secundum se sentiuntur, & ideo magis sunt sensibilia; Augetur Dubitatio, quia loquens de Communibus, ait: Circa quæ maximè iam contingit decipi secundum sensum, at, magis videtur decipi circa Substantias, cum eas solum ex accidenti cognoscat; Insuper, diminutus videtur Arist. quia numerans sensibilia, prætermisit sensibilia unius sensus, quæ ex accidenti sentiuntur ab altero. *Solutio.* Soluens, dico Aristot. hoc in loco non numerare sensibilia eo ordine quo sunt sensibilia, ut in 2. de Anima, 63. sed statim relato proprio, refert Subiectum eius, quod ex accidenti sentitur, tum, quia ex eo magis perdet sensibile proprium, tum, quia id magis patefacit, quam patefaciant communia, tum Tertiò, quia nunc considerat ordinem deceptionis, ideo inquit in Communibus maximè decipi; At, hoc vertebatur in dubium, quomodo circa Communia maximè decipiatur, cum sentiantur secundum se; Simplic. vitat hanc difficultatem, quia dum Aristot. inquit: Circa quæ maximè iam contingit decipi secundum sensum; cum dicat (circa quæ) exponit Communia, & ex accidenti; At, cum Arist. Tertiò loco referat Communia, & statim dicat (circa quæ) profectò, ea Communia denotare videtur, quibus tertius congruet locus ordine deceptionis; Propterea dicendum puto deceptionem Sensuum maximè habere locum in cognitione communium, tum quia Feræ cum non apprehendant Substantiam, minus propriè dicuntur in ea decipi, ac ita Phantasia vniuersè sumpta minus in ea decipiuntur, tum Secundò, quia Homo cum per Mentem Substantiam apprehendat, statim videns Aerem, & Aquam, iudicat esse Aerem, vel Aquam, at, quanta sit, & cuius Figuræ non statim apprehendit; Insuper dicere possumus, quod maximè in eis decipiamur, non quia magis quam in proprijs, sed quia varijs modis decipi valemus, absolutè tamen ut pertinet ad sensum quatenus sensus est, magis decipitur circa Substantiam; Addebatur, quod Arist. videtur diminutus, quia deserit sensibile proprium, quod ex accidenti altero sensu sentitur, Philoponus putat Arist. id denotare, dum ait nos minus decipi in eis, quam in Communibus, sed fallitur, conspicuè enim Arist. se declarat; Ideo Respondens, dico, quod Sensibilia propria dum referuntur ad Phantasiam, semper dicuntur secundum se, & propria, quia ea non est motus factus ab actione vnius sensus tantum, sed omnium; sic etiam Sensus communis omnia secundum se dicebatur sentire. Considero Quintò, 5 quod Aristot. ait circa communia maximè nos decipi secundum sensum, addit (secũdum sensum) ut denotet primam, crassam, & tenuem eorum apprehensionem, at, per Mentem minus in eis decipimur, secernendo ea ab inconstantia materiæ, vt facit Mathematicus, qui est certior quam Physicus, & id oritur ex re considerata, & modo cõsiderandi simul iunctis. Considero Sextò, quod Arist. loquens de Phantasia, ait, (& 6 primus quidem) nimirum, motus factus à sensibili proprio, & per se, præsente sensu verus est, alij verò & præsente, & absente possunt esse falsi; Ait, præsente sensu verus est, nam conformatur cum sensu, at, sensu non præsente, posset falli, quia Imago delitescit, & Memoria non semper diu seruat, & tenax est, at, in cæteris fallitur, præsente, & absente: nam si fallitur externus, necessario fallitur Phantasia recipiens motum eius, & magis fallitur quam externus, quia longius recedit ab eo à quo formatur; At, *Dubitat.* hoc est dubium: quia Aristot. considerauit tres motus quibus Phantasia mouetur, at, *Solutio.* sensibilia ex accidenti non mouent; Respondeo, vt sunt sensibilia, ita mouent, & cum sint sensibilia ex accidenti, mouent ex accidenti, & magis mouent quatenus iam sen-

Dubitat. Qũo circa Cõmunia sensus magis decipiatur. Solutio.

ſu iudicata ſunt ; Conſidero Septimò, quod Ariſtot. prætermiſit unam Phantaſiæ deceptionem,quæ eſt dum ad libitum inanes imagines format, vt Hominis volantis, Chymeræ,& ſimilium;Reſpondeo Simplicius hanc prætermiſiſſe: quia non eſt communis Feris,ſed propria Hominis,at hoc nil refert,quia etiam Feræ non cognoſcunt ſenſibile ex accidenti relatum; Propterea dicamus imaginationem & notiones Animi,dici veras, vel falſas, dum conſiderantur ut concipiuntur tãquam Imagines rerum externarũ,at,nõ dum ſolũ ſine ullo aſſenſu à nobis ad libitũ formantur,tũc.n.nõ decipimur,quia nõ putamus eſſe imagines eorũ quę extrinſecus reperiũtur,& ideo nec veræ,nec falſę ſunt.Cõſidero Octauò,qđ Ariſt.collegit Definitionẽ Phãtaſiæ,quę ſatis obſcura eſt,propterea pro eius elucidatione aliquantulum digrediendum eſt . Anima, quæ ſentiendi principium eſt,eſſentia eſt una, in Corde vt in Aere reſidens, multiplici facultate, ſola ratione diſtinctis prædita, eius eſſentia quidnam ſit, apparuit per communem Animæ Definitionem, facultates verò, earumque diſtinctiones reſulgent, per earum opera, & Obiecta, hæc ut ad Organa effunditur, & externa Obiecta diſtinctis Organis recipit,& iudicat,nomine externorum Senſuum denotatur, hi deinde ut in vnum veniunt,& communi tanquã Centro nectuntur,in quo iudicia externorum ſenſuũ exactius abſoluuntur,diſcirimenq; inter ea noſcitur,& quod ſentiatur percipitur, nuncupatur Senſus communis,qui ſolum vnà cum externis ſenſibus, præſentibus ſenſibilibus operatur, hactenus Obiectum nuncuparur ſenſibile , quod non perceptum,dicitur eſſe poteſtate,iudicatum verò dicitur ſenſibile actu,cuius actus eſt idem cum actu ipſius ſenſus, & eſt ea quæ ab Ariſtotele dicebatur Species ſine Materia, vſque ad hunc terminum ab Ariſtotele extenditur nomen Senſus, ideo declarato Communi ſenſu, colligit ſe de ſenſu egiſſe, mox verò, dum ea Species ſine Materia, quæ eſt actus ipſius ſenſus, per ſpiritus famulantes,& mutuum nexum excitat, & mouet ſequentem facultatem,inſtrumento etiam corporeo utentem,quæ excitata verſatur in huiuſmodi ſpecie vel præſentibus externis ſenſibilibus, vel non præſentibus , ſed per memoriam ſeruata, tunc huiuſmodi facultas Phantaſia,ſiue Vis imaginandi, dicitur, & id quod ab ea apprehenditur,non amplius ſenſibile nuncupatur,ſed Imago, Phantaſma,Spectrum, & Idolum , Et hoc Phantaſma perinde dicitur ſe habere ad Mentem, ac Senſibile ad Senſum, hoc eſt illud quod ſeruatur Memoria, & Menti offertur , quod dum cum maiori abſtractione fuerit Mente apprehenſum, vel aptum ab ea apprehẽdi, non amplius Phantaſma,ſed νόημα, ſiue intelligibile dicitur, actu, vel poteſtate; Senſus in hac ſerie eſt tanquam Principium, Phantaſia cum memoria Medium, Mens Finis; Senſus abſtrahit à Materia , ſed non ab eius præſentia , & conditionibus, Phantaſia à materia,& præſentia, at,non à conditionibus,Mens à materia,præſentia,& conditionibus;Huius ordinis alias facultates,nunquam,& nuſquam apud Ariſtot. inuenies explicatas, vt latiſſimè in libro de internis ſenſibus patefeci . His decurſis,ad Phantaſiam reuertamur,hæc ab Ariſtot.dicitur motus factus à ſenſu qui actu eſt , hoc eſt, ab actu ipſius ſenſus ſaltem Memoria ſeruato ; Dicitur (Motus)ut denotetur functio muneris, per quam refulget Facultas , nam nomina facultatum Animæ,& facultatem,& eius opus denotat, ut Viſus, Auditus, Odoratus, Guſtus,Tactus, Appetitus, Phantaſia,Memoria,& Mens , nam Mentis quoque nomen dicitur de principali eius officio,quod eſt apprehẽtio,& habitus primorum Principiorum, Phantaſia dicitur (Motus) quia pro functione muneris eius,antecedit motus ſpiritalis, per actum ſenſus,qui eſt ſpecies ſine Materia, per quam figuratur Phantaſia,officium autem Phantaſiæ deindæ eſt actio circa imaginem illã, ut rectè exponit Alexander in primo ſuo libro de Anima,& rectè etiã ait Simplicius officium Phantaſiæ non paſſionem, ſed actionem eſſe, hoc tamen uerum eſt, quod actio facultatis noſcentis, nil aliud eſt, niſi Imago, & repræſentatio rei quæ noſcitur, adeò,ut in facultate imaginandi, ea imago rei ſenſibiliꝭ, ſpiritalior & prior reddatur; Phantaſia itaque pro eo quod actioni facultatis præcurrit, eſt motus factus ab actu ipſius ſenſus, pro eo

7 *Dubitat. Simplic.*

Solutio.

Explicatio Definitiõis Phãtaſiæ.

uerò

uerò in quod desinit, est actio circa Speciem sine Materia, per sensum ei oblatam, &c. dum dicimus per sensum, debemus intelligere externos, unam cum Communi, in quem externi desinunt, ac ita Descriptio non competit Sensui communi, & præsertim quia Sensus communis non dicitur moueri ab externis, sed una cum eis circa Obiectum uersari iudiciumque perficere, si uellemus Phantasiam pro facultate Circunscribere, dicere possemus eam esse Animæ facultatem, quæ præcurrente motu, ab actu sensus facto, circa imaginem sensibilem, etiam absentibus sensibilibus uersatur, qua dirigente, Animalia plurima efficiunt ad eorum incolumitatem & conseruationē attinentia. Considero Nonò, quod cum Phantasia ope Memoriæ ualeat in absentibus sensibilibus versari, & per hoc præsertim à Communi sensu secernatur, dubium est, num etiam uersari possit in sensibilibus præsentibus, dum externis sensibus iudicantur; Philoponus id negat, inquiens, quod tunc non secerneretur à Sensu communi; Confirmatur experientia, quia dum externo sensu versamur circa Obiectum, impedimur illud Phantasia imaginari, ideo, vt imaginatione id concipiamus claudimus oculos, non enim simul idem Obiectum intus & extra iudicare ualemus, & præsertim, cum essentia Animæ sit eadem; Confirmatur: quia de Mente dicimus, nos plura posse scire, at non simul plura speculari, nam vni intentus, cogitur negligere alia; Præterea, dum Anima ad externa tendit, eaque iudicat, non valet simul ad interna contrahi, quæ sunt opposita, non itaque Vis imaginandi tunc ualet in aliquo Obiecto fungi officio suo, dum in eo per sensum externum versamur. Ex aduerso videtur esse Aristot. inquiens motum ad Phantasiam attinentem si fuerit sensibilium propriorum, præsente sensu uerum esse, cæterorum uerò sensibilium & præsente & absente sensu posse esse falsum; Confirmatur: qua conceditur Phantasia imperfecta, competens Animalibus, Memoria carentibus, ut uermibus, quare ea solum versabitur in sensibilibus præsentibus; Præterea, quod potest facultas inferior, potest & superior, aliquid ei addendo; Insuper, cum ille motus à re sensibilis fiat per Naturam, profecto id sensibile actu mouebit, quotiescunque potent mouere, at, nil impedit quin moueat etiam operante externo sensu circa illud, & præsertim, quia tunc maximè est actu; Hinc Themistius, ait quod frequenter nos sensu, & Phantasia simul vtimur, & tunc differentia vtriusque potentiæ non admodum est conspicua. Simplicius idipsum affirmat, inquiens; Excitatur namque Imaginatio statim, præsente quoque sensu, licet nonnunquam lateat, quia sensus percutitur, qui contrahit meditationem; Propterea puto dicendum, quod quotiescunque attentè externo sensu aliquid sentimus, tunc simul circa illud & Phantasia, & Communis sensus operetur ita tamen, vt iudicium omnium sit vnum, exactum, & perfectum, nam essentia Animæ est vna, simul cum tota sua extensione conspirans ad id iudicandum, quia tamen motus oritur à sensu, & desinit in Phantasiam, dicitur attingere Phantasiam per medium sensum, ac ita seruatur, vt sit motus factus à sensu, & tunc non valemus distincto iudicio circa idem versari, dum autem non attentè circa externum sensibile uersamur, tunc dicimur circa illud nos non operari per Phantasiam, & hoc accidit, dum unum imaginamur, veluti Stellam Veneris, & aliud inspicimus, ut Lunam, & dum in utrisque simul uersamur, alterum eorum cogimur negligere; Colligo igitur, quod versari simul imaginatione & sensu in eodem, dupliciter potest intelligi; Vel quod id fiat iudicio vno exacto & perfecto, & hoc maximè accidit, & Phantasia tunc in sensibili proprio, non decipitur, vt ait Aristot. Vel ita, vt iudicia sint seiuncta, & distincta, & hoc non contingit, nisi confusè & adumbratè; Sententia Themistij, Simplicij, & Aristot. vera est prima consideratione, ea autem Philoponi, secūda; Ex qua Resolutione, elicitur Solutio Rationum pro vtraque parte relatarum. Dicitur tamen Phantasia à Communi sensu distingui, quia operatur in his quæ præsentia non sunt, nam tunc id assignamus quod eius est proprium, non autem commune alteri; Considero demum, Sententiam fuisse Iamblici, referente Simplicio, latam esse Phantasiæ facultatem,

Definitio Phātasiæ sumpta p facultate.

9

An Phātasia versari valeat circa præsentia.

Themist.

Solutio.

10

& cùm omnibus Animæ viribus complicatam designantem cunctas cæterarum affectiones, ad hanc ea facultas pertinet, quæ minus rectè ab Auerroe dicitur Vis cogitandi, competens Homini, Similiter & Altera, quæ tribuitur Feris, & minus rectè Vis æstimandi nuncupatur, ambæ enim ab Aristotele nomine Phantasiæ denotãtur.

QVONIAM autem Visus maximè Sensus est, & nomen sumpsit à Luce, quoniam sine Luce non contingit videre, & ob ipsam permanere, similemque esse sensibus, multa secundum ipsas agunt Animalia, Hæc quidem quia Mente carent, vt Bruta, Hæc verò quia obtenitur sæpenumero Mens perturbatione, seu morbis, seu somno, vt Hominis, De Phantasia igitur quid est, & propter quid, dictum sit hactenus. Cõt. 162.

CIRCVMSCRIPTA Phantasia ex præsenti Context. Tria elicuntur, nam Primò Philosophus patefacit unde sit deductum nomen Phantasiæ, ut ratione ex Etimologia deprompta comprobet ea quæ de illa dicta sunt; Secundò, per id rationem assignat cur per eam Animalia multa faciant; Tertiò vtitur Epilogo; Ait in Prima parte, quia Visus est maxime sensus hoc est apprimè certus, conspicuus, & exquisitus, & Phantasia dicitur esse eorum quæ apparuere per sensum, & præsertim ac maximè per Visum, per quem sine Luce nil videmus, ideo à Luce nomen sumpsit, & dicta est Phantasia, τῶι φαινόμενων σάσις, hoc est eorum quæ apparent mansio, φαινόμενα autem quamuis dicantur omnia quæ sensibus apparent, maximè tamen dicuntur ea, quæ apparent Visui exquisitissimo, pro quo necessaria est Lux, Græcè φῶς, ideo Phantasia dicitur Lucentium siue apparentium mansio; Et ob ipsum permanere, & similem esse sensibus, &c. In hac Secunda parte considerat Philosophus partem alteram nominis Phantasiæ, quæ est σάσις, siue mansio, nam in ea Imagines refulgent ut in speculo, & manent, quia per Memoriam seruantur; & in præcedente Cõtextu dictum fuit, quod huiusmodi actiones sunt similes sensibus, quia itaque seruantur, & sunt similes sensibilibus circa quæ versantur Animalium actiones, ideo Animalia multa per Phantasiam efficiunt, vel quia Mente carent, & Phantasia ut domina ducit; Hinc dicitur Mens Brutorum, vel quia saltem carent usu Mentis, ut Pueruli, Amentes, Dormientes, & animi perturbatione ducti. *Intentio.* *Diuisio.* *Exposit.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod quamuis nomina ad libitum tanquam signa imponantur rebus, recta tamen nominis constitutio petitur ex cõditione rei, & ei debet respondere, hinc dicimus nomina debere esse consona rebus, & Viri sapientis officium esse condere nomina, vulgi autem eis vti, hinc ortum ducit ratio Dialectica ex etimologia deducta, approbata ab Aristotele in libris Topicor. & Rhetor. qua utitur frequenter Arist. veluti in 2. Phys. loquens de Casu, in 1. de Cælo loquens de Aeuo, in 1. Meteorum, loquens de Aethere, & alibi, & includit vim ex autoritate, quin sic placuit Viro sapienti conditori nominis, & alibi qui id approbarunt, eoque vsui sunt. Considero Secundò, quod cũ Animalia operentur circa sensibilia, vel uitando, vel prosequẽdo ea, vt hoc rectè efficiãt, *Consid. 1.* *Ratio ex Etimologia.* 2

duò præsertim requiruntur; Primò, ut lucidè includant imagines rebus externis similes; Secundò, vt eas seruent, alioquin non tenderent ad absentia, ideo iure Aristot. patefecit nomen Phantasiæ ea duo denotare, ob quæ Phantasia appetitum excitans redditur principium multarum operationum, Vermes cum careant Memoria, solum uitant, & prosequuntur præsentia, nil autem mirabile efficiunt; At, absolutiora Animalia, cum sint Memoria prædita, innumera agunt admirationem excitantia, ut dicitur in 2. Physic. 80. pro quibus efficiendis instinctus naturæ est Dux præcipuus, cognitio Comes, appetitus exequens. Considero Tertiò, quod Arist. ait Visum maximè esse sensum, cum enim officium sensus sit sentire, Visus lucidissimè & exactissimè sentit; At, oritur Dubitatio, quia Arist. loquens de Tactu, dixit Tactum Hominis esse certissimum, & exquisitissimum; Respondeo, duplicem posse fieri comparationē; Vnam inter Tactus uariorum Animalium, ac ita hominis Tactus præfertur; Alteram, inter iudicia variorum sensuum, ac ita oculata fides præstat, & uisus exactissimè iudicat, & ad eum pertinet Lux, qua nil clarius & splendidius, mitto, quod est præstantissimus cum sit origine postremus, plurima iudicat, remotissima sentit, ad diuiniora eleuatur, spiritualius, & sine tēpore operatur. Considero Quartò, quod Phantasia nomen sumpsit à luce attinente ad oculū, nedū quia per oculū res lucidissimè apparent, verū insuper, quia plurima eorū quæ imaginatione cōcipiuntur, ex oculis desumūtur & uisibiliū imagines magis sunt cōspicuę, sic imaginamur Cęlestia, Colores in Aere apparētes, & alia plurima, non aūt tā frequenter, & conspicuè imaginamur attinētia ad cæteros sensus. Cōsidero Quintò, quod cū ad Phantasiā pertineat mansio, & ea sit officiū Memoriæ, cōspicuè indicat Arist. Memoriā attinere ad Phantasiā, de qua modo non distinctè loquitur, quia non est facultas Animę distincta, sed officiū Phantasię distinctum, Phantasmata enim quæ seruantur, Phantasiæ sunt officia, & iudicia, quæ mox offeruntur Menti; de qua Phantasia id dicere possumus, quod dicitur de rudibus, melius ei esse inseruire, quam regnare, inseruit in viro sapiente, in quo famulatur Menti recta ratione dirigenti, imperat autem & ducit in feris & dementibus. Considero Sextò, quod Arist. ait Phantasiam Hominis multa efficere, quia Mens vel perturbatione, vel morbo, uel somno obtegitur, siue obumbratur, ita loquitur, ut approbet id quod in 7. Phys. Cont. 20. enunciauit, ad Mentem nullam peruenire permutationem, sed solum eas attinere ad partem sentientem, quod etiam affirmauit in 1. de Anima, 64. & 66. adeò, vt quotiescunque de Mente facit mentionem, semper indicet eam ab interitu esse immunem, & nisi lucidè inspicerem Arist. putasse Mentem Hominis interitui non esse obnoxiam, negligerem penitus hos eius de Anima libros, quos tamen libentissimè mihi exponendos proposui vt sententiam eius clariorem redderem.

Protectio ne Animalium duo requiri.

3 *Visus maximè sensus est.*

4 *Cur Phantasia nomen sumpserit à Luce.*

5 *Phantasiæ melius est inseruire quam regnare.*

6

Pertinentia ad Numerum, Ordinem, Officia, Obiecta, & Instrumenta internorū Sensuum, legantur in libro de internis Sensibus, & de sede Animæ, quæ modo non repeto.

LIBER TERTIVS
EX SENTENTIA AVERROIS.

DE particula autem Animæ, qua & cognoscit Anima, & sapit, siue separabili existente, siue etiam non separabili secundum magnitudinem, sed secundum rationem, considerandum quam habet differentiam, & quonam modo fiat Intelligere. *Contex. primus.*

ARISTOT. in Contex.155.assumpsit Intelligere, ut distinctum ab ipso Sentire, & id diuisit in Phantasiam, & ὑπόληψιν, hoc est assensionem, siue æstimationem attinentem ad Mentem ratiocinantem, & dixit: Cum de Phantasia egerimus, de altero dicendũ erit, in præcedente Contex. colligens se de Phantasia egisse, dixit: De Phantasia igitur quid est, & propter quid, dictum est hactenus, ideo nunc ait: De particula autem, &c. indicans se id seruare, quod est pollicitus, & per dictionem, autem, indicat relatam connexionem; Id autem seruaturus in præsenti Contex. qui est particulare Proœmium ei inseruiens usque ad Contex.40. Tria facit; Primò proponit rem considerandam inquiens de particula Animæ, qua Anima cognoscit & sapit; Secundò, refert id quod de ea distincte non est explicandum, inquiens siue separabili existente ab alijs partibus Animæ magnitudine, & sede, siue non separabili magnitudine, & sede, quasi dicat, quouis modo se habeat, nunc non proponimus considerandum; In Tertia parte, de relata particula duo proponit considerãda; Vnum de quo agetur vsque ad Contex. 20. & est quam habeat differentiam, nam eius differentiæ dicentur Mens potestate, & Mens agens; Alterum est, quomodo fiat intelligere, de quo erit sermo à 21. vsque ad 40. Contex. hæc est sententia facilis.

Intentio.

Diuisio.

Exposit.

ANNOTATIONES.

HOC ex sententia Auerrois est Principium Tertij libri, & quamuis ego ab eo dissentiam, in numero tamen contextuum sequar illum, ne a communi vsu recedam; Noto autem Primò Mentem à Phantasia contradistinctam varijs denotari nominibus, in Contex.155. dicebatur ὑπόληψις, quæ est tanquam conclusio Rationis, & diuidebatur in Scientiam, Prudẽtiam, & Opinionem, in quinto Contex. huius libri ait: Dico autem Mentem, qua Anima διανοῖται, καὶ ὑπολαμβάνει, cogitat & æstimat, in hoc autem Contex. inquit, qua cognoscit Anima & φρονεῖ, sapit, hæc enim sunt varia eius opera, per quæ circumscribitur; De hac itaque particula, duo proponit considerãda. Considero Secundò, quod ea nuncupatur particula, at, non apparet ratio cur utatur diminutiuo, cum sit pars præstantissima. Vicom. ait id fieri, quia hæc est subdiuisio, nam Mens est pars Animæ, quæ in Contex.155. subdiuidebatur in Phantasiam & hanc, quæ Ratio est inanis: quia Arist. etiam sine subdiuisione, gradus Animæ appellat particulas, ut patet in secundo de Anima, 19. & 22. in hoc tertio libro Contex.40. Alij vt Simplicius, Contex.40. & Suess. aiunt, quia non verè est pars sed potentia; At contra potentię non dicuntur partes, ut potentiæ Materię; Insuper, Mẽs verè est pars, distincta ab alijs, ex sententia Arist. secundum essentiam; Dicamus itaque Primò, Græcos frequenter uti diminutiuo, pro absoluto, veluti libri qui dicuntur de partibus Animalium, ab Arist. inscribuntur de particulis; sic etiam gradus Animæ nonnunquam dicuntur partes, vt in Contex.52. huius libri, nonnunquam particulæ.

Annotatio prima.

Nomina Mentis.

2

Cur dicatur Particula.

Sẽtentia propria.

culæ; Quod si etiam rationem afferre volumus, cur potius dicantur particulæ, quam partes, dicere possumus, id eis competere, tum quia multæ sunt, tum insuper, quia partes magis propriè pertinent ad Corpus, vt etiam diuisio. Præsertim autem id Menti competit; Primò, quia nec ex se, neque ex accidenti est quanta, & diuidua; Secundò, quia paucis competit, ideo in 2. de Anima 32. dicebatur ultima, & minima; Tertiò, quia pauci uiuunt uitam eius; Quartò, quia Mens Hominis, comparata cum ea æternorum, exigua participatio est; Propterea in 10. Nicomachiorum, cap. 8. dicitur uiuendum Homini esse secundum eam, quia quamuis mole sit minima, est tamen facultate maxima. Considero Tertiò, quod Aristot. addit, Animæ, per Animam intel

3 *Quid per Animam intelligere debeamus.*

ligere possumus vel Animam uniuersè sumptam, cuius Mens est particula suprema, & supremus gradus, uel Animam Hominis, cuius magis propriè dicitur particula, & de hac uerius dicitur, quia hæc sola sapit, & cum dicat de particula, Animę, indicat se non considerare Mentem absolutè, ut Mens est, ita enim non pertinet ad Physicum, ut dicitur in 1. de partibus Animalium, sed tanquam particulam Animę, operantem cum ea, & fungentem officio mortali, & eam circumscribens inquit: qua Anima cognoscit & sapit, primò dixit esse particulam, & mole minimam, modo patefacit virtute esse maximam, nil enim mortalibus competere potest quod non cedat, & subijciatur Prudentiæ, & Sapiętię; per Cognoscere, denotat id, quod ei est commune cum omni facultate cognoscente, & distinguitur à nutriente; Per Sapere verò, id, quod proprium est eius, & per quod distinguitur à Sensu; Vel per Cognoscere denotat officium contemplandi; per Sapere verò officium agendi per Prudentiam. Considero Quartò, quod cum Aristot. inquit: siue separabili existente, siue non separabili, secun

4 *Philopon.*

dum Magnitudinem, sed secundum Rationem, &c. hoc non proponitur tanquam cõsiderandum, nam pertinet ad Subiectum, & cum suspensione legitur, quasi dicat, quouis modo de hoc se habeat; Propterea, minus rectè Philoponus hoc numerat inter ea quæ de Mente proponuntur consideranda, quæ Tria esse dicit, cum tamen sint duo tantum; & adhuc magis errat, quia his verbis putat proponi considerandum, an sit separabilis à corpore, & immortalis, cum tamen separati Magnitudine, non sit separati à Corpore, sed distingui loco, & sede; vt censuit Plato, & hoc patet: quia profertur vt contradistinctum non ab inseparabili à Corpore, sed à separabili Ratione; Confirmatur: quia similiter in 2. de Anima, 19. de partibus Animæ dubitabat, an separentur loco, vel Ratione; quod ibi dicebat loco, nunc ait Magnitudine; Similiter in hoc 3. de facultate mouente dubitat, an sit separabilis Magnitudine, vel Ratione, & procul dubio de ea non quæritur an sit separabilis à Corpore; Profert itaque Aristot. hoc ob Platonem, qui ei distinctam in Corpore tribuebat sedem. Considero Quintò, pri-

5 *Quid per Differentiam denotetur.*

mum quod de Mente Aristot. proponit considerandum, esse hoc, quam habeat Differentiam, at, quid denotetur per hæc verba non constat, Philoponus ait denotari quo modo distinguatur à sensu, Themist. & Auerr. quę sit differentia inter hanc particulam, & alias Animæ facultates cognoscentes; At, contra Aristot. non ait quomodo differat, sed qua differentia sit prædita, insuper Aristot. iam discrimen inter huiusmodi facultates cognoscentes declarauit, à Contex. 150. ad 155. & in Contex. 155. per ea quæ declarauerat accipit, quod intelligere sit aliud ab ipso sentire, & distinguit propriè sumptam Mentem à Phantasia, propterea non est rationi consentaneum, quod modo id proponat considerandum, quod ex instituto declarauit, ac ut declaratum assumpsit in præcedentibus; Confirmatur: quia Arist. in progressu non laborabit pro assignando discrimine inter Mentem & Sensum, sed pro declarandis differentijs Mentis, quæ sunt Mens potestate, & Mens agens, ac ita Aristot. proposuisset minus principale, prætermisisset principalius, & sunt differentię Mentis explicandæ;

Sententia propria.

Confirmatur: quia in progressu has dicet esse differentias ad Animariam Mentem attinentes; Dicamus itaque, Aristot. de Mente duo proponere explicanda; Primum, attinens ad essentiam eius, ut est particula Animæ; Alterum, ad functionem muneris;

Hæc

Hęc proponenda erant, de his Aristot. verba faciet; Propterea nisi ea proposuisset errasset, sic itaque de Mente humana tāquam particula Animę, quouis modo ab alijs partibus sit distincta, duo proponuntur consideranda, qua differentia sit prædita, & quo modo ei competat intelligere, & hoc particulare Proœmium inseruiet, usque ad Contex. 40. quo loci alio Proœmio Arist. vtitur. Considero Sextò, quod Arist. conspicuè secum videtur pugnare, nam in 1. de Anima, 64. inficiatur Animam irasci, & cogitare, sed ait id tribuendum esse Homini, hoc tamen in loco, & in Contex. 5. inquit, Animam intelligere per Mentem, & in Contex. 4. ait, Mentem omnia intelligere, Themistius loco Animę ait Hominem, sed aduersatur Arist. qui sępè id tribuit Animę, ut dixi; Insuper, nunquam Aristot. ait Hominem Mente intelligere, sed uel Hominem Anima, uel Animam Mente, vel Mentem intelligere; Propterea dicamus, triplicem posse fieri comparationem, vnam inter Hominem & Animam, hanc fecit Aristot. in 1. de Anima, 64. Alteram, inter Animam & Mentem, quam fecit hoc in loco, & Contex. 5. Tertiam, inter Mentem & officium eius, secundum quam comparationem dixit in Contex. 4. Mentem omnia intelligere, adeò, vt Mens sit Ratio, & Principium principale, Anima Principium totum, Homo agens, completum, Arist. in 1. de Anima, 64. ait melius fortasse est dicere Hominem Anima cogitare, ait melius, indicans etiam secus nos posse loqui, & etiam addit fortassè, & id eo loci dixit Aristot. ob Platonem, qui tribuens Menti Ideas, & Animę Rationes, existimabat, quod dum in se contrahitur, ualet sine ope Phantasię speculari, ut patet ex Theeteto, quod tamen inficiatur Aristot. Considero Septimò, quod secus etiam videtur Aristot. secum pugnare: nam in 1. de Anima, Contex. 90. inquit, putasse quosdam Animam diuidi, & parte vna intelligere, alia concupiscere, quid igitur cōtinet Animam, si diuidua est? &c. ibi negat eam diuidi in partes, hic verò affirmat; Soluitur, dicēdo, Animam in Animali non diuidi, adeò, vt partes secernantur loco, & in Corde sit vis irascendi, in Capite iudicandi, ita enim in eodem multæ essent distinctæ Animæ, & ea non esset perfectio vniuersi Corporis, nec pars vna includeretur in altera, ut triangulus in quadrangulo, damnatur itaque modus, at non diuisio absolutè. Considero Octauò, cum Aristot. proponat agendum de Humana Mente, ad quam ea pertinet quæ Mens potestate dicitur, & vltra quæ nuncupatur agens, num per particulam Animæ denotet vtrāque vel alteram tantum, quidam Alexandro addicti, inquiunt solam denotari, & proponi Mentem potestate, non agentem, negant enim eam esse partem Animæ, sed putant esse Deum, solum aiunt proponi per consequutionem, vt dum proponitur agendum de Visu, proponitur agendum de Lumine, tanquam de requisito pro Visu; Confirmatur: horum sententia, quia in Contex. 5. accipitur hæc particula, qua Anima ratiocinatur, & dicitur, hanc esse eius conditionem, vt sit potestate, & nil actu, ante quam intelligat; Hanc opinionem non puto approbandam, iam patefeci, quod cum Aristot. proponat considerandum, quam habeat differentiā, nil aliud denotare uoluit, nisi eas, quas dicet esse differentias Animæ, & sunt Mens potestate, & agens, Lumen requisitum pro Visu, cum sit aliquid externum, non dicitur sensus & differentia Animæ; & Confirmatur: quia oppositorum idem est Genus, eadem Ratio, eademque disciplina; Dicamus itaque, per particulam denotari essentiam, & fundamentum, cuius duæ sunt differentiæ, ratione distinctæ, quæ primò de ea particula sunt explicandæ; At, instabatur, quia hæc particula est ea, quæ huius est conditionis, vt solum sit potestate; Respondeo, in hac particula id quod primo ori gine nobis occurrit, est conditio eius, & tanquam facies, & ratio vna ut sit potestate, mox per attinentia ad hanc, ducimur in notitiam alterius differentiæ eius, ea namque distincta ratione, & omnia fieri, & omnia facere dicitur, vt distinctius suo loco patebit. Considero Nonò, iure quempiam ambigere posse, cur Aristot. de hac particula non proponat considerandum an sit immortalis, & num loco ab aliis partibus secernatur? hæc enim scitu dignissima sunt, & summoperè optantur. De Prima

6 *Contron.*

Solutio.

7 *Contron.*

Solutio.

8 *An proponatur considerandus Mens Agens.*

Confutatio.

Instantia.

Solutio.

9 *Cur non proponitur an sit immortalis.*

difficultate dico,cum Aristot.proponat considerandas differentias per potentiam, & actum,simul denotat esse considerandum,quid, & quales sint; De Altera aiunt nonnulli in 3.de partibus,in sermone de Corde, id fuisse declaratum,quæ sententia mihi est dubia,tum,quia eo loci id non declaratur,tum Secundò,quia Aristot.in 2.de Anima,19.dixit de Mente id latere,an sit loco seiuncta,tum Tertiò, quia si id prætermitteret vt explicatum, debuisset partem approbatam ut patefactam accipere, non autem sub dubio proferre; tum Quartò,quia in calce 1.de Anima, Aristot. loquitur de distinctione partium Animæ,tanquam de re dubia,& adhuc non explicata; Propterea dico,Arist.iure optimo cum suspensione id protulisse,quia nõ est aliquid principaliter inquirendũ,sed qũo se habeat ad sedẽ,patebit ex declaratione differentiarũ eius, inde enim constabit ei instrumentum, & propriè locum non competere, & ex operibus patebit quod si sedes modo aliquo ei est tribuenda,ibi est,vbi reperitur Phantasia sine qua non valet intelligere,& ea quæ est sedes anterioris, etiam est sedes sequentis
10 facultatis, quæ sine anteriore in mortalibus non reperitur. Considero Decimò,cum Mens dicatur particula Animæ,& pars sit multipliciter, quæritur, qua ratione Mens
Quomo-Mens sit pars. sit particula? Breuibus dico, Mentem quatuor modis posse dici partem; nam Primo considerando vniuersam Animæ latitudinem, ut totum quoddam completum,& integrum, Mens potest dici pars integrans, & ob id soli Homini in mortalibus Anima integra competit; Secundò, considerando Animum vt Vniuersale dictum de pluribus, tanquam Genus ab vno,sic Mens dici potest pars Vniuersalis, vt Species Generis; Tertio, considerando distinctos gradus Animæ,& facultatum eius,vel in solo Homine, vel vninersè in tota Animæ latitudine, sic Mens est pars, quia gradus supremus. Quartò,referendo Mentem, ad Phantasiam, tanquam lumen ad perspicuum, ea perinde se habebit, ac Forma ad Materiam, perfectio ad id quod perficitur, & seruabit conditionem partis essentiæ; Hæc est ea pars, de qua dicere licet, quod sit maior toto,de qua ait Aristot.in 1. Nicomachiorum, esse tanquam oculum Animæ, & Plato in Phedro, esse Aurigam currus humanæ uitę, eandem dicere possumus esse tanquam lumen ad perspicuum, tanquam Principem Reipublicæ ad subordinatos
11 Magistratus,& demum, tanquam alas aptas nos ad supera eleuare. Considero Vndecimò,nonnullos ex eo quod Arist.inquit de particula, qua Anima intelligit elicere essentiam totius Animæ esse vnam,alioquin ex eis unum fieret ex accidenti,& Aristot. per id quod est ex accidenti, eam describeret, & præsertim quia id quod est per partem,est ex accidenti,ut dicitur sub initium 5.Physic. hoc autem nituntur elicere, vt patefaciant Arist.putasse particulam hanc esse mortalem, ut cęteras censuit mortales; At,profecto id minimè elicitur, non enim ille esset carpendus qui diceret Cælum esse partem Mundi,per quam Mundus illustratur,redditur Sphæricus, & æternus,cum tamen Cæli & mortalium distincta sit essentia, & unum sit æternum absolutè, alterum sola successione,sic etiam habet de sermone Aristot. dicentis Mentẽ esse particulam, per quam Anima intelligit,id enim competit toti,per id quod est perfectio, & actus supremus,& dum additur quod id quod est per partem,est ex accidenti, dico,id esse verum, dum non explicatur pars,at, dum explicatur, non amplius est ex accidenti; si dicerem Anima intelligit, hoc esset ex accidenti,quia reduplicatio nõ cadit suprà Anima, At si dico Anima intelligit per Mentem, Homo percutit manu,nõ est ex accidenti,distinctè patefecit Arist.Mentis & aliarum partium essentiam esse distinctam,cum distinctum eis tribuat principium,inquiẽs solam Mentem extrinsecus accedere, & distinctum finem, cum dicat eam solam separari, ut æternum à mortali; Colligo itaque Aristotelem ita loqui, ut uera sit circunscriptio siue inui-
12 cem distinguantur essentia, siue sola ratione. Considero Duodecimò, hanc particulam esse eam, per quam Homo dicitur Animal rationis particeps, quam esse verum Hominem putabat Plato,ideo Academici Hominem definiunt,quod sit Anima Mentis particeps,Corpore vtens; Pro notitia autem sententiæ Aristotelis con-

siderandi

ſiderandi ſunt Tres ſubordinati gradus; Animal rationale, Anima rationalis, Pars rationalis; Animal dicitur rationale per Animam, Anima per Mentem, Anima rationalis eſt tota Anima Hominis, denominata per partem ſupremam, conſiderando autem partes Animę, Mens ex ſe eſt rationis compos, nam ex ſe apta eſt Ratiocinari, & propterea rectius Ratio, quam Rationis particeps dicitur, Phantaſia, & appetitus ſunt rationales per participationem, Phantaſia quidē, quia apta eſt formari per Mentem, ut in progreſſu patebit, Appetitus verò quia eſt aptus obtemperare Rationi, ut puer præceptori, vt dicitur in calce 1. Nicomachiorum; Senſus externi, nec ex ſe, nec per participationem ſunt Rationales, & longè minus, Facultas Nutriens; At, quæritur, cur anima ſiue Mens dicatur Rationalis? Reſpondeo, talem dici, quia intrinſecus ratiocinatur, ex vno in alterum progrediens, quæ interna Ratiocinatio à Platone in Philebo dicitur ſermo internus, cui reſpondet oratio externa, hinc Homo intrinſecus ratiocinatur, extrinſecus verò ſermocinatur & ob id ſermo ſolis competit Ratione præditis; Inſuper, dicitur Rationalis, quia mutuo res ualet inuicem comparare, & ex una alteram colligere, mutua enim collatio Ratio dicitur; Comparat itaq; varia inter ſe, Ratiocinatur de illis, & eorum quæ iudicat, vel facit, eſt apta rationem reddere, hinc iure hæc pars dicitur Ratio Hominis, & Homo Rationis compos, non autem dicitur Rationalis quia inſitis rationibus ſit prædita, Ideis Mentis reſpondentibus, ut aiunt Academici, à quibus diſſentit Ariſtoteles.

Tres gradus.

Cur Anima dicatur rationalis.

Si ſanè intelligere eſt ſicut ſentire, uel aliquid pati, erit ab intelligibili, vel aliquid huiuſmodi alterum. *Cons. 2.*

ARISTOT. de humana Mente duo declaranda propoſuit; Primū, quæ ſint eius differentiæ; Alterum, quomodo fieret ipſum intelligere; Et quia pro Secundo requiritur cognitio Primi, ideo à Primo orditur; Inſuper, quia Mens ut eſt poteſtate, eſt origine prior, ac etiam eſt nobis notior, & per eam refulget altera, ideo ab hac orditur; Et quoniam Senſus eſt nobis notior, & iam eſt explicatus, ideo initium Methodi quæ eſt per notiora nobis, ſumitur ex ſimilitudine Senſus, & Mentis, & per opera ducimur in notitiam Principiorum; Diuiditur præſens Contex. in Duas partes; In Prima profertur antecedens, & eſt; Si intelligere eſt ſicut ſentire, In Altera infertur conſequens; & eſt; Igitur intelligere eſt pati aliquid ab intelligibili, vel aliud aliquid huiuſmodi, hoc eſt, Enthymema, quod ita in Syllogiſmum redigitur; Quod eſt ſimile ipſi ſentire, vel eſt pati, uel aliud ſimile, Intelligere eſt ei ſimile, quare, &c. Maior ex eo patet, quia iam in 2. de Anima, vniuerſè de omni Senſu dictum eſt, quod conſiſtunt in pati, ac inſuper eſt declaratum eam non propriè eſſe paſſionem, quia eſt perfectio ſine interitu. Minor profertur cum conditione, ſi intelligere eſt ſicut ſentire, vtitur autem conditione; Primò, quia id non oſtendit; Secundò, quia id profert ut à cunctis approbatum, quaſi dicat, ſi eſt vt ſentire, ut omnes fatentur, & ex ſe conſtat; Tertiò, quia non omni ex parte eſt ſimile, cum fiat ſine inſtrumento.

Intentio.

Diuiſio.

Expoſit.

Cur utatur conditione.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Auerroem & plurimos eum ſequentes, putaſſe, Ariſtotelem non ordiri à differētijs Mentis, ſed à ſecundo propoſitorum, nimirum, quomodo fiat intelligere, id potēſt confirmari per ea quæ protulit Ariſt. in 2. de Anima, 33. inquiens prius eſſe agendum de Intelligibili, quam de Mente; Similiter, prius dixit eſſe agendum de actione & officio; confirmatur: per id quod dicitur in Contex. nam ait Ariſt.

Conſid. 1. Sententia Auerroꝛis

Si

Diuersio. Si intelligere est sicut sentire, conspicuè patet Arist. ordiri ab ipso intelligere; Hanc Sententiam non puto approbandam, conspicuè enim à Contex. 21. ad 40. sermo est de modo intelligendi; Confirmatur: quia non potest apparere modus intelligendi, nisi notæ sint differentiæ Mentis, ex quibus pendet; Præterea, conspicuè Aristot. statim incipiet agere de Mente potestate, nam de eo agitur de quo colligitur Cõclusio; at Arist. Conclusionem colliget de Mente potestate, ut patebit, de illa itaque agit; & quamuis statim accipiat intelligere, id accipit tanquam principium nobis notius, per quod declarabitur Mens potestate; At, dicebatur in Contex. 35. prius de actione esse agendum; Respondeo, Aristotelem eo loci non de ordine loqui, sed de Methodo, siue uia cognoscendi partes Animæ, & hoc seruat, quia per conspicua quædam attinentia ad actiones, tanquam per principia nobis notiora, declarat Mentem potestate, at modus intelligendi non potest distinctè nosci, nisi primo appareant differentiæ Mentis. Considero Secundò, quod Arist. ait: Si intelligere est sicut sentire, &c Quæritur in quo posita sit similitudo. Arist. in Contex. 150. patefecit in hoc esse positam, quia ambæ hę facultates iudicant, & cognoscunt; Similiter in hoc 3. in Contex. 40. legitur Animam Animalium in duas diuisam esse partes, in discernentem quæ actio est Mentis, & Sensus, & mouentem. In 2. autem de Anima dicitur, Sensum pati, & recipere; Hæc itaque est similitudo, quia ambæ sunt facultates natæ moueri ab Obiecto, id iudicare, & per id reddi actu tales, cum sint potestate tales, ac ita transire ex non operari ad operari; Considero Tertiò, Cum Arist. dicat: Si intelligere est sicut sentire, quæritur quid denotet per intelligere? proculdubio non denotat intelligere per essentiam, quale est id separatarum Mentium; id enim non fit, per motum ab externo Obiecto, sed illud solum, quod competit Humanæ Menti, quod pertinet ad Physicum, & ad Mentem non absolutè, sed ut est particula Animæ; At cùm eius intelligere dicatur Triplex, nimirum Apprehensio Simplicium, Compositio, & Discursus, quæritur, num denotetur vnumquodque? Nonnulli putant denotari quodlibet, nam cum in 1. Contex. Arist. inquiens: Quonam modo fiat intelligere, denotauerit quodlibet, ideo statim inquiens: Si intelligere est sicut sentire, debet quodlibet denotare, & præsertim cum absolutè loquatur; Hanc opinionem non puto veram: nam id denotat quod præfert passionem, hęc autem est sola apprehensio simplicium non aliæ actiones, illæ enim solum sunt actiones, vt in earum explicatione post Cont. 20. patebit; Confirmatur: quia id intelligere denotat quod est simile ipsi sentire, at, sentire est sola apprehensio simplicium; At dicebatur in 1. Contex. denotari intelligere absolutè, quare & in hoc; Respondeo, in 1. Contextu proponi modum quo fieret intelligere, modi autem sunt plures, hoc autem in loco accipitur primus qui ab alijs, supponitur, & similis est, ipsi sentire; Insuper, accipitur ille qui attinent ad Mentẽ potestate, vt est potestate, hic. n. præfert passionẽ; Cõsidero Quartò, quod cũ Arist. pro antecedẽte accipiat similitudinẽ Mẽtis & Sensus, ex ea similitudine nil nisi similitudinẽ inferre valet, nil. n. colligi põt in Cõclusione, quod nõ sit assumptũ in Principijs, propterea recedendũ puto ab Auer. & Simpl. qui in Cõclusione putãt colligi, & denotari dissimilitudinẽ, dũ dicitur, vel aliud simile: nã si deinde adest aliqua dissimilitudo, profectò, ea ex illo antecedenti elici non potest, colligit itaque id solum quod est simile, hoc autem est pati, & quia Sensus non propriè patitur, sed perficitur, ideo additur, uel aliquid simile; Intelligere itaque, & sentire pro origine sunt pati, non propriè sed latè, quorum passio desinit in actionem, quæ iudicium est. Considero Quintò, cum Arist. dicat, quod est pati ab intelligibili, quæritur, quid denotetur per intelligibile? Breuibus dico, nil aliud denotari posse, nisi Phantasma, quod dicitur intelligibile potestate, nam id denotat, quod perinde se habet ad Mentem, ac sensibile ad sensum; At, Aristot. dicit id esse Phantasma; Confirmatur: quia id denotat, quod mouet, & à quo Mens dicitur pati, huiusmodi est Phantasma, de quo legitur, quod est necesse intelligentem Phantasmata speculari; Insuper confirmatur: quia intelligibile abiun-

Quomodo intelligere sit simile ipsi sẽtire.

Quid denotetur p intelligere.

Intelligere triplex

Intelligibile quid.

ctum,

ctum, est intelligibile actu, quod idem est cum actione Mentis. Considero Sextò, quod Arist. in 2. de Anima, 33. dixit prius esse agendum de Intelligibili, quam de intellectu, modo autem id non seruat, sed prius loquitur de differentijs eius; Simplicius inquit, non prius declarari, quia est aliquid sublimius Mente; Alij inquiunt, quia id non potest declarari non explicatis differentijs Mentis, per quas fit; At, hi non seruant Aristot. qui dixit prius esse agendum de intelligibili; Respondent, id debere intelligi, nisi aliquid impediat; Philoponus ait, eo loci Aristot. id dixisse de intelligibili non ut seruandum, sed ob similitudinem cum alijs; at, hæc non satisfaciunt: quia si adesset impedimentum, non debuisset id polliceri, nec esset similis alijs facultatibus. Propterea dicamus, Aristot. optimè seruare quod fuit pollicitus, nam post sensus externos, Obiectum sequentium facultatum est id, quod iudicatur ab antecedente, sic agens de externis Sensibus, apparuit Obiectum Sensus communis, ex declaratione communis, apparuit Obiectum Phantasiæ, ex cuius declaratione refulsit Phantasma, quod perinde se habet ad Mentem, ac sensibile ad sensum, Phantasma est vniuersale potestate, & per hoc intelligere est sicut sentire, nam est id, quod mouet, non autem Vniuersale actu, quod est idem cum actu intelligendi; Insuper, Intelligibile consideratum pro essentia rerum, etiam prius declarabitur, quam absoluatur declaratio Mentis, ueluti in Cont. 9. adeò, vt per id patefaciat etiam conditionem Mentis; Considero Septimò, ex hoc Contex. nonnullos colligere Descriptionem ipsius Intelligere, dicitur enim, quod sit passio perficiens illata ab intelligibili; At, hi minus rectè sentiunt: nam intelligere ab Arstot. dicitur actio immanens, & cum in actione cõstituat summum bonum Hominis, non autem in passione, ut patet ex 1. & 10. Nicomachiorum, quia supremus eius gradus est intelligere, cogimur fateri, quod actio sit, non passio; Propterea dicamus, quod Mens vel refertur ad Phantasma, ac ita patitur; uel ad officium intelligendi, ac ita agit; & eius antecedens passio, desinit in actionem. Insuper, vel inspicimus id quod attinet ad Mentem potestate, ut modo inspicit Aristot. & dicitur pati, vel quod pertinet ad agentem, & dicitur agere, nec secus se habet de Sensu, ut suo loco apparuit; Aristot. itaque hoc in loco solum originem, eamque relatam ad Mentem potestate considerauit; At, si integrum intelligendi officium circunscribere volumus, dicendum erit, Intelligere est iudicare Obiectum intelligibile, præcurrente passione perficiente ab Obiecto illata.

6 *Aristot. prius loquutus è de intelligibili.*

7 *Mens & patitur, et agit.*

Quid sit intelligere.

Cont. 3.

IMPATIBILE igitur oportet esse, susceptiuum autem speciei, & potestate tale, sed non hoc, & similiter se habere vt sensitiuum ad sensibilia, ita Mentem ad Intelligibilia.

SVMPSERAT Aristot. hoc antecedens quod intelligere sit sicut sentire; ex eo inferebat quod intelligere vel est pati ab intelligibili, vel aliud tale; Intentio Philosophi modo est, id consequens explicare, & ex eo virtute sui antecedentis quatuor inferre, ideo Contex. in quatuor partes diuiditur; Infert in Prima: Impatibile itaque oportet esse, hoc est, debet esse immune à propriè sumpta passione, quæ est cum interitu, quia talis est sensus, quare longè magis Mens quę est eminentior; Infert in Secunda parte: Susceptiuum autem formæ; In ratione passionis duo includuntur; vnum est interitus, & hoc reiecit in Prima parte; Alterum est perfectio, & hoc ut competit Sensui, ita Menti, quæ perfectio est receptio Formæ sine Materia, quod competit & Sensui, & Menti, at modo uario; Tertium, quod infert est, quod sit potestate tale, nimirũ id quod recipit, non autem sit id, vel id includat, nam recipiens potestate esse debet, quod est uerum de omni recipiente; Infert Quartò, tanquam summam omnium, & est, vt Sensitiuum se habet ad sensibile, ita Mens ad intelligibile, & ex antecedente

Intentio. Diuisio. Expos.

sumpto

sumpto ex similitudine nil colligi potest nisi id quod simili modo competat sensui, & Menti.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Aristot. Primò infert: impatibile, &c. Græcè ἀ'παθὲς, quæ vox est neutri generis, propterea non potest dici de Mente, quæ Græcè est masculini generis, propterea potest referri ad particulam Animæ, quæ particula Græcè est neutri generis, vel ad intelligere, vt Mentẽ circunscribit. Insuper, ea vox à nonnullis veluti à Simplicio exponitur, quod denotet expers affectionis, & formæ; Confirmatur: quia ex oppositio, non potest inferri oppositum, dixerat, quod est pati aliquid, quare ex eo non potest inferre, quod non patiatur, sic in Contex. 12. dicet, nulli quicquam habet commune, sic est immune ab affectione; & in 1. de Anima, 34. legitur: Solus Anaxagoras impatibilem dicit Mentem, & nulli quicquam habere commune; Hæc expositio uera non est: nam Aristot. sæpè repetet hanc uocem, veluti in Cont. 7. 12. 14. 19. numquam in hac significatione, sed semper denotando Mentem esse immunem à passione, similiter in 8. Physic. 37. legitur Anaxagoram dicere, Mentem à passione immunem, vt iminobilis manens, semper moueat. Sic in Cont. 7. accipitur impatibile & declaratur vario modo competere sensui & Menti. Denotat itaque Arist. passionem propriè sumptam quæ est cum interitu, quæ nec sensui, nec Menti competit, nec ex oppositio Aristot. infert oppositum, sed id confusè dictum pati aliquid, vel aliud simile, distinguit & explicat, ut exposui, & dum Aristotelis de Mente ait, nil ei competere commune alijs, denotat esse immunem à materia. *Quid per immune denotetur.*

2 Considero Secundò, quod Aristot. inquit: Susceptiuum autem speciei, recipit Mens, non Ideas Platonis, sed species rerum materiatarum sine materia, præsentia materiæ, & conditionibus eius; Recipit secundum se, non materiam, quæ secundũ se non est apta intelligi, non actum entis, siue præsentię, sed speciem; quæ Forma est; Recipit non tanquam Subiectum, sed ut iudex iudicans Obiectum, nil enim ex sententia Arist. Mens recipit vt Subiectum, quemadmodum in 7. Phys. 20. declaratur, hinc Aristot. *Quid Mens recipiat & quomodo.*

3 Menti non censuit Memoriam competere. Considero Tertiò, quod ait: Et potentia tale, sed non hoc; quod uerum est triplici ratione; Primo, quia Mens non est potestate res pro esse materiato & principali, sed spiritali, & repræsentationis, vt dicitur in Cont. 38. non lapidis in Anima, sed species; at hoc includitur in parte antecedente, ideo secundo melius, potentia tale, non hoc, ut putabat Empedocles, qui simile, simili nosci dicebat, Aristot. autem ait debere esse simile potestate, non actu; Tertiò contra Platonem, Mens non debet includere Ideas actu, nec Anima Rationes, sed solum potestate; Et hæc præsertim est conditio Hominis, ut relatus ad Habitus cum Corporis, tum Animi, similiter ad arma, nil includat actu, sed cuncta potestate, ut *Conditio Hominis.*

4 laboremus pro assequendo actu. Considero Quartò, Arist. hanc similitudinem uniuersè proferre; Vt Sensitiuum ad Sensibilia, ita Mentem se habere ad Intelligibilia, ordiebatur à similitudine, & in similitudinem definit, & progrediens Methodo per notiora nobis, id congruenter facit per Sensum notiorem, per actiones conspicuas & Obiecta; Insuper, iure Arist. magis propriè loquens, ait Sensitiuo respondere Mentem, nam Sensitiuum est compositum, & cum Organo iunctum, cui respondet non Intellectiuum compositum, sed Mens, quæ Organo non eget; & quamuis nonnunquã utatur uoce Intellectiui, ut in 2. de Anima, 18. & in hoc 3. Cont. 7. tunc ea uoce vtitur, vt respondente Sensitiuo, & minus propriè, insuper cum relatione ad Animam, & Phantasiam cum qua nectitur, at hoc in loco magis propriè loquitur. Considero

5 Quintò, cum Aristot. statuat Mentem similem Sensui, similia autem non eadem sint, sed aliquid includunt commune, aliquid varium, ideo de Sensu & Mente loquentes,

septem

ſeptem ſimilia præſertim eis competunt,& ſeptem varia; Primò utriſque competit; vt ab Obiecto non deſtruantur; Secundò ut perficiantur; Tertiò, vt ſint poteſtate, Quartò,vt careant Forma; Quintò,vt tranſeant ex non operari,ad operari; Sextò,vt eorum paſſio deſinat in actionem,ea autem eſt iudicium; Septimò,vt recipiant Speciem ſine Materia. Ex aduerſo ſimiliter ſeptem poſſunt ſtatui differentiæ; Prima eſt,ex una parte eſt Senſitiuum vnà cum Organo,ex altera mens ſine Organo; Secunda,Senſus lęditur à vehementi Senſibili,non autem Mens,hinc ſenſus fit Qualis, non mens; Tertia,Mens uniuersè omnia intelligit,non Senſus; Quarta,in Senſu uſque ad communem non formatur habitus,ſed in Mente; Quinta,mens ſimilia apprehendit,ſecernendo à materia, ſenſus ſingularia in materia; Sexta, mens alia intelligens,ſe intelligit,non Senſus; Septima, mens uerè eſt intelligibilis, non autem Senſus ſentibilis,quæ Communia,& Differentiæ, partim patent ex dictis, partim patebunt per dicenda. *Septē ſimilitudines Sēſus, et Mētis.*

NECESSE itaque, quoniam omnia intelligit, immixtum eſſe, vt inquit Anaxagoras, vt denominetur, hoc autem eſt vt cognoſcat, nam iuxta apparens prohibet extraneum, & obſtruit. *Cont.4.*

HACTENVS Ariſtot.ex ſimilitudine cum Senſu,collegit id quod eſt commune utrique, modo verò ex eo quod eſt proprium mentis, vult colligere id quod eius eſt proprium, vt pateat quid ſit prima Mentis differentia; Contex.Diuiditur in Quatuor partes; In Prima profertur Antecedens,& eſt hoc; Mens intelligit omnia, quod profertur vt notum; Ex hoc in Secunda parte infertur, igitur eſt neceſſe vt ſit immunis à mixtione; In Tertia parte confirmatur conſequens authoritate Anaxagoræ,dicentis,ſolam Mentem in Chao non eſſe mixtā,ut dominaretur Chao, & poſſet illum in ordinem redigere, hoc autem non faceret, niſi omnia in ordinem redigenda intelligeret;& quoniam Ariſt.non approbat ſententias Veterum niſi adſit Ratio eas cōfirmans, ideo in Quarta parte id conſequens confirmat Ratione,quæ ſic formatur; Impediens debet abeſſe à recipiente, permixtio impedit receptionem, igitur debet abeſſe à recipiente; Similiter Prima Conſequutio ſic in formam redigitur; Intelligens omnia per receptionem,debet eſſe immune à permixtione cum illis,Mēs Humana intelligit omnia per receptionem, quare debet eſſe immunis à permixtione cum illis,huius Syllogiſmi Maior oſtenditur per dicta in 2. & in 3. parte. *Intentio.* *Diuiſio.* *Expoſit.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò,ſententiam eſſe Platonis, Methodum exactiſſimam indagandi conditiones rerum, eſſe progredi per idem & diuerſum; hoc approbauit etiam Ariſt.propterea in 1.Topicorum, tanquam de his quæ vniuersè inſeruiunt pro rebus cognoſcendis,egit de eodem,& diuerſo,per idem,ac ſimilitudinem,ducimur in notitiam generis,per diuerſum verò,in notitiam propriarum differentiarum,ideo Ariſt.indagaturus cōditionem Mentis, progreditur hac Methodo, per idem & diuerſum; Idem & diuerſum,non ſunt id de quo agitur,ſed ſunt Methodus indagandi differentias Mētis,quas Primò indagandas propoſuit. Conſidero Secundò,quod Ariſt.accipit ut notum, Mentem intelligere omnia,quod tamen videtur apprimè dubium nec conſtat vndenam id recipiat; Propterea Tria ſunt declaranda; Primò,quid denotet per omnia; Secundò,unde id recipiat; *Conſid.1. Methodus præcipua indagandi conditiones rerum.* *Quomodo Mens intelligat omnia.*

Ter-

Tertiò, an uerum sit; Loquendo de Primo, multi putant denotari omnia absolutè cũ Aristot. absolutè loquatur; At, errant, inde enim sequeretur quod Mens absolutè nil esset; Confirmatur: quia Facultas ad suum Obiectum referri debet, at, non omnia absolutè continentur sub Obiecto Mentis; Præterea, Facultas eo debet esse nudata, à quo mouetur, & quod per se primò intelligit, veluti Sensus non sunt nudati Sensibilibus communibus, sed solum proprijs; Propterea per omnia debemus intelligere cuncta per se contenta sub Obiecto per se motiuo Mentis; huiusmodi est essentia materiata, quæ per Phantasma offertur, nam Facultas ad suum Obiectum est referenda, Homo autem non per solam Mentem fit omnia sed vt ait Aristot. in Contex. 37. sensus est sensibilium, scientia scibilium, Anima per Sensum fit sensibilia, per Mentem intelligibilia; Confirmatur: quia si Aristot. tanquam notum acciperet Mentem absolutè omnia intelligere, non debuisset in Contex. 36. sub dubio derelinquere an Mens iuncta corpori, valeat apprehendere Substantias separatas: Sic itaque Mens per se primò est apta apprehendere omnia contenta sub Obiecto apto eam mouere; huiusmodi est essentia materiata, et oblata per Phantasmata, ad quæ Mens perinde se habet, ac Sensus ad sensibilia: hoc tamen verum est, quod cum hæc per se primò intelligat, & his nudata esse debeat, tamen deinde secundariò, ac vt refulgent per Phantasmata, est apta modo eis consentaneo intelligere omnia, vnicuique autem id tribuendum est quod secundum se, & primò ei competit; At, instare aliquis posset, quia sic non acciperetur aliquid proprium Mentis, sed commune omni facultati cognoscenti; Præterea, non posset inde colligere in 5. Contex. quod nil esset eorum quæ sunt, & solum esse potestate; Respondeo, quod Mentem se habere ad intelligibilia, vt Sensus se habent ad sensibilia, esse commune eis, varietas est posita in Obiecto: nam Sensus non attingit essentiam; & dum Aristot. infert Mentem nil esse actu, non denotat nil esse actu absolutè, iam dixit esse particulam Animę, sed nil esse actu cum relatione ad suum Obiectum, non enim est essentia materiata; Secundò, considerandum proponebatur, vnde eliciat Aristot. quod Mens omnia intelligat; Respondeo, id elicere ex proximè dictis; Dicebatur: Vt Sensus se habet ad sensibilia, ita Mens ad intelligibilia, addamus nos, sed Sensus apprehendit per se primò omnia per se contenta sub eius Obiecto, & ab eis debet esse nudatus, quare Mens quoque per se primò intelligit omnia secundum se contenta sub suo Obiecto, & eis nudata esse debet; & Ratio vim habet à Minori, cum Mens sit præstantior; Præterea, id patet Experientia: nam sapiens omnia noscit, ut ei licet; hinc dicitur Mensura rerum; Tertiò, ex Ratione: nam omnis Facultas ordinata in Obiectum, est apta uniuersum illud apprehendere, cum sit eiusdem Rationis, Obiectum enim est prædictum vna communi Ratione; Demum, id elicitur ex desiderio nobis per naturam insito; Tertiò, proponebatur considerandum, an verum sit quod intelligat omnia, id enim videtur falsum, quia Ignorantia dicebatur nobis magis propria quam Scientia, & multa reperiuntur de quibus Homo certus reddi non potest; Pro Solutione dico, eam Sententiam duobus modis posse intelligi; Vel vt profertur ab Arist. cum relatione ad suum Obiectum; Vel absolutè: in Prima significatione est vera, quod sit nata secundum se, & primò intelligere cuncta; In Altera autem est vera quod sit nata apprehendere omnia, vel primariò, vel secundariò, quatenus prædita sunt Phãtasmate eorum proprio, vel quatenus per aliorum Phantasmata sunt apta repræsentari, vt patebit in Contex. 39. Pro Solutionibus autem aduersarum Rationum, his vtendum est distinctionibus: nam Mens intelligit omnia, si non per se primò, saltem secundariò, & per cõsecutionem; si non actu, saltem facultate; si nõ distinctè, saltem confusè; si non in vno Indiuiduo; saltem in varijs; si non secundum propriam Speciem, saltem secundum Genus; si non uno tempore, saltem cursu temporum, Vires autẽ mensurari debent per maximum quod possunt: Quo autem pacto nobis Ignorantia dicatur magis propria, suo loco patefeci. Considero Quratò, quod ex assumpto Antecedente, Arist. infert

Dubitat.

Solutio.

2

3

An Mens intelligat omnia.

Solutio.

Solutio aduersarũ Rationũ.

4

esse

esse necesse,ut Mens sit immunis à mixtione; pro quo intelligendo, Duo sunt explicanda; Primò, quid denotetur per esse non mixtum; Secundo,quomodo id ex antecedente colligatur; vt pertinet ad Primum, nonnulli per non mixtum aiunt denotari non esse Organicum, quæ expositio non respondet verbo, non enim mixtum significat Organicum; Præterea, Aristot.in Contex.6. ut notum accipit, Mentem non esse Organicam,& id accipit pro Ostensione,quod non sit mixta cum Corpore. Rectius D. Thomas,& Auerroes aiunt denotari non esse mixtum cum Corpore,adeò, vt non sit Forma ex Materia pendens; Hoc profectò verum est,& approbabitur in Contextu 6.& respondet rationi sumptæ ex autoritate Anaxagoræ,sed non est satis,nam ex antecedente assumpto præsertim elicitur,quod Mens non sit mixta cum Obiecto intelligibili,& hoc elicitur ex ratione,cum dicat propè apparens prohibet,& obstruit, patet quoque ex 5.Contex.in quo elicietur esse penitus potestate, & nil actu; Simplicius, & Themistius id referunt ad solum Obiectum, adeò, vt non includat intelligibilia; hoc etiam verum est,at non est satis: nam in Contex.Sextò,non ex alio, sed ex hoc antecedente colliget, non esse mixtum cum Corpore; Propterea dicamus, per non mixtum,non denotari non esse Organicum, neque non mixtum cum Forma opposita,quia caret contrario, sed non mixtum cum Subiecto,hoc est, cum Materia & cum Obiecto; hinc Aristot.colliget utrunque, & explicabit. Ratio sumpta ex autoritate Anaxagoræ, remouet mixtionem cum Subiecto; Altera,cum Obiecto; Hinc iure vsus est voce communi,qua excludit Sententiam Platonis, qui Menti tribuebat Ideas,adeò,vt includeret Obiectum; Similiter vnà cum Pythagora dicebat eam constare ex Numeris,& Principijs; Insuper,excludit Sententiam Empedoclis, dicentis, eam constare ex quatuor Elementis, & demum, excludit Sententias omnium Veterum, qui dicebant simile simili nosci; At perpendendum est, quomodo ex eo antecedente vtrunque eliciatur; Dico id optimè elici quoniam vt patebit recipiens nec esse debet, nec debet includere id qđ est aptum recipere secundum se, & primò quia debet esse potestate,quæ iunctã exposcit priuationem,& debet moueri ab Obiecto secundũ se,& primò,nil autem mouet se;Insuper,cum intelligat secernendo à Materia, & cõditionib.eius,debet esse eleuata suprà Materiã,ut dominetur,nõ nũt ei immersa; At,obijciunt nonnulli,quia Ideę Mẽti cõpetentes,nõ euertunt,sed cõstituũt cõditionẽ eius,Respõdeo,eas constituere illam Mentem,quæ per propriam essentiam debet distinctè intelligere,at pugnare cum Mẽte, quæ debeat pati,recipere,& fieri intelligibile; At quæritur,num Mens quando fuerit singula facta,ut ea Sapientis, debeat dici mixta cum Obiecto; Respondeo,nequaquam;Primò,quia non recipit vt Subiectum, sed iudicat vt Obiectum; Secundò, quia semper seruatur propria eius conditio, quæ est, vt sit potestate; Hinc Aristot.in Cont.8.dicet,Mentem singula factam,adhuc esse potestate; Tertio,quia Mens intelligens, non miscetur cum Obiecto, sed fit illud; Considero Quartò,quod Aristot.collegit Mentem esse immunem à mixtione, denotans,& cum Subiecto,& cum Obiecto; quod non sit mixta cum Subiecto, ostendit autoritate Anaxagorę,qui dixit Primò dari Chaum, in quo cuncta essent permixta, excepta Mente,quæ debuit esse libera à mixtione cum Chao, & Materia, vt ei dominaretur, & posset in ordinem redigere; Anaxagoras dicebat, vt dominetur, Arist.inquit: Hoc autem est, vt cognoscat; At, dicet aliquis,quæ connexio est inter dominari,& cognoscere.Præterea,etiam Phantasia,& Sensus,cognoscunt,cum tamen sint Facultates mixtæ cum Materia, quatenus pendent ex ea; Respondeo esse à Materia seiunctum,præsertim ex Sententia Aristot. tres præbet utilitates; Prima est, vt valeat esse Causa, & Principium ordinis Vniuersi; hinc ait Aristotelis in 9. Metaphysicæ. Nisi darentur Substantiæ separatæ, non daretur ordo Vniuersi, cuius ordinis in 12. Metaphysicæ Deus constituitur caput; Altera utilitas est, vt sit Principium absolutum Motus, & valeat semper mouere; hoc ostenditur ab Aristotele in 8.Phys.& in Contex.37.commẽdat sententiam Anaxagoræ qui mentem statuebat seiunctam, v t

Quomdo Mẽs non mixta dicatur.

Sententia propria.

Instantia.

Solutio.

An Mẽs Sapientis sit mixta cum obiecto.

4

Dubitat.

Solutio.

Seiunctũ esse à Materia tria pẽbet munera.

esset Principium motus, nam mens suprema stabilis manens, dat cuncta moueri; Tertiò conducit pro fungendo munere intelligendi, quod est, cum secretione à materia, quod non sensibus non Phantasiæ competit, sed soli menti; vt igitur mens ab Anaxagora celebrata, ut dominaretur, & dominans esset Principium ordinis, cognitionis, & æterni motus, statuebatur immunis à mixtione cum Chao & Materia, ita mens Humana, ut ualeat cuncta intelligibilia cum secretione à materia cognoscere, debet esse immunis à mixtione cum Corpore; Considero Quintò, Aristot. non approbare Sententias Veterum, nisi dum iudicat eas esse Rationi consentaneas; Propterea statim afferens Rationem, ait: Quod enim iuxta apparet, prohibet alienum, & obstruit; Ex quo, tanquam ex causa, elicitur ea vulgata Regula: Recipiens debet eo esse nudatum, quod recipere debet; Quæ modo explicanda occurrit. Pro cuius notitia accipio, Recipiẽs esse duplex; vel sine cognitione, ut locus, & materia; vel cũ cognitione, & hoc pariter est duplex; vel Sensus; vel Mens; & de his omnibus uera est: nam de loco ex se patet; de materia etiam notum est, cum enim ea sit capax omnium materiatarum formarum, omnino eis nudata est; hinc in 1. Physic. ei tribuitur Priuatio & Potentia; Idipsum affirmauit, & ostendit Plato in Thimeo, inquiens: Si materia erit alicui eorum quæ recipit similis, cum contrariam eius cui similis est naturam, aut aliã prorsus suscipiet, nequaquam eius similitudinem & effigiem exprimet, cum præsetulerit suam, quo fit, ut nullam sibi propriam habeat formam, quod est omnia genera susceptura; De Sensu in 2. de Anima conspicuè affirmat Aristot. Hinc ait, Sensum Tactus, non iudicare temperamentum sibi simile; De mente autem hoc in loco ab Aristotele profertur; Insuper accipio, cognoscens esse duplex; Vel per essentiam; Vel per receptionem; De his uerę sunt Regulæ oppositæ: nam cognoscens per essentiam, debet includerę id quod cognoscere debet, & quemadmodum includit, siue per Ideas, (vt putat Plato) siue secundum eminentiam, (vt putat Aristot.) ita cognoscit: cognoscens autem per receptionem, debet esse nudatum & de hoc loquitur Aristot. Insuper, accipio Regulam esse duplicem; Vna est, quod propè apparet, prohibet alienum, & obstruit; Altera est, omne recipiens debere eo esse nudatum, quod recipere debet; Prima est causa; Altera sequitur eam causam; Aristot. nunc Primam per modum causæ profert, & quia loquitur de recipiente cum cognitione, ideo inquit: Quod iuxta apparet, prohibet, & obstruit; Pro cuius elucidatione Primò dubitabo; Secundò, distinctiones referam; Tertiò, patefaciã quomodo Regula intelligi debeat; Quartò, dubia soluam; Vt pertinet ad Primam partem, Dubitat solertissimus Scotus in 2. Sentent. dist. 3. q. 8. Mens intelligit omnia, igitur est nihil; Intelligit suos habitus, quibus non est nudata; Insuper, intelligit se, Intelligit separatas formas, quare seipso est, nudata, nec est separata forma. Oculus cum sit mole, figura, motu, & colore præditus, inspicit hæc omnia, Lingua bile suffusa, includit saporem amarum, illumque iudicat; Similiter laborans suffusione oculorum, eam intuetur; Præterea, Phantasia recipit, & iudicat omnes formas materiatas, cum tamen ea sit materiata forma, ac insuper iudicat seipsam. Præterea, esse spiritale est alterius generis à materiato, ideo recipiens modo spirituali, valet esse id modo materiato; Demum, ex 8. Phys. 40. elici videtur, de motore æquiuoco id non esse uerum, vt non ualeat mouere se, cognoscens autem, est agens æquiuocum; Et hæc pro Prima parte; Vt pertinet ad Secundam, hæ se offerunt distinctiones; Haberi aliquid, dupliciter contingit; Primò, ut sit illud, Secundò, ut illud in se habeat, ut dulce, & dulcedo, includunt dulcedinem; Secundò includere aliquid, contingit dupliciter, vel sibi proprium, vel alienum, sic Sol & perspicuum includunt Lumen; Tertiò, includere adhuc contingit dupliciter, vel secundum esse Spiritale, vel Materiatum; Quartò id quod est recipiendum, Duobus modis recipi potest; vel secundum esse Materiatum, vel Spiritale; Quintò, alienum est Triplex, scilicet Numero, Specie, & Genere; Sextò, Prohibere, Duo potest denotare; vel difficultatem, vel quod omnino id fieri nequeat. Et hoc satis pro Secunda parte.

5

An Recipiens debeat esse nudatum eo, quod recipere debet.

Ordo seruandus.

Distinctiones.

In Tertia

In Tertia parte, patefaciendum erat quomodo Regula debeat intelligi; Qua de re viri Sapientes varia dicunt: Scotus in 2. Sentent. dist. 3. q. 8. ad 3. inquit Sententiã Aristot. non esse veram de Forma non pendente ex Materia, sed de Materiata, & Organica, ideo putat consilium Aristot. esse, declarare; Mentem non esse Organicam, quia sic poterit omnia intelligere, quamuis non sit eis nudata; Hanc Opinionem ego non puto approbandam, & iam in præcedentibus patefeci, consilium Aristot. non esse hoc; Insuper autoritas, & Ratio quibus vtitur, non hoc ostendunt; Præterea, conspicuè Aristot. de Mente loquens, & approbans sententiam Anaxagoræ, profert Regulam illam tanquam veram de Mente, vt per illam ostendat Mentem non esse mixtam: si autem Regula illa de Mente non esset vera, nil protulisset quod ad rem faceret; Præterea, si ea Regula non esset vera de Mente, non potuisset Aristot. in sequenti Contex. ex ea elicere, Mentem esse nudam, & nil actu, sed solum potestate; Propterea inquiunt alij, dum recipiens includit formam aliquam, per eam formam contrahitur ad formam illam, & non est indifferens ad oppositа, sed omnia iudicat vt prædita ea forma, veluti lingua per bilem amaram, cuncta iudicat amara, Oculus suffusione alba laborans, cuncta iudicat alba; at, cum includit aliquid per modum materiatum, potest idipsum recipere spiritaliter, veluti patet de Speculo perspicuo, in quo apparet aliud consimile Speculum, sic Lingua prædita sapore amaro, recipit spiritaliter amaritudinem, & Oculus suffusione vel alba, vel flaua præditus, Spiritaliter recipit eosdem Colores; Hinc Aristot. ait propè apparens prohibere alienum, non autem simile spiritaliter; Hanc opinionem non puto veram, aduersatur enim Aristoteli, Rationi, & Experientiæ; Aristoteli Primò, qui in 2. de Anima, Cont. 118. ait Tactu non percipi simile calidum, sed excellentias; mox in Cont. 119. idipsum affirmat de omni Sensu, cum tamen spiritaliter recipiant; Similiter in Cont. 71. ait id quod apum est suscipere Colores, & Sonos, debet eis carere, cum tamen spiritaliter recipiant; Insuper, tunc nil protulisset Aristot. contra Empedoclem, dicentem Animam constare ex Elementis, nam responderet Empedocles eam constare ex materiatis Elementis, posse tamen ea recipere spiritaliter; Insuper, non valuisset Arist. in sequenti Contex. inferre, Mentem omnino esse potestate, nam dicerem esse omnia actu, posse tamen recipere spiritaliter; Præterea idipsum aduersatur Rationi: nam simile non mouet simile, nec agit in simile, agens enim & patiens in principio non similia; sed contraria sunt, & Aristot. in 2. de Anima, affirmauit, hoc quoque esse verum de actione obiecti in Animam; Id autem quod considerant in verbis Aristot. dicentis, propè apparens, prohibet alienum, nam vtitur voce alieni; non pro denotandis formis distincti generis, sed pro contradistincto ab eo, quod est intus; Rationes aliæ quibus atuntur, per dicenda diluentur; Pro Resolutione difficultatis, accipio Primò Regulam posse quatuor modis intelligi; Primò, quod recipens receptione principali, siue vt aiunt reali; non debet id includere modo principali; Secundò, recipiens secundum esse principale, non debet id includere modo spiritali; Tertiò, recipiens modo spiritali, non debet id includere secundum esse principale; Quartò, recipiens modo spiritali; qui est modus repræsentationis, non debet id includere modo spiritali; Aristot. modo loquitur de receptione spiritali, in recipiente principali, & quoniam ea receptio est cum iudicio, ideo vtitur eo loquendi modo inquiens, quod propè apparet, prohibet, &c. Insuper, quia omnis Regula niti debet fundamento aliquo; Dico fundamentum & rationem Regulæ eam esse, quæ traditur ab ipsomet Aristotele, & est, quod recipiens eatenus recipit, quatenus est potestate, hinc vniuersè circunscribens Sensoria, dicebat esse talia potestate, quale est Sensibile actu, & confirmat per conditionem motoris, & mobilis, agentis, & patientis, ab eodem sæpè prolata, & approbata, quia mouës, & agent, agunt vt actu sunt, contra verò quæ mouentur, & patiuntur, id habent, quatenus sunt potestate; potentia autem semper iunctã habet priuationem; Hinc Arist. ex eo quod intelligere est cum receptione, infert, quod Mens debet esse potentia ta-

Quomodo Regula sit intelligéda. Scotus. Euersio.

Resolut.

Regula potest intelligi quatuor modis.

Fundamẽtum Regulæ.

lis,& non hoc,& ex eo quod intelliget oĩa,infert hãc esse conditionẽ,vt sit potestate; Ex his colligo Regulam vniuersè intelligendam esse de omni uirtute recipiente aliquid,siue Organica, siue non Organica; Et ut resolutio appareat distinctior,loquens de omni eius Regulæ significatione, dico Primò,Recepturum aliquid secundum esse principale, debet eo esse nudatum secundum esse principale; Regula patet de Loco, & Materia receptura formas; Dico Secundò,Recepturum modo principali,non includit nec seruat id modo spiritali, nam hi sunt duo modi essendi eiusdem rei distincti,quorum unus in receptione non ordinatur in alterum, sed solum esse spirituale includitur in esse principali per modum causæ,at hæ duæ significationes ad rem non faciunt; Tertiò,recepturum aliquid spiritaliter, non includit id secundum esse spirituale; Ratio est:quia esse spirituale est repræsentatio alterius, quæ nulli ex propria conditione competere potest,cum ex altero pendeat pro esse & conseruatione; solum dicimus,quod per idem medium possunt repræsentari spiritaliter varia,cum similia,tum contraria,ut per idem perspicuum,simul uarijs oculis repręsentantur uarij,cum similes, tum contrarij Colores, nam id medium non propriè recipit, sed solum inseruit pro repræsentatione; Quarta Regula ad rem faciens,est;Recepturum aliquid spiritaliter,neque est,neque includit illud modo principali; Quæ Regula vera est, siue recipiens sit facultas Organica,siue non Organica,nam de vtrisque eam profert Aristot. & de utrisque vera est ratio Regulæ; Insuper,Regula est uera, siue id includat secundum Naturam recipientis,siue præter Naturam,ut patet de Aure tinnitu interno turbata,& de Lingua inspersa Bile, veluti etiam Materia vna Forma formata, quamuis non ex sui conditione eam includat,tamen nisi illam exuat, non recipit alteram, & minus rectè eos sentire censeo, qui inquiunt id solum obstruere, quod recipienti competit secundum propriam Naturam, nam vtrumque obstruit, hæc sola est differentia,quod competens secundum propriam Naturam, cum sit intimius, magis obstruit,alterum uerò contrahit ad propriam conditionem, adeò, vt reliqua offerantur secundum conditionem inclusi,vt Lingua,Bilioſa cuncta,iudicat amara; Insuper addo,Regulam esse veram de omni spiritaliter recipiente;siue recipiat cum cognitione, vel sine cognitione, de ea cum cognitione,patuit,de recipiente sine cognitione,profertur ab Aristotele in 2.de Anima,71.dicente:est autem Coloris susceptiuum,quod sine Colore,Soni,quod sine Sono,sine Colore autem est perspicuũ,& inuisibile, aut quod uix videtur,ut tenebricosum; Insuper addo,Recipiens debere esse nudatum,nõ quouis,sed eo quod per se primò recipere debet,eoq; debet esse nudatum, non Genere,sed Specie,& gradu; Ratio est:quia eo debet esse nudatum quod agit,& mouet,ne simul sit actu,& potentia, huiusmodi autem est id quod per se primò est recipiendũ, reliqua autem recipiuntur per consequutionem,& non sunt ea quæ proprie recipiuntur & mouent. Addo demum, Regulam denotare non difficultatem, sed quod penitus fieri nequeat;hinc Arist.dixit,quoniam omnia intelligit, necesse est esse immune à mixtione; Colligo itaque, omne Recipiens vel secundum esse principale, uel spirituale,debet esse in specie & gradu, eo nudatum quod per se primò recepturũ est, adeò, ut neque id sit, neque id in se quouis modo habeat; Ex quo patet, minus rectè eos sentire,qui aiunt, inexistentiam principalem,non impedire receptionem suimet spiritalem; Ex his modo eliciuntur Solutiones aduersarum Rationum; Instabatur Primò,Mens intelligit omnia,igitur est nihil;intelligit suos habitus,& seipsam,quibus non est nudata,Intelligit Formas non pendentes ex Materia, quare non est Forma ex Materia non pendens; Pro diluendis his Rationibus varij uiri docti laborarunt,& uaria dixerunt, quibus silentio decursis,ex dictis conspicuam elicio Solutionem,quia non ea intelligit per se primò, vt contenta sub Obiecto motiuo, & per se primò Mentis,quod est essentia Materiata, per se primò obiecta Menti per Phantasma,& propterea nobis non aduersantur,non enim per se primo mouent,sed per alia; sic Mens se per alia intelliget, cum fuerit singula facta; Habitus Mentis sunt rationes

Clarior explicatio.

Cõclusio.

Solutiones.

ães ägendi,& cognoſcendi,per quos ſecundum ſe alia noſcuntur, mox uerò Mens in eas reflecti poteſt,adeò,ut non illi primò moueant,niſi ut ſunt repręſentationes Obiectum ſecundum ſe mouentis. Addebatur,oculum mole, Figura, motu, & Colore præditum eadem ſpiritaliter recipere; Reſpondeo, ea priora, eſſe ſenſibilia communia,quæ cum non primò moueant,non expoſcunt vt recipiens ſit eis nudatum, non enim primò recipiuntur; Ad illud de Colore,nam Oculus per Speculum videt ſe, & ſuum Colorem; Similiter, Oculus unius Hominis uidet Oculum ſimilem alterius Hominis, Reſpondeo,non totus Oculus eſt id quod mouetur,& recipit,ſed pars media,quæ eſt perſpicua & deſinit in humorem Cryſtallinum quæ cum ſit perſpicua interminata,non eſt verè ea Colorata,ſed illuminata,perſpicuum autem(vt dixit Ariſtot.in 2.de Anima,71.)non ſecundum ſe videtur,ſed per Lumen tanquam per alienum Colorem,hinc dicebat Alexander in eo non propriè eſſe Colores,ſed tanquam inchoationes Colorum; Inſtabatur adhuc,quia Lingua ſuffuſa Bile, iudicat cuncta amara; Reſpondeo, Lingua percipit Sapores per Tactum, nam Guſtus eſt quidam Tactus, Sapor amarus eſt in Bile infuſa Linguæ, Lingua autem recipit Sapores alios modo materiato,& cum permixtione cum præcedẽte humore, mox ille humor permixtus,agit in Senſum Guſtus,& inſtrumentum proximum eius, & quia externi Sapores miſcentur cum Bile amara,& mouent vna cum ea, ideo cũcta iudicantur amara. Addebatur inſtantia de Oculo laborante ſuffuſione alba, vel flaua,vt accidit de Ictérico; Reſpondeo, externum eſſe id quod agit, & mouet proximum inſtrumentũ Senſus,& quia mouet per internum Colorem, & tanquam eo ſuffuſum, ideo actio repræſentat illum Colorem internum, & hoc euenit, quia huiuſmodi ſuffuſiones nõ ſunt in ea parte, per quam proximè uidimus, alioquin eueniret ut accidit Hectico, qui calorem ſuæ Febris non percipit,cum ſit in partibus ſolidis; At,vrgent adhuc, quia Viſio per Ariſtot.fit in humore Cryſtallino, qui albus eſt, & recipit ſpiritaliter albedinem;Soluitur per iam dicta, quia actio ſpiritalis albedinis in perſpicuo interminato recipitur,ab humore autem Cryſtallino terminato, repercutitur, ut in Speculo à plumbo inſperſo in parte oppoſita, repercutiuntur imagines uiſibilium; Inſtabatur adhuc,quia Phantaſia recipit,& iudicat omnes formas materiatas, cum tamen ſit forma materiata,immò imaginatur etiam ſeipſam; Nonnulli inſtantiã hanc maximi faciunt,quæ tamen leuiſſima eſt,nam Phantaſia cum ſit Senſus internus, nõ mouetur à Subſtantia,nec ſecundum ſe eam recipit,& iudicat, ſed ſolum pro Obiecto à quo mouetur,habet accidentia ſecundum ſe cadentia ſub Senſum,& propterea id nil obeſt; Addebatur; quod eſſe ſpiritale eſt diſtincti generis ab eſſe principali, & propterea id quod principaliter eſt album; poteſt moueri ab actione ſpiritali albedinis; Reſpondeo,eſſe ſpiritale,eſſe repræſentationẽ principalis,& mouere virtute eius,perinde eſt ac ſi eſſet illudmet; Inſuper,eſſe ſpiritale, includitur in eo quod principale eſt,ut in ſuâ cauſa,& utriuſque eadem eſt ratio; Addebatur de motore æquiuoco,idem poſſe mouere ſe; Reſpondeo, id ſolum contingere ex accidenti,& ſecundariò,non primò & ſecundum ſe.

At uariæ,& pulchræ ſe offerunt ambiguitates;Quæritur Primò,unde euenit,quod Oculus ſuffuſus albo, vel flauo Colore, cuncta quæ videt iudicat alba,vel flaua, Tactus verò temperie præditus, non iudicat cuncta æquè tẽperata? Inſuper, vnde euenit,quod Anima ſimul ſit ſingula,Materia verò formata una Forma,non recipit aliã, niſi exuat illam? Tertiò, cum omnes ſpecies ſpiritales quatenus tales, ſint eiuſdem ſpeciei, quomodo Anima habẽs vnam, ualeat recipere alias? De Prima difficultate dico,de ſolo Tactu contingere vt cętera non contrahat ad ſpeciem Qualitatis qua eſt præditus;Ratio eſt: quia hoc eſt proprium inſtrumenti, ſiue medij interni Tactus, ut conſtet ex temperie ſuorum ſenſibilium, ideo id medium eſt iudex extremorum, ut docet Ariſtot. in 2.de Anima, 118.de cæteris ſecus ſe habet, nam id quod contrahit ad proprium Genus,ut ſuffuſio Oculi,non eſt inſtrumẽtum motum, ſed aliquid mo-

Variæ difficultates Prima. 2 3 *Solutio prima difficultatis.*

Instantia. uens vbà cum externo; At, instatur, quia si Tactus in temperie est positus, hedum nõ iudicabit æquè temperatum, sed neque remissius, sed solum excellens, quia debilius

Solutio. non valet mouere; Respondeo, remissum iudicabit per oppositum remittens, ut manus tangens Lapidem ramus calidum, mouebitur ab exuperante frigido, ac ita Lapi-

Solutio secundæ difficultatis. dem iudicabit frigidum; De Secunda difficultate quæ erat, cur Materia non ualeat, Anima autem ualeat simul fieri uaria; Dico id euenire, quia res pugnant, & mutuo se repellunt secundum esse materiatum, & principale, at, non secundum esse spirituale, & repræsentatiũ. Addo Secundo, ut Materia per distinctas partes recipit uarias Formas, ita Anima id facit per distinctas Rationes, & Relationes, ut ait Aristot. de Sensu communi. Dico Tertiò, Formas competere actu Animæ, dum Anima in eis uersatur, easque considerat, non dum solum habitu eas includit, at, simul plura non distinctè

Solutio tertiæ difficultatis. considerat, plura enim habitu scimus, at, non plura simul speculamur; Tertia Dubitatio erat, quia rerum species spirituales, ut tales sunt, non distinctæ, sed eiusdem sunt speciei, quare habens unam, non recipiet alteram; Soluitur, nam multiplici ratione non cogit; Primò, quia res secundum esse spirituale non inuicem pugnant, sed secundum esse materiatum pugnant pro possessione communis Subiecti; Secũdò, quia una species non est ratio recipiendi alteram; Tertiò, quia illæ species spirituales solum sunt eiusdẽ rationis, cum hac reduplicatione, vt sunt spirituales, quæ est secunda notio non pugnans; At, dum considerantur secundum propriam rationem, ut sunt repræsentationes, sicut sunt rerum uariarum, ita dicuntur variæ, & agunt uirtute eius cuius sunt

Rationes pro mẽs immortalitate dictæ tres. species & actiones. Demum considero ex præsenti Contex. Tres elici Rationes pro Humanæ Mentis immortalitate; Prima, ex eo, quod Mens cuncta cognoscit; Secunda, ex eo, quod dicitur similis Menti commendatæ ab Anaxagora; Tertia, ex eo, quod debet esse nudata suo Obiecto; Vt pertinet ad Primam, formatur hæc Ratio: Ea facultas quæ cuncta Materiata est apta apprehendere, secernendo illa à Materia, debet esse suprà Materiam eleuata, & ex ea non pendere, Humana Mens est huiusmodi, quare, &c. Nam propter quod vnumquodque, & id magis est, per Mentem apprehenduntur cuncta secernendo illa à Materia, quare longè magis ea est à Materia secreta, nam id solum quod sui conditione est tale, valet aliud per participationem reddere tale; hoc denotauit Aristot. dum approbauit Sententiam Anaxagoræ, dicentis Mentem debere esse separatam, ut dominaretur, hoc est ut intelligeret, indicans eam non posse cum secretione à Materia intelligere, nisi esset à Materia secreta; Vt pertinet ad Secundam Rationem, ea formatur hunc in modum; Ea Mens quæ similis est Menti ap-

Ratio 1.

2 probatæ ab Anaxagora, ac ita dicitur à mixtione immunis, ut illa, est secreta à Materia, & immortalis, nam talem statuebat Anaxagoras Mentem dominantẽ Chao, at, Arist. Humanam Mentem, quæ potestate dicitur, asserit similem Menti Anaxagoræ, quare est à Materia secreta, & immortalis; Verum, dicet aliquis, Rationem hanc nullius esse roboris, quia Anaxagoras denotabat Deum, Deique Mentem dominantem Chao, non Humanam; Hæc Solutio inanis est: quia uis Rationis in hoc est posita, quod Mens humana dicitur illi similis, dominans ut ea, secreta ut ea, non in eo quod sit eadem; Tertia Ratio ita formatur; Omnis facultas cognoscens, debet esse nudata

3 suo Obiecto, quod per se primò apprehendit, & à quo mouetur, Mens Humana est facultas cuius Obiectum à quo mouetur, est essentia Materiata, quæ per Phantasma ei offertur, quare ea debet esse nudata, adeò, ut nec sit illa, nec ea in se habeat: Instantiam afferunt nonnulli de Phantasia, quæ imaginatur Indiuidua Materiata, cum tamen sit Materiata Forma, quæ instantia iam in præcedentibus est reiecta, quia id non est Obiectum Phantasiæ mouens ea.

VARE neque ipſius eſſe naturam vllam præter hanc quod poteſtate ſit; Dicta itaque Animæ Mens, Dico autem Mentem qua cogitat, & æſtimat Anima, nil eſt actu eorum quæ ſunt ante quam intelligat. Cont. 4.

EX eo quod mens Humana omnia intelligit, inferebatur eam immunem eſſe à mixtione, cum ab Obiecto, tum à Subiecto; Conſilium modo Ariſt. eſt, utrumque explicare, & Primò quod non ſit mixta cum Obiecto, mox cum Subiecto; Primum explicat in hoc Contextu, qui in Tres partes reſoluitur, nam Primo colligit Naturam mentis eſſe hanc, ut ſit poteſtate: Secundò, patefacit quid denotet nomine mentis: Tertiò infert, eam relatam ad ſuum Obiectum, nil eſse actu, ante quam intelligat: Vt pertinet ad Primam partem, ait (Quare) nam colligitur ex dictis, hūc in modum: Quod debet eſse nudatum omni per ſe primò intelligibili, ſolum debet eſse poteſtate, & nil actu, mens Humana eſt huiuſmodi, quare neceſſe eſt Naturam eius eſse hāc, ut ſit poteſtate, adeò, ut nec ſit, nec in ſe habeat eſsentiam Materiatam, cum legatur neque ullam eius eſse Naturam, hoc infinitum pendet ex verbo neceſſe eſt, poſito in præcedente Contextu. Inſuper, cum dicatur (neque) indicat ſe aliud excluſurum: nam dixerat eſse immunem à mixtione, ex eo excludit duo, hoc quidem in loco, mixtionem cum Obiecto, in Contextu uero 6. mixtionem cum Subiecto; Dicta itaque animæ mens, &c. Ariſtot. in 1. Contex. propoſuit agendum de particula, quam mox nuncupauit mentem, ideo ne uagemur per mentes uarias, explicat quid denotet nomine mentis, inquiens, per hanc nuncupatam mentem ſe intelligere non mentem Cęlorum, nec mentem ſumptam pro Phantaſia, neque pro Habitu Primorum Principiorum, ſed pro particula Animæ propoſita in 1. Contex. & prius in Contextu 155. contradiſtincta à Phantaſia. Vocata itaque Animæ mens, nihil eſt actu eorum quæ ſunt, antequam intelligat; Hæc eſt pars Tertia, quæ ſequitur Primam, & eſt explicatio Primæ, ac tanquam ſumma dictorum: nam ſi eius natura eſt potentia, iure nil erit actu, non quidem abſolutè, ſed eorum quæ ſunt, hoc eſt, compoſitorum, & Materiatarum eſsentiarum, quæ ſunt Obiectum per ſe primum, & motiuum eius.

Intentio.

Diuiſio.

Expoſit.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO. Primò, quod Ariſt. loquens de mente poteſtate, quæ eſt differentia mentis origine prima; ait hanc ſolam eius eſse Naturam, ut ſit poteſtate, quod apprimè eſt dubium: nam cum ſit particula præſtantiſſima Animæ, neceſſariò unà cum aliis partibus erit actus primus Corporis; Inſuper, omnis Forma ſui conditione eſt actus oppoſitus potentiæ, mens eſt Forma non mixta cum materia, quare maximè eſt actus, Alexander cenſuit mentem hanc poteſtate, fundamento eſse eandem cum Phantaſia, eique ſolum tanquam ſupremam aciem addere hanc facultatem, ut ſit poteſtate omnia, adeò, vt ſit ipſamet poteſtas, & propterea Ariſt. ait hanc eſse Naturā eius, Quæ Snīa quam longe abſit à uero, ex dicē dis diſtinctius refulgebit: Vt modo ad hūc locū pertinet, proculdubio pura prępara tio, priuatio, & potentia, non eſt particula Animæ, non digna vt noīe Mentis honeſte tur, non Ratiocinatur, & Æſtimat, colligendo Concluſionem, non ſe habet perinde ac Mens ab Anaxagora celebrata, nec propriè eſt intelligibilis vt ſeparatæ Formæ, nec dicitur intelligere ſe, nec eſſe ſeparabilis, cum tamen Ariſtot. hæc omnia tribuat Menti, quam declarat; Propterea dicamus, Mentem hanc dupliciter poſſe conſiderari; Primò, pro eius eſse abſoluto, ac ita eſt actus ex Materia, non pendens, nec pertinens ad Phyſicum, ut dicitur in 1. de partibus Animal. Secundò conſiderari poteſt cum Relatione

Conſid. 1.

An ſolum ſit poteſtate.

Alexand.

Solutio verior.

latione, quæ Relatio est ad uaria: nam si unà cum alijs partibus Animæ refertur ad Corpus, est actus primus eius, & prima perfectio Hominis; Si. Secundò, refertur ad Animã, dicitur particula eius Mens Animæ, & tanquam acies eius, ut dicitur in 1. Nicomachiorum, & in præcedentibus; Si Tertiò, refertur ad officium intelligendi, dicitur primum intelligendi Principium, ut in secunda communi Definitione Animæ, sic est ea per quam Anima Sapit, Ratiocinatur, & Æstimat. Quartò, Si refertur ad species intelligibiles, dicitur locus earum. Quintò, Si refertur ad Mentem agentem, dicitur differentia Mentis, apta omnia fieri, & cuius essentia sit potentia; Sextò, dum refertur ad suum Subiectum, dicitur non mixta cum eo. Septimò, dum refertur ad suum Obiectum ut hoc in loco, dicitur omninò potestate, & nil actu antequam intelligat. Natura itaque & conditio eius est potestas, dum refertur vel ad Obiectum, vel ad Mẽtem agentem. Ex quo patet Solutio instantiarum. Considero Secundò, quod Aristot. ait Mentem potestate nil esse actu eorum quæ sunt, perpendendum est, quid denotet per ea quæ sunt: nam si nil est actu eorum quæ sunt, ea nihil erit. Propterea dico hanc Sententiam Triplici ratione esse veram. Primò, cum reduplicatione potentiæ, quæ dicebatur Natura, & conditio eius, ut enim est potestate, nihil est actu. Secũdò, Considerando quid denotet per ea quæ sunt, nam profectò non valet denotare cuncta quæ quouis modo sunt, non enim id colligi potest ex eo quod dicebatur, quod intelligit omnia, iam ego patefeci id esse referendum ad Obiectum, hoc est ad ea quæ secundum se & primò sunt apta intelligi, huiusmodi autem sunt essentiæ Materiatæ, aptę per Phantasmata mouere Mentem, quæ materiatæ essentię sunt rerum compositarum, quas frequenter Aristot. denotat, per ea quę sunt, à quibus dixit Mentem debere esse nudatam, cum enim ens sit uox concreta, propriè denotat composita; nam simplicia dicuntur Principia eorum quæ sunt, sic in principio 2. Phys. dicitur. Eorum quæ sunt, denotando composita ex Principijs pendentia; Tertiò, vera est eadem Sententia per relationem ad alteram differentiam, quæ est Mens agens, nam est apta fieri ea omnia, quę agens est apta facere, ea autem sunt concreta cum Materia, & composita. Considero Tertiò, quod Arist. ait Mentem antequã intelligat, nil esse actu, nam ex hoc elicio, non dari speciem intelligibilem distinctam ab actu intelligendi; quæ Primò in Mente recipiatur, mox mens ea formata intelligat, ut multi putant: absolutè inquit Aristot. quod mens antequam intelligat, nihil est actu. Quæ Sententia esset falsa, si prius reciperetur species intelligibilis. Propterea dicamus, speciem intelligibilem non distinguj ab actu intelligendi, & dum mens intelligit, actu esse dicitur, nam fit id quod intelligit. Considero Quartò, quod Aristot. ait: Vocata Animæ mẽs, ait (Vocata) quia sic à cunctis Philosophis nuncupatur. Insuper, ait (Vocata) quia iã in præcedente Contextu, & in 155. dicta est mens. Insuper, dicitur (Vocata) quia non est mens absolutè, ut separatæ mentes, ita enim non pertinet a Physicum, sed est mens Animæ, & mens, quę non indiuiduè solum intelligit, sed Ratiocinatur, & officio mortali fungitur, qua sola consideratione ad Physicum pertinet. Considero Quintò, ex Aristot. elici Circunscriptionem mentis quę potestate dicitur, quę à uarijs modo uario traditur; Putarem ego, hanc esse satis cumulatam Circunscripcionem: Mens potestate est particula Animę & differentia Humanæ Mentis, qua Anima Ratiocinatur, & æstimat, apta apprehendere omnes materiatas essentias, ei per Phantasmata oblatas, immunis à mixtione, tum cum Obiecto, tum cum Subiecto. Auerr. ita circunscribit: Mens potestate, est id, quod potestate est omnes intentiones formatum uniuersalium materiatarum, & non est actu ante quam intelligat.

2 *Quid denotetur per ea quæ sunt.*

3 *Species intelligibilis non distinguitur ab actu intelligẽdi.*

4 *Cur uocatur Mens a Philos.*

5 *Definitio Mẽtis potestate. Auerr.*

PROPTEREA rationi consonum est, eam neque mix Cont.6.
tam esse cum Corpore, qualis namque vtique quadam fieret calida vel frigida, & instrumentum aliquod ei competeret veluti sensitiuo, nunc autem nullum ei competit, Et rectè sanè dicunt, Animam esse locum specierum, Praterquã quod non tota, sed Mens, neque actu sed potestate Forma.

VNIVERSE in Contex.4.dicebatur, Mentem immunem esse a mixtione, in Contex.5.explicatum est quomodo sit immunis a mixtione cum obiecto, modo verò intentio Arist. est manifestare eam non esse mixtam cum Subiecto, hoc est quod materiæ non sit immersa, & ex ea pendeat, & iure hoc explicat, est enim principale eorum quæ de Mente cognoscere optamus; Diuiditur Contex. in quatuor partes, in prima colligitur Mentem non esse mixtam cum corpore, in secunda id ostenditur ducendo ad duo absurda, in tertia cõmedatur Sententia dicẽtium Animam esse locũ specierum, in quarta ea sniã corrigitur, inquit in prima parte; Propterea, nam hoc ex præcedentibus colligitur hac ratione quod est immune à mixtione vt Mens Anaxagoræ, non est mixtum cum corpore, nam talis ab Anaxagora statuebatur Mens; At Mens omnis ex 4.Contex. est ei similis, quare non est mixta cum corpore; Insuper, quod est immune ab Obiecto, quod est essentia materiata, non est mixtum cum corpore, Mens Hominis est immunis à tali Obiecto, ex 5.Contex. quare non est mixta cum Corpore, iure itaque dicitur: Propterea rationi consonum est, neque mixtam esse cum Corpore, & dicitur, neque, quia iam excluſit mixtionem cum Obiecto, ideo nunc dicitur, neque mixtam esse cum Subiecto; Qualis namque vtique fieret calida vel frigida, hęc est pars Secunda, in qua eadem Conclusio ostenditur ducendo ad duo absurda, primum est qualis nanque vtique fieret calida, vel frigida, nam forma ex materia pendens ex accidenti redditur particeps conditionum materiæ, veluti extensionis, diuisionis, & Qualitatũ, quare si Mens ex materia penderet, redderetur Qualis, calida, uel frigida quæ sunt primæ Qualitatum, sine quibus non sunt aliæ; Et instrumentum aliquod ei competeret; Hoc est alterum absurdum, nam formæ ex materia pendentes sunt duplices; vel enim primo ex ea pendent vt formæ Elementorum, vel per medias primas, & hę sunt duplices, nam uel consurgunt ex mixtione primatum, vel superueniunt formis mixtorum, omnis forma ex materia pendẽs ex accidenti redditur qualis, at si fuerit ex genere earum, quæ superueniunt formis mixtorum, qualis est Anima, ea eget instrumento, ideo ducitur ad hoc aliud absurdum, quod instrumentũ ei competeret, nam ratione generis materiatarum formarum fieret qualis, ratione propria egeret instrumento. Et rectè sane inquiunt Animam esse locum specierum, &c. Hæc est pars Tertia, in qua Pythagoras, & Plato commendantur, qui dicebant Animam esse locum numerorum, & specierum; Prętерquam non tota, sed Mens, &c. In hac Quarta parte corrigitur relata Sententia: nam ipsi indefinitè id tribuebant Animæ, cum tamen non competat omni, sed Menti; Insuper illi dicebant species esse insitas Animæ ex propria conditione, & semper, ac actu ei competere, cum tamen ut ostensum est, solum ei competant potestate.

Intentio.

Diuisio.

Expsitio.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. VARIA se offerunt consideranda primum est iure Aristot. dicere rationi esse consentaneum Mentem non esse mixtam cum Corpore, quasi dicat, id nedum esse cõsentaneum naturali nostro desiderio, consensioni principaliorum sapiẽtum, Diuino cuidam interno contactui; Legibus Sacerdotum, uerum insuper rationi depromptæ præsertim ex operibus Mentis. Nam cum Philosophus Sensu & Ratione ducatur, ualuit Aristot. ex operibus, & conditionibus Mentis hoc elicere, & in hunc gradum eleuari, quod sit ab interitu immunis, ideo hoc sæpissimè repetit; De cęteris autem, ut de numero, de alia uita, & similibus, nil ualuit per opera noscere, ideo siluit, non reiecit aliorum placita, nec approbauit, quia vbi nos sensus
2 deserit, cogimur desinere Philosophari. Considero Secundò, quod Arist. ait Mentem non esse mixtam cum corpore, Triplex est mixtionis genus, Corporis cum Corpore, Formæ cum Forma; Formæ cum Corpore, & hoc ad rem facit; Forma potest dici mixta cũ Corpore varijs modis; Primò, quia pro suo fungendo munere egeat facultate existente in Corpore, & hoc non excluditur: quia Mens eget Phantasia; Secundò; quia eget Corpore ut id moueat, hoc etiam non excluditur: nam Motores quoque Cælorum sic egent Corpore; Tertiò quia egeat instrumẽto Corporeo, Arist. non potest hoc denotare, alioquin ostenderet idem per idem, nam ostendit non esse mixtam, quia si mixta esset, ei instrumentum competeret, insuper cum ducat ad hoc absurdum, quod fieret Qualis indicat nedum non egere instrumento, sed etiam non pendere ex materia; Propterea dicendum est, quod excludit mixtionem formæ cum materia magis propriè sumptam, & est quod ex materia pendeat: nam sic reddere-
3 tur obnoxia cunctis affectionibus materiæ. Considero Tertiò, quod Aristot. dixerit tanquam conspicuè absurdum, quod Mens reddatur qualis, at quæritur, vnde nam id sumpsit Aristot. & vnde patet Mentem non reddi qualem? & præsertim de hoc ambigere cogimur quia Mens videtur reddi Qualis, ea enim recipit habitus Rationis; qui sunt Qualitates; insuper per virtutes & vitia redditur bona & mala. Respondeo id elici ex 7. Physic. Contex. 20. quo loci ostenditur alterationem solum posse attingere Sensum, non Mentem; Præterea, ex eo quod vehemens intelligibile non lædit; & turbat Mentem; Insuper, consensione Principalium Sapientum; Si autem dicitur fieri Qualis per habitus, fit qualis spiritaliter, per denominationem, non modo materiato, cum interitu, & tanquam subiectum. Cõsidero Quartò, quod Arist. similiter,
4 pro cõspicuè absurdo deserit; Menti non cõpetere instrumentum; at, unde id pateat non constat; Auerroes ait id patere ex 2. de Anima, 130. quo loci ostenditur nõ dari aliud instrumentum ab illis externorum sensuum; At, hoc non satisfacit: nam præter instrumenta externorum Sensuum, etiam dantur instrumenta internorum; & de huiusmodi internis instrumentis est dubitatio, an competant Menti; Simplicius ait declarari in sequenti Contex. at, ut patebit, non declaratur, sed supponitur pro alterius declaratione; Themistius ait id patere ex dictis, quia non fit Qualis, at, contra id consimiliter est dubium, an fiat Qualis, & ab Aristotele non ostenditur; Propterea dico, hoc frequenter fuisse prolatum ab Arist. ueluti in 2. de Gener. Animal. cap. 3. & in 1. de Anima, Contextu 91. legitur, quam partem, aut quomodo Mens contineat, difficilè est fingere; Insuper in 2. de Anima, Cont. 11. Mens nullius Corporis hoc est Organi dicitur actus; Præterea, id elicitur ex consensione potiorum sapientũ. Præterea, ex Anatome, nullum enim in homine inuenitur instrumentum eius proprium, præter communia feris; Insuper, instrumentum uersatur in singularibus, Mens in vniuersalibus; Præterea instrumenta non sunt æquè apta ad omnia, sed contracta ad unum; Insuper uigent vigente Corpore, languent eo languente, non ita Mens; Præ-

Triplex mixtio.

Vnde pateat Mentem non reddi qualem.

Vnde eliciatur mẽtem non egere instrumẽto.

Auerr.

Simplic.

Themist.

Sẽtentia propria.

terea

terea facultas organica non ualet liberè ratiocinari, ex uno aliud colligere, suprà se verti,& eleuari suprà materiam,Demum id ex eo patet,quia facultates Organicæ lę-duntur à vehementi Obiecto,Mens non læditur. Considero Quintò, quod Aristot. 5
vtitur hoc modo loquendi,nunc autem nullum est instrumẽtum Mentis, ait nullum, quia instrumentum ut ad rem facit est triplex,uel Qualitas,vt grauitas est instrumen- *Instrumẽ tum tri-*
tum formæ Terræ, pro motu deorsum, & calor animæ nutrientis pro coctione, uel *plex.*
Corpus consimile,ut spiritus sunt commune instrumentum Animæ,uel Corpus dis-
similium partium,ut manus,ait Aristot. nunc autem nullum ei competit excludendo
omnia. Considero Sextò, quod Arist. ob ea quæ dicta sunt commendat sententiam 6
dicentium animam esse locum specierum, nam dictum est in Contex. 3. Mentem su-
scipere species,id autem quod species recipit,dicitur per Metaphoram locus earum;
At quæritur,cum forma referatur ad materiam,cur Mens potius dicitur locus specie- *Cur mẽs*
rum,quam materia? Respondeo,iure id fieri; Primò quia Mens non recipit vt Sub- *potius di-*
iectum,sed iudicat ut Obiectum; Secundò quia species non educitur ex potẽtia Men *catur lo-*
tis,ut forma ex potentia materię;Tertiò,quia materia præsefert imperfectionẽ,locus *cus specie-*
verò continet tanquã perfectio quædã. Considero Septimò,quod Arist.duas emẽdat *rum, quã*
eius sniæ partes; Prima est,quia eius auctores absolutè eam protulére de Anima,cum *materia.* 7
tamen id tribuendum sit Menti particulæ eius;Altera est,quia dixerunt,eam actu esse
locum,cum tamen ex præcedentibus pateat,eam esse locum potestate; Hæ emenda-
tiones ex antedictis eliciuntur: nam prolatum est tanquam proprium Mentis, quod
omnia intelligit,ideo ea statui debet locus specierum; Similiter dictum est hanc eius
esse conditionem, vt sit potestate; Insuper, quod sit potestate talis,sed non hoc, &
quod non sit mixta cum Obiecto; Nam qui dixerunt Animam esse locum specierum,
fuerunt Pythagoras, & Plato, qui absolutè de Anima loquentes, dicebant includere
essentiales numeros,& rationes, siue species rerum, & ob id putauit Plato scientiam
esse reminiscentiam; & Socrates dicebat, se fungi obstetricio munere, quia scientia
tanquam proles intus latet,& per interrogationes est eruenda,qua de re alibi latè dis
serui; At,dubitatur,quia nedum Mens est locus specierum, verum insuper sensus om *Dubitat.*
nes,de quibus dictum est,quod recipiunt species sine materia; similiter,Phantasia est
locus imaginum,& magis quam Mens,cum per Memoriam seruet illas, & Mens ab
ea species recipiat; Propterea Themistius addit etiam Sensum,at,recedit ab Aristot. *Themist.*
qui soli Menti id tribuit, Vicomercatus ait Aristot.per Mentem etiam denotare Phã *Vicomer*
tasiam,at,errat,quia iam Aristot.in præcedente Contex.patefecit quid nomine Men *catus.*
tis denotet; Confirmatur: quia cuncta quæ Aristot.protulit in his Contextibus, ea
protulit de Mente contradistincta à Phantasia; Præterea adhuc remanet dubitatio
de externis sensibus; Nonnulli aiunt id soli Menti tribui, quia Mens ea est,quæ reci-
pit,Sensus autem non ipsi recipiunt,sed instrumenta facultatibus prædita, hoc etiam
non satisfacit,quoniam Aristot.de Sensibus quoque dixit,quod recipiunt species sine
materia,& quod Anima per Sensus fit sensibilia;Alexander in suo 2.libro de Anima, *Alexãd.*
cap.24.ait Aristot.id tribuere Menti,quia ea sola intelligit omnia,& propterea ea so
la absolutè dici meretur locus specierum; Hæc Sententia negligenda non est:quia sic
ex prius dictis hæc emendatio colligetur, ut in expositione affirmaui,tamen per hoc
dubitatio non omnino soluitur: nam vt Mens est locus sui Obiecti,ita Sensus suorũ;
Propterea,vt dubitatio exactius diluatur, considero,quod Aristot.in Contex.38. di- *Sentẽtia*
cet Mentem esse formam formarum,Sensum verò sensibilium,adeò,vt formam scilĩ- *propria.*
xerit à sensibili,& iure. nam forma propriè est essentia rerum, Mens sola ea est quæ
essentias apprehendit,& vniuersalia, quare ea sola absolutè, & propriè meretur dici
locus specierum. Considero Octauò, quod cum humana Mens in medio graduum 8
vniuersi collocata sit, & in terminis Diuinorum, & mortalium, adeò, ut sit essentia
immortalis,iuncta mortalibus,& fungens officijs mortalibus, & ob id dicatur in Ho-
rizonte posita, iure optimo se nobis offert ancipitis conditionis, & sine pugna,de ea

vera

De Mẽte vera sunt oppoſita.

vera multa ſunt, quæ inuicem pugnare uidentur: Nam ea ſimul dicitur non fieri Qualis, & maximè fieri Qualis, non fit Qualis Qualitate materiata, fit autem Qualis eminentiore Qualitate ſpiritali, & per uarias denominationes; Inſuper, non eſt Organica, & maximè eſt Organica, caret enim Organo proprio, & proximo, cum ſimul ei inſeruiant cuncta Organa Corporis, & eorum facultates; Præterea, non eſt miſta cum Subiecto, vel Obiecto, cum tamen ſimul eminenter ſit mixta cum utriſque, quatenus maximè dominatur Corpori, & propriè eſt intelligibilis, de qua cecinit Poeta,

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Quartò ea eſt poteſtate, & ſimul ſuprà mortales formas eſt actus, eſt ſapiens, & inſipientiſſima, proba, & improba, immortalis, & deterrimæ morti obnoxia, Minima mole, maxima facultate; mitto alia multa, quæ de admirabili eius conditione dici poſſunt. Conſidero Nonò, ex præſenti Contextu, quatuor elici rationes ex quibus conſtat Ariſtot. putaſſe Mentem humanam eſſe immortalem; Primò dicitur, non mixta cum Corpore, quod ut patefeci, nil aliud denotat, niſi quod non pendeat ex materia; Secundò, deſeritur ut conſpicuè abſurdum, quod fiat Qualis, calida, vel frigida, at, ſi penderet ex materia redderetur obnoxia affectionibus eius, vt reliquæ formæ, quæ ex materia pendent; Tertiò, pro abſurdo deſeritur, quod ei competat inſtrumentum, cum tamen omnis materiata forma, utatur inſtrumento ſumpto, uel pro Qualitate, uel pro parte Corporis, præſertim autem formæ mixto ſuperuenientes organo utuntur, ex hac ſola ratione Ariſtot. in 2. de Generat. Animal. cap. 3. elicit, ſolam Mentem extrinſecus accedere poſſe, cum non egeat inſtrumento Corporeo, & quemadmodum dicebatur in 2. de Anima, Contex. 11. quia nullius Corporis, hoc eſt Corporei inſtrumenti eſt actus, ſeparari poteſt ut æternum à mortali; At, inſtabat Pomponatius: quia etiam uirtus ſeminaria aduenit temperamento, & operatur ſine Organo, cum tamen non ſit immortalis; Inſtantia omnino eſt inanis; Primò, quia ea nõ verè eſt forma aduenies mixto, & Temperamento, ſed potius eſt Temperamentum operans uirtute parentis; Præterea, non eſt aliquid ſpecie completum; Inſuper, operatur inſtrumento primarum Qualitatum, & præſertim caloris; At, hoc ſeruare licet in his qui nituntur ex ſententia Ariſtot. oſtendere Mẽtem mortalem, quod verba minus propriè accipiunt, rationes cunctas peruertunt, & leuiſſima addunt. Quartò, eadem ueritas ex eo elicitur: quia Ariſtot. ſolam Mentem approbat locum ſpecierum, denotando ſpecies vniuerſales, quæ ſunt eſſentiæ, ope Mentis ſecretæ, quę uniuerſalia & rerum eſſentiæ æternę ſunt. Dicebat autem Ariſtot. in 1. de Cælo, Cęlum eſſe ęternum, quia eſt locus ęterni, nimirum Dei, nec poteſt ſecus ſe habere, ex quo hanc elicio rationem; Locus rei immortalis, eſt immortalis, ſola Mens ex partibus Animæ eſt locus ſpecierum uniuerſalium quæ ſunt æternę, ſola itaque ea ex partibus Animę, ex ſententia Ariſt. eſt immortalis, Hoc in loco uaria poſſem afferre ex Galeno, ex Lucretio, & ex Alexandro deprompta, per quæ in dubium ea reuocantur quæ ab Ariſt. de Humana Mente dicuntur, ſed quoniam in libris de Humana Mente, ſingula exactius retuli, & conſideraui, ideo illa ſilentio obuoluo. Conſidero Decimò, quod Plato vniuerſum hominis Corpus dixit eſſe inſtrumentum Animæ, & præſertim Mentis animarię, ideo definiens hominem, dixit eſſe Animam rationalem, Mentis compotẽ Corpore utentem, propterea ut diſtinctius pateat, quomodo Menti valeant inſtrumenta competere, accipio eam facultatem propriè dici Organicam, quę nedum utitur organo, ſed etiam ex eo pendet, veluti facultas uidendi, audiendi, & ſimiles, cęterę autem dicuntur organicæ per metaphoram, & per participationem alicuius conditionis; Accipio Secundò, quod virtus Organica latè ſumpta, duobus modis poteſt dici Organica, uel proximè, & ratione propria, uel longè, & ratione uirium ei famulantium. Hoc ſecundo modo quo Virtus eſt eminentior eo magis eſt Organica, hic abſolutè

9 *Pro Mentis immortalitate ratio 1.*

2

3

Inſtantia Pomponatij. Solutio.

Ratio 4.

10

Quõ Mẽti inſtrumenta cõpetant.

ſoluтè Deus maximè eſt organicus, quia ei inſeruiunt omnia, & cauſę ſecundę, modo aliquo dicuntur inſtrumenta primæ, ut Natura dicitur inſtrumentum Dei; Apud nos Mens maximè eſt Organica, tum quia Homo ſolus fabricat, & vtitur inſtrumentis artium, & manus dicuntur Organum Organorum, tum inſuper, quia præeſt vniuerſo Homini, & reliquis viribus eius, nam ſingulæ ei vt Principi famulantur; In Altera autem ſignificatione contra ſe habet, Deus abſolutè, Mens Hominis in mortalium orbe longè abſunt à conditione facultatis Organicæ, Menti ſecundum latam ſignificationem pro fungendis ſuis muneribus Primò, competunt inſtrumenta antecedentia, & ſunt Senſus; Secundò, comitantia, & ſunt Phantaſia; & Memoria; Tertiò, ſequentia, vt Menti inſpectrici, Lingua, effectrici, Manus, agenti, appetitus, Vis autem mouendi famulatur utriſque; Ex his elicio, quod ſumendo Organum pro parte Corporis, formæ vel ſunt intra inſtrumenta, vt illæ inanimorum, quæ ſolum utuntur loco Organi Qualitatibus, vel ſunt ſuprà inſtrumenta, ut formæ non pendentes ex materia, vel verè ſunt Organicæ, vt facultates Animæ, ex materia pendentes; Loquendo de formis ex materia pendentibus, quo ſunt præſtantiores, eo pluribus egent inſtrumentis, quia pluribus funguntur muneribus; Sententia Platonis, quod Homo ſit Anima Rationalis, Corpore utens, abſolutè vera non eſt: quia Homo eſt cõcretum, & compoſitum, & actiones ſunt ipſius compoſiti, eſt tamen vera, ſumendo Hominem pro Primo ſignificato, at, non pro integro, nam docet Ariſtot. in 8. Metaphyſicæ, Contex. 7. nomen concreti Primò denotare formam, vt Animal Animam, ſecundario compoſitum.

QVOD autem non ſimili modo paſſionis ſit expers ſenſitiuum, & intellectiuum, patet ex inſtrumentis ſenſuum, & ſenſu, ſenſus enim poſt vehemens ſenſibile, non valet ſentire, veluti ſonum poſt magnos ſonos, neque poſt vehementes colores, aut odores, valet videre, vel odorare; At, Mens dum aliquid intellexerit, valde intelligibile, ne dum non minus intelligit minora, ſed etiam magis, ſenſitiuum enim non ſine Corpore eſt, at, Mens eſt ſeparabilis. Cont. 7.

EX ſimilitudine Senſus, & Mentis colligebatur in 3. Contex. non pati paſſione cum interitu, ſed recipere ſpecies, mox ex eo quod proprium eſt Mẽtis, nimirum, quod intelligit omnia, inferebatur Mentem nec cum Obiecto, nec cum Subiecto eſſe permixtam; Nunc verò intentio Philoſophi eſt, manifeſtare, quod quamuis per 3. Contex. Senſus & Mens dicantur immunes à paſſione, tamen ob ea quæ declarata ſunt propria mentis, nimirum quod non ſit mixta cum Subiecto, colligitur & confirmatur non eodem modo eas facultates eſſe immunes à paſſione, Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima proponitur Concluſio, & eſt, non ſimili modo ſenſitiuum & intellectiuum eſſe immunia à paſſione, quod ſine diſtinctione prolatum fuit in antecedentibus; In Secunda parte ea Concluſio manifeſtatur: nam differentia elicitur ex inſtrumentis Senſuum, quę menti non competunt, & ex officio Senſus, quæ differentia eſt, quia Senſus cum apprehenderit vehemens ſenſibile non valet debiliora iudicare, vt ſi in Solem vertimus aciem oculorum, dum mox eam auertimus, videmur in tenebris collocati, & non valemus debiliora iudicare; Mens autem contra, dum vehemens intelligibile apprehenderit, acuitur, & exactius ualet cætera iudicare; Senſitiuum enim non ſine Corpore eſt, &c. In hac Tertia parte aſſignatur Ratio relati diſcriminis, quæ eſt, quia ſenſitiuum non eſt ſine

Intentio.

Diuiſio.
Expſitio.

De Mente vera sunt opposita.

vera multa sunt, quæ inuicem pugnare videntur: Nam
lis, & maximè fieri Qualis, non fit Qualis Qualitate m
nentiore Qualitate spirituali, & per uarias denominat
ca, & maximè est Organica, caret enim Organo pro
seruiant cuncta Organa Corporis, & eorum facul
Subiecto, vel Obiecto, cum tamen simul eminen
maximè dominatur Corpori, & propriè est int

Spiritus intus alit, totamque in
Mens agitat molem, & magn

Quartò ea est potestate, & simul suprà
sipientissima, proba, & improba, immo
mole, maxima facultate; mitto alia mul
sunt. Consideto Nonò, ex præsent

Pro Mentis immortalitate ratio 1.

constat Aristot. putasse Mentem hu
mixta cum Corpore, quod ut pate
materia; Secundò, deseritur ut co
gida, at, si penderet ex materia r

2 3

mæ, quæ ex materia pendent; T
mentum, cum tamen omnis
Qualitate, uel pro parte Co
gano utuntur, ex hac sola r
Mentem extrinsecus acc
admodum dicebatur in

Instantia Pomponatij. Solutio.

porei instrumenti est
ponatius: quia etiam
gano, cum tamen n
verè est forma adu
operans uirtute
ratur instrumen
in his qui nitu

Ratio 4.

nus propriè a
dem veritat
denotand
& rerum
num, qu
cio rat
est lo
ex
cr
d

10

Quo
ti
w

...sset. & quo eget pro suo fungen...
...mentum & officium eius; At,
...operata non lædit nec ea, nec of...

...VES.

...Sont. lucidè patere quid de...
...στασις non enim denota...
..., quæ est cum interitu, quæ
...arte est varia, & modo diffe...
...ando instrumentum facultate
...tum est in 2. libro, quo loci Ari...
...nsum, & Rationem assignabat;
...ur; Primò, vehemens sensibile; Se
... Tertiò, priuatio, vt tenebræ lædũt
...tò, ocium, & non uti Sensu; Sextò,
...imò, ægritudo; Octauò, senium; At,
...ehementi sensibili mentionem fecit?
...imenti sensibili mentionem feciſſe, quia
...ne instrumenti, alia autem sunt commu...
...guet etiam Mens, eo perturbato, turbatur
..., longo studio debilitatur; Hanc Solutio...
...ot. rationem differentiæ non elicit ex instru...
...parabilis, in 1. autem de Anima, Contextu
...per, omnis læsio pendet ex contrario, & ideo rã
...a caret contrario, quod indicatur ab Aristotele
...atur: quia si Mens penderet ex corpore, etiam à
...orpore, læduntur pendentia ex eo; Quod si Mens
...quenter læsi uidetur, Respondet Aristot. in 1. de A...
...non ratione propria Mentis, sed ratione Sensuum &
...ific. affirmat, motum solum attingere Sensum, nõ Men
...istot. de solo uehementi sensibili mẽtionem feciſſe, tum,
...im insuper, quia id magis lædit secundum se, alia magis ex
...ac causa dicitur, vera est de cęteris: nam cum Mens dicatur
...elt læsione Corporis; At, instabit aliquis, quia etiam assueti
... audire sonos exiguos, melius uident & audiunt maiores. Re...
...dine euenire, duinmodo ex eo paruorum Sensu non prodierit
...nsidero Tertiò, quod Aristot. ait, dum Mens intellexerit aliquid
...medum non minus immò magis intelligit alia; Quæritur: quę sint
...gibilia, nonnulli aiunt esse separatas formas, ad quas Mens perinde
...lus Noctuæ ad Solem; Hoc non censeo verum: quia ut Sensus refer-
...biectum, ita Mens referenda est ad suum, at Obiectum Mentis est essen
...; Insuper, id denotatur quod maximè esset aptum lædere Mentem: si ex
...deret, huiusmodi autem esset Phantasma uehementer mouens, non sepa
...æ quæ leuiter, & solum per opera mouent, Propterea valde intelligibile re
...d nostram Mentem, id iudicari debet, quod est aptum Primò, & secundum se
...te intelligi, cuius singularia maximè mouent Sensum, & quorum Phantasma
...menter mouet Mentem, veluti Phantasma Ignis, Phantasma magni Montis, stel
... Cęli, & similium; Loquendo de Mente, cognitio quorundam prodest pro facilio...
...e aliorum cognitione, quadruplici Ratione; Primò, quia non lædit sed exercetur;

Secundò,

ecundò, quia acquiritur habitus, quo facilè operamur; Tertiò, quia ea ſunt principia
uæ refulgent alia; Quartò, quia aſſueti difficilibus, promptius noſcunt alia, niſi
Ariſtot. ait non minus, indicando, quod non lęditur, addit immo magis, ob
uæ conducunt. Conſidero Quartò, quod iure ambigi poteſt, quia etiã 4
detur lædi, immò, ſi imaginati fuerimus aliquod maximè imagina- *Dubitationis de Phãtaſia.*
ntem, & ſimilia, aptiores reddimur ad imaginanda alia, nam læ
at nexum cum Corpore, ſed uſum & neceſſitatem externi
onem denotare nexum cum Corpore, quia læſo corpore *Solutio.*
t, hinc Ariſtot. dixit, Mentem non lędi quia ſeparabilis,
item imaginabile eſt id, quod uehementer mouet Phanta-
, veluti, ſunt terribilia, & maximè iucunda, ob quæ Phantaſia
mines, inſaniunt, in furias ignemque ruunt, ut euenit captis A-
ter eorum Phantaſia à dilecta imagine mouetur; Hinc aiunt Me-
arte Corporis, lædi Phantaſiam, quamuis non id tam conſpicuè
ernis Senſibus, quorum Organa ſunt externa, & conſpicua; de Mente
e habet, non enim proximè lędıtur, ſed læſio officij eius, ſequitur lęſio-
ſię. Conſidero Quintò, quod Ariſtot. afferens rationem varietatis in- 5
tium non ſine Corpore eſt, at Mens eſt ſeparata, ait (non ſine Corpore,)
teria cum ſit neceſſaria, dicitur cauſa ſine qua non, vt patet ex calce 2. Phyſic.
n eſſe ſine Corpore, denotatur pendere ex Corpore, cui opponitur eſſe ſepara-
, quod tribuitur menti, per eſſe ſeparatum non denotat Ariſtot. non egere Orga-
o, ſed non pendere ex materia, quod in 1. de Anima denotauit per eſſe diuinam;
Vbique Ariſtot. per eſſe ſeparatum tributum formis denotare conſueuit non pendere
ex Corpore, & ex materia, vt patet ex 2. Phyſ. Cont. 26. & 1. de Anima Cont. 17. &
locis alijs innumeris, nullibi inuenietur quod Ariſtot. formam pendentem ex mate-
ria dixerit, eſſe ſeparata; Ex quo luce Clarius patet, Ariſtotelem putaſſe Humanam
Mentem, qua Homo intelligit, de qua modo eſt ſermo, eſſe immunem ab interitu:
Nam forma quæ non eſt ut Senſus, qui non eſt ſine Corpore, ſed eſt ſeparata, eſt im- *Ratio immortalitate.*
munis ab interitu, Ariſtot. Humanam Mentem dicit eſſe talem, quare eam iudicat
immunem ab interitu; Poſſunt profecto qui ſecus cenſent, multa uerba dicere, & a-
cumen ſui ingenij patefacere, at, vim Rationis profectò ſubterfugere non valent.

QVANDO autem ita fuerit ſingula facta, vt ſciens dicitur qui actu ſcit, quod accidit, dum ex ſe valet operari, eſt quidem conſimiliter, & tunc poteſtate modo aliquo, non tamen eodem modo vt antequam didiciſſet, vel inueniſſet, & ea poteſt ſe intelligere. *Cont. 8.*

LOQVENS Philoſophus de differentijs humanæ Mentis, ordiebatur à Mente poteſtate, quæ in nobis eſt origine prior agente, de qua loquens, quia Primò in nobis cõſideratur vt imperfecta, & apta perfici, Primò eam ut talem declarauit, Mox conſideratur ut habitu prędita, & perfecta, de qua modo incipit verba facere; Intentio itaque *Intentio.* Ariſtot. eſt, loqui de Mente poteſtate, habitu decorata, quæ dicitur Mens habitu; De qua uerba faciens, primo eam declarat; Mox uaria proponit & ſolvit dubia ad eam pertinentia; Primum abſoluitur in hoc Context. qui diuiditur in *Diuiſio.* tres partes, in quarũ prima circumſcribitur Mens habitu; In Secunda aſſeritur, quod cum habitu etiam ſeruat potentiam; In Tertia ei tribuitur ut ualeat ſe intelligere; Vt pertinet ad primam partem Ariſtot. circumſcribens Mentem habitu prædictam, *Expoſit.*

lis,& non hoc,& ex eo quod intelliget oĩa,infert hãc esse conditionẽ,vt sit potestate; Ex his colligo Regulam vniuersè intelligendam esse de omni uirtute recipiente aliquid,siue Organica, siue non Organica; Et ut resolutio appareat distinctior,loquens de omni eius Regulæ significatione, dico Primò,Receptiuum aliquid secundum esse principale, debet eo esse nudatum secundum esse principale; Regula patet de Loco, & Materia receptura formas; Dico Secundò,Receptiuum modo principali,non includit nec seruat id modo spirituali, nam hi sunt duo modi essendi eiusdem rei distincti,quorum unus in receptione non ordinatur in alterum, sed solum esse spirituale includitur in esse principali per modum causæ,at hæ duæ significationes ad rem non faciunt; Tertiò,receptiuum aliquid spiritaliter, non includit id secundum esse spirituale; Ratio est:quia esse spirituale est repræsentatio alterius, quæ nulli ex propria conditione competere potest,cum ex altero pendeat pro esse & conseruatione; solum dicimus,quod per idem medium possunt repræsentari spiritaliter varia,cum similia,tum contraria,ut per idem perspicuum,simul uarijs oculis repręsentantur uarij,cum similes, tum contrarij Colores, nam id medium non propriè recipit, sed solum inseruit pro repræsentatione; Quarta Regula ad rem faciens,est;Receptiuum aliquid spiritaliter,neque est,neque includit illud modo principali; Quæ Regula vera est,siue recipiens sit facultas Organica,siue non Organica,nam de vtrisque eam profert Aristot. & de utrisque vera est ratio Regulæ; Insuper,Regula est uera, siue id includat secundum Naturam recipientis,siue præter Naturam,ut patet de Aure tinnitu interno turbata,& de Lingua inspersa Bile, veluti etiam Materia vna Forma formata, quamuis non ex sui conditione eam includat,tamen nisi illam exuat, non recipit alteram, & minus rectè eos sentire censeo, qui inquiunt id solum obstruere, quod recipienti competit secundum propriam Naturam, nam vtrumque obstruit, hæc sola est differentia,quod competens secundum propriam Naturam, cum sit intimius, magis obstruit,alterum uerò contrahit ad propriam conditionem, adeò, vt reliqua offerantur secundum conditionem inclusi,vt Lingua,Bilios a cuncta,iudicat amara; Insuper addo,Regulam esse veram de omni spiritaliter recipiente;siue recipiat cum cognitione, vel sine cognitione, de ea cum cognitione,patuit,de recipiente sine cognitione, profertur ab Aristotele in 2.de Anima,71.dicente:est autem Coloris susceptiuum,quod sine Colore,Soni,quod sine Sono,sine Colore autem est perspicuũ,& inuisibile, aut quod uix videtur,ut tenebricosum; Insuper addo,Recipiens debere esse nudatum,nõ quouis,sed eo quod per se primò recipere debet,eoq; debet esse nudatum, non Genere,sed Specie,& gradu; Ratio est:quia eo debet esse nudatum quod agit,& mouet,ne simul sit actu,& potentia, huiusmodi autem est id quod per se primò est recipiendũ, reliqua autem recipiuntur per consequutionem,& non sunt ea quæ proprie recipiuntur & mouent. Addo demum, Regulam denotare non difficultatem, sed quod penitus fieri nequeat;hinc Arist. dixit,quoniam omnia intelligit, necesse est esse immune à mixtione; Colligo itaque, omne Recipiens vel secundum esse principale, uel spirituale,debet esse in specie & gradu, eo nudatum quod per se primò receptiuũ est, adeò, ut neque id sit, neque id in se quouis modo habeat; Ex quo patet, minus rectè eos sentire,qui aiunt, inexistentiam principalem,non impedire receptionem suimet spiritalem; Ex his modo eliciuntur Solutiones aduersarum Rationum; Instabatur Primò,Mens intelligit omnia,igitur est nihil;intelligit suos habitus,& seipsam,quibus non est nudata,Intelligit Formas non pendentes ex Materia, quare non est Forma ex Materia non pendens; Pro diluendis his Rationibus varij uiri docti laborarunt,& uaria dixerunt, quibus silentio decursis,ex dictis conspicuam elicio Solutionem,quia non ea intelligit per se primò, vt contenta sub Obiecto motiuo, & per se primò Mentis,quod est essentia Materiata, per se primò obiecta Menti per Phantasma,& propterea nobis non aduersantur,non enim per se primo mouent,sed per alia; sic Mens se per alia intelliget, cum fuerit singula facta; Habitus Mentis sunt rationes

Clarior explicatio.

Cõclusio.

Solutiones.

ães ägendi,& cognoſcendi,per quos ſecundum ſe alia noſcuntur, mox uerò Mens in eas reflecti poteſt,adeò,ut non illi primò moueant,niſi ut ſunt repręſentationes Obiectum ſecundum ſe mouentis . Addebatur,oculum mole, Figura, motu, & Colore præditum eadem ſpiritaliter recipere; Reſpondeo, ea priora , eſſe ſenſibilia communia,quæ cum non primò moueant,non expoſcunt vt recipiens ſit eis nudatum , non enim primò recipiuntur; Ad illud de Colore,nam Oculus per Speculum videt ſe, & ſuum Colorem ; Similiter, Oculus unius Hominis uidet Oculum ſimilem alterius Hominis, Reſpondeo,non totus Oculus eſt id quod mouetur,& recipit,ſed pars media,quæ eſt perſpicua & deſinit in humorem Cryſtallinum quæ cum ſit perſpicua interminata,non eſt verè ea Colorata,ſed illuminata,perſpicuum autem(vt dixit Ariſtot.in 2.de Anima,71.)non ſecundum ſe videtur,ſed per Lumen tanquam per alienum Colorem,hinc dicebat Alexander in eo non propriè eſſe Colores,ſed tanquam inchoationes Colorum; Inſtabatur adhuc,quia Lingua ſuffuſa Bile, iudicat cuncta amara; Reſpondeo, Lingua percipit Sapores per Tactum , nam Guſtus eſt quidam Tactus , Sapor amarus eſt in Bile infuſa Linguæ, Lingua autem recipit Sapores alios modo materiato,& cum permixtione cum præcedẽte humore , mox ille humor permixtus,agit in Senſum Guſtus,& inſtrumentum proximum eius, & quia externi Sapores miſcentur cum Bile amara,& mouent vna cum ea , ideo cũcta iudicantur amara . Addebatur inſtantia de Oculo laborante ſuffuſione alba, vel flaua,vt accidit de Ictérico; Reſpondeo, externum eſſe id quod agit , & mouet proximum inſtrumentũ Senſus,& quia mouet per internum Colorem , & tanquam eo ſuffuſum , ideo actio repræſentat illum Colorem internum, & hoc euenit, quia huiuſmodi ſuffuſiones nõ ſunt in ea parte , per quam proximè uidimus , alioquin eueniret ut accidit Hectico, qui calorem ſuæ Febris non percipit,cum ſit in partibus ſolidis ; At,vrgent adhuc, quia Viſio per Ariſtot.fit in humore Cryſtallino, qui albus eſt , & recipit ſpiritaliter albedinem;Soluitur per iam dicta, quia actio ſpiritalis albedinis in perſpicuo interminato recipitur,ab humore autem Cryſtallino terminato , repercutitur, ut in Speculo à plumboinſperſo in parte oppoſita, repercutiuntur imagines uiſibilium ; Inſtabatur adhuc,quia Phantaſia recipit,& iudicat omnes formas materiatas , cum tamen ſit forma materiata,immò imaginatur etiam ſeipſam; Nonnulli inſtantiã hanc maximi faciunt,quæ tamen leuiſſima eſt,nam Phantaſia cum ſit Senſus internus, nõ mouetur à Subſtantia,nec ſecundum ſe eam recipit,& iudicat , ſed ſolum pro Obiecto à quo mouetur,habet accidentia ſecundum ſe cadentia ſub Senſum,& propterea id nil obeſt; Addebatur; quod eſſe ſpirituale eſt diſtincti generis ab eſſe principali, & propterea id quod principaliter eſt album , poteſt moueri ab actione ſpiritali albedinis ; Reſpondeo,eſſe ſpirituale,eſſe repræſentationẽ principalis,& mouere virtute eius,perinde eſt ac ſi eſſet illudmet; Inſuper,eſſe ſpirituale, includitur in eo quod principale eſt,ut in ſuá cauſa,& utriuſque eadem eſt ratio; Addebatur de motore æquiuoco,idem poſſe mouere ſe; Reſpondeo , id ſolum contingere ex accidenti,& ſecundariò,non primò & ſecundum ſe.

At uariæ,& pulchræ ſe offerunt ambiguitates;Quæritur Primò,unde euenit,quod Oculus ſuffuſus albo, vel flauo Colore, cuncta quæ videt iudicat alba,vel flaua , Tactus verò temperie præditus , non iudicat cuncta æquè tẽperata? Inſuper, vnde euenit,quod Anima ſimul ſit ſingula,Materia verò formata una Forma,non recipit aliã, niſi exuat illam? Tertiò , cum omnes ſpecies ſpirituales quatenus tales , ſint eiuſdem ſpeciei , quomodo Anima habẽs vnam, ualeat recipere alias? De Prima difficultate dico,de ſolo Tactu contingere vt cętera non contrahat ad ſpeciem Qualitatis qua eſt prædituſ;Ratio eſt: quia hoc eſt proprium inſtrumenti, ſiue medij interni Tactus, ut conſtet ex temperie ſuorum ſenſibilium, ideo id medium eſt iudex extremorum , ut docet Ariſtot. in 2.de Anima, 118.de cæteris ſecus ſe habet, nam id quod contrahit ad proprium Genus,ut ſuffuſio Oculi,non eſt inſtrumẽtum motum , ſed aliquid mo-

Variæ difficultates Prima.

2

3 *Solutio primæ difficultatis.*

Instantia. uens vbà cum externo; At, instatur, quia si Tactus in temperie est positus, hedum nō iudicabit æquè temperatum, sed neque remissius, sed solum excellens, quia debilius

Solutio. non valet mouere; Respondeo, remissum iudicabit per oppositum remittens, ut manus tangens Lapidem ratus calidum, mouebitur ab exuperante frigido, ac ita Lapidem iudicabit frigidum; De Secunda difficultate quæ erat, cur Materia non ualeat,

Solutio secundæ difficultatis. Anima autem ualeat simul fieri uaria; Dico id euenire, quia res pugnant, & mutuo se repellunt secundum esse materiatum, & principale, at, non secundum esse spirituale, & repræsentatiū. Addo Secundò, ut Materia per distinctas partes recipit varias Formas, ita Anima id facit per distinctas Rationes, & Relationes, ut ait Aristot. de Sensu communi. Dico Tertiò, Formas competere actu Animæ, dum Anima in eis uersatur, easque considerat, non dum solum habitu eas includit, at, simul plura non distinctè

Solutio tertiæ difficultatis. considerat, plura enim habitu scimus, at, non plura simul speculamur; Tertia Dubitatio erat, quia rerum species spirituales, ut tales sunt, non distinctæ, sed eiusdem sunt species, quare habens unam, non recipiet alteram; Soluitur, nam multiplici ratione non cogit; Primò, quia res secundum esse spirituale non inuicem pugnant, sed secundum esse materiatum pugnant pro possessione communis Subiecti; Secūdò, quia una species non est ratio recipiendi alteram; Tertiò, quia illæ species spirituales solum sunt eiusdē rationis, cum hac reduplicatione, vt sunt spirituales, quæ est secunda notio non pugnans; At, dum considerantur secundum propriam rationem, ut sunt repræsentationes, sicut sunt rerum variarum, ita dicuntur variæ, & agunt virtute eius cuius sunt

Rationes pro mētis immortalitate diuersæ. species & actiones. Demum considero ex præsenti Contex. Tres elici Rationes pro Humanæ Mentis immortalitate; Prima, ex eo, quod Mens cuncta cognoscit; Secunda, ex eo, quod dicitur similis Menti commendatæ ab Anaxagora; Tertia, ex eo, quod debet esse nudata suo Obiecto; Vt pertinet ad Primam, formatur hæc Ratio: Ea facultas quæ cuncta Materiata est apta apprehendere, secernendo illa à Materia, debet esse suprà Materiam eleuata, & ex ea non pendere, Humana Mens est huiusmodi, quare, &c. Nam propter quod vnumquodque, & id magis est, per Mentem apprehenduntur cuncta secernendo illa à Materia, quare longè magis ea est à Materia secreta, nam id solum quod sui conditione est tale, valet aliud per participationem reddere tale; hoc denotauit Aristot. dum approbauit Sententiam Anaxagoræ, dicentis Mentem debere esse separatam, ut dominaretur, hoc est ut intelligeret, indicans eam non posse cum secretione à Materia intelligere, nisi esset à Materia secreta; Vt pertinet ad Secundam Rationem, ea formatur hunc in modum; Ea Mens quæ similis est Menti approbatæ ab Anaxagora, ac ita dicitur à mixtione immunis, ut illa, est secreta à Materia, & immortalis, nam talem statuebat Anaxagoras Mentem dominantē Chao; at, Arist. Humanam Mentem, quæ potestate dicitur, asserit similem Menti Anaxagoræ, quare est à Materia secreta, & immortalis; Verum, dicet aliquis, Rationem hanc nullius esse roboris, quia Anaxagoras denotabat Deum, Deique Mentem dominantem Chao, non Humanam; Hæc Solutio inanis est: quia uis Rationis in hoc est posita, quod Mens humana dicitur illi similis, dominans ut ea, secreta ut ea, non in eo quod sit eadem; Tertia Ratio ita formatur; Omnis facultas cognoscens, debet esse nudata suo Obiecto, quod per se primò apprehendit, & à quo mouetur, Mens Humana est facultas cuius Obiectum à quo mouetur, est essentia Materiata, quæ per Phantasma ei offertur, quare ea debet esse nudata, adeò, ut nec sit illa, nec ea in se habeat: Instantiam afferunt nonnulli de Phantasia, quæ imaginatur Individua Materiata, cum tamen sit Materiata Forma, quæ instantia iam in præcedentibus est reiecta, quia id non est Obiectum Phantasiæ mouens ea.

QVARE neque ipsius esse naturam vllam præter hanc quod potestate sit: Dicta itaque Animæ Mens, Dico autem Mentem qua cogitat, & æstimat Anima, nil est actu eorum quæ sunt ante quam intelligat. Cont. 4.

EX eo quod mens Humana omnia intelligit, inferebatur eam immunem esse à mixtione, cum ab Obiecto, tum à Subiecto; Consilium modo Arist. est, utrumque explicare, & Primò quod non sit mixta cum Obiecto, mox cum Subiecto; Primum explicat in hoc Contextu, qui in Tres partes resoluitur, nam Primo colligit Naturam mentis esse hanc, ut sit potestate: Secundò, patefacit quid denotet nomine mentis: Tertiò infert, eam relatam ad suum Obiectum, nil esse actu, ante quam intelligat. Vt pertinet ad Primam partem, ait (Quare) nam colligitur ex dictis, hūc in modum: Quod debet esse nudatum omni per se primò intelligibili, solum debet esse potestate, & nil actu, mens Humana est huiusmodi, quare necesse est Naturam eius esse hāc, ut sit potestate, adeò, ut nec sit, nec in se habeat essentiam Materiatam, cum legatur neque ullam eius esse Naturam, hoc infinitum pendet ex verbo necesse est, posito in præcedente Contextu. Insuper, cum dicatur (neque) indicat se aliud excluſurum: nam dixerat esse immunem à mixtione, ex eo excludit duo, hoc quidem in loco, mixtionem cum Obiecto, in Contextu uero 6. mixtionem cum Subiecto; Dicta itaque animæ mens, &c. Aristot. in 1. Contex. proposuit agendum de particula, quam mox nuncupauit mentem, ideo ne uagemur per mentes uarias, explicat quid denotet nomine mentis, inquiens, per hanc nuncupatam mentem se intelligere non mentem Cælorum, nec mentem sumptam pro Phantasia, neque pro Habitu Primorum Principiorum, sed pro particula Animæ proposita in 1. Contex. & prius in Contextu 155. contradistincta à Phantasia. Vocata itaque Animæ mens, nihil est actu eorum quæ sunt, antequam intelligat; Hæc est pars Tertia, quæ sequitur Primam, & est explicatio Primæ, ac tanquam summa dictorum: nam si eius natura est potentia, iure nil erit actu, non quidem absolutè, sed eorum quæ sunt, hoc est, compositorum, & Materiatarum essentiarum, quæ sunt Obiectum per se primum, & motiuum eius. *Intentio.* *Diuisio.* *Expoſit.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO. Primò, quod Arist. loquens de mente potestate, quæ est differentia mentis origine prima; ait hanc solam eius esse Naturam, ut sit potestate, quod apprimè est dubium: nam cum sit particula præstantissima Animæ, necessariò unà cum aliis partibus erit actus primus Corporis; Insuper, omnis Forma sui conditione est actus oppositus potentiæ, mens est Forma non mixta cum materia, quare maximè est actus, Alexander censuit mentem hanc potestate, fundamento esse eandem cum Phantasia, eique solum tanquam supremam aciem addere hanc facultatem, ut sit potestate omnia, adeò, vt sit ipsamet potestas, & propterea Arist. ait hanc esse Naturā eius, Quæ Sūa quam longe absit à uero, ex dictē dis distinctius refulgebit: Vt modo ad hūc locū pertinet, proculdubio pura preparatio, priuatio, & potentia, non est particula Animæ, non digna vt noīe Mentis honestetur, non Ratiocinatur, & Æstimat, colligendo Conclusionem, non se habet perinde ac Mens ab Anaxagora celebrata, nec propriè est intelligibilis vt separatæ Formæ, nec dicitur intelligere se, nec esse separabilis, cum tamen Aristot. hæc omnia tribuat Menti, quam declarat; Propterea dicamus, Mentem hanc dupliciter posse considerari; Primò, pro eius esse absoluto, ac ita est actus ex Materia, non pendens, nec pertinens ad Physicum, ut dicitur in 1. de partibus Animal. Secundo considerari potest cum Re- *Consid. 1.* *An solum sit potestate.* *Alexand.* *Solutio veror.*

latione

latione, quæ Relatio est ad uaria: nam si unà cum alijs partibus Animæ refertur ad Corpus, est actus primus eius, & prima perfectio Hominis; Si Secundò, refertur ad Animã, dicitur particula eius Mens Animæ, & tanquam acies eius, ut dicitur in 1. Nicomachiorum, & in præcedentibus; Si Tertiò, refertur ad officium intelligendi, dicitur primum intelligendi Principium, ut in secunda communi Definitione Animæ, sic est ea per quam Anima Sapit, Ratiocinatur, & Æstimat. Quartò, Si refertur ad species intelligibiles, dicitur locus earum. Quintò, Si refertur ad Mentem agentem, dicitur differentia Mentis, apta omnia fieri, & cuius essentia sit potentia; Sextò, dum refertur ad suum Subiectum, dicitur non mixta cum eo. Septimò, dum refertur ad suum Obiectum ut hoc in loco, dicitur omninò potestate, & nil actu antequam intelligat. Natura itaque & conditio eius est potestas, dum refertur vel ad Obiectum, vel ad Mẽtem agentem. Ex quo patet Solutio instantiarum. Considero Secundò, quod Aristot. ait Mentem potestate nil esse actu eorum quæ sunt, perpendendum est, quid denotet per ea quæ sunt: nam si nil est actu eorum quæ sunt, ea nihil erit. Propterea dico hanc Sententiam Triplici ratione esse veram. Primò, cum reduplicatione potentiæ, quæ dicebatur Natura, & conditio eius, ut enim est potestate, nihil est actu. Secũdò, Considerando quid denotet per ea quæ sunt, nam profectò non valet denotare cuncta quæ quouis modo sunt, non enim id colligi potest ex eo quod dicebatur, quod intelligit omnia, iam ego patefeci id esse referendum ad Obiectum, hoc est ad ea quæ secundum se & primò sunt apta intelligi, huiusmodi autem sunt essentiæ Materiatæ, aptę per Phantasmata mouere Mentem, quæ materiatæ essentię sunt rerum compositarum, quas frequenter Aristot. denotat, per ea quę sunt, à quibus dixit Mentem debere esse nudatam, cum enim ens sit uox concreta, propriè denotat composita; nam simplicia dicuntur Principia eorum quæ sunt, sic in principio 2. Phys. dicitur. Eorum quæ sunt, denotando composita ex Principijs pendentia; Tertiò, vera est eadem Sententia per relationem ad alteram differentiam, quæ est Mens agens, nam est apta fieri ea omnia, quę agens est apta facere, ea autem sunt concreta cum Materia, & composita. Considero Tertiò, quod Arist. ait Mentem antequã intelligat, nil esse actu, nam ex hoc elicio, non dari speciem intelligibilem distinctam ab actu intelligendi, quæ Primò in Mente recipiatur, mox mens ea formata intelligat, ut multi putant: absolutè inquit Aristot. quod mens antequam intelligat, nihil est actu. Quæ Sententia esset falsa, si prius reciperetur species intelligibilis. Propterea dicamus, speciem intelligibilem non distingui ab actu intelligendi, & dum mens intelligit, actu esse dicitur, nam fit id quod intelligit. Considero Quartò, quod Aristot. ait: Vocata Animæ mẽs, ait (Vocata) quia sic à cunctis Philosophis nuncupatur. Insuper, ait (Vocata) quia iã in præcedente Contextu, & in 155. dicta est mens. Insuper, dicitur (Vocata) quia non est mens absolutè, ut separatæ mentes, ita enim non pertinet a Physicum, sed est mens Animæ, & mens, quę non indiuiduè solum intelligit, sed Ratiocinatur, & officio mortali fungitur, qua sola consideratione ad Physicum pertinet. Considero Quintò, ex Aristot. elici Circunscriptionem mentis quę potestate dicitur, quę à uarijs modo uario traditur; Putarem ego, hanc esse satis cumulatam Circunscriptionem: Mens potestate est particula Animę & differentia Humanæ Mentis, qua Anima Ratiocinatur, & æstimat, apta apprehendere omnes materiatas essentias, ei per Phantasmata oblatas, immunis à mixtione, tum cum Obiecto, tum cum Subiecto. Auerr. ita circumscribit: Mens potestate, est id, quod potestate est omnes intentiones formarum uniuersalium materiatarum, & non est actu ante quam intelligat.

2 *Quid denotetur per ea quæ sunt.*

3 *Species intelligibilis non distinguitur ab actu intelligẽdi.*

4 *Cur uocatur Mens a Philos.*

5 *Definitio Mẽtis potestate. Auerr.*

PROPTEREA rationi consonum est, eam neque mix tam esse cum Corpore, qualis namque vtique quadam fieret calida vel frigida, & instrumentum aliquod ei competeret veluti sensitiuo, nunc autem nullum ei competit, Et rectè sanè dicunt, Animam esse locum specierum, Præterquã quod non tota, sed Mens, neque actu sed potestate Forma. Cont.6.

VNIVERSE in Contex.4.dicebatur, Mentem immunem esse a mixtione, in Contex.5.explicatum est quomodo sit immunis a mixtione cum obiecto, modo verò intentio Arist. est manifestare eam non esse mixtam cum Subiecto, hoc est quod matetiæ non sit immersa, & ex ea pendeat, & iure hoc explicat, est enim principale eorum quæ de Mente cognoscere optamus; Diuiditur Contex. in quatuor partes, in prima colligitur Mentem non esse mixtam cum corpore, in secunda id ostenditur ducendo ad duo absurda, in tertia cõmedatur Sententia dicẽtium Animam esse locũ specierum, in quarta ea snĩa corrigitur, inquit in prima parte; Propterea, nam hoc ex præcedentibus colligitur hac ratione quod est immune à mixtione vt Mens Anaxagoræ, non est mixtum cum corpore, nam talis ab Anaxagora statuebatur Mens; At Mens omnis ex 4.Contex. est ei similis, quare non est mixta cum corpore; Insuper, quod est immune ab Obiecto, quod est essentia materiata, non est mixtum cum corpore, Mens Hominis est immunis à tali Obiecto, ex 5.Contex. quare non est mixta cum Corpore, iure itaque dicitur: Propterea rationi consonum est, neque mixtam esse cum Corpore, & dicitur, neque, quia iam exclusit mixtionem cum Obiecto, ideo nunc dicitur, neque mixtam esse cum Subiecto; Qualis namque vtique fieret calida vel frigida, hęc est pars Secunda, in qua eadem Conclusio ostenditur ducendo ad duo absurda, primum est qualis nanque vtique fieret calida, vel frigida, nam forma ex materia pendens ex accidenti redditur particeps conditionum materiæ, veluti extensionis, diuisionis, & Qualitatũ, quare si Mens ex materia penderet, redderetur Qualis, calida, uel frigida quæ sunt primæ Qualitatum, sine quibus non sunt aliæ; Et instrumentum aliquod ei competeret; Hoc est alterum absurdum, nam formæ ex materia pendentes sunt duplices; vel enim primo ex ea pendent vt formæ Elementorum, vel per medias primas, & hę sunt duplices, nam uel consurgunt ex mixtione primarum, vel superueniunt formis mixtorum, omnis forma ex materia pendẽs ex accidenti redditur qualis, at si fuerit ex genere earum, quæ superueniunt formis mixtorum, qualis est Anima, ea eget instrumento, ideo ducitur ad hoc aliud absurdum, quod instrumentũ ei competeret, nam ratione generis materiatarum formarum fieret qualis, ratione propria egeret instrumento. Et rectè sane inquiunt Animam esse locum specierum, &c. Hæc est pars Tertia, in qua Pythagoras, & Plato commendantur, qui dicebant Animam esse locum numerorum, & specierum; Prętерquam non tota, sed Mens, &c. In hac Quarta parte corrigitur relata Sententia: nam ipsi indefinitè id tribuebant Animæ, cum tamen non competat omni, sed Menti; Insuper illi dicebant species esse insitas Animæ ex propria conditione, & semper, ac actu ei competere, cum tamen ut ostensum est, solum ei competant potestate.

Intentio.

Diuisio.

Expsitio.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

VARIA se offerunt considerandа primum est iure Aristot. dicere rationi esse consentaneum Mentem non esse mixtam cum Corpore, quasi dicat, id nedum esse cõsentaneum naturali nostro desiderio, consensioni principaliorum sapiẽtum, Diuino cuidam interno contactui; Legibus Sacerdotum, uerum insuper rationi depromptæ præsertim ex operibus Mentis. Nam cum Philosophus Sensu & Ratione ducatur, ualuit Aristot. ex operibus, & conditionibus Mentis hoc elicere, & in hunc gradum eleuari, quod sit ab interitu immunis, ideo hoc sæpissimè repetit; De cæteris autem, ut de numero, de alia uita, & similibus, nil ualuit per opera noscere, ideo siluit, non reiecit aliorum placita, nec approbauit, quia vbi nos sensus deserit, cogimur desinere Philosophari. 1 Considero Secundò, quod Arist. ait Mentem non esse mixtam cum corpore, Triplex est mixtionis genus, Corporis cum Corpore, Formæ cum Forma; Formæ cum Corpore, & hoc ad rem facit; Forma potest dici mixta cũ Corpore variis modis; Primò, quia pro suo fungendo munere egeat facultate existente in Corpore, & hoc non excluditur: quia Mens eget Phantasia; Secundò; quia eget Corpore ut id moueat, hoc etiam non excluditur: nam Motores quoque Cælorum sic egent Corpore; Tertiò quia egeat instrumẽto Corporeo, Arist. non potest hoc denotare, alioquin ostenderet idem per idem, nam ostendit non esse mixtam, quia si mixta esset, ei instrumentum competeret, insuper cum ducat ad hoc absurdum, quod fieret Qualis indicat nedum non egere instrumento, sed etiam non pendere ex materia; Propterea dicendum est, quod excludit mixtionem formæ cum materia magis propriè sumptam, & est quod ex materia pendeat: nam sic redderetur obnoxia cunctis affectionibus materiæ. 3 Considero Tertiò, quod Aristot. dixerit tanquam conspicuè absurdum, quod Mens reddatur qualis, at quæritur, vnde nam id sumpsit Aristot. & vnde patet Mentem non reddi qualem? & præsertim de hoc ambigere cogimur quia Mens videtur reddi Qualis, ea enim recipit habitus Rationis; qui sunt Qualitates; insuper per virtutes & vitia redditur bona & mala. Respondeo id elici ex 7. Physic. Contex. 20. quo loci ostenditur alterationem solum posse attingere Sensum, non Mentem; Præterea, ex eo quod vehemens intelligibile non lædit, & turbat Mentem; Insuper, consensione Principalium Sapientum; Si autem dicitur fieri Qualis per habitus, fit qualis spiritaliter, per denominationem, non modo materiato, cum interitu, & tanquam subiectum. 4 Cõsidero Quartò, quod Arist. similiter, pro cõspicuè absurdo deserit, Menti non cõpetere instrumentum; at, unde id patent non constat; Auerroes ait id patere ex 2. de Anima, 130. quo loci ostenditur nõ dari aliud instrumentum ab illis externorum sensuum; At, hoc non satisfacit: nam præter instrumenta externorum Sensuum, etiam dantur instrumenta internorum, & de huiusmodi internis instrumentis est dubitatio, an competant Menti; Simplicius ait declarari in sequenti Contex. at, ut patebit, non declaratur, sed supponitur pro alterius declaratione; Themistius ait id patere ex dictis, quia non fit Qualis, at, contra id consimiliter est dubium, an fiat Qualis, & ab Aristotele non ostenditur; Propterea dico, hoc frequenter fuisse prolatum ab Arist. ueluti in 2. de Gener. Animal. cap. 3. & in 1. de Anima, Contextu 91. legitur, quam partem, aut quomodo Mens contineat, difficilè est fingere; Insuper in 2. de Anima, Cont. 11. Mens nullius Corporis hoc est Organi dicitur actus; Præterea, id elicitur ex consensione potiorum sapientũ. Præterea, ex Anatome, nullum enim in homine inuenitur instrumentum eius proprium, præter communia feris; Insuper, instrumentum uersatur in singularibus, Mens in vniuersalibus; Præterea instrumenta non sunt æquè apta ad omnia, sed contracta ad unum; Insuper uigent vigente Corpore, languent eo languente, non ita Mens; Præ-

Triplex mixtio.

Vnde pateat Mentem non reddi qualem.

Vnde eliciatur mẽtem non egere instrumẽto.

Auerr.

Simplic.

Themist.

Sẽtentia propria.

terea

terea facultas organica non ualet liberè ratiocinari, ex uno aliud colligere, suprà se verti,& eleuari suprà materiam,Demum id ex eo patet,quia facultates Organicæ lę-duntur à vehementi Obiecto,Mens non læditur. Considero Quintò, quod Aristot. 5
vtitur hoc modo loquendi,nunc autem nullum est instrumẽtum Mentis, ait nullum, quia instrumentum ut ad rem facit est triplex,uel Qualitas,vt grauitas est instrumentum formæ Terræ, pro motu deorsum, & calor animæ nutrientis pro coctione, uel Corpus consimile,ut spiritus sunt commune instrumentum Animæ,uel Corpus dissimilium partium,ut manus,ait Aristot. nunc autem nullum ei competit excludendo omnia. Considero Sextò, quod Arist. ob ea quæ dicta sunt commendat sententiam 6
dicentium animam esse locum specierum, nam dictum est in Contex. 3. Mentem suscipere species,id autem quod species recipit,dicitur per Metaphoram locus earum; At quæritur,cum forma referatur ad materiam,cur Mens potius dicitur locus specierum,quam materia? Respondeo,iure id fieri; Primò quia Mens non recipit vt Subiectum,sed iudicat ut Obiectum; Secundò quia species non educitur ex potẽtia Mentis,ut forma ex potentia materię; Tertiò,quia materia præsefert imperfectionẽ,locus verò continet tanquã perfectio quædã. Considero Septimò,quod Arist.duas emẽdat 7
eius sniæ partes; Prima est,quia eius auctores absolutè eam protulére de Anima,cum tamen id tribuendum sit Menti particulæ eius; Altera est,quia dixerunt,eam actu esse locum,cum tamen ex præcedentibus pateat,eam esse locum potestate; Hæ emendationes ex antedictis eliciuntur: nam prolatum est tanquam proprium Mentis, quod omnia intelligit,ideo ea statui debet locus specierum; Similiter dictum est hanc eius esse conditionem, vt sit potestate; Insuper, quod sit potestate talis,sed non hoc, & quod non sit mixta cum Obiecto; Nam qui dixerunt Animam esse locum specierum, fuerunt Pythagoras, & Plato, qui absolutè de Anima loquentes, dicebant includere essentiales numeros,& rationes, siue species rerum, & ob id putauit Plato scientiam esse reminiscentiam; & Socrates dicebat, se fungi obstetricio munere, quia scientia tanquam proles intus latet,& per interrogationes est eruenda,qua de re alibi latè diserui; At,dubitatur,quia nedum Mens est locus specierum, verum insuper sensus omnes,de quibus dictum est,quod recipiunt species sine materia; similiter,Phantasia est locus imaginum,& magis quam Mens,cum per Memoriam seruet illas, & Mens ab ea species recipiat; Propterea Themistius addit etiam Sensum,at,recedit ab Aristot. qui soli Menti id tribuit, Vicomercatus ait Aristot.per Mentem etiam denotare Phãtasiam,at,errat,quia iam Aristot.in præcedente Contex.patefecit quid nomine Mentis denotet; Confirmatur: quia cuncta quæ Aristot.protulit in his Contextibus, ea protulit de Mente contradistincta à Phantasia; Præterea adhuc remanet dubitatio de externis sensibus; Nonnulli aiunt id soli Menti tribui, quia Mens ea est,quæ recipit,Sensus autem non ipsi recipiunt,sed instrumenta facultatibus prædita, hoc etiam non satisfacit,quoniam Aristot.de Sensibus quoque dixit,quod recipiunt species sine materia,& quod Anima per Sensus fit sensibilia; Alexander in suo 2.libro de Anima, cap.24.ait Aristot.id tribuere Menti,quia ea sola intelligit omnia,& propterea ea sola absolutè dici meretur locus specierum; Hæc Sententia negligendà non est: quia sic ex prius dictis hæc emendatio colligetur, ut in expositione affirmaui,tamen per hoc dubitatio non omnino soluitur: nam vt Mens est locus sui Obiecti,ita Sensus suorũ; Propterea,vt dubitatio exactius diluatur, considero,quod Aristot.in Contex.38. dicet Mentem esse formam formarum,Sensum verò sensibilium,adeò,vt formam seiũxerit à sensibili,& iure. nam forma propriè est essentia rerum, Mens sola ea est quæ essentias apprehendit, & vniuersalia, quare ea sola absolutè, & propriè meretur dici locus specierum. Considero Octauò, quod cum humana Mens in medio graduum 8
vniuersi collocata sit, & in terminis Diuinorum, & mortalium, adeò, ut sit essentia immortalis,iuncta mortalibus,& fungens officijs mortalibus, & ob id dicatur in Horizonte posita, iure optimo se nobis offert ancipitis conditionis, & sine pugna,de ea

I. strumẽtum triplex.

Cur mẽs potius dicatur locus specierum, quã materia.

Dubitat.

Themist. Vicomercatus.

Alexãd.

Sententia propria.

vera

De Mẽte vera sunt oppoſita.

vera multa ſunt, quæ inuicem pugnare videntur: Nam ea ſimul dicitur non fieri Qualis,& maximè fieri Qualis,non fit Qualis Qualitate materiata,fit autem Qualis eminentiore Qualitate ſpiritali,& per uarias denominationes; Inſuper,non eſt Organica,& maximè eſt Organica,caret enim Organo proprio,& proximo,cum ſimul ei inſeruiant cuncta Organa Corporis, & eorum facultates; Præterea, non eſt miſta cum Subiecto,vel Obiecto,cum tamen ſimul eminenter ſit mixta cum utriſque,quatenus maximè dominatur Corpori,& propriè eſt intelligibilis,de qua cecinit Poeta,

Spiritus intus alit,totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem,& magno ſe corpore miſcet.

Pro Mentis immortalitate ratio 1.

Quartò ea eſt poteſtate,& ſimul ſuprà mortales formas eſt actus,eſt ſapiens, & inſipientiſſima,proba, & improba, immortalis, & deterrimæ morti obnoxia, Minima mole,maxima facultate;mitto alia multa,quæ de admirabili eius conditione dici poſſunt. Conſidero Nonò, ex præſenti Contextu, quatuor elici rationes ex quibus conſtat Ariſtot. putaſſe Mentem humanam eſſe immortalem; Primò dicitur, non mixta cum Corpore, quod ut patefeci, nil aliud denotat, niſi quod non pendeat ex materia; Secundò,deſeritur ut conſpicuè abſurdum,quod fiat Qualis,calida, vel frigida,at,ſi penderet ex materia redderetur obnoxia affectionibus eius, vt reliquæ formæ,quæ ex materia pendent; Tertiò,pro abſurdo deſeritur,quod ei competat inſtrumentum, cum tamen omnis materiata forma, utatur inſtrumento ſumpto, uel pro Qualitate,uel pro parte Corporis,præſertim autem formæ mixto ſuperuenientes organo utuntur,ex hac ſola ratione Ariſtot.in 2.de Generat.Animal.cap.3.elicit,ſolam Mentem extrinſecus accedere poſſe,cum non egeat inſtrumento Corporeo,& quemadmodum dicebatur in 2.de Anima,Contex.11.quia nullius Corporis,hoc eſt Corporei inſtrumenti eſt actus, ſeparari poteſt ut æternum à mortali; At,inſtabat Pomponatius: quia etiam uirtus ſeminaria aduenit temperamento, & operatur ſine Organo,cum tamen non ſit immortalis; Inſtantia omnino eſt inanis; Primò,quia ea nõ verè eſt forma aduenies mixto,& Temperamento, ſed potius eſt Temperamentum operans uirtute parentis; Præterea,non eſt aliquid ſpecie completum; Inſuper,operatur inſtrumento primarum Qualitatum, & præſertim caloris; At,hoc ſeruare licet in his qui nituntur ex ſententia Ariſtot.oſtendere Mẽtem mortalem,quod uerba minus propriè accipiunt, rationes cunctas peruertunt,& leuiſſima addunt. Quartò,eadem ueritas ex eo elicitur: quia Ariſtot. ſolam Mentem approbat locum ſpecierum, denotando ſpecies vniuerſales,quæ ſunt eſſentiæ,ope Mentis ſecretæ,quę uniuerſaliæ & rerum eſſentiæ æternę ſunt. Dicebat autem Ariſtot.in 1.de Cælo,Cęlum eſſe ęternum,quia eſt locus ęterni,nimirum Dei, nec poteſt ſecus ſe habere, ex quo hanc elicio rationem; Locus rei immortalis, eſt immortalis, ſola Mens ex partibus Animæ eſt locus ſpecierum uniuerſalium quæ ſunt æternę, ſola itaque ea ex partibus Animę, ex ſententia Ariſt.eſt immortalis, Hoc in loco uaria poſſem afferre ex Galeno,ex Lucretio,& ex Alexandro deprompta, per quæ in dubium ea reuocantur quæ ab Ariſt. de Humana Mente dicuntur, ſed quoniam in libris de Humana Mente, ſingula exactius retuli,& conſideraui,ideo illa ſilentio obuoluo. Conſidero Decimò,quod Plato vniuerſum hominis Corpus dixit eſſe inſtrumentum Animæ, & preſertim Mentis animarię,ideo definiens hominem, dixit eſſe Animam rationalem, Mentis compotẽ Corpore utentem, propterea ut diſtinctius pateat, quomodo Menti valeant inſtrumenta competere,accipio eam facultatem propriè dici Organicam, quę nedum utitur organo,ſed etiam ex eo pendet,veluti facultas uidendi,audiendi,& ſimiles,ęterę autem dicuntur organicæ per metaphoram,& per participationem alicuius conditionis; Accipio Secundò, quod virtus Organica latè ſumpta, duobus modis poteſt dici Organica, uel proximè, & ratione propria, uel longè, & ratione uirium ei famulantium. Hoc ſecundo modo quo Virtus eſt eminentior eo magis eſt Organica, hic ab-

Inſtantia Pomponatij. Solutio.

Ratio 4.

Quõ Mẽtis inſtrumenta cõpetant.

ſolutè

solutè Deus maximè est organicus, quia ei inseruiunt omnia, & causę secundę, modo aliquo dicuntur instrumenta primæ, ut Natura dicitur instrumentum Dei; Apud nos Mens maximè est Organica, tum quia Homo solus fabricat, & vtitur instrumentis artium, & manus dicuntur Organum Organorum, tum insuper, quia præest vniuerso Homini, & reliquis viribus eius. nam singulæ ei vt Principi famulantur; In Altera autem significatione contra se habet, Deus absolutè, Mens Hominis in mortalium orbe longè absunt à conditione facultatis Organicæ, Menti secundum latam significationem pro fungendis suis muneribus Primò, competunt instrumenta antecedentia, & sunt Sensus; Secundò, comitantia, & sunt Phantasia; & Memoria; Tertiò, sequentia, vt Menti inspectrici, Lingua, effectrici, Manus, agenti, appetitus, Vis autem mouendi famulatur utrisque; Ex his elicio, quod sumendo Organum pro parte Corporis, formæ vel sunt intra instrumenta, vt illæ inanimorum, quæ solum utuntur loco Organi Qualitatibus, vel sunt suprà instrumenta, ut formæ non pendentes ex materia, vel verè sunt Organicæ, vt facultates Animæ, ex materia pendentes; Loquendo de formis ex materia pendentibus, quo sunt præstantiores, eo pluribus egent instrumentis, quia pluribus funguntur muneribus; Sententia Platonis, quod Homo sit Anima Rationalis, Corpore utens, absolutè vera non est: quia Homo est cõcretum, & compositum, & actiones sunt ipsius compositi, est tamen vera, sumendo Hominem pro Primo significato, at, non pro integro, nam docet Aristot. in 8. Metaphysicæ, Contex. 7. nomen concreti Primò denotare formam, vt Animal Animam, secundario compositum.

QVOD autem non simili modo passionis sit expers sensitiuum, & intellectiuum, patet ex instrumentis sensuum, & sensu, sensus enim post vehemens sensibile, non valet sentire, veluti sonum post magnos sonos, neque post vehementes colores, aut odores, valet videre, vel odorare; At, Mens dum aliquid intellexerit, valde intelligibile, ne dum non minus intelligit minora, sed etiam magis, sensitiuum enim non sine Corpore est, at, Mens est separabilis. Cont. 7.

EX similitudine Sensus, & Mentis colligebatur in 3. Contex. non pati passione cum interitu, sed recipere species, mox ex eo quod proprium est Mẽtis, nimirum, quod intelligit omnia, inferebatur Mentem nec cum Obiecto, nec cum Subiecto esse permixtam; Nunc verò intentio Philosophi *Intentio.* est, manifestare, quod quamuis per 3. Contex. Sensus & Mens dicantur immunes à passione, tamen ob ea quæ declarata sunt propria mentis, nimirum quod non sit mixta cum Subiecto, colligitur & confirmatur non eodem modo eas facultates esse immunes à passione, Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima proponitur Conclu- *Diuisio.* sio, & est, non simili modo sensitiuum & intellectiuum esse immunia à passione, quod *Expsitio.* sine distinctione prolatum fuit in antecedentibus; In Secunda parte ea Conclusio manifestatur: nam differentia elicitur ex instrumentis Sensuum, quę menti non competunt, & ex officio Sensus, quæ differentia est, quia Sensus cum apprehenderit vehemens sensibile non valet debiliora iudicare, vt si in Solem vertimus aciem oculorum, dum mox eam auertimus, videmur in tenebris collocati, & non valemus debiliora iudicare; Mens autem contra, dum vehemens intelligibile apprehenderit, acuitur, & exactius ualet cætera iudicare; Sensitiuum enim non sine Corpore est, &c. In hac Tertia parte assignatur Ratio relati discriminis, quæ est, quia sensitiuum non est sine

Corpore, sed est cum Corpore mixtum, ex quo pendet, & quo eget pro suo fungendo munere, vehemens autem sensibile perturbat instrumentum & officium eius; At, Mens est separabilis, nō mixta cum Corpore, & propterea non lęditur nec ea, nec officium eius.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, ex primis verbis Cont. lucidè patere quid denotauerit Aristot. dum in Contex. 3. dixerit ἀπαθὲς non enim denotauit immune ab affectione, sed ab ea passione, quæ est cum interitu, quæ in parte est communis sensui; & menti, in parte est varia, & modo differentia manifestatur, quæ refulget ex sensitiuo, denotando instrumentum facultate prędituin, & ex officio, quæ duo lęduntur, vt declaratum est in 2. libro, quo loci Aristot. vniuersè dicebat vehemens sensibile lædere Sensum, & Rationem assignabat;

2 *Sensus p octo lædi-tur.* Considero Secundò, octo esse per quæ Sensus læditur; Primò, vehemens sensibile; Secundò, diminutum, vt niti legere exiguas litteras; Tertiò, priuatio, vt tenebræ lędūt Visum; Quartò, diuturna, & continua actio; Quintò, ocium, & non uti Sensu; Sextò, Animi perturbatio, vt Ira incendit oculos; Septimò, ægritudo; Octauò, senium; At, cum tot lædant Sensum, cur Aristot. de solo uehementi sensibili mentionem fecit?

Sententia quorūdā. Aiunt nonnulli uiri docti, Arist. de solo vehementi sensibili mentionem fecisse, quia per hoc solum Sensus differt à Mente, ratione instrumenti, alia autem sunt communia vtrisque, nam languente Corpore, languet etiam Mens, eo perturbato, turbatur

Euersio. Mens, & delirat, sine studio redditur rudis, longo studio debilitatur; Hanc Solutionem non puto approbandam: nam Aristot. rationem differentiæ non elicit ex instrumento, sed hoc in loco, ex eo quod est separabilis, in 1. autem de Anima, Contextu 66. ex eo, quia Mens est diuina; insuper, omnis læsio pendet ex contrario, & ideo ratio differentiæ ex eo petenda est, quia caret contrario, quod indicatur ab Aristotele per diuinum, & separabile; confirmatur: quia si Mens penderet ex corpore, etiam à vehementi læderetur, quia læso Corpore, læduntur pendentia ex eo; Quod si Mens quoque longo studio, & aliis frequenter lædi uidetur, Respondet Aristot. in 1. de Anima, Contex. 66. id accidere, non ratione propria Mentis, sed ratione Sensuum & Phantasiæ; Similiter, in 7. Physic. affirmat, motum solum attingere Sensum, nō Men-

Sententia propria. tem; Propterea dicamus, Aristot. de solo uehementi sensibili mētionem fecisse, tum, quia id manifestius lædit, tum insuper, quia id magis lædit secundum se, alia magis ex accidenti. At, quod de hac causa dicitur, vera est de cęteris: nam cum Mens dicatur

Instantia. separabilis, lædi non potest læsione Corporis; At, instabit aliquis, quia etiam assueti legere literas paruas, & audire sonos exiguos, melius uident & audiunt maiores. Respondeo, id ex assuetudine euenire, dummodo ex eo paruorum Sensu non prodierit

3 *Quid sit valde intelligibile.* labor, & læsio. Considero Tertiò, quod Aristot. ait, dum Mens intellexerit aliquid valde intelligibile, nedum non minus immò magis intelligit alia; Quæritur: quę sint hæc valde intelligibilia, nonnulli aiunt esse separatas formas, ad quas Mens perinde se habet, ac oculus Noctuæ ad Solem; Hoc non censeo verum: quia ut Sensus refertur ad suum Obiectum, ita Mens referenda est ad suum, at Obiectum Mentis est essentia materiata; Insuper, id denotatur quod maximè esset aptum lædere Mentem si ex materia penderet, huiusmodi autem esset Phantasma uehementer mouens, non sepa-

Sententia propria. ratæ formæ quæ leuiter, & solum per opera mouent, Propterea valde intelligibile relatum ad nostram Mentem, id iudicari debet, quod est aptum Primò, & secundum se à Mente intelligi, cuius singularia maximè mouent Sensum, & quorum Phantasma

Cur Mēs per intelligibile acuatur. vehementer mouet Mentem, veluti Phantasma Ignis, Phantasma magni Montis, stellati Cęli, & similium; Loquendo de Mente, cognitio quorundam prodest pro faciliore aliorum cognitione, quadruplici Ratione; Primò, quia non læditur sed exercetur;

Secundò,

Secundò, quia acquiritur habitus, quo facilè operamur; Tertiò, quia ea sunt principia per quæ refulgent alia; Quartò, quia assueti difficilibus, promptius noscunt alia, nisi læserint, Aristot. ait non minus, indicando, quod non lęditur, addit immo magis, ob alias causas, quæ conducunt. Considero Quartò, quod iure ambigi potest, quia etiã Phantasia non uidetur lædi, immò, si imaginati fuerimus aliquod maximè imaginabile ut Mundum, Montem, & similia, aptiores reddimur ad imaginanda alia, nam læsio ab Obiecto, non indicat nexum cum Corpore, sed usum & necessitatem externi instrumenti; Respondeo, læsionem denotare nexum cum Corpore, quia læso corpore ea lędunt quæ ex eo pendent, hinc Aristot. dixit, Mentem non lędi quia separabilis, & diuina est; Vehemens autem imaginabile est id, quod uehementer mouet Phantasiam, & quod nos turbat, veluti, sunt terribilia, & maximè iucunda, ob quæ Phantasia turbatur, delirant Homines, insaniunt, in furias ignemque ruunt, ut euenit captis Amore, dum vehementer eorum Phantasia à dilecta imagine mouetur; Hinc aiunt Medici lęsa definita parte Corporis, lædi Phantasiam, quamuis non id tam conspicuè pateat, vt de externis Sensibus, quorum Organa sunt externa, & conspicua; de Mente autem secus se habet, non enim proximè lęditur, sed læsio officij eius, sequitur lęsionem Phantasię. 4 *Dubitationis de Phãtasia.* *Solutio.*

Considero Quintò, quod Aristot. afferens rationem varietatis inquit: sensitiuum non sine Corpore est, at Mens est separata, ait (non sine Corpore,) quia materia cum sit necessaria, dicitur causa sine qua non, vt patet ex calce 2. Physic. per non esse sine Corpore, denotatur pendere ex Corpore, cui opponitur esse separatum, quod tribuitur menti, per esse separatum non denotat Aristot. non egere Organo, sed non pendere ex materia, quod in 1. de Anima denotauit per esse diuinam; Vbique Aristot. per esse separatum tributum formis denotare consueuit non pendere ex Corpore, & ex materia, vt patet ex 2. Phys. Cont. 26. & 1. de Anima Cont. 17. & locis alijs innumeris, nullibi inuenietur quod Aristot. formam pendentem ex materia dixerit, esse separata; Ex quo luce Clarius patet, Aristotelem putasse Humanam Mentem, qua Homo intelligit, de qua modo est sermo, esse immunem ab interitu: Nam forma quæ non est ut Sensus, qui non est sine Corpore, sed est separata, est immunis ab interitu, Aristot. Humanam Mentem dicit esse talem, quare eam iudicat immunem ab interitu; Possunt profecto qui secus censent, multa uerba dicere, & acumen sui ingenij patefacere, at, vim Rationis profectò subterfugere non valent. 5 *Ratio & immortalitatis.*

QVANDO autem ita fuerit singula facta, vt sciens dicitur qui actu scit, quod accidit, dum ex se valet operari, est quidem consimiliter, & tunc potestate modo aliquo, non tamen eodem modo vt antequam didicisset, vel inuenisset, & ea potest se intelligere. *Cont. 8.*

LOQVENS Philosophus de differentijs humanæ Mentis, ordiebatur à Mente potestate, quæ in nobis est origine prior agente, de qua loquens, quia Primò in nobis cõsideratur vt imperfecta, & apta perfici, Primò eam ut talem declarauit, Mox consideratur ut habitu prędita, & perfecta, de qua modo incipit verba facere; Intentio itaque Aristot. est, loqui de Mente potestate, habitu decorata, quæ dicitur Mens habitu; De qua uerba faciens, primo eam declarat; Mox uaria proponit & soluit dubia ad eam pertinentia; Primum absoluitur in hoc Context. qui diuiditur in tres partes, in quarũ prima circumscribitur Mens habitu; In Secunda asseritur, quod cum habitu etiam seruat potentiam; In Tertia ei tribuitur ut ualeat se intelligere; Vt pertinet ad primam partem Aristot. circumscribens Mentem habitu prædita, ait: *Intentio.* *Diuisio.* *Expositio.*

ait: dum Mens illa quæ dicebatur potestate, fuerit facta singula, secundum se contenta sub suo Obiecto, veluti euenit in viro sapiente qui actu scit scibilia, & hoc ei competit, dum habitu scientiæ præditus, ex se ad libitū speculari ualet. Est quidem consimiliter, & tunc potestate, &c. Hæc est pars Secunda, in qua asseritur, quod quamnis Mens habitu sit prædita, adhuc tamen dicitur potestate: non ita tamen ut ante quā habitum recepisset, nam prius erat potestate ad actum Primum, qui est forma, & habitus; mox verò est potestate ad actum Secundum, qui est contemplatio, & ea potest se intelligere, nam cum sit facta singula intelligens ea intelligit se, & præsertim quia tunc noscit facultatem, & vires suas, quæ per maximum quod ualent mensurantur.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, in Humana Mente hunc esse ordinē: nam Primò ea est penitus potestate, & ea dicebatur natura illius; Secundò, formatur habitu; Tertiò habitu vtitur, & dicitur Mens habitu, & actu, & est dum speculatur, circumscribitur Mens habitu, & per habitum, dum fuerit singula facta, & per actum, dum ex se ualet operari, adeo, ut sit prædita habitu, & apta ad libitum speculari.

2 Qūo potētia mēs redigatur ad actū. Considero Secundò, quod cum potentia respiciat actum, & inanis dicatur, nisi redigatur ad actum, potestas quoque nostræ Mentis ad actum redigi debet, redigitur autē non in singulis Hominibus, sed in specie in paucis autem indiuiduis; Et redigitur ad actum, adeò, ut sit habitu prædita, uel secundum partem, quod sæpe accidit, vel absolutè, adeò, ut intelligat omnia, & hoc est raro, & est, ut Phœnix: Esse & fieri omnia contingit dupliciter; Vel eminentia, sic Deus est omnia, & Pan; Vel secundum propriam formam, & hoc dupliciter contingit; Vel modo materiato & principali, vt Materia Prima sit omnia, & Mundus est omnia; Vel modo spiritali, & per repræsentationē, & hoc contingit dupliciter, vel uniuersè, vt Mens, vel per singula, vt Sensus sit omnia sensibilia; Mens itaque non est actu omnia vt dixere Veteres, sed potestate, non eminenter est omnia, ut Deus, sed diuisim fit singula, nō modo principali & materiato, sed per imitationem & spiritaliter.

Esse & fieri omnia multipliciter cōtingit.

3 Considero Tertiò, quod Mens dum fuerit habitu prædita dicitur posse secundum se operari, & tunc dicimus contingere, vt habitu sit prædita, dum secundum se poterit operari, adeò, ut officium patefaciat habitum, & iure Arist. ait (contingit) quia rarò euenit, vt Mens sit singula facta, & inquit (potest operari) quia eius actio distinguitur ab essentia, ait (operari secundum se) hoc est, vt prædita habitu, & ad libitum, sine auxilio externi, & ex parte sui: nam ex accidenti aliquando non potest, ut euenit de Sapiente dormiente, uel ebrio, & est secundum se, in secundo modo, ut Homo secundum se est aptus ridere: nam ex habitu scientiæ tanquam ex interna forma, prodit, ut speculari ualeat.

Cur dicatur cōtingit.

4 Qūo mēs habitu, sit potestate. Considero Quartò, quod Arist. ait Mentem quoque habitu præditam esse potestate, non tamen ut ante quam didicisset, uel inuenisset, ait didicisset uel inuenisset, quia duo sunt modi acquirendi habitum, unus per doctrinam, & disciplinam, alter per nostram inuentionem; At, dubium est, quomodo Mens formata habitu, & facta singula, adhuc dicatur esse potestate; Mitto nonnullos dicentes tunc esse potestate ad modum eminentiorem intelligendi, qui est per essentiam & est summum bonum Hominis: nam modus intelligendi per essentiam, vel non competit Humanæ Menti, uel si competit, non ei competit ut est particula Animæ; Propterea dicamus Mentem habitu triplici ratione posse dici potestate; Primò, quia ut materia cuius conditio est potentia, etiam recepta forma, quia seruat conditionem suam, dicitur esse potestate, ut patet ex primo Physic. Cont. 82. Ita Mens, cuius conditio dicta est potestas seruans essentiam propriam, etiam adepto habitu dicitur esse potestate; Secundò, quia non recipit ut Subiectum, nec seruat, ideo semper eget Phantasia, à qua moueatur, ac ita adhuc est

pote-

poteſtate; Tertiò, quia formata habitu, eſt poteſtate ad operandum, & ad ſpeculandum; At, non ita eſt poteſtate, ut antequam addiſceret ab alio, uel inueniret proprio Studio & iure, nam prima erat potentia remota, nec parata erant ei Phantaſmata, altera proxima; Primò Homo non eſt aſſuetus abſtrahere, mox aſſuetudine redditus eſt facilis; Primò Mens erat indifferens ad oppoſita, & uaria, mox contracta & definita; Primò cum difficultate ſpeculabatur, mox per habitum faciliter, & cum iucunditate; Primò erat poteſtate ad actum primum, mox ad actum ſecundum; Primò erat poteſtate abſolutè, mox in parte. Conſidero Quintò, quod Ariſtot. ait Mentem habitu poſſe ſeipſam intelligere, & hoc contingit duobus modis; Primò, directè; Secundò, obliquè, directè Primò, quia ſpecies intelligibilis eadem eſt cum actu intelligendi, qui actus intelligendi cum ſit opus Mentis eſt tanquam ſpeculum eius, & ideo mens in eo directè tanquam in Speculo intuetur ſe, intuendo id quod eſt commune omni actui intelligendi, & eſt commune, & immateriatum iudicium; ſic Artifex ſeipſum in ſuo opere intuetur, & hæc eſt cognitio ſimplex. Secundo, ſe intuetur obliquè, quatenus per ſuum officium iudicat uires ſuas, & reflectitur ſuprà ſe, tanquam ex effectu in cauſam, quæ ſecunda cognitio eſt compoſita magis, & complexa, ita enim iudicat conditionem ſuam, & affectiones, Senſui neutri horum modorum cognitionis competit, non Primus, quia non attingit eſſentias rerum, & Subſtantiam, non Secundus, quia non eleuatur ſupra materiam, adeò, ut ualeat in ſe conuerti; An autem mẽs ualeat ſe per eſſentiam apprehendere, alia eſt quæſtio; Iure inquit Ariſt. (cum fuerit ſingula facta) quia tunc abſolutè ſibi parauit Speculum in quo refulget, & tunc abſolutè ualet iudicare uires ſuas, quæ per maximum menſurantur. Præterea, tunc omni ex parte, ut ei competere poteſt reddita eſt actu, qui actus eſt ratio intelligendi, & cognoſcendi Primò alia, Secundò ſe; Inſuper unum Relatorum refulget per alterũ; Ex his elicio Primò, quod iure rudes & inſipientes deſpiciunt Mentem & bona eius; quia ea non cognoſcunt, contrà ſapiens cognoſcens utrumque, magnifacit utrumq; negligens attinentia ad Corpus; Elicio Secundo, rectam interpretationem præcepti Apollinis Noſce teipſum: Nam Homo ſecundum partem præcipuam mens eſt, quę noſcitur noſcendo alia; ideo per id Noſce teipſum, monẽmur, niti euadere ſapientes, quia ſic Mentem noſcimus, in qua, ut in Speculo refulget Deus, ſalus, & vita Mentis; De modo autem quo Mens ſe intelligit, latius, & cumulatius diſſerui in libris de Humana Mente. Conſidero Sextò, quod & Homo, & Anima, & Mens, dicuntur fieri omnia; Homo fit omnia per Animam, Anima per Mentem, Mens eminentiori modo fit omnia, quam Anima, & Anima, quam Homo, quia per Mentem Anima, per Animam Homo fit omnia; Contra uerò Homo fit plura, quam Anima, quia poteſt fieri alia, & modo materiato per Corpus, & ſpiritaliter per Animam, & Anima fit plura, quam mens, quia per ſenſum fit ſenſibilia, per mentem intelligibilia, ex quo patet, quam longe præſtet uir ſapiens ignaro, cum ille ſit omnia, hic uero ferè nihil; Et cum Ariſt. dicat, cum mens fuerit ſingula facta, hoc ei reſpondet, quod dicebatur in Contex. 4. quoniam omnia intelligit, ſemper denorando Obiectum proprium, & eo loci patefeci quomodo omnia intelligat. Conſidero Septimo, quod mens dicitur alia fieri per habitus, quos ſibi parat, qui ſunt uel ſemper rectæ, uel non, Ariſt. tamen hoc in loco ſolum conſiderat habitus inſpectrices ſemper rectos; Primo, quia modo uerſatur in attinentibus ad cognitionem ueri; Secundo, quia re uera, magis propriè & intimius fit ſingula; per habitum inſpectricem, quam per alios; Secundariò tamen, & minus propriè fit omnia, per alios habitus ut per opinionem dicitur fieri omnia opinabilia, per habitum efficiendi; omnia efficienda, qualia ſunt Artificioſa, per habitum agendi, omnia agibilia, per quos habitus etiam modo aliquo ſe ſuasque uires cognoſcit; At, cum modo ſolum conſideret habitus inſpectrices, ſimul includit omnia, nam includit modos omnes, quibus in ſcientijs res conſiderantur, Metaphyſicum nempè, Phyſicum, & Mathematicum, & cum ex his principia recipiãt Prudentia & Ars, fa-

5 *Quo mẽs habitu ſe intelligat*

Cur rudes deſpiciant Mẽtem.

Sẽtentia Noſce te ipſum.

6 *Homo Anima et mens fiũt omnia.*

7 *Mens fit omnia ſcibilia, opinabilia, agibilia, et effectibilia.*

8 cultate quadam etiam denotat eas. Considero Octauo, humanæ Menti duo competere, unum est iudicare, alterum fieri id intelligibile quod iudicat, in dubium uertitur quid horum antecedat, num prius fiat res, mox iudicet, vel contra, quia iudicat dicatur res fieri; Nonnulli inquiunt Primo fieri, mox iudicare ea quæ fit, nam mẽs Primò origine mouetur a Phantasmate & recipit species, patiendo autem fit similis, inde nosci, cætera recipientia non noscunt quia non fiunt id quod recipiunt; Hanc Sententiam approbandam non puto, Primò, quia conspicuè Aristot. Contex. 5. dixit, nil esse actu antequam intelligat; Præterea, iam patefeci speciem rerum sine materia non distingui ab actu cognitionis, ideo dicebatur in Contex. 141. & 143. quod Scientia actu est eadem cum re; Similiter, Sensus actu; Hinc Simplicius in 2. de Anima, 62. ait Sensus redditur similis sensibili, non quia recipit, sed quia agit iuxta id; Similiter Themistius in sua digressione in hoc 3. de Anima, cap. 25. ait: Mens dum intelligit in res conuertitur. Alexander quoque in 1. de Anima, cap. 28. ait, cum species intelligitur, ea quoque Mens est, non autem citra intellectionem id accidit; Propterea dicamus pro officio sentiendi & intelligendi præcurrere quidem actionem ab Obiecto, at ex ea sola motione non prodit alia similitudo, quam ea sit per quam etiã inanima deferentia eam actionem, dicuntur reddi similia, vera autem & propria similitudo in iudicio est posita, adeò, ut Mens quia iudicat, reddatur similis, non autem quia redditur similis, ideo iudicat; est autem similis vel solo habitu, vel etiam actu, 9 ac ita absolutè est similis. Considero Nonò, etiam ex præsenti Contextu elici, Mentem esse immortalem, nam formæ cum materia extensæ, in ea mersæ ex eaque pendentes non ualent supra se verti, hoc enim eius formę est officium, quæ libera, & indiuidua est, nec ex materia pẽdet; Propterea hæc formatur ratio: Ea forma quæ apta est supra se uerti, non pender ex materia, Mens Hominis cum ualeat se intelligere, est huiusmodi, quare non pendet ex materia, ac ob id immortalis est iudicanda.

Quid in mente antecedat, nũ iudicare uel fieri.

Simplic.

Themist. Alexan.

Pro mentis immortalitate.

Cont. 9.

QVONIAM autem aliud est magnitudo, & magnitudini esse, & Aqua, & Aquæ esse, ita de multis aliis, non tamen de omnibus in nonnullis enim idem est ipsum esse carni & carnem, vel alio, vel aliter se habente iudicat Mens, caro enim non est sine materia, sed est ut simum hoc in hoc.

Intentio.

CÆPIT Philosophus in præcedente Contex. loqui de Mente habitu prædita, consilium modo eius est absoluere explicationem attinentium ad eam, eiusque Obiectum; Dixerat (cum fuerit singula facta, explicanda ea sunt quæ fiat) pro quorum explicatione nonnullas proponet & diluet difficultates; Præsens Contex. includit vim huius Enthimematis: Quia noscenda sunt uaria, ideo uel distincta facultate, vel eadem uario modo se habente iudicantur.

Diuisio. Expos.

Diuiditur autem in quatuor partes; In Prima, ponitur diuisio cognoscibilium, non datur magnitudo, esse eius, Caro & esse eius, & sic de cæteris materiatis, nam magnitudo & Caro denotant compositum, esse verò denotat puram essentiam; Non tamen de omnibus, &c. Hæc est pars Secunda, in qua excluduntur formæ à materia solutæ, de quibus dicimus quod idem est Deus, & esse Dei, Intelligentia Lunæ & esse eius, nam sunt simplices formæ; Vel alio, uel aliter se habente iudicat Mens, &c. Hęc est pars Tertia, in qua Philosophus ex assumpto antecedente infert consequens, & est, cum ea duo relata cognoscibilia sint uaria, est necesse ut noscantur à Mente, uel per distinctam facultatem, uel à se uario modo se habente, cognoscens enim, & cognoscibile, sunt Ad aliquid, propterea est necesse ut uariato uno, uarietur & alterum; hinc

legi-

legitur in 6. Nicomachiorum, Cap. 1. pro noſcendis illis quę ſunt diſtincti generis, parate ſunt facultates diſtincti generis.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod quamuis loquendo de ordine primò declarata fuerint Phantaſmata apta mouere Mentem, & poſt Contex. 20. ſermo ſit diſtinctè de modo quo fiat intelligere, tamen pro Methodo, & via noſcendi Mentem, & attinentia ad eam, ſæpè quibuſdam notis utendum eſt conducentibus ad eius cognitionem, & ideo de attinentibus ad Obiectum & officium intelligendi nonnulla profert ei inſeruientia. Conſidero Secundò, noſcenda eſſe quatuor, Indiuiduum, Eſſe indiuidui; Vniuerſale, & Eſſe Vniuerſalis, ut Plato, Eſſe Platonis, Homo, & Eſſe Hominis; ſimiliter hæc Aqua, Eſſe huius Aquæ, Aqua, & Eſſe Aquæ; Primum eſt Indiuiduum concretum, Eſſe eius eſt propria ratio indiuidui, quæ dicitur Principium per quod eſt indiuiduum; Tertium eſt Vniuerſale concretum, Eſſe eius eſt ſola forma partis; Hæc quatuor in ſecretis à materia in unum veniunt, in eis enim ex Sententia Ariſt. indiuiduum & ſpecies ſimiliter Eſſe, & cuius eſt Eſſe, non diſtinguuntur, ideo Ariſt. dixit eã diſtinctionem nõ competere omnibus, Cum autem ea ſint quatuor, Ariſt. ſolum de Tertio & Quarto mentionem facit, Ratio Prima eſt, quia Mens propriè, & ratione propria Vniuerſalium eſt, Senſus autem Singularium; Secunda, quia quamuis Eſſe modo aliquo, tribuatur ſingulari, hinc ait Themiſtius quod aliud eſt Plato, & Eſſe Platonis, propriè tamen dicitur de abſoluta eſſentia, quæ uniuerſalis eſt; Tertia, quia per Carnem, ſiue concretum Vniuerſale, etiam denotat Singulare per quod noſcitur, ideo dicitur ſenſitiuo calidũ & frigidum noſci, quorum ratio quædam eſt Caro; Quarta, quia conſideratur Compoſitum, & Eſſe compoſiti, quę in rebus materiatis reperiuntur diſtincta non in abſtractis, ea autẽ duo propriè competunt Vniuerſali, veluti compoſitio materiæ & Formæ, quæ dicuntur partes Eſſentiæ & partes eius, quæ dicitur forma totius, & ambo attinent ad mẽtem; Conſidero Tertiò, quod Ariſt. vtitur duobus exemplis; Vno ſumpto, ex magnitudine; Altero ex Carne; Primum pertinet ad Accidentia; Alterum ad Subſtantiam; Primum indicat Mathematica; Alterum, Phyſica, denotans id eſſe verum de Phyſicis, & de Mathematicis, at, non de Diuinis, quæ ſtatim excludit, inquiens: Non tamen de omnibus; At, perpendamus quæ ſint ea quæ excludit; Nonnulli aiunt, ſolum Deum excludi, quia ipſe ſolus abſolutè eſt Simplex, cætera omnia ſunt Compoſita ex actu & potentia, ex intellectu, & intelligibili; Hinc Auerr. in Contex. 5. huius libri, & diſput. 3. in Solut. 16. ait omne intelligens aliud eſſe compoſitum, & in Solut. 19. inquit, omne pendens ex alio, eſſe Compoſitum; At, hæc non ad rem faciunt, quia non cognoſcuntur diſtincta facultate, & modo, ſed eadem eodemque modo; Hinc Ariſtot. in calce 8. Metaphyſ. ait, in non habentibus materiam, nec intelligibilem, qualis eſt ea Mathematicorum, nec ſenſibilẽ, qualis eſt ea Phyſicorũ, ſtatim ſunt id quod ſunt, adeò, ut cõditio indiuidui, & ſpeciei, non diſtinguãtur. Propterea alij rectius aiunt, excludi formas oẽs à materia ſolutas, in quib. conditio ſpeciei ab ea indiuidui, non diſtinguitur, ſed adhuc horum Sententia eſt dubia, nam Ariſt. in 8. Metaphyſicę Cont. 8. ait Animam, & Eſſe Animæ, idem eſſe, cum tamen Anima non ſit forma ſoluta à materia, ſumitur enim eo loci Anima, vt ad Animal refertur; Similiter in 7. Metaphyſicę Contex. 10. legitur, quod Anima & Eſſe eius, ſimiliter Circulus, & Eſſe eius, idem ſunt; & hoc de omni forma dici poteſt; immò, etiam de materia, idem enim eſt materia prima, & Eſſe eius; Propterea dicamus, duplicem poſſe fieri comparationem, vnam inter Speciem & Indiuiduum, ut inter Carnem, & hanc Carnem; Alteram, inter rem, & Eſſe eius; ſi fiat Prima comparatio, ſic in ſolis ſeiunctis à materia in idem veniunt, vt Intelligentia Martis, & hæc intelligentia, idem ſunt, ſecundum

Conſid. 1.

2 *Quatuor quæ noſcuntur.*

3 *In quibus non diſtinguãtur eſſe, & cuius eſt.*

Sẽtentia propria.

hanc

hanc comparationem, vera est Sententia relata; At, non facit ad rem: quia Arist. hoc in loco non primam, sed secundam facit comparationem inter rem & Esse rei, de qua dicendum est, quod de compositis loquendo, aliud est res, & Esse eius, ut Caro & esse Carnis; At, de simplicibus siue seiunctis, siue iunctis cum materia, idem sunt, ut idem est Anima, & Esse Animæ, & ob id cum Aristot. dicat in nonnullis non distingui, excludit non sola secreta, à materia, ut est communis expositio, sed omnia

4 Simplicia; Considero Quartò, quod Aristot. videtur secum pugnare, nam hoc in lo-

Contron. co ait, quod Caro, & Esse Carnis, distinguuntur, Caro enim denotat compositum, Esse autem, denotat formam eius, & essentiam; At, 1. Cœli Cont. 92. inquit Cœlum, Circulum, & similia, veluti Carnem, & Magnitudinem, denotare formam, hoc Cœlum, hunc Circulum, hanc Carnem, denotare compositum ex materia & forma; Controuersia igitur in hoc est posita, quia hoc in loco Caro dicitur Compositum, in

Solutio. 1. de Cœlo dicitur forma, hæc autem Caro forma cum Materia, soluitur controuersia per nuper dicta: nam uaria est comparatio, hoc in loco fit comparatio inter compositum & formam eius, veluti inter carnem & esse eius, in primo autem de Cælo inter Vniuersale, & Singulare, veluti inter hanc Carnem & Carnem; in Prima Comparatione Caro est Compositum secundum essentiam, Esse autem est forma quę est pars eius; In Altera verò est Vniuersale & forma totius, hęc Caro est Particulare, includens etiam ea quæ sunt præter essentiam; Quæ caro dicitur forma; quæ est forma totius includens totam Essentiam, excludens Accidentia, hæc autem Caro est Singulare, includens conditiones indiuiduantes; Ex quo luce clarius patet, necessario concedendam esse distinctionem cum formæ, tum materiæ, in eam partis, & eam totius,

5 de qua in libris De Materia, uerba feci. Considero Quintò, quod Aristot. ex uarieta-

Dubitat. te cognoscibilium, inferens varietatem facultatum cognoscentium, inquit: Vel alio, vel secus se habens iudicat Mens; Hæc Consequutio iudetur carere necessitate, quia Communi sensu ea noscuntur, quæ sunt distincti generis, ut Colores, Soni, & alia; Similiter Phantasia, & longe magis Mente, de qua dictum est quod intelligit omnia,

Solutio. Insuper, Visu cum mortalia videmus, tum æterna, vt Cœlum; Respondeo, ea quę vna aliqua facultate noscuntur, debent esse vnius gradus, & vnius generis cognitionis, & si secus se habent, dum noscuntur ab eadem facultate se ab ea noscuntur distincta ratione & modo se habendi; Instantia de Sensu communi soluitur, tum, quia sensibilia propria sunt eiusdem gradus cognitionis, tum insuper, qui noscuntur Communi sensu, distincta ratione, nimirum, vt perinde ac Centrum est terminus variarum Linearum, idipsum est dicendum de Phantasia; De Mente similiter dico, Obiectum primũ, & secundum se eius, est Essentia materiata, quæ ratione Accidentium iudicatur per Sensus ratione Essentię à Mente, ut contradistincta à Sensu, ut dicetur; De Visu quo videmus æterna, & mortalia, dico Primò, ea esse eiusdem gradus, & generis modi cognoscendi; Addo Secundò, ipsius Cœli nos solum videre lumen effusum per mortalia, & redditum modo aliquo mortale, & illud nos videre, non ut Obiectum, sed vt re

6 quisitum pro cognitione Obiecti. Considero Sextò, quod Aristot. ait Mentem ea duo iudicare, vel alio, vel se aliter habente, cum dicat alio, quęritur, num denotet alio, ut instrumento, vel vt principio principali, solutio patebit ex sequenti Cont. nam esse rerum noscitur à sola mente ratione propria, Caro, Cœlum, & alia consimilia Cõposita, noscitur & Sensus, & mente, Sensus secundum se & primò noscit Accidentia, adeò, ut relatus ad ea, dicatur iudex proprius, & Principalis, relatus uerò ad mentẽ, dicatur instrumentum eius, adeò, ut Mens, ratione propria, & tanquam proprium Obiectum apprehendat esse, compositum uerò quod per Accidentia refulget, apprehendat instrumento Sensuum, qui tamen Sensus per se & primò ea accidentia noscuntur; Sic mens apprehendit quod apprehenditur Sensu, & aliquid addit vlterius, quod eius dicitur proprium, vt etiam se habet de antecedentibus subordinatis facultatib. Ex his elicitur, quomodo Essentia materiata sit Obiectum Mentis; An autem mate-

ria sit pars Essentiæ, in libris de materia patefeci. Considero Septimò, quod Aristot. 7
ait: Caro non est sine materia, sed vt simum hoc in hoc, &c. Caro quę ex 1. de Cęlo denotat formam, hoc in loco dicitur includere materiam, ut simum consignificat nasum, quare alia forma esse non potest, nisi forma totius, quæ non est materia, sed non sine materia, id (non sine) denotat secundarium, non principale, nam principale est forma, altera pars compositi, & vt Caro singularis est cum materia singulari, ita communis cum communi.

SENSITIVO igitur calidum & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam est Caro, alio autem, aut separato, aut quemadmodum circunflexa se habet ad se, cum extensa fuerit, nam & Carni esse iudicat. Cont. 10.

QVONIAM ea quæ cognoscuntur sunt duplicia, vel composita, vt Caro; vel simplex eorum essentia, vt esse carni, inferebat Aristot. ea nosci à Mente, vel alio, vel ab ipsamet aliter se habente; Intentio eius modo est, *Intentio.* soluendo difficultatem, propriam sententiam proferre, & quia Dubitatio erat de duobus, de Physicis & Mathematicis denotatis per Carnem, & Magnitudinem, in præsenti Contex. loquitur de Physicis, mox in alio de Mathematicis. Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima declaratur, quomodo Mens noscat compositum; In Altera, quomodo Esse; Inquit in Prima parte, Mentem sensitiuo calidum & *Diuisio.* *Expos.* frigidum cognoscere, nam Sensus solum iudicat Accidentia, & primò calidum, & frigidum, quorum Accidentium temperamentum, & ratio est Caro, quatenus pro ea requiritur, eam circunscribit & patefacit, ex his Accidentibus consurgit Phantasma carnis, quod singulare est; Mens in Phantasma conuersa, iudicat nedum particulare, sed Carnem uniuersalem; Sensus relatus ad calidum & frigidum, est iudex principalis, at, quatenus mox id offert Menti, est famulus & minister; Sic itaque Mens directè in Phantasiam & Sensum conuersa, iudicat Carnem, Alio autem &c. In hac Secunda parte ostenditur, quomodo à Mente noscatur Esse, & ait, dum cognitio Carnis refertur ad originem, & sensum, sic esse noscitur alio hoc est Mente, At, quia Mens etiam noscit carnem, quamuis id faciat instrumento Sensus, ideo dicitur noscere Esse, cum secus se habeat, & distincta dispositione, nam cognoscit Carnem directè conuersa in sensum, ut manum vel brachium extendimus, dum aliquid ab offerente recipere optamus, mox uerò ad se ducens, & in se rediens, videtur quasi reflecti, ac ita ratione propria, & propria conditione, noscit esse, & ait: Nam & Carni esse iudicat, ut indicet quod noscit vtrunque sed concretum magis instrumento Sensus, esse verò ratione propria, id tanquam Linea recta, & tanquam extensa in aliud à quo recipit aliud, ut circunflexa, & in se rediens tanquam Circulus à se, in se.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ait Sensitiuo calidum & *Consid. 1.* frigidum cognoscit, inquiens (Sensitiuo) denotat omnes Sensus proximè autem Phantasiam per quam Phantasmata Menti offeruntur, inquit (iudicat) hoc non ad Animam debet referri ut putant Auerroes & D. Thomas, sed ad Mentem de qua in præcedente textu cum disiunctione intulerat conclusionem, & cum dicat, iudicat, id non debet ita intelligi, ut solum sensitiuum iudicet, immò, cum Caro sit concretum uniuersale, ut uniuersale, sola Mente iudicatur, ideò, cum coniunctione

dicit, &

dicit & Carnis Esse iudicat, indicans, quod noscit & Carnem, & Esse; At, quia concretum primò noscit per Phantasma particulare ei oblatum, ideo iure ait, quod id intelligit sensitiuo; Insuper, Considero Secundò, quod cum dicat calidum, & frigidum, manifestat Phantasmata esse Accidentium, & non sine eis, nam sine illis est Vniuersale, apprehensum Mente; Insuper, indicat, quodnam origine sit primum Mente cognitum, id enim est Accidens, nobis offerens Substantiam, nobisque notius, & inter Accidentia Qualitates primæ ad tactum pertinentes, quo Sensu primò utimur, & inter eas calidum & frigidum, quæ magis mouent Sensum; Ac ita dum in lucem venimus, primum quod noscimus est calidum & frigidum; Qua de re verba feci in Quæstione de Primo cognito. Considero Tertiò, quod quamuis hoc in loco comparetur Vniuersale, cum Esse eius, ut Caro cum eius Esse, tamen virtute quadam etiam denotatur comparatio inter Vniuersale est Singulare, tum, quia Singulare est maximè compositum, tum insuper, quia id quod per Phantasiam Menti offertur Singulare est, ex quo Mens non diceret Vniuersale, nisi id primò nosceret, nam in subordinatis noscentibus facultatibus, finis officij antecedentis, est principium sequentis, alioquin non seruaretur vnitio cognitionum; Hinc iure Themist. elicit Mentem noscere singularia, & præsertim, cum ex eis inuicem comparatis eliciat Vniuersale, adeò, vt Mens Primò iudicat Phantasmata singularia; Secundò, concretum Vniuersale, Tertiò, Esse eius; Quæ tria sunt tanquam principium, medium, & finis progressus eius; Qua de re distinctè in libris de Humana Mente disserui; Hoc autem in loco solum Conclusiones ibi approbatas refero; Considero Quartò, quod Aristot. ait Carnem esse rationem calidi & frigidi, simul denotando humidum & siccum, ex quibus consurgit temperamentum congruens requisitum pro forma mixti, varium pro varietate formarum, quorum ratio requisita pro Carne, dicitur Caro, tum, quia Qualitates primæ & temperamenta patefaciunt Menti formam Substantiæ, quatenus Phantasma solum est Accidentium; tum insuper, quia cum circunscribunt, ideo Mens noscens eam rationem, noscit carnem, & alia composita; Considero Quintò, quod cum Aristot. sub dubio protulerit, num Mens noscat Concretum, & Esse, distincta facultate, vel modo distincto, explicans suam sententiam, patefacit verum esse vtrunque, nam partim id fit distincta facultate, quatenus vnicuique id tribui debet quod eius est, proprium, id eo quamuis Mens noscat vtrunque, tamen quia unum recepit à Sensu, ideo vt proprium Sensus ei tribuendum est; Partim autem fit eadem facultate, nimirum Mente varia dispositione, & modo se habendi; Absolutè tamen Menti hoc tribui debet, vt noscat esse rerum, id enim sola Mente apprehenditur, quod uerum est, cum de esse Vniuersalium, tum de esse Singularium, nam esse Singularium, quod ratione explicatur, sola Mente noscitur, noscunt Sensus Singularia, at, quod sit esse eorum, non noscunt; Sic ait Auerroes quod esse Indiuidui, quod Indiuidualitatem appellat, & Vniuersalis, sola Mens noscit; Considero Sextò, quod cum Aristot. vtatur exemplo Lineæ rectæ, & circunflexæ, nonnulli circunflexum referunt ad notitiam Concreti, & Singularis, rectum verò ad notitiam ipsius Esse, & sic aiunt Mentem noscere singularia reflexè, Esse autem rectè, id eliciunt ex verbis Aristot. dicentis Mentem noscere Esse vt circunflexa, cum extensa fuerit, ait (fuerit) pro futuro indicando quod antecedit circunflexio in notitia concreti, mox sequitur extensio & rectitudo pro notitia ipsius Esse, quæ expositio non est approbanda, conspicuè enim Aristot. ait, Mentem noscere Esse, vt circunflexa, nectens id (vt circunflexa) cum ipso Esse. Confirmatur: quia rectum antecedit circunflexum, Primò enim consideratur rectitudo, mox circunflexio à recto; Præterea, hoc redditur notum considerando dispositionem dum aliquid tendit in aliud, ab eoque recipit, & mox redit in se, & ad id quod eius est proprium, primum fit cum rectitudine, alterum cum reflexione à primo & reditu in se; Mens itaque directè primò noscit Singularia, & Concreta Vniuersalia, mox circunflexa in se, noscit Esse; Condero tamen, quod aliud est aliquid noscere oblique, aliud

Primum cognitorum.

Themist.

Exemplũ Lineæ rectæ & circunflexæ.

circun-

circunflexè, ipsum Esse, noscitur quidem cum circunflexione, at, non obliquè, quia hoc denotat recessum à se; At, dicebatur, quod Aristot. ait: Cum extensa fuerit, adeò, vt extentensionem postposuerit tanquam futuram; Respondeo, Aristot. ita esse loquutum, non vt ordinem temporis patefaceret, sed solum vt manifestaret varietatem dispositionum, iam id circunflexum retulerunt ad esse. Considero Septimò, quod 7
cum in cognitione rectum & circunflexum dicantur per Metaphoram, distincta consideratione cognitio ipsius Esse, potest dici recta & circunflexa; Similiter ipsius Concreti & Singularis: nam si modum dispositionis consideramus, quem hoc in loco considerat Aristot. cognitio ipsius Esse est reflexa; Si Secundò consideramus proprietatem, recta est; similiter, si consideramus conditionem rei quæ noscitur, nam Esse est simplex, cui respondet rectum, Concretum uerò vt Caro, est Composita, cui respondet circunflexio, dualitatem & compositionem præseferens; Ex his elicio Tria, Primò, quod Mens noscat Singularia & Composita, Secundò quod primò; Tertiò vt ad modum pertinet, quod directè quamuis alia consideratione possit dici cognitio obliqua, & circunflexa, & præsertim dum Singularia noscuntur, non primò, sed ut contenta sub Vniuersali; Dum Mens noscit Singularia, non dicitur ea fieri, quia id non ei competit ratione propria, & secundum propriam conditionem, solum latè & minus propriè, ut ea iudicans, dicitur ea fieri, magis propriè fit Composita Vniuersalia, ratione conditionis Vniuersalis ei congruentis, maximè propriè autem fit ipsum Esse, quia hoc absolutè est eius proprium, est solutum à materia, & est tanquam Differentia vltima, quæ ut ait Aristot. in 7. Metaphysicæ Contex. 43. est id totum quod res est; Ex quo etiam elicitur, quomodo Mens singulis modis omnia fiat.

Tria quæ eliciũtur.

Mens nõ dicit fieri Singularia.

RVRSVS *verò in his quæ in abstractione sunt, ipsum rectum est tanquam simum, cum continuo enim est, ipsum autem quid erat esse, si est alterum ipsum recto esse, et rectum, altero, sit namque dualitas, altero igitur, vel aliter se habente iudicat, & omnino igitur vt separabiles sunt res à materia, ita & quæ circa Mentem.* *Cont. 11.*

OSTENSO quomodo in Physicis Mens noscat concretum, & esse eius, patefacit in præsenti Cõtextu, quomodo vtrunque noscat in Mathematicis, & Sententia est, quod, vt in Physicis, ita in Mathematicis mens noscit vtrunque, vel altero, vel se ipsa secus se habente; Resoluitur Contex. in Tres partes; In Prima asseritur, & ostenditur Mathematica esse composita ex materia, & forma; In Altera profertur hæc Conclusio; Quod si in eis inueniuntur ea duo distincta, quod similiter noscuntur vel facultate distincta, vel eadem vario modo se habente; In Tertia, tanquam summa colligitur, quod mens in ordine abstractionis conformatur cum re quæ ab ea noscitur; Inquit in Prima parte: (Rursus) quia iam verba fecit de Physicis, modo verò sermo est de genere Mathematicorum, quæ dicuntur ex abstractione à materia sensibili, cum qua sunt iuncta Physica, Diuina autem absolutè dicuntur abstracta, pro denotandis Mathematicis accipit rectum attinens ad Geometriam, quæ magis versatur in iunctis cum materia, quam Arithmetica, & ait esse ut simum, hoc est iunctam habere materiam, quam explicans inquit: Cum continuo enim est; nam materia Mathematicorum est continuum, & partes, Geometrica includunt vtranque, Arithmetica solum partes; Ipsum autem quid erat esse, si est alterum, &c. In hac Secunda parte id quod dixerat de Physicis, affirmat de Mathematicis, quod compositum, & esse vt rectum, & recto esse, si distinguuntur, ut re vera

Intentio.

Diuisio.

Expost.

distin-

distinguuntur, modo iam relato cognoscuntur à Mente, Et omnino ut res sunt sepa-rabiles à materia, ita quæ circa mentem, hoc est ita se habent attinentia ad earum cognitionem, Mens enim cum rei noscendæ abstractione conformatur, inclinat ad materiam noscendo concreta, elevatur autem & in simplicia definit noscendo esse rerũ, quod esse in 8. Metaphys. Contex. 10. dicitur simile numerorum speciebus, quæ in individuo sunt positæ.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Aristot. loquens de Mathematicis, ea nuncupat in abstractione, & ex abstractione, quia sunt de Accidentibus materiatis, consideratis sine materia sensibili; Diuina autem non sunt ex abstractione, sed de abstractis, ut patuit in Proœmio, Mathematica autem sunt duplicia, Geometrica, & Arithmetica, Geometrica sunt magis materiata, ut Punctum principium eorum, est magis concretum, quam Vnitas; Insuper, attinentia ad Geometriam, sunt duplicia, nimirum, Subiecta, & Affectiones; Aristot. ut ambo denotaret, in Contex. 9. sumpsit magnitudinem, tanquam Subiectum, in hoc verò rectum, quod est affectio. 2 Considero Secundò, quod Arist. ostendens magnitudinem esse compositam cum materia, inquit quia iunctum habet continuum, & propterea est ut simum, quod exposcit definitum Subiectum; Duplex est materia Mathematica, quæ intelligibilis dicitur, nimirum, continuum, & partes, ut elicitur ex 7. & 8. Metaph. & ex locis alijs: Numeris solum competunt partes, magnitudini verò partes, & continuum, Aristot. accipit continuum, quia Geometricis est proprium, & supponit partes, ut patet ex eius Definitione, dum dicitur esse diuisibile; At, Aristot. conspicuè secum pugnat: nam in hoc Contex. & mox Contex. 35. rectum dicit esse vt simum, at, in 2. Physic. Contex. 19. id negat, inquiens, quod est ut curuum, non exposcens definitum Subiectum. Respondeo, rectum, & magnitudinem ad duo referri; vel ad materiam sensibilem, uel ad intelligibilem; per primam relationem sunt vt curuum, quia non exposcunt definitam materiam sensibilem, per alteram verò, sunt ut simum, exposcens, & includens materiam intelligibilem, de qua modo est sermo. 3 Considero Tertiò, quod cum in Physicis, & Mathematicis consideretur Compositum, & Esse eius, tamen nec Physicus, nec Mathematicus considerat Esse, sed solum Compositũ, considerant Physicus, & Mathematicus Carnem, & magnitudinem, at, non esse absolutum eorum, id enim officium est Metaphysici, ut docet Aristot. in 4. Metaphys. in 4 principio 6. & alibi. Considero Quartò, quod Aristot. cum conditione ait (si distinguuntur) ipsum recto esse, & rectum; Primò, quia hoc considerare, non pertinet ad hunc locum, sed ad 7. & 8. Metaphys. & à Contex. 35. usque ad 39. hac de re multa dicuntur. Secundò, quia partim differunt, partim non; differunt quidem ratione materiæ intelligibilis, non differunt ratione sensibilis, quam non includunt; Tertiò ita loquitur, ut indicet Regulam non de his solum, sed de omnibus veram esse, quorum Esse, & id cuius est, distinguuntur. Quartò, quia in Mathematicis comparatis cum 5 Physicis, hoc magis latet, cum sint simpliciora. Considero Quintò, quod Aristot. loquens de ipso esse recti, ait: Sit namque dualitas, hoc est; supponamus modò quæcunque ea sit, quod sit dualitas; At, quæritur cur dualitatem accipiat? Simplicius eam refert ad Compositum, cui respondet dualitas componentium, ipsi autem Esse Vnitas, quæ expositio non videtur approbanda: quia conspicuè Aristot. dualitatem accipit pro ipso Esse, pro Composito autem sumpsit rectum; Alij inquiunt, Circulo competere Vnitatem, quia unum est Centrum, Lineæ autem rectæ dualitatem, quia duobus Punctis terminatur, quæ Sententia non est approbanda, tum, quia ea duo Puncta non sunt Esse, sed termini Lineæ, tum insuper, quia non competunt ei ut recta est, sed ut terminis prædita: nam etiam Lineæ curuæ termini esse possunt duo Puncta; Propterea

Materia Mathematica duplex est.

Contron.

Solutio.

Quid per dualitatẽ intelligendum sit.

rea dicamus, morem fuisse Arist. exempla tradere ex Sententia aliorum, censuit Pythagoras, quem frequenter sequitur Plato, numeros esse Principia, & Essentias rerum, ideo cuncta in numeros resoluebat, & præsertim in eos resoluebat Geometrica, vt Lineas, & Superficies, & inde ortum sumpsit modus soluendi quæstiones per numeros quem profitebatur Io. Picus, Mirandulæ Comes, sic Arist. in 7. Metaphys. 38. in 8. Contex. 7. dualitatem ex sententia Pythagoræ, & Platonis, sumpsit pro esse Lineæ, & hoc in loco puto rectum sumpsisse pro Linea, vt contradistinctum à plano, Et se Lineæ, dicitur dualitas, quia vt dualitas est numerus primus, cui competit diuisio, ita Linea est prima magnitudinum, & primò est apta diuidi; At, dices, dualitas includit partes, quare materiam, & propterea non est esse, sed compositum; Respondeo, aliud est dicere, duo, tria, & similia, aliud dualitas, & trinitas, prima sunt Composita, altera sunt Simplex Essentia, hoc nos docet Arist. in 5. Metaphys. 19. & in calce 7. inquiens B, & A, non sunt Ba, nam essentia in indiuiduo est posita, hinc dicitur in 8. Metaph. 10. essentias rerum se habere perinde ac numeros, quorum species in indiui duo sunt positæ. Considero Sextò, quod Aristot. ait, vt res sunt separabiles à materia, ita & quæ circa Mentem, indicans Mentem conformari cum his quæ intelligit, & ait: Vt res sunt separabiles à materia, quia varietas modi se habendi, respondet gradibus abstractionis, addit, ita & quæ circa Mentem, quia non variatur Essentia, sed modus se habendi, nam considerans Materiata, inclinat ad Sensus, abstrahens ab eis, eleuatur, & quo magis abstrahit, magis eleuatur; Sic dicitur duplici facie ad instar Iani prædita, vna inspiciente in sera, altera supera; Simili modo distincta ratione, & modo se habendi speculatur Physica, Mathematica, & Diuina; similiter, Singularia, & esse eorum Vniuersalia, & esse eorum, & ob id ex varietate graduum abstractionis eorum, quæ noscuntur, inferebatur in præcedentibus varietas, vel facultatum, vel modorum se habendi earum, & in 1. cap. 6. Nicomachiorum, dicebatur, pro noscendis rebus distincti generis, paratas esse facultates distincti generis, quia cognitio fit per assimilationem, cognoscens autem debet esse simile, non actu, vt dicebant Veteres, sed facultate, non pro esse principali, sed pro esse spiritali, quod est esse per imitationem, & repræsentationem. Considero Septimò, quod hęc Mentis conditio vt sit apta cõformari cum omnibus per secretionem à materia, patefacit conditionem eius non pendere ex materia, alioquin non esset apta secernere à materia, seiungere à mortali, eleuari ad æterna, & conformari cum eis.

Sẽtentia propria.

Responsio per numeros.

Esse Lineæ dualitas est.

6

Mens duplici facie prædita.

Conditio Mẽtis ẽterna.

DVBITARET aliquis, si Mens est simplex, & à passione immunis, & nulli aliquid commune habet, vt ait Anaxagoras, quomodo intelliget, si intelligere est quoddam pati? quatenus enim aliquid commune vtrisq; inest, hoc quidem facere videtur, illud verò pati.

Cont. 12.

DECLARAVIT Arist. in Contex. 8. Mentem habitu, mox verba fecit de Obiecto, patefaciens hoc esse eius proprium, vt noscat esse compositorum, hoc est materiatas essentias, modo verò intentio eius est, nonnulla declarare attinentia ad modum intelligendi, per quæ refulget conditio eius, ac ita per Obiectum, & actionem, quæ est Methodus per notiora nobis, nos ducit in notitiam Mentis; Diuiditur præsens Contextus in Duas partes; In Prima proponitur Dubitatio, cum autoritate Anaxagoræ; In Altera affertur ratio Dubitationis, Resoluitur autem Contextus in hunc Syllogismũ; Quod non patitur, non intelligit, Mens non patitur, quare non intelligit Maior propositio elicitur ex 2. Contex.

Intentio.

Diuisio.

Resolutio Context.

quia Intelligere est, sicut Sentire, ideo est patitur, vel aliquid simile. Minor ostenditur autoritate Anaxagoræ, qui Mentem dixit à passione immunem, & nulli aliquid habere commune, insuper ostenditur ratione: Nam agens permutat patiens ob communem materiam, de cuius possessione contendunt, materia enim est tanquam communis campus, in quo contraria inuicem pugnant: At mens dicta est simplex, non mixta, nec cum Materia, nec cum Obiecto.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò iure Arist. dubitare, cum Mens sit dicta immunis à perpessione, vt dicebatur ab Anaxagora, quomodo ualeat intelligere, quoniam in primo de Anima, Contex. 34. Anaxagoram carpit, qui cũ dixerit mentem non pati, & nil commune includere, non patefecit quomodo intelligeret, ideo, ne similiter ipse carpendus esset, id proponit explicandum.

2 Considero Secundò, quod Arist. ait: Si mens est simplex, quæritur qua ratione dicatur simplex? Pro notitia dico, formam Sex modis posse dici simplicem; Primò, ut contradistinguitur ab inclusione cuiusuis potentiæ, in qua significatione solus Deus est simplex; Secundò, vt excludit compositionem uariorum graduum Essentiæ, in qua significatione omnis forma dicitur simplex, quia essentiæ sunt ut species numerorum, in indiuiduo positæ, ex 8. Metaph. Contex. 10. Tertiò dici potest simplex, vt excludit mixtionem cum Obiecto, & compositionem ex principijs rerum, approbatam à Veteribus, & reprobatam ab Aristotele. Quartò, quia ex materia non pendet, omnis enim forma ex materia educta, dicitur mixta cum ea. Quintò, quia non consurgit ex mixtione, ut formæ inanimorum, sic omnis Anima est simplex, quia non ex mixtione formarum Elementorum consurgit, sed mixtis superuenit; Sextò, quia nõ supponit mixtionem aliarum formarum, quo Sexto modo, formæ Elementorum dicuntur simplices; Mens simplex est Quatuor modis, solum non est simplex vt Deus, & formæ Elementorum, modo tamen dicitur simplex, quia nec cum Subiecto, nec cũ Obiecto mixta est, nam hoc in præcedentibus declaratũ fuit, addit impassibile quod dicebatur in 3. Contex. & in 7. Vtitur autem genere neutro, quasi dicat, est aliqnid impassibile, uel id refertur ad particulam Animæ, quæ Græcè est neutri generis. Con-

Mẽs qũo simplex.

3 sidero Tertiò, de mente dici, nil ei commune competere, hoc uerum est Triplici consideratione; Primò, quia æterno & mortali nil est commune Vniuocum, & ob id in 2. de Anima, dicebatur genus aliud Animæ, quia separatur vt æternum à mortali; Secundò, quia ei non competunt communia principia rerum, ex quibus Veteres putarunt animam constare, nec includit Obiectum, adeò, ut ratione similitudinis intelligat; Tertiò, quia est immunis à materia, consuecuit Arist. materiam nuncupare commune, vt patet ex 1. de Ortu, & interitu, & hoc denotat modo Aristot. nam in hac significatione Anaxagoras dicebat, nil commune ei competere, & hoc est id commune, quod requiritur pro mutua actione, & perpessione, ut patet ex 1. de Ortu, & interitu, & hæc tria mutuò reciprocantur, & sequuntur se, simplex, impatibile, & nil commune, cum enim sit simplex, nil habet commune, & non patitur, declarauit Aristot. menti nil commune competere, dũ patefecit non esse mixtam cum Subiecto, & non fieri Qualem: sic etiam in 1. de Ortu & interitu Cont. 143. dixit, rectè Diogenem dixisse, nisi essent ex vno omnia, non dari mutuam actionem, & perpessionem, & in Contex. 55. affirmauit, quod si qua esset separata caliditas, ea non pateretur. Consi-

Mẽti nil commune competit.

dero Quartò, Arist. conspicuè supponere ostensum esse in præcedentibus mentem ab

4 interitu immunem, accipit enim vt notum ex dictis, mentem esse simplicem à perpessione immunem, & nil habere commune, singulæ autem hæ voces indicant mentem immortalem, & præsertim quia Arist. in ea significatione vtitur his uocibus, in qua eis utebatur Anaxagoras; At conspicuè tribuit Anaxagoræ, in 8. Phys. 37. in 1. de

Pro Mẽtis immortalitate.

de Anima, 34. quod mens ab eo approbata esset immunis à Chao, hoc est à materia, veluti etiam idipsum ei tribuit Plato, & hæc dicebantur non de pura præparatione, sed de essentia mentis, & quamuis Anaxagoras denotauerit non Humanam, sed Diuinam mentem, id nil refert, sat enim est, quod Arist. id tribuit humanæ menti, quod Anaxagoras tribuebat menti ab eo approbatæ qualiscunque ea fuerit, indicans hæc competere menti ut mens est.

DRAETEREA, si intelligibilis etiam ipsa, vel enim & aliis Mens inerit, nisi secundum aliud ipsa intelligibilis sit; Atqui vnum quid specie intelligibile est, vel mixtum aliquid habebit, quod reddit eam intelligibilem, veluti & alia. *Cont. 13.*

DECLARATA Mente quę habitu est, Tria se offerunt explicanda; Vnum attinens ad Obiectum; Alterum, ad Mentem intelligentem; Tertium ad Mentem, ut aptam intelligi; loquutus est de duobus primis, modo dubitat de Tertio, nimirum, quomodo Mens sit apta intelligi; Dubitatio ortum ducit ex eo quod in 8. Contex. dictum est quod Mens singula facta, valet se intelligere: Contex. non recte diuiditur, quia in eo vnica proponitur dubitatio quæ ita formatur; Si Mens est intelligibilis, vel est intelligibilis secundum se, vel secundum aliud, si secundum se, quia reduplicatio vertitur in uniuersale, & reciprocatur, omnis mens erit intelligibilis, & omne intelligibile mens erit, & intelliget; Si secundum aliud, tunc cum aliquo erit mixta, per quod reddetur intelligibilis, ut alia, nimirum, ut materiata, quæ ob Essentiam quam includunt sunt apta secundum se intelligi, vtrumque quod sequitur est absurdum, nã conspicuè patet non omnia quæ intelliguntur, intelligere, ut lapides; similiter ostensum est Mentem ab omni mixtione esse immunem. *Intentio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ait: Si Mens est intelligibilis, uel & alijs intelligibilibus Mens inerit & intelligendi facultas, quod conspicuè videtur absurdum, & quia posset aliquis dicere, Mentem esse intelligibile per aliud aliquid distinctum a cæteris intelligibilibus, non intelligentibus, ideo addit, intelligibile esse vnum aliquid specie, non autem ita distinctum; At, hoc in dubium vertitur, quomodo intelligibile sit unum specie, nam multiplex profectò est, nedum specie, sed etiam genere distinctum, nam datur Caro & esse Carnis, datur intelligibile Physicum, Mathematicum, & Metaphysicum, intelligibile materiatum, & secretum à materia; Respondeo, dum sermo est de Obiecto alicuius facultatis, intelligi debet Obiectum secundum se & primum, quod eam est aptũ mouere, huiusmodi autem est Essentia materiata, quæ per proprium Phantasma est apta mouere Mentem, quæ se habet ad Mentem vt Sensibile ad Sensum, de qua dicetur Mentem potestate esse aptam ea omnia fieri, quæ Mens agens est apta facere, hæc autem dicitur secernere non formas à materia secretas, sed essentias materiatas, quæ dicuntur eiusdem speciei hoc est rationis, conditionis, & modi, per quem dicuntur aptæ intelligi; Considero Secundò, ex his quę dicuntur ab Arist. duo elici, Primum est, Mentem iunctam Corpori, non intelligere separatas formas, vt contentas sub Obiecta secundum se, & primò Mentis, nam ait intelligibile esse vnum Specie, Forma, & Ratione; Alterum est, quod Obiectum Mentis sit Essentia materiata, nam *Consid. 1.* *Quo intelligibile sit unum specie.* *Solutio.* *2* *Obiectũ Mentis.*

ait: aut mixtum aliquid habebit, quod reddet eam intelligibilem, ut alia, hoc autem est essentia materiata, quæ per Phantasma propriorum accidentium offertur Menti:

3 Considero Tertiò cum Arist. dubiter, num mens sit intelligibilis, uel nomine mentis
Dubitat. denotat mentem omninò potestate, uel eam habitu præditam, si primum, ea non se intelligit, quia tunc valet se intelligere, dum fuerit singula facta, si alterum, ea tunc est
Solutio. mixta cum Obiecto, iam enim est facta singula; Respondeo, Aristotelem dubitare de humana mente indefinitè sumpta, solum considerata secundum propriam conditionem, & rationem eius, in Cont. 8. dictum est, quod cum fuerit singula facta, tunc valet se intelligere, at, non est declaratum, nunquid secundum propriam conditionem sit apta intelligi, uel ne, ideo de hoc proponitur Dubitatio; His accedit, quod quamuis mens habitu sit singula facta, non ob id dicitur mixta cum Obiecto, quia ille habitus non est conditio propria mentis.

Cont. 14. *AN ipsum pati secundum commune aliquid antea diuisum est, quoniam potestate quodam modo est intelligibilia mens, nil tamen actu antequam intelligas, perinde se habet de Mente, ac de literaria tabella, in qua nil actu scriptum est.*

Intentio. DVARVM difficultatum quæ in proximis Contex. propositæ sunt consilium Arist. modo est primam soluere, attinentem ad mentem, ut aptam
Diuisio. intelligere; & Contextus resoluitur in duas partes; In Prima soluitur Dubitatio; In Altera Solutio illustratur exemplo; Vt pertinet ad Primã
Exposit. Dubitationẽ quę erat hæc; Quod non patitur, non intelligit, mens non patitur, quare non intelligit; Respondet Arist. Rationem includere fallaciam æquiuocationis, quia pati usurpatur dupliciter, uel cum interitu, uel pro sola perfectione sine interitu; Maior propositio de passione cum interitu falsa est, uera est de altera; Minor uerò, est uera de passione cum interitu, quæ non requiritur, falsa de altera quæ requiritur, & sat est, quia secunda passione, id quod patitur solum est potestate, & perficitur, non autẽ est præditum contrario, quod debeat interire; Perinde enim se habet, &c. Hæc est Pars Altera, in qua conditio mentis potestate, illustratur exemplo literatiæ tabellæ, qua pro formandis literis utebantur Veteres; ait itaque se habere de mente, ut de γραμματείῳ, in quo nil actu scriptum est, cum tamen sit paratum ad recipiendas literas, pro eisque constitutum.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Aristot. soluens ait, pati requisitum pro officio intelligendi, dici secundum commune, hoc est vsurpari latè, & accipi pro eo quod est commune omni patienti, & est vt fit potestate, & perficiatur, ideo Arist. hoc explicans ait: Quoniam mens
2 *Mens est potestate quodam modo.* modo quodam est potestate intelligibilia; Hæc Solutio elicitur ex 3. Contex. quo loci dicebatur, mentem non pati passione cum interitu, sed recipere species, & esse potestate, hoc est perfici. Considero Secundò, quod ait mentem esse potestate quodam modo; ait (quodam modo) quia ea non est potentia ad esse absolutum, sed cognitum; Secundò, non potentia ad esse principale, sed spiritale, & sine pu-
3 *Mens nil actu ante quã intelligat.* gna; Tertiò, quia non est potentia cum forma opposita, sed sine contrarietate & interitu. Considero Tertiò, quod ait nil esse actu ante quam intelligat; ex quo elicio tria; Primò, si nil est actu, igitur nil in ea interit; Secundò, si nil actu est, igitur non antecedit

tecedit ſpecies diſtincta ab actu intelligendi; Tertiò, ſi nil eſt actu, igitur quia intelligit fit res, non uice uerſa, quia fit, ideo intelligit, & ſic exploditur Sententia Veterum, putantium Animam cõſtare ex principijs rerum, vel inſitas habere rationes earum. Conſidero Quartò, cum mens prædita ſit poteſtate, & non pendeat ex materia, quod non omnis potentia ex materia prodit, ſed ea potentia quæ eſt cum tranſmutatione & interitu, ſic etiam in cælo reperitur potentia ad motum, & Lumen; dico tamen, non reperiri potentiam ſine materia, vel genere materiæ, uel modo materiæ, ſine materia: quia mens redditur poteſtate ut cum Phantaſia, & nobiſcum nectitur, ſine genere materiæ, quia etiam Cælo competit materia aliqua, ſine modo autem, quia omnis potentia ſumpta pro receſſu ab actu, & omnis conditio apta perfici, dicitur modus materiæ; hinc ſolus Deus abſolutè eſt expers materiæ, & modi eius, tum quia eſt actus ſupremus, à quo recedunt inferiores Mentes, tum inſuper, quia non intelligit aliud à ſe, à quo perficiatur, vt aliæ Mentes. Conſidero Quintò, quod Ariſtot. pro illuſtranda Mente poteſtate, vtitur exemplo ſumpto ex γραμματεῖω, ſiue tabella apta formari literis, qua vtebantur Veteres, ideo deferentes eas dicebantur tabellarij, Plato etiam in Philebo, in Anima conſiderat dictantem, & ſcribentem; Iamblicus, Simplicius, & Priſcianus Lydus, dicebant Animariam Mentem dici ſine literis, non quia in ea nullo modo inueniantur, ſed quia latent ob nexum cum corpore, & receſſum à ſe; at, hi explicant quidem rectè ſententiam Platonis, longè tamen recedunt ab ea Ariſtot. qui hanc eſſe mentis naturam affirmat, vt ſit poteſtate, & nil actu, & ob id negat ſcientiam eſſe reminiſcentiam, quod affirmant Academici, veluti in tabella literis deſignanda poteſtate ſolum inueniuntur literæ. Conſidero Sextò, Ariſt. dicere Mentem eſſe ſimilem tabellæ aptæ formari literis; Exemplum partim ſimile, partim diſſimile eſt; Primò, eſt ſimile, quia ambo denotant concretum ex fundamento, & potentia; Secundò, quia ambo recipiunt non res, ſed ſigna, & imagines; Tertiò, quia ambo diriguntur ad denotandas notiones Animorum, literæ enim ſunt ſigna notionum Animi; Quartò, quia ambo fiunt rei per repræſentationem; Quintò, quia nil eorum perit, ſed ſolum perficiuntur; Ex aduerſo differunt, Primò, quia tabella recipit vt Subiectum; Mens ut Obiectum; Tabella recipiendo ſeruat, Mens non ſeruat, non enim memoria ex Sententia Ariſtot. ad Mentem pertinet, ſed ad Phantaſiam; Tabella non iudicat, & noſcit, Mens noſcit; Tabella recipit ſigna modo materiato, Mens verò ſpiritaliter. Conſidero Septimò, quod Alexander in 1. de Anima, cap. 24. exponens hoc exemplum, ait: Mens eſt ſola facultas, potius ſimilis priuationi inſcriptionis, quam tabellæ, tabella enim iam in entium numero eſt, cui ſimile eſt animal, cenſuit enim mentem poteſtate, nil eſſe aliud præter diſpoſitionem Phantaſiæ, ad recipienda intelligibilia; Quæ ſententia longè diſtat à vero, & propterea iure Auerroes hoc in loco digreditur, & multa profert pro euerſione ſententiæ Alexandri, quæ ſilentio prætereo, ſolum dico Ariſt. nomine mentis minimè denotaſſe puram priuationem, præparationem, & facultatem, ſed fundamentum ea præditum, ueluti eſt tabella literaria: Nam præparatio non eſt particula animæ, non eſt ſimilis menti Anaxagoræ, non eſt ſimilis tabellæ, non intelligit alia, & ſe, non eſt ſeparabilis, poteſtas non dicitur eſſe poteſtate, at mens dicitur poteſtate antequam intelligat, & demum, ut reliquæ Animæ partes, non ſunt puræ præparationes, ſed eſſentiæ Animæ, ita mens.

4 *Non oĩs potentia prodit ex materia.*

Solus Deus abſolutè expers materia.

5 *Tabella literaria. Iamblic.*

6

Qũo exẽplum ſit ſimile & diſſimile.

7 *Sentẽtia Alexan.*

Euerſio.

IPſa quidem intelligibilis eſt, vt intelligibilia, in iis enim quæ ſunt ſine materia, idem eſt intelligens, & quod intelligitur, ſcientia namque contemplatiua, & ſcibile idem eſt; Ipſius autem non ſemper intelligere, cauſa conſideranda eſt; In iis autem quæ materiam habent, poteſtate ſolum vnum- Cont. 15. 16

quodque est intelligibile, quare illis quidem non inerit Mens, nam Mens talium est facultas sine materia, illis autem inerit intelligibile.

HIC Contextus est satis obscurus, & propterea à Viris sapientibus vario modo exponitur; afferam ego expositionem quam magis approbandam puto; Dubitauerat Aristot. Contex. 13. quomodo Mens se intelligat, nam cum Mens se intelligat, ac ita intelligibilis dicatur, vel est intelligibilis vt Mens, vel aliquid superadditum, si Mens est intelligibilis vt Mens, omne intelligibile intelligit, si per aliquid ei superadditum, tunc mixta erit intentio Aristot. est soluere hanc difficultatem, & quoniam ea duo præsertim includit, vnum est quomodo Mens sit intelligibilis, alterum, cur cętera intelligibilia non intelligant, propterea pro solutione vtriusque partis, Quatuor facit; Primò soluit pro prima parte, manifestando quomodo Mens sit intelligibilis; Secundò Rationem affert traditæ Solutionis; Tertiò proponit diluendam difficultatem pro altera parte, nimirum, cur reliqua intelligibilia non intelligant; Quartò, etiam pro ea parte soluit; Soluens pro prima parte inquit; Et ipsa Mens est intelligibilis vt intelligibilia, hoc est Mens potestate dum fuerit habitu prædita, est intelligibilis, vt intelligibilia ea sunt, quæ ab illa intelliguntur, & sunt obiectum eius, iam enim apparuit in Contex. 8. quod Mens intelligendo alia intelligit se, ita enim apprehendit uires proprias suamque conditionem, & apprehendit se primò directè apprehendendo Obiectum, cum quo conformatur, mox obliquè per conuersionem in se, eliciendo ex conformatione cum Obiecto uires & conditionem propriam; Insuper se intelligit, partim cognitione simplici, dum se intelligit vt confirmatum cum Obiecto, partim complexa, dum reflexa in se elicit uires & conditionem propriam; In ijs enim quæ sunt sine materia, idem est intelligens, & quod intelligitur, &c. Hæc est pars Secunda in qua affertur ratio traditæ Solutionis, & est, quia in ijs quæ sunt sine materia, veluti sine materia est Mens, & id quod actu ab ea intelligitur, intelligens, & id quod intelligitur, in idem veniunt, quatenus intelligens per imitationem fit ipsum intelligibile; in Sensu hoc non seruatur, quia est materiatus, & Organo præditus, & propterea non ita conformatur, & in unum venit vt Mens, & intelligibile, & hic est modus simplex & directus intelligendi se, sine quo nõ reperitur obliquus, & complexus. Et idipsum Aristot. confirmans addit; Scientia nãque contemplatiua, & scibile idem est, per scientiam contemplatiuam denotat actum intelligendi Mentis, per quem Mens conformatur, & in unum uenit cum intelligibili simul etiam denotans speciem intelligibilem non distingui ab actu intelligendi, adeò, vt actus intelligendi, sit species intelligibilis, per quam intelligens, & intelligibile in idem veniunt. Ipsius autem non semper intelligere causa considerandа est, &c. Hęc est pars Tertia, in qua Aristot. proponit diluendam difficultatem pro altera parte, & est, cur cætera intelligibilia non intelligunt, ideo inquit, considerandam causam ipsius, non semper intelligendi, hoc est cur non semper euenit, vt intelligibile etiam intelligant, In ijs autem quę materiam habent, &c. Hæc est pars Quarta, in qua causa affertur, cur non omne intelligibile intelligat, & vtitur modo loquendi oppositio illi prioris solutionis: nam dixerat in ijs enim quæ sunt sine materia, idem est intelligens, & quod intelligitur: nunc contra ait, in ijs autem quę materiã habent, potestate solum vnumquodque est intelligibile, hoc est, cum non sint intelligibilia actu, non sunt idem cum Mente, sunt enim essentiæ materiatæ, solum potestate intelligibiles, Mens autem cuius ea sunt Obiectum, est facultas sine materia; Mens itaque cùm sit sine materia simul esse potest & Mens, & intelligibilis, essentię autem materiatæ sunt quidem potestate intelligibiles, at Mentes & intelligentes esse nequeũt, quia non sunt potestates sine materia, qualis est Mens.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNO-

ANNOTATIONES.

EXPOSVI Contex. vt exponendum censui; Considero autem Primò, quod cum Aristot. in prima parte dicat quod Mens est intelligibilis, vt intelligibilia, nonnulli satis probabiliter exponunt, quod cum ea quæ sunt diuidantur in Sensibilia, & Intelligibilia, hoc est in materiata, & abstracta, Mens cum sit immunis à materia, est ex genere intelligibilium quæ simul actu intelligibilia sunt, & intelligunt, nam in abstractis scientia contemplatiua, hoc est facultas cognoscens quæ est scientia repræsentans scibile, est eadem cum scibili quia intelligit se, & ideo in eis idem est intelligens & quod intelligitur, expositio pro recto satis respondet uerbis, mihi tamen est dubia, quia ad hunc librum non pertinet loqui de actu intelligibilibus, & de eo intelligendi genere, quo se indiuiduè intelligunt, id enim pertinet ad Metaphysicum, ideo exposui pro altero intelligendi modo attinente ad Physicum indicato in Contex. 8. immò in 12. Metaphys. 39. Aristot. eundem se intelligendi modum tribuit humanæ Menti, inquiens seipsum autem intelligit Mens Secundum assumptionem intelligibilis; Intelligibilis autem fit attingens, & intelligens, quare idem est Mens, & intelligibile, susceptiua enim intelligibilis, & essentiæ Mens est; Operatur autem habens, &c. *Consid. 1.*

Considero Secundò, quod cum Aristot. dicat in ijs enim quæ sunt sine materia, idem est intelligens, & quod intelligitur; Facultates noscentes sunt trium generum, vel materiatæ, quæ nequeunt se noscere, tum quia non propriè fiunt id quod noscitur, vt dixi, tum insuper quia nequeũt in se verti, vel omnino sunt solutæ à materia, quæ se secundum se primò, & indiuiduè apprehendunt vel medio modo se habent, vt humana Mens iuncta mortali Cor pori, quæ medio modo se intelligit nimirum, non secundum se, & Primò, sed quatenus fit ipsum intelligibile, & cum reflexione; Considero Tertiò, quod cum Mens inspectrix dicatur fieri id quod intelligit, quia Mens distinctione suorum habituum diuiditur in inspectricem, agentem, & efficientem quęritur, nũ similiter dicatur fieri per agentẽ agibilia, & per efficientẽ effectibilia. Respondeo, de his quoque id in parte esse verum, quatenus habitus efficiendi est recta efficiendi ratio, id repręsentans, & ad id dirigens, quod efficiendum est, ut Prudentia est tanquam exemplar, & recta ratio agendi, hinc Arist. in 7. Metaphys. 23. ait Artem Medendi esse sanitatem, & in 12. Metaphysicæ, 18. ait Artificiosa quoque fieri à simili; Id tamen uerius est de inspectrice; Primò, quia ea non tendit in externum, sed in se includit id quod intelligit; Secundò, quia contemplatio est spiritalior, & per eam magis & intimius Mens cum intelligibili nectitur; Tertiò quia Mens est aliquid intelligibile, at, non, est aliquid agibile, vel effectibile. *2* *Facultates noscẽtes trium sunt generum.* *3* *Mens fit intelligibilia agenda, & efficienda.*

Considero Quarto, dum Aristoteles in Tertia parte ait: Ipsius autem non semper intelligere causa est considerandа, ego id exposui quod proponatur dubitatio diluenda pro altera parte, nimirũ, cur non omne intelligibile intelligat, nam id semper quamuis propriè denotet uniuersitatem temporis, nonnunquam tamen apud Arist. denotat etiam uniuersitatem rerum, veluti in 1. Phys. dixit oportere Principia semper manere, ac ita modo ait, ipsius autem non semper intelligere, hoc est cur non semper eueniat vt intelligibile etiam intelligat, Philoponus tamen, Themistius, Simplicius, & Priscianus Lydus, satis probabiliter id secus exponunt, nam aiunt proponi per parentesim aliam difficultatem consideratione dignam, quam tamen non dissoluat; Philoponus ait dubitari, cur mens quæ sibi semper & præsens non semper se intelligat, Alij autem quos retuli, absolutè cur non semper intelligat; at non uidetur rationi cõsonum, quod Arist. difficultatem proponat, & derelinquat insolutam, posset tamen expositio defendi; Et propterea quinto loco considerandũ propono, unde eueniat quod cum cęlorum mentes continenter intelligant, & intelligunt se, non etiam humana mens, quæ dicta est sine materia, non eodem modo se habet; *4* *Philopon.*

Cur mẽs nõ semper intelligat.

habet; Pro Solutione dico, intellectionem mentium esse duplicem; Vnam per Essentiam; Alteram, per Passionem, & receptionem; si de Prima loquimur, ea quibus competit, semper competit, Dubitatio autem est, num ex Sententia Aristotelis competat humanæ menti, de qua vel competat, uel ne, modo non est sermo, nam sermo est de illa qua homo per Animam, & mentem intelligit, quæ eget Phantasia, de qua loquẽs, dico ꝙ homo non semper intelligit; Primò, quia non semper potest; Secundò, quia nõ semper scit; Tertiò, quia non semper vult; Primò non semper potest, cum non semper ut præditus usu mentis, ut puer, & demens, non enim semper adsunt requisita, veluti Phãtasmata, ob uarias necessitates à quibus distrahitur, & impeditur, vt à somno, & ab his quæ pro conseruatione vitæ sunt necessaria; Dicebatur Secundò, quia non semper scit, nam ignorantia est nobis apprimè familiaris; Tertiò, cum sciat, & non impediatur, non semper vult intelligere, non enim semper iudicat melius ei esse speculari; Dum autem cum Philopono dubitamus, cur Mens non semper se intelligat, non est cum eo respondendum, id euenire, quia frequenter ob familiaritatem se negligit, & ad alia se conuertit, iam enim apparuit Mentem postremo & reflexè intelligere se; Propterea dicamus, mens vt Homini iuncta non semper se intelligit, quia non semper potest, scit, & vult se intelligere, nam solum potest se intelligere, dum fuerit habitu prædita, & singula facta, quod raro euenit, & tunc solum scit se intelligere, & tunc etiam non iudicat bonum semper se intelligere, propterea id non vult; Hinc iure dicebat Porphyrius, non esse mirum si Mens humana non semper intelligit, sed potius ob uarias curas, innumeras Corporis necessitates, aduersasquè propẽsiones, & assuetudines, mirum esse si aliquando intelligit; Insuper quia inter sapientię est sublime & arduum, pauci per id progrediuntur; Propterea dixit Plato, sapientiam Deorum esse propriam; Arist. verò enunciauit, nobis magis propriam esse ignorantiam. Considero Sextò, ex hoc Contex. elici materiatas Essentias esse Obiectũ proprium Mentis, nam Aristot. afferens rationem cur non intelligant, ait, quia Mens earum est sine materia, illæ autem materiatæ sunt; conspicuè Mens Hominis dicitur Mens materiatarum Essentiarum; Insuper conspicuè etiam elicitur Mentem Hominis ab interitu esse immunem; Primò, quià dicitur esse sine materia, omnis autem forma sine materia ab interitu est immunis, humana Mens ab Arist. dicitur sine materia, quare ab eo iudicatur ab interitu immunis; Secundò, id quod est intelligibile actu, & ob id intelligit alia, & se, ab interitu est immune, non autem id quod est intelligibile potestate, ut Essentiæ materiatæ, mens est huiusmodi, quare &c. nã ea quæ sunt, secantur in sensibilia, & intelligibilia, sensibilia sunt materiata, quæ absolutè dicuntur sensibilia, nuncupantur tamen intelligibilia potestate, ut per abstractionem reddi possunt intelligibilia; absolutè autem intelligibilia ea dicuntur, quæ sunt sui conditione à materia seiuncta, mens dicitur sine materia, & actu intelligibilis, & ob id ualet intelligere, Essentiæ autem materiatæ cum sint intelligibiles solum potestate, non ualent intelligere, quod conspicuè indicat Mentem immortalem, nisi cuncta uerba, & sententiæ, conspicuè peruertantur; At, quæritur cum materiatæ essentiæ ab Aristotele dicantur intelligibiles potestate, num reddi possint intelligibiles actu, & absolutè? si non, inanis erit potentia, si sic, quia intelligibile actu etiam intelligit, ipsæ tunc intelligent, quod falsum est; Respondeo, eas dici potestate intelligibiles, ita ut possint actu intelligi, non autem ita ut absolutè reddi possint intelligibiles actu, ut sunt formæ solutæ à materia: ut itaque sunt potestate, ita ducentur ad actum, sunt potestate, ut intelligantur modo eis consentaneo, non ut absolutè reddi possint intelligibiles actu. Considero Septimò, ut pertinet ad formam difficultatis, & eius Solutionem, Dubitatio ita formabatur: Si Mens se intelligit, ac est intelligibilis, uel est intelligibilis secundum se, & cum reduplicatione, uel per aliquid superadditum, quod illam ut cętera reddat intelligibilẽ, si Primum eligis, quia reduplicatio uertitur in uniuersalem, & reciprocatur, dicam ego, Mens est intelligibilis ut Mens, igi-

Cur mens nõ semper se intelligat.

Porphyr.

Plato.

6

Pro mentis immortalitate.

An intelligibilia potestate reddi possint intelligibilia actu.

7

Solutio principalis difficultatis.

tur

tur omnis Mens est intelligibilis,& omne intelligibile est Mens,& intelligens,quod est absurdum; Si dicis, Mens est intelligibilis per aliquid reddens eam intelligibilē, vt alia,sic includet intelligibile,& includet essentiam materiatam,quæ ea est quæ red dit alia intelligibilia,& cōstituit obiectū Mentis; Solutio est,quod Mēs est intelligibi lis non potestate,sed actu,cum sit sine materia,propterea se intelligit, & intelligit,vt intelligibile actu,& sic omne intelligibile actu, intelligit,& se intelligit,& vice versa omne intelligens, est intelligibile actu; Solum dicimus quod distincta ratione est intelligens,& intelligibile; Formata & soluta difficultate,considero Octauò,quod Phi- 8
loponus minus rectè eam explicans nititur carpere Aristot. Propterea cogor ego pro seruando Aristot. detegere nonnulla eius errata, ne sua autoritate deducat alios in errores; Primò,formans consequentiam quam Aristot.dubitans format,ait: Si Mens quatenus Mens intelligitur, igitur quatenus intelligitur, est Mens; Hic est error, nā quamuis reduplicatio reciprocetur, non tamen reciprocatur cum reduplicatione, nā reduplicatio causam indicat, veluti si dicam Homo est risibilis quatenus Homo,reci procatur quidem,dicendo,igitur omne risibile est Homo; at, non cum reduplicatione,quod omne risibile est Homo, quatenus risibile, vt ait ipse, & est falsum; Inquit Secundò, ex sententia Aristot.omnia propriè intelligibilia esse Mentes, adeò, ut nedum Cęlorum motores, sed etiam Deus sit Mens, quod ait cum Platoni, tum pijs dogmatibus aduersari, Deus enim non est Mens,sed Pronia, hoc est supra Mentem; hæc profecto est Sententia Aristot. quæ pugnat cum ea Platonis, qui Deum constituit supra Mentem,at,non euertit pia dogmata, rectè enim Theologi nostri frequenter Deum denotant nomine Diuinæ Mentis, & non tribuitur ei Pronia, quia sit supra Mentem,sed quia præuidet cuncta,& prouidet, & Mens sit prima & eminentissima: Tertiò, ait Philoponus ex dubitatione proposita non inferri omne intelligibile esse Mentem,& intelligere,sed quod omne se intelligens Mens sit, quod apprimè verum est: nam dubitatio erat, quomodo Mens se intelligeret: nam si se intelligit ut Mens, omnis autem Mens se intelliget,& omne se intelligens est Mens,ac ita Dubitatio inanis est; Fallitur: nam Aristot.hoc considerat,quod Mens sit intelligibilis,& ex hoc elicitur ratio, & formatur Dubitatio, vt retuli; Hinc Aristot. soluens, utitur distinctione intelligibilis, per actum, & potestatem; Quartò ait, etiam falli Aristot. quia putat omne actu & propriè intelligibile, intelligere, quod falsum est, quia Vniuersalia, & Ideæ, verè sunt intelligibilia, cum tamen non intelligant; Decipitur profectò: nam Vniuersalia ex Singularibus collecta,non sunt verè & sui natura intelligibilia, vt separatę formæ, quas denotat Aristot. Loquendo autem de Ideis, illæ ex sententia approbantium eas, non distinguuntur secundum absolutam essentiam à Mente,adeò, vt eadem essentia distincta ratione sit intelligens & intelligibile,vt etiam de Humana Mente se habet se intelligente; Mitto alia multa, quæ ab eo dicuntur,& satis leuiter Aristoteli obijciuntur.

Diluuntur instantiæ Philoponi aduersus Aristot.

Error Philoponi Primus.

Secunda.

Tertius.

Quartus.

QVONIAM autem vt in omni Natura est aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi, hoc autem est quod est omnia illa potestate, Alterum verò causa, & efficiens, eo quia faciat omnia, vt Ars ad materiam se habet, necesse & in Anima inesse has differentias. Cont. 17.

DE

Aristot. de Anima

Intentio. DE humana Mente Philosophus duo declaranda proposuit, primum erat, quam habeat differentiam; Alterum, quomodo intelligeret; Ordiens à differentijs quarum Prima dicitur potestate, altera agens, declarata Prima, consilium eius modo est usque ad Contex. 21. de Altera verba facere, de qua tria præsertim declarat; Primò eius necessitatem; Secundò, officium; Tertiò, quid, & qualis sit, & quomodo se habeat ad Mentem potestate; in præsenti *Diuisio.* Contex. de Primo est sermo, & vnica ratione ostenditur eius necessitas; Diuiditur, Contex. in Tres partes; In Prima ponitur antecedens; In Secunda confirmatur exem *Expos.* plo; In Tertia infertur Conclusio; Ratio formatur vario modo; Ego sic eam formandam puto; Vt se habet in vniuersa rerum Natura constantium serie, ita putandum est se habere de Anima: sed in ea datur id quod est natum omnia fieri, & natum omnia facere, vt patet exemplo Artis, quare est necesse in Anima inesse has differentias.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, fundamentum Rationis hoc esse; Cui competit varietas & permutatio aliqua, ei competit potentia & actus, & omni potentiæ patientis debet respondere agens, alioquin esset frustra, in Vniuerso autem nil est frustra, dum considerantur species rerum, quamuis in indiuiduis multa sint frustra; Ea autem quæ uarietati & permutationi sunt obnoxia, Tria *Tres gradus varietati obnoxij.* sunt; Primum est, Series Corporum Natura constantium; Alterum est, Ars æmula conditionis eorum; Tertium est Conditio non pendentium ex Corpore, ut Mens Hominis; Duo prima sunt notiora, ideo iure Aristot. per ea duo illustrat conditionem tertij, sic itaque in omni Natura, hoc est serie rerum natura constantium, & permutabilium; In nonnullis codicibus ea prima particula, (quoniam) non reperitur, sine qua secus formanda esset Ratio, & dicendum; In omni Natura, hoc est, rerum conditione, in qua reperitur aliquid quod est omnia fieri, etiam debet reperiri aliquid quod est omnia facere; At, in Anima reperitur aptum omnia fieri, quare & aptum omnia
2 facere, semper tamen seruatur idem fundamentum Rationis; Considero Secundò, quod Aristot. ait: Est aliquid hoc quidem materia unicuique generi, hoc autem causa, & efficiens, ait, hoc quidem materia unicuique generi, nam materia uniuersè, respicit actum et respondentem uniuersè, materię uerò distincti generis, respondet actus distincti generis, vt Cęlo potestate mobili, respondet motor, ex quo elicitur, quod *Mens est Locus & Materia.* quemadmodum Mens dicebatur locus, ita modo dicitur materia, locus dicitur specierum, materia uerò ut est potestate, & refertur ad agens, à quo deducitur ad actum; Insuper, ait: Causa, & efficiens: nam ex Sententia Veterum, & præsertim Platonis in Philebo, Causa & efficiens reciprocantur, & usurpantur pro eodem, ex Sententia Aristot. Causa est tanquam genus. Vnicuique potentiæ patienti respondet agens, & agenti per Naturam, & Artem, respondet patiens, Agenti autem Diuino vt Creatori, non patiens respondet, sed Obiectum creabile; Considero Tertiò, quod cum Sen-
3 tentia prolata ab Aristot. sit uera de Natura, Arte, & Anima, Natura vera efficit & principaliter; Ars æmulatur modo materiato; Anima æmulatur spiritaliter, & ait po *Cur differentiæ tribuantur Animæ.* tius has differentias esse in Anima, quam in Mente, Primò, ne sermo esset intercisus, & dimitteretur Tertius communis gradus rerum, qui sunt Natura, Ars, & Anima; Secundò, vt sermonem reddat communiorem, & indicet nedum de Mente, sed etiam de Sensu verum esse; Tertiò, quia huiusmodi differentiæ non competunt Menti, ut Mens est, sed vt est particula Animæ, & fungitur officio mortali; Quartò, vt indicetur Mentem agentem non esse vel Deum, vel Mętem aliquam mortali orbi præsidentem, vt Alexander, & alij nonnulli putarunt, sed esse in Anima, quę dicta est prima perfectio Corporis, & primum principium operandi in eo, & est id de quo, tanquam de proximo, & proprio Subiecto in his libris est sermo; Hæ non sunt

differen-

differentiæ Animæ,quia Essentia est vna,sed dicuntur esse in Anima, quia ei competunt ob varia officia, & modos varios conspirandi ad obeundum munus suum; sunt differentiæ,quia actus, & potentia statuuntur communissimæ differentiæ eorum quæ sunt;Has denotauit Philosophus in Procœmio dum dixit quam habeat differentiam: nam has solum asserit differentias Mentis, quas nisi in Procœmio proposuisset, valde fuisset diminutus,hæ sunt differentiæ tanquam modi, ratione distincti, & sunt differentiæ per quas constituitur integra particula Animæ,& integrum principium intelligendi; At,dices,differentiæ oppositæ non constituunt vnum, sed inuicem pugnant, & mutuo se repellunt; Respondeo, actus nunquam fit potentia,nec vice versa, sed idem distincta ratione potest conspirare ad opus vnum, & præsertim loquendo de officio sentiendi,& intelligendi,quod est immanens,vt dicitur in 9.Metaphys.Considero Quartò, quod Auerroes, Tres ait esse differentias mentis; Vnam potestate; Alteram agentem; Tertiam ex eis prodeuntẽ,quæ dicitur Mens inspectrix; At re vera hæc non est numeranda inter differentias Mentis,non enim est principium tertiũ, modo tertio conspirans ad officium intelligendi, sed solum dici potest aliquod tertium,ex agente & patiente consurgens; Hæ differentiæ etiam in Sensu reperiuntur, nam in Sensu quoque locum habent facere,& fieri,ideo Aristot.affirmauit Sensus pati,& agere,vt in 2.de Anima patefeci; Propterea,Aristot.dixit has differentias in Anima reperiri, At num etiam competunt Mentibus Cælorum? Respondeo,eis non propriè competere,quoniam eis non competit permutatio ex potentia intelligendi, ad actum,nec motio,& passio pro officio intelligendi,solum per Metaphoram dicere possemus de Mentibus sub Deo positis, quod ut includunt modo aliquo potentiam vel per recessum à primo,vel ut intelligunt aliquid extra se,includunt similitudinem Mentis potestate,per proprium verò gradum perfectionis,& id eminentius quod intelligunt, & per quod modo aliquo perficiuntur, includunt conditionem agentis; Propriè autem hæ differentiæ competunt Humanæ menti, tum, quia propriè intelligit aliquid extra se,tum,quia transit ex non intelligere ad intelligere,tum, quia intellectio non est essentia eius,tum demum, quia ut intelligat, debet moueri ab Obiecto,quorum nullum competit superioribus Mentibus. Considero Quintò,Arist.uti exemplo Artis, ex quo elicit Simplicius, Menti Animariæ insitas esse rationes per quas intelligat;Similiter Themistius ait,ei insitas esse ideas: Nam Ars est recta ratio efficiendi,& Artifex insitas Menti habet rationes efficiendorum,ob quas inquit Aristot.in 12.Metaph.etiam Artificiosa fieri à simili; At,hi Aristoteli id tribuunt, quod frequenter conspicuè nititur reijcere, & refellere, vt in Sermone de Ideis patefeci; Propterea dico,exemplum aliqua ex parte simile esse,at,non ex omni, similitudo in hoc est posita, quia ut Ars efficit Artificiosa, ita mens efficit Vniuersale, & opus intelligendi; Insuper,vt Ars efficit imitando Naturam,secundum esse materiatum, ita Mens efficit imitando intelligibilia secundum esse cognitum, & spiritale; Differunt tamen Primò,quia Artifex extra,& in externam materiam operatur, Mens verò intrinsecus,cum sola ratione à possibili distinguatur; Insuper Artifex includit rationes distinctas,per quas simile efficit, Mens verò agit per facultatem eminenter intelligibilia includentem, & ideo agit iuxta formam ei oblatam, sine propria ei insita ratione,& forma. Considero Sextò, quod cum Aristot.infert: Necesse & in Anima inesse has differentias, videtur Conclusionem colligere secus ac colligi valeat ex antecedentibus, nam ex antecedentibus solum colligi potest, debere dari aliquid aptum facere intelligibilia, at, non sequitur necessariò ut id sit in Anima, & confirmatur per exempla: nam Ars est aliquid externum,similiter Lumen; Alexander, & cum eo alij nonnulli, affirmant, id agens non esse Animæ internum, sed externum, & esse uel Deum,vel Mentem aliquam mortali orbi præsidentem,& cum Aristot.inquit:Necesse in Anima huius modi differentias inuenirii;aiunt,in Anima,hoc est in attinentibus ad eam,eiusque officia; At,hi conspicuè decipiuntur: nam Arist.proposuit explican

Dubitat. Solutio.

Quot sint differẽtiæ Mentis.

Quod cõpetant sensui.

Num cõpetãt Mẽtibus superioris.

Cur magis propriè competãt humanæ Menti.

5.

Similitudo Mẽtis, & Artis.

Dissimilitudo.

6.

Dubitat.

Alexand.

Euersio.

das

das differentias Animæ competentes, non Deum, vel aliam separatam Mentem. Præterea, est Regula uniuersalis, differentias oppositas debere esse eiusdem communis generis, quare cum Mens potestate, pertineat ad Animam, cogimur fateri, agentem quoque ad eam pertinere, actus enim & potentia eiusdem sunt generis; Præterea, dū officium est in nostra facultate, est necesse, ut etiam Principium eius in nobis sit, at, per Mentem agentem ad libitum intelligimus, quare ea est aliquid nostrum, non autem externum; Aristot. non colligit eas differentias ad Animæ officia conspirare, sed esse in Anima. De re hac cumulatè diserui in libris de humana Mente; Instantiæ aduersæ facilè diluuntur; Dicebatur Primò, ex antecedentibus non colligi necessariò, ut sint in Anima, adeò, ut sint aliquid eius; Respondeo, si ratio absolutè formetur, dicendo: In omni Natura in qua reperitur id quod est omnia fieri, etiā reperitur quod est omnia facere, sic addemus in Anima reperiri aptum fieri omnia intelligibilia ex quo colligemus, necessariò reperiri in Anima, si autem altero modo formatur, dicendo: quemadmodum in omni natura, &c. tunc dicam ut in uniuersa natura id faciens est Natura, in Artificiosis est Ars, ita in officijs Animæ est Anima, uel pars eius; Addebatur, exempla indicare oppositum; Respondeo, sat esse ut exempla in eo sint similia, de quo est sermo, at sermo est de necessitate agentis; Insuper, vt Ars est interna artifici efficienti, ita Mens agens debet esse interna Animæ intelligenti.

Soluūtur instantiæ.

Cont. 18. *ET est huiusmodi quidem Mens, eo quia omnia fiat, hæc verò quia omnia facit, vt habitus quidam, veluti Lumen, modo enim aliquo, & Lumen facit potestate Colores, actu Colores.*

Intentio. PRATEFACTA necessitate mentis agentis, Consilium Arist. modo est patefacere, quid ea sit; & quoniam differentiæ refulgent per mutuam relationem & comparationem, ideo hac Methodo vtitur, ordiens à Mente potestate, quæ iam est declarata. Diuiditur Context. in Tres partes; In Prima id refertur quod est proprium Mentis potestate; In Secunda, proprium Agentis; In Tertia, Agens illustratur exemplo; Inquit in Prima parte: Et est huiusmodi Mens, eo quia omnia fiat, nam de ea Primò dicebatur, quod omnia intelligat, mox dum fuerit habitu, dicebatur omnia facta, nunc verò dicitur apta fieri omnia, primò quidem contenta sub Obiecto, mox refulgentia in eis; Hæc relata ad Animam, dicitur particula eius, dum refertur ad agentē, dicitur Differentia, dum refertur ad Obiectum, Mens potestate, apta id fieri; Hæc verò quia omnia facit, &c. Hæc est pars Secunda in qua refertur proprium agentis, & est, omnia facere, quæ Mens potestate est apta fieri, & quemadmodum ea est nata fieri, nimirum spiritaliter, per imitationem, & repræsentationem, ita hæc est apta facere; Vt habitus quidam, veluti Lumen, nam & Lumen modo aliquo facit potestate Colores, actu Colores, &c. Hæc est pars Tertia, in qua Mens agens illustratur exemplo, & quia Aristot. Duo tenetur declarare; Vnum, quod faciat omnia; Alterum, quo pacto, Primum declarat, inquiens: vt habitus quidam, nam vt habitus est principium agendi, efficiendi, & contemplandi, ita Mens agens est principium per quod intelligimus & est tamquam acies Animi; & quemadmodum habitus est actus primus, functio muneris, secundus, ita Mens agens, est actus primus; Explicans adhuc modum quo omnia faciat, non inquit vt Deus facit omnia, sed vt Lumen, quod modo aliquo facit potestate Colores, actu Colores, ait, (modo aliquo) quia modo eos deducit ex non esse absolutè, ad esse, sed ex eo quod videri nequeunt, reddit eos visibiles.

Diuisio.

Expos.

ANNO-

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, mira arte Aristotelē pro illustranda Mente Agente, tribus exemplis esse vsum, nimirum, Artis, Habitus, & Luminis: nam Mens agens ad tria refertur, & pro tribus requiritur; Primò, refertur ad officium intelligendi, & est vt Ars; Secundò, ad Mentem potestate, & est tanquam acies, & habitus eius; Tertiò, ad Obiectum, & Phantasma, & est ut Lumen, per quod Colores redduntur spiritales, & seiunguntur à materia, vt per Mentem agentem Vniuersalia eliciuntur ex Phantasmatibus includentibus materiatas conditiones. *Consid. 1. Cur Aristot. sit vsus tribus exemplis.*

Considero Secundò, iure quæri, cur mens agens potius dicatur similis Lumini, quam Soli. Respondet Simplicius, in Homine reperiri mentem participatam, & Animam rationalem, mens est ut Sol, Anima rationalis, est ut Lumen ex Sole prodiens; Differentiæ Mentis potestate, & agentis, pertinent ad Animam Rationalē, de qua loquitur Aristoteles, & est mens nō absolutè, sed Animaria, in se manens; Seruat morem suum Simplicius explicans Sentētias Peripateticas per Academica dogmata, at, aduersatur Aristoteli; inquiunt Academici, Hominem esse Animam Rationalem Mentis compotem corpore vtentem, ac ita Animam rationalem à Mente secernunt, Aristot. autem præter hanc Animæ particulam, cuius Agens est altera differentia, aliam Mentem non excogitauit; Propterea dicamus, Aristotelem sumpsisse Lumen, quia est id quod non longe ut Sol, sed proximè Colores illustrat; Quod si etiam ordinem Diuinorum consideramus, dicemus, Deum esse Solem, eius Sapientiam Lucem, Mentes Cęlorum radios, Mentem Humanam agentem esse Lumen. 2 *Cur Mes Agens dicatur similis Lumini. Mes Simplicij.*

Considero Tertiò, exemplum ex Lumine sumptum partim esse simile, partim dissimile; Simile quidem est Primò, quia cum Lumen, tum Mens agens operantur spiritaliter, & non pro esse absoluto, sed pro esse cognito; Insuper utrumque requiritur pro Obiecto, vt ex eo eliciatur forma noscenda; Præterea, ut Lumen est Primò uisibile, & per id alia, ita Mens agens ex se intelligibilis est, & per eam alia; Dissimilitudo autem est Primò, quia Lumen non iudicat, Mens iudicat; Secundo Lumen non est pars, & differentia Animæ, ut Mens agens. 3 *Similitudo mētis & Luminis. Dissimilitudo eorundem.*

Considero Quartò, quod Arist. in 1. de partibus Animalium, in 2. de Generat. Animal. cap. 3. & singulis alijs in locis in quibus de Hominis Mente facit mentionem, nunquam supra Sensum aliam præter vnam Mentis essentiam constituit, quam dicit extrinsecus accedere, separari, esse Diuinam, & propterea putare debemus mentis potestate, & agentis, esse essentiam esse unam, sola ratione distinctam, adeò, vt omne præseferens potentiam, pertineat ad mentem potestate, & præseferens actum & actionem, ad agentem, præsefert potentiam, Primò, quia est indifferens ad oppositā; Secundò, quia excitatur à Phantasmate; Tertiò, quia transit ex non operari ad operari; Quartò, quia fit omnia, & dicitur locus specierum; Ex aduerso dicitur agens, ut illustrat sua acie Obiectum, seiungit id à cōditionibus materiæ, illudque iudicat, & iudicando dirigit ad varia, quorum iudicium est Principium; In horum progressu antecedit passio illa per quam excitatur ab Obiecto, mediat actio quæ est iudicium, sequitur passio per quam fit omnia, nam fit intelligibile, & redditur locus eius, quia iudicat, quæ passio & actio cum in mente, tum in Sensu locum habent, nam de Sensu quoque apparuit passionem primam desinere in actionem, quæ actio iudicium est, & propterea vt datur Mens agens, & potestate, ita sensus, mens tamen agens magis refulget, quia secernit Vniuersale ex Singularibus; hinc Arist. colligebat in Anima eas differētias reperiri, non in sola mente. 4

Considero Quintò, quod cum huius particulæ Animæ duæ sint differentiæ, iure quæritur, dum describitur per quam earum rectius describatur: num per potētiam & passionem, uel potius per actionem, qua de re alibi latius verba feci, nunc breuibus dico; Si describitur Mens potestate, debet fieri per potentiam, si Agens per actum, & actionem, 5 *Mes per quid rectius describatur.*

nem, si iunctum ex vtrisque, debet fieri per utrumque; At si quæratur, quod eorum magis eius sit proprium? dicendum, si confertur cum superioribus mentibus, magis propria eius est passio, si cum inferioribus facultatibus quibus dominatur, magis propria est actio, si autem secundum se, sic passio est prior origine, actio verò perfectione. Considero Sextò, quod Auerroes ait cuncta quę de mente agente dicuntur ab Aristotele dici contra Platonem approbantem Ideas, quę si darentur, non requireretur mens agēs, ita enim rerū essentiæ ex se essent abiunctę, nec deberent per mentem agentem seiungi à materia & conditionibus indiuiduorum. At, errat proculdubio, nam mentes Cęlorum seiunctę sunt à materia, & tamen ut eas intelligamus, egemus mente agente, eas secernente ex Phantasmatibus operum earum, uel enim dentur Ideę, uel non dentur, semper est necesse ut intelligēda offerantur nobis per Phantasmata, elicere autem ex Phantasmatibus intelligibilia, officium est mentis agentis; Hinc nostri Theologi, quamuis Deo tribuant Ideas, ramē approbant mentem agentē; Similiter Simplicius, Plutarchus Lydus, Priscianus Lydus, & Themist. statuentes Ideas, dicunt mentem agentem esse necessariam, immò ei dicunt insitas esse rationes siue Ideas, & per eas aiunt illam fungi officio suo.

6 *Sententia Auerr.*

Euersio.

Cont. 19. *ET hæc Mens est separabilis immunis à mixtione, non apta pati, in Substantia, existens actio, semper enim precioſius est efficiens patiente, & Principium materia, idem est autem scientia actu, cum re ipsa.*

Intentio. ARISTOT. de Mente agente Tria declarare tenebatur, necessitatē, quid sit, & qualis; Patefecit Primò necessitatem; Secundò quid sit, per eius officium; Nunc Tertiò patefacit qualis sit; ex quo etiam distinctius patebit quid sit; Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima Philosophus menti agenti quatuor tribuit; In Altera ostendit Tria prima ei conuenire; Tribuit itaque ei Primò, quod sit apta separari; Secundò, vt sit immunis à mixtione; Tertiò, ut sit passionis expers; addit Quartò, vt sit sui essentia actio; Hoc Quartum elicitur ex Context. 17. in quo patefecit necessitatem eius, & in Contex. 18. dicebatur, quod facit potestate intelligibilia, actu intelligibilia, adeò, ut quemadmodum essentia mentis potestate, hæc dicebatur, vt potestate sit, ita natura, & conditio agentis est, ut agat, ac ita dicitur sui essentia, & conditione actio; ex quo Quartò elicitur in Secunda parte Ratio, ob quam ei tria prima relata competunt, & hunc in modum formatur; Prædicata præstantiam indicantia, si imperfectiori competunt, longe magis competunt perfectiori, sed ea tria prædicata indicant perfectionem, & competunt menti potestate, quare longe magis conuenient agenti præstantiori, præstantius enim est efficiens, patiente, & Principium, materia; Quod autem ea competant menti potestate, apparuit: nam in Contex. 7. dicebatur, separabilis, in 4. & 6. non mixta, & à passione immunis.

Diuisio.

Expoſit.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Arist. Menti agenti tribuit, ut sit sui essentia actio, quod non ita debet intelligi, ut dicimus de Deo, quod eius actio sit eius essentia, non enim actio mentis agentis, est essentia illius, ueluti, abstrahere & efficere actum intelligendi; Sed cum consideretur ut est differentia opposita potestati, ut in 5. Contextu dictum est, mentis potestate hanc esse conditionem, ut sit potestate, ita modo agenti tribuitur ut sui Natura, & conditione, sit

Quo mēs agens sit sui essētia actio.

sit actio, ueluti etiam dicebatur eius officium esse omnia facere, non quidem ut Deus qui absolutè facit omnia, sed ut opponitur patienti reddendo intelligibilia potestate, intelligibilia actu, ut Lumen Colores uisibiles. Considero Secundò, quod Arist. 2
ait semper præstantius esse efficiens, patiente, & Principium, materia, nomen Principij est commune omni causæ, præsertim tamen tribuitur efficienti, quia est absolutè principium unde motus, & principium vnde opus; hæc Regula non secus ac aliæ Regulæ vt uera sit, debet intelligi secundum se, & cum reduplicatione; fundamentum Regulæ est: quia actus præstat potentiæ, agens indicat actum, patiens uerò potentiã, sic sensibile vt agit, præstat sensui ut patitur; at, mox cum passio sensus definat in iudicium, & actionem præstantiorẽ, sensus præstat sensibili; Colligo itaque, agens principale non instrumentum, secundum se, & sua virtute non virtute alterius, agens totum non portio eius, semper ut agens, præstat patienti. Considero Tertiò, de mente 3
in dubium verti, quodnam sit præstantius, num mens, uel intelligibile; Ex una parte mens præstare videtur, quia est forma ex materia non pendens cuius Obiectum est essentia materiata, longe viliot; ex aduerso Intelligibile videtur præstare, quia mouet, format, & perficit, hinc Simplicius Plutarchus Lydus Iamblic. Plotinus, & Syrianus, intelligibili principatum tribuunt; Pro Solutione dico uel approbamus & sequimur Principia Academicorum, vel approbata ab Aristotele; Si ea Academicorum, ipsi nomine intelligibilium Ideas intelligunt, Menti insitas, ex sententia autem Aristotelis, intelligibile est duplex; Vnum absolutè, & actu, & sunt separatæ mentes; Alterum potestate, & sunt Essentiæ materiatæ, ut apparuit in præcedentibus.

Quãn agẽs præstet patienti.

An mens præstet intelligibili.

His assumptis, pro Resolutione dico, tres fieri posse comparationes; Primam, inter Mentem Hominis, & absolutè ac sui conditione intelligibilia. Alterã, quia absolutè intelligibilia etiam intelligunt; Quæritur, qua ratione præstent, num ut intelligunt, uel ut sunt intelligibilia; Tertiam inter humanam Mentem, & essentias materiatas, quæ sunt eius Obiectum; His assumptis, dico; Si fiat Prima, vel Secunda comparatio, intelligibile præstat: si uerò fiat Tertia comparatio, puto vtendum distinctione, nam uel considerantur pro esse absoluto, uel cum ratione intelligentis, & intelligibilis pro esse absoluto, proculdubio Mens præstat cunctis materiatis formis; At si id fiat cum aliqua reduplicatione, dico intelligibile uel refertur ad Mentem potestate, ut est potestate, & ita præfertur vt actus, finis, & perfectio eius, uel ad Mentem agentem, per quam cum sit intelligibile potestate, redditur intelligibile actu, ita mẽs præstat, nam propter quod unumquodque, & id magis est; Pertinentia ad Primam, & Secundam comparationem ex se conspicua sunt: nam in utrisque intelligibile seruat conditionem superioris, formantis, & perficientis; Hinc Arist. in 12. Metaph. Contextu ait: patet quod aliud aliquid præstantius esset quam Mens, id scilicet quod intelligitur, conspicuè Arist. principatum tribuit intelligibilia; Simplicius in hoc 3. de Anima, tribus rationibus nititur ostendere, Intelligibile præstare Menti, quas silentio prætereo. Considero Quartò, cum Arist. ostenderit ea tria prædicata competentia Menti potestate, etiam competere agenti, quia est præstantior, ea ratio ostendit quidem Mẽtem agentem non esse mixtam cum materia, at non quod non sit mixta cum Obiecto, quia hoc non uidetur indicare perfectionem; Hinc dubitatur, cur nõ ostenderit etiam non esse mixtam cum Obiecto; & confirmatur dubitatio: quia putantes Menti insita esse intelligibilia, ut Themistius, & Simplicius, ea tribuebant agenti; Respondeo Primò, cum Obiectum sit Essentia materiata, ostenso non esse mixtam cum Subiecto, etiam ostensum est non esse mixtam cum Obiecto; Addo Secundò, quod Arist. supponit Essentiam utriusque esse eandem, ideo de utraq; dixit non pati, non esse mixtam, & esse separabilem, & solum distingui, ut Vna dicitur nata omnia fieri; Altera omnia facere; Tertiò iam Arist. modum quo omnia facit patefecit per Lumen, quod Coloribus non formam tribuit, sed splendorem ut fulgeant, nam agens non tenetur includere formam in patiente recipiendam, sed facultatem

Resolut.

Cur Arist. non ostẽderit Mentem agentẽ nõ mixtã cũ Obiecto.

educendi & producendi eam, alioquin scientia esset reminiscentia. Considero Quinto, ex præsenti Contex. lucidè elici Mentem potestate immunem esse ab interitu, & hæc formatur Ratio; Ea prædicata, quæ sunt communia utrique Menti, & de agente denotant esse immortale, idipsum debēt indicare de Mente potestate, sed ea tria prædicata, non mixtum separabile, & immune à passione, Arist. ait communia utrique Menti, & omnes fatentur de Agente indicare esse immortalem, quare idipsum indicant de altera; nec putare valemus eis competere indistincta significatione, quia (vt patuit) Arist. ostendit competere agenti, quia competunt Menti potestate, qua est præstantior, alioquin ratio includeret fallaciam æquiuocationis.

5 *Pro Mentis immortalitate.*

Cont. 20.

IDEM est autem scientia actu, cum re ipsa, quæ verò potestate, tempore prior in uno, omnino autem neque tempore, sed non quandoque quidem intelligit, quandoque non intelligit; Separatus autem est solum hoc quod est, & hoc solum immortale, & æternum, non recordamur autem, quoniã hoc quidem à passione est immune, Mens autem qua pati nata est, interitui est obnoxia, & sine hac nil intelligit.

Intentio.

HIC contextus est tanquam summa eorum quæ de Humana Mente hactenus dicta sunt, & ea quidem satis obscura, quæ cum vario modo exponatur, referam ego expositionem, quam iudico veriorem; Cum Philosophus distinctè egisset de Mente potestate, & actu, & per mutuam comparationem vtramque declarasset, consilium eius modo est de aggregato, & fundamento vtriusque verba facere, patefaciendo, quomodo se habet ad cognitionem, & æternitatem; Orditur autem à relatione eius ad cognitionem, tanquam à notiore, & vt pateat id quod dixerat, quod est eius substantia actio; Diuiditur contextus in Quinque partes, tanquam in quinque assertiones, & Conclusiones, quæ singulatim patebunt; Prima est; Scientia actu est eadem cum re; Hæc Sententia eisdem verbis repetitur in Cont. 27. & est similis ei, quæ profertur in 2. Physic. dum dicitur, quod causa actu, & effectus actu, sunt simul, & in 2. de Anima 143. de sensu dicitur, quod sonus & auditus sunt vt vnum, & sunt vt non vnum; sic itaque Scientia actu, & Scibile actu, idem sunt, & simul, quatenus idem est actus vtriusque, sola ratione distinctus, & præsertim, quia Scientia est ipsummet scibile per imitationem, & repræsentationem; Quæ verò potestate tempore prior in vno; omnino autem neque tempore, &c. Hæc est Secunda pars, & assertio, in qua est sermo de Scientia potestate, quæ ad Duo potest referri; Vel ad definitum Indiuiduum; Vel ad vniuersam speciem; dum ad Primum refertur, Scientia potestate, est tempore prior: nam in singulis addiscentibus consideratur, progressus ex potentia ad actum, & cum hoc dicatur, simul indicatur quod Scientia potestate, non est eadem cum re, nam si non sunt simul, non valet esse idem; Dum verò Scientia refertur ad Humanam speciem, sic, quæ est potestate, non est tempore prior, immò absolutè actus dicitur esse prior, & hoc explicatur in Contex. 27. dum dicitur: Sunt enim ex actu existente omnia quæ fiunt; Similiter in 9. Metaphysicæ ostenditur quod in eodem potentia est prior, absolutè autem prior est actus, quia ex actu pendent omnia; & dum Scientia in discipulo est potestate, in docente est actu; Et non quandoque intelligit, quandoque non, &c. Hæc est pars Tertia, & est approbatio secundæ: nam dicebatur, quod dum Scientia potestate refertur ad speciem, non est tempore prior, nam, in vniuersa specie Mens sumpta pro aggregato, & toto includente vtranque differentiam,

Diuisio. Expos.

non

non aliquando intelligit, aliquando non, sed continenter, & semper si non actu, saltem habitu, si non omnia, saltem quædam, si non secundum Speciem, saltem secundũ Genus, si non distinctè, saltem confusè; Sic Scientia relata ad Speciem, est eius magis propria, quia competit semper, & est eius perfectio, relata ad Individua, magis propria est ignorantia; Separata autem est solum hoc quod est, & hoc solum æternũ, & immortale, &c. Hæc est pars Quarta, in qua cum indicasset attinentia ad officia, variari, incipere in Individuis, & desinere, & ob id ea officia, veluti intelligere, non esse Essentiam Mentis, manifestat solam absolutam eius essentiam ex materia non pendentem æternam esse, & immortalem, quasi dicat variantur habitus, pereunt officia, permutantur relationes; At, dum secundum se consideratur, vt separata, & ex materia non pendens, sic solum est id, quod uerè est, & ea dicitur absoluta eius conditio & essentia, secundum quam solam immortalis est, & ita immortalis, ut sit æterna; Et cum dicatur hoc solum, non denotatur sola Mens potestate, uel sola agens, sed fundamentum utriusque: nam de utraque dictum est, quod sit separabilis; Non recordamur autem, quoniam hoc quidem à passione est immune, Mens autem quæ pati nata est interitui est obnoxia, & sine hac nihil intelligit, &c. Hæc est pars Quinta, in qua soluitur tacita Dubitatio, ex cuius solutione patet, quid seruetur, & quid non; Posset quis quærere, cum essentia Mentis fundamentum utriusque differentiæ, sit æternum, & immortale, num Scientia nostra sit reminiscentia, uel ne? Sermo est non de sola Mente agente, nec de sola Mente potestate, sed de congregato ex utrisque, per quod ut per integrum principium intelligimus; Verba leguntur in uetustioribus codicibus, non recordatur, referendo ea ad id quod est, in alijs uerò, non recordamur, cum relatione ad nos, ut ad integrum intelligens; Prior lectio uidetur uerior: quia Aristot. in hoc 3. libro, semper retulit intelligere uel ad Mentem, uel ad Animam, nunquam ad nos; at, quomodo intelligi debet dubitatio? D. Thom. ait: Cur post hanc uitam? non recordamur; At, Aristot. alium statum non nouit, nec scimus cum non simus experti an tunc recordemur. Simplicius ait: Cur Mens non recordetur eorum, quæ nouerat ante nostrum ortum; Puto ego, cum Aristot. loquatur absolutè, etiam absolutè debere id intelligi, adeò ut Dubitatio sit, num Mens, uel eorum quæ prius nouerat, uel eorum quę in nobis addiscit post nostrum obitum reminiscatur, uel ne; & hoc profert aduersus Platonem, qui Mentem utrorunque recordari affirmabat; Rationem autem suę Sententia afferens, inquit: Quoniam hoc quidem à passione est immune, hoc inquam quod est fundamentum utriusque differentiæ, de quo dictum est, separatum est id quod est, & de quo etiam ratione utriusque differentię dictum est, esse immune à passione, & ob id in eo nil ut in Subiecto recipitur, nec ad id Memoria pertinet, Passiua autem Mens hoc est Phantasia, quæ in Contex. 155. nuncupata est Mens, similiter in progressu, Contex. 48. nomine Mentis denotatur, ad quam cum sit facultas sensitiua, ualet peruenire passio, ut dicitur in 7. Physic. Hæc inquam Mens passiua interit, sine qua uel Anima, uel Mens coniuncta nihil intelligit, & cum dicat, sine qua, indicat non esse principale principium intelligendi, sed id sine quo principium principale quod est Mens potestate, & agens, nihil intelligit, dum corpori vnita est.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, cum Arist. dicat idem est scientia actu cum re, nonnullos putare eam Scientiam denotari, per quam Mens agens se per essentiam intelligit; At conspicuè falluntur: nam de ea scientia loquitur, quę in nobis acquiritur, & ex potestate ad actum redigitur, ut patet ex Contex. 27. Insuper conspicuè statim additur: Quæ uerò potestate, &c. Indicans se denotare eam Scientiam actu, quæ prius erat potestate; *Consid. 1.* *Quæ scientia actu sit eadem cum re.*

Insuper, de ea Scientia loquitur, quę ad Memoriam pertinet, de qua dicet: non recor-
2 datur, &c. Considero Secundò, cum Aristot. solam Mentis essentiam statuat immor-
Qualis sit Mens habitu. talem, ut pertinet ad uitam eius, æternam uerò, ut pertinet ad essentiam, ex hoc pate re, quid sit dicendum de Mente habitu prędita: nam ea ut prędita habitu, siue sciendi, siue agendi, siue efficiendi, in singulis Hominibus quibus competit, ut incipit, ita desinit, quia omnis habitus, ut est cum cognitione, pendet ex Phantasia, ut seruatur, pertinet ad memoriam iunctam Phantasiæ, & propterea pereunte Phantasia, pereũt omnes habitus, solum Mens Habitu dicitur ęterna secundum speciem, quod denora-
3 tur, dum dicitur: non aliquando intelligit, aliquando non. Considero Tertiò, Sententiam esse Platonis in Philebo, quod dum rei naturam, & conditionem cupimus inspicere, tenemur eam nudare quouis alio ei superaddito; hoc seruat Arist. inquiẽs: Separata est solum hoc quod est, ac ita patet quid sit, nam esset essentia separata, & non pendens ex materia, ac ita est ex genere intelligibilium, quæ etiam intelligunt, qua consideratione nullam includit ex eis varietatibus & differentijs, quæ ei competunt vt est particula Animæ, & fungitur officio mortali, quid verò sit hæc separata essentia, non declaratur, quia sic non pertinet ad Physicum, vt patet ex 1. de partibus Animalium, ualęt quidem resoluere Physicus usque ad separatas formas, vt patet ex 8. Physic. & ex hoc Contex. at, deinde distinctè eas explicare non eius est officium,
Vbi explicetur absoluta Mẽtis essentia. vt sæpè docet Aristoteles; Et si quis quærat, vbi Aristoteles declarauerit attinentia ad absolutam Mentis Humanæ essentiam; Respondeo, ea quæ sunt illius propria, vt est particula Animæ, patere ex hoc libro, quæ uerò sunt ei communia cũ Cælorum Mentibus, refulgent ex declaratis in 12. Metaphys. in quo libro etiam
4 frequenter fit mentio de Humana Mente. Considero Quartò, quod Aristot. declarans quale sit hoc separatum, ait esse immortale, & æternum, & quia non patitur, & nil recipit ut Subiectum, sed solum iudicat seruata per memoriam Phantasiæ iunctã,
Dubitat. Solutio. ideo ait: quod non recordatur; At, dicet aliquis, vnde sciebat Aristot. quod Mens post obitum Hominis non recordatur? Respondeo, id primo elicere ex Ratione, quia nil intelligit sine Phantasia; Secundò, quia memoria recipiens vt Subiectum, & seruans, non ad Mentem, sed ad Phantasiam pertinet, ut patet ex libro de Memoria, & cum Aristot. Mentem dicat immortalem, & æternam, patet ex 1. de Cęlo quale sit æternum, & quod nil est æternum ex una parte, quin etiam sit ex altera, secundum Arist. sententiam, nam (vt sæpè dixi) Aristot. lumine Fidei destitutus, valuit Lumine Naturæ veri aliquid inspicere, absolutam autem veritatem noscere non valuit; Propterea, nos Lumine Fidei illustrati, tenemur verum elicere, idque pro facultate à mendacio expurgare, gratiasque referre Deo, qui nostram mentem illustrare dignatus est; nos
5 ergo dicimus mentem esse immortalem, & æternam à parte post. Considero Quin-
Quę sit mens passiua. Alexand. tò, cum Arist. dicat, Mentem passiuam esse corruptibilem, Alexand. censuit denotari mentem potestate, quam censuit mentem propriam Hominis, & id quod solum dixit immortale, & æternum, censuit esse mentem agentem, quam putauit esse Deum; Quæ Sententia longè abest à uerò, tum, quia mens potestate sæpè dicta est immunis à passione, ac ita secum pugnaret, tum insuper, quia ea dicta est principium principale, quo Anima intelligit, non id sine quo non intelligit, nam id sine quo non, præsupponit principium principale; Præterea cum iam de possibili dixerit, quod est separabilis, quomodo nunc posset dicere quod est mortalis; Præterea, quam longè à vero absit, mentem agentem esse Deum, conspicuè patefeci in libris de Humana mente; Insuper, tunc Dubitatio, num recordemur, euaneſceret, & inaniter proponeretur; Si enim sola mens agens est æterna, & ea est Deus, non autem principium quo intelligimus, sed tale principium est mortale, euanescit penitus occasio dubitandi, an recordemur, ut non ambigimus num recordentur ferę & pecudes; Colligamus itaque mentem passiuam esse Phantasiam, ad quam cum sit internus Sensus, perueniunt passiones, quam alibi quoque (vt dixi) nomine mentis denotauit, & de qua sæpè affirmat
Colligitur sententia propria.

sine

fine eà mentem nil intelligere; Pro cuius conſpicua confirmatione perpendi debent ea quæ enunciantur in primo de Anima, 66. quo loci inquit Ariſtot. & ipſum ſane intelligere, & ipſum ſpeculari tabeſcit, alio quodam intus corrupto; ipſum autem impaſſibile eſt, ipſum autem cogitare, amare, aut odiſſe, non ſunt illius paſſiones, ſed habentis illud, quatenus illud habet, quare, & hoc corrupto, nec meminit, nec amat, nec enim illius erat, ſed communis quod deperditum eſt; Mens autem fortaſsè diuinius quid, & impaſſibile eſt, &c. Conſpicuè Ariſtot. mentem ſtatuit à paſſione immunem, & ait intelligere marceſcere, non corrupta Mente, ſed quodam interius, hoc eſt Phantaſia, & quemadmodum eo loci non Deum, ſed Humanam Mentem ſtatuit immortalem, ita hoc in loco qui ei conſpicuè reſpondet, ut rectè conſiderauit Themiſtius, putandum eſt id quod ſolum in Homine ſtatuit æternum & immortale, eſſe Mentem Hominis, non Deum, mentem autem paſſiuam eſſe Phantaſiam, quæ eſt facultas ſuprema attinentium ad Senſum internum, ex cuius varietate, & conſtitutione, prodeunt uarietates ingeniorum, & diſpoſitionum attinentium ad propenſiones varias hominum, ea enim famulatur menti, & eſt principium proximum tranſmutationum Corporis. Conſidero demum, quod nomen mentis de multis dicitur: nonnunquã vſurpatur pro Phantaſia, vt in 2. de Anima, Contex. 55. in 3. Contex. 48. & hoc in loco; Nonnunquam ut contradiſtinguitur a Senſu interno, & tunc uel vſurpatur pro principali habitu, qui eſt cognitio principiorum, ſic mens numeratur inter quinque habitus ad rationem attinentes; Vel vſurpatur pro facultate, & eſſentia, & hæc, vel eſt eſſentia abſoluta eius, de qua ait Ariſtot. Separata eſt id quod eſt, & hoc ſolum æternum & immortale; Vel ſunt differentiæ attinentes ad eam, vt eſt particula Animæ, quæ duæ ſunt, mens poteſtate, & mens agens; Vel eſt ipſamet mens, ut per uarios habitus dirigit ad uarios fines, & hinc prodeunt mens inſpectrix, mens agens, & mẽs efficiens; Vel conſideratur ut Ratiocinatur, & dicitur mens Ratiocinatrix & Dianoetica, quæ ut ſcientiam parit, dicitur mens ſcientialis, vt progreditur per probabilia, dicitur opinatrix, ut per apparentia, dicitur Sophiſtica; Inſuper, dum mens poteſtate aſſequuta eſt ſuam poſtremam perfectionem, & abſolutè per agentem formata eſt, ab Auerr. dicitur mens adepta, hoc eſt, mens completa, perfecta, & ſua poſtrema perfectione prædita; Ex Sententia autem Academicorum, cui adhæret Simplicius, mens eſt duplex; Vna verè mens; Altera, mens Animaria; Mẽs propriè ſumpta, eſt duplex; Vel non participata, & Prima; Vel participata, qua Animæ participare dicuntur: Mens autem Animaria, de qua Simplicius putat Ariſtot. in hoc libro loqui, eſt Anima ex ſe particeps Rationis; quæ eſt duplex; Vel in ſe manens, quæ iudicatur mens agẽs; Vel progreſſa, conſtituens mentem poteſtate; & hæc eſt duplex; vel imperfecta, ut in Pueris, uel perfecta, ut in Viro ſapiente, & dicitur perfici per reditum ad ſe ipſam, in ſe manentem, cui inſitæ ſunt rationes Ideis abſolutæ mentis reſpondentes, munere quarum intelligit, & perficitur. Dubia principalia attinentia ad Humanam Mentem, exactè ſunt diſcuſſa in Libris de Humana mente, propterea hoc in loco ea ſilentio prætereo.

Verba primi de Anima 66.

Nomen Mẽtis de multis dicitur.

Sententia Simplicij.

INTELLECTIO igitur indiuiſibilium, eorum eſt, circa quæ non eſt falſum, in quibus autem falſum & verum eſt, compoſitio quædam eſt intellectionum, tanquam quæ vnum exiſtunt, veluti Empedocles dixit, certè multorum capita abſque ceruicibus germinarunt, mox compoſita fuere amicitia, ita, & hæc ſeparata componuntur vt incommenſurabile, & Diameter.

Cont. 21.

IN

Intentio. IN Proœmio duo proposuit de Mente declaranda, nimirum differentias, & modum intelligendi, absolura explicatione primi, de altero sibi modo agendum proponit; Dum Philosophus loquebatur de differentijs, vtebatur pro via, & Methodo noscendi eas, nonnullis satis conspicuis attinentibus ad Obiectum, & actiones; At, modo, pro ordine, & distincta cognitione, explicat latentiores functiones munerum Mentis, & quoniam cognitio antecedit actionem, ideo primo de Mentis cognitione verba facit, in qua Tria considerantur; Primò, Apprehensio simplicium rerum; Secundò, Compositio; Tertiò, Ratiocinatio. *Diuisio.* Diuiditur præsens Contex. in Duas partes; In Prima, sermo est de prima & se- *Exposit.* cunda actione; In Altera, id quod dicitur explicatur exemplo; Inquit in Prima parte, intellectio & apprehensio indiuisibilium, hoc est simplicium rerum, & terminorum, est eorum circa quæ non est falsum, & hæc dicitur prima operatio mentis; In quibus autem locum habent, falsum & verum, sunt compositio quædam intellectionum per quam simplicia componuntur, in qua compositione veluti in enunciatione, verum & falsum refulgent, in ea enim distincta simplicia, vel rectè, vel perperam nectuntur, ac ita vel vera, vel falsa dicitur. Veluti Empedocles, &c. In hac Secunda parte relatam Sententiam illustrat Primò exemplo Physico, sumpto ex rerum ortu, secundum opinionem Empedoclis; Mox exemplo Geometrico; Censuit Empedocles cuncta gigni cæco Casu, & fortè fortuna necti, quæ compositio distinctorum membrorum, vel recta erat, vel non recta: distincta productio membrorum respondet simplici apprehensioni Mentis, connexio eorum vel recta, uel non recta, respondet compositioni Mentis veræ, & falsæ, vt incommensurabile, & Diameter, hoc est exemplum Geometricum, Geometer seorsum nosci Diametrum Quadrati, & commensurabile, in quibus nec uerum, nec falsum locum habent, mox si commensurabile lateris quadrati cõponit cum diametro, compositionem reddit falsam, & eorum conditioni aduersam.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, cum Aristot. dicat: Intellectio indiuisibilium; nomine indiuisibilium, non denotat vel indiuisibilia Mathematica, ut Puncta, & Vnitates; nec indiuisibilia Diuina, quales sunt separatæ mentes; & longè minus Ideas mentis, & Rationes Animæ, more Academicorum, quas cònspicuè renuit; nec simplicia principia, ut materiam primam, & formam, sed vniuersè distinctas Naturas, & conditiones rerum, quæ seorsum mente apprehenduntur, mox cum affirmatione, & negatione nectuntur, & hæc indiuisibilia esse possunt cum Substantiæ, tum Accidentia, & intelligibilia cum ex Accidenti, tum secundum se, præsertim tamen ea denotantur, quæ primò, & secundùm se, apta sunt intelligi, & sub Obiecto mentis continentur. Considero Secundò, quod Aristoteles loquens de simplicium apprehensione, ait in eis non esse falsum; At, videtur secum pugnare, quia in secundo de Anima 63. ait sensum qui solum simplicia apprehendit, in iudicando proprio Obiecto semper esse verum, in alijs, decipi, deceptio autem est falsitas; Præterea ait in eis non esse falsum, de uero autem non facit mentionem, cum tamen verum & falsum versentur in eodem. Insuper secunda operatio Mentis dicitur compositio, negatio pertinet ad secundam operationem Mentis, quare erit compositio; Oppositum dicitur in lib. de Interpretatione, in qua dicitur diuisio Prædicati à Subiecto. Pro Solutione accipio verum & falsum esse duplex; vnum apprehensionis Obiecti; Alterum enunciationis; Sensui & primæ operationi Mentis competit Primum, non Alterum; Quærebatur Secundò, cur Arist. inquit in prima operatione Mentis non reperiri falsum, non ita ait, non reperiri verũ? Solutio elicitur ex ipsomet Arist. 9. Metaphys. 22. dicente: Verum autem intelligere

Quid per indiuisibile denotetur.

Quo falsum competat apprehensioni simplicium.

Solutio.

ipsa,

ipſa, falſum verò non eſt, nec deceptio, ſed ignorantia, non qualis cæcitas, &c. Cõcedit Ariſt. apprehenſioni ſimplicium veritatem, in eorum æquatione poſitam, ſolum negat falſum, nam ſi Mens attingit Obiectum, dicitur vera, ſi non attingit, dicetur non intelligere, & erit ignorantia negationis, & non dicetur falſa, niſi adſit, compoſitio aliqua, & eſt ignorantia prauę diſpoſitionis, vt dicens non Hominem, Hominẽ. *Dubitat.* At inſtare quis poſſet, quia idipſum poterimus dicere de Senſu, cum tamen nedum dicatur uerus, ſed etiam falſus; *Solutio.* Dicendum quod omnis facultas noſcens ut non attingit, non dicitur falſa, ſed ignara, ut unũ ei offertur ſub ſpecie alterius, ſic dicitur falſa, non pro falſo enunciationis, ſed æquationis, & Ariſt. per falſum etiam denotauit verum, præſertim tamen de falſo fecit mentionem, quia minus propriè ei competit; Dubitabatur Tertiò, quia negatio eſt diuiſio, non compoſitio; Reſpondeo, negatio ad duo refertur; uel ad affirmationem, & dicitur diuiſio Prædicati à Subiecto, vel ad appræhenſionem ſimplicium, ac ita eſt compoſitio. Conſidero Tertiò, quod Ariſt. 3 compoſitionem Mentis explicat exemplo Phyſico, ſumpto ex opinione Empedoclis, & Mathematico: non utitur exemplo Diuino, quia in Diuinis minus propriè reperitur compoſitio; Inſuper cum duobus utatur exemplis; Vnum pertinet ad cõpoſitionem Subſtantiæ cum Subſtantia; Alterum Accidentis cum Accidente, per quæ denotatur compoſitio Tertia, quæ eſt Accidentis cum Subſtantia, & ex his Ariſtot. exempla ſumpſit, non ex Diuinis, quia hæc cõtinentur ſub Obiecto Mẽtis, quod eſt Eſſentia Materiata, non autem Diuina; Inſuper, vſus eſt his exemplis & præſertim eo Empedoclis, ut per denotata patefaciat ſigna denotantia, & quemadmodum compoſitio excogitata ab Empedocle erat recta, & non recta, ita compoſitio à Mente facta, quæ eſt ſignum compoſitionis rerum.

SI autem factorum & futurorum, tempus unà intelligit, & componit; Falſum enim in compoſitione ſemper, nam ſi ipſum album, dicit non album, ipſum non album compoſuit. Contingit autem & diuiſionem dicere omnia; Propterea eſt nõ ſolum falſum, & verum, quod albus Cleon eſt, ſed & quod erat, aut erit, quod verò unum facit vnumquodque Mens eſt. *Cont. 22.*

SERMO erat de Mentis operibus, quæ Tria dicebantur, nimirum, Apprehenſio ſimpliciũ; Compoſitio eorum; & Diſcurſus; Compoſitio eſt duplex; Vel rei cum re, de qua in præcedente Contex. verba fecimus; Vel rei cũ tempore, de qua modo eſt ſermo; Diuiditur præſens Contex. in Quatuor partes; Inquit in Prima parte: Si Mens de qua erat ſermo, fuerit factorum & futurorum, hoc eſt de ſubiectis tẽpori, cum relatione ad tempus, tunc vnà cum rebus intelligit tempus, & id vnà cum eis componit, nam falſum in compoſitione ſemper reperitur, non autem ſine ea, uerum autem (ut patuit) magis in ſimplicibus locum habet, quam falſum; ex quo elicitur hæc Ratio; Ei competit compoſitio, ex quo prodit falſum, at, hoc prodire poteſt ex tempore, quare etiam cum tempore eſt compoſitio; Maior patet: quia falſum ſolum in compoſitione reſulget, ut ſi Cygnum dixero non album, hæc eſt falſa, &. eſt compoſitio, quamuis cum ſit negatio, minus quam affirmatio, videatur eſſe compoſitio. In Secunda parte inquit Philoſophus, licere omnia dicere diuiſionem: nã dixerat negationem eſſe compoſitionem, quam tamen in lib. de Interpretatione ait eſſe diuiſionem & propterea videtur ſecum pugnare; Ideo ſoluens, ait ea non pugnare: quia diſtincta ratione uaria dicere ualemus: nam negatio relata ad apprehenſionẽ ſimplicium eſt Compoſitio, relata ad compoſitionem cum Subiecto, eſt diuiſio: nunc, autem *Intentio.* *Diuiſio.* *Expoſit.*

Quo omnis oratio sit Diuisio.

autem Tertiò addit omnem orationem esse diuisionem, quòd verum est Primò quia oratio in Prædicamento Quantitatis dicta est discreta, Quantitas autem discreta ex partibus communi termino non compulatis cõstat; Secũdo quia non componuntur, nisi ea quæ ex se distincta fuerint & primò distinctè apprehensa; Propterea est non solum falsum & uerum, &c. In hac Tertia parte manifestatur verum & falsum, nè dum refulgere in compositione rei cum re, sed etiam rei cum tempore; Demum manifestatur quodnam sit id quod componit, id autem est Mens, cuius ea tria dicuntur esse officia.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

CONSIDERO Primò, quod compositio potest esse vel rei cum re, vt Coruus niger, vel rei cum tempore, vt Eclipsis Solis erit cras, vel rei cum re, & tempore, vt Petrus cras erit Rex; temporis compositio cum tempore non datur, nisi tempus seruet conditionem rei, vt si dixero Mentis non est annus; Ratio est: quia in connexione cum tempore, tempus non seruat conditionem partis principalis, constituentis enunciationem, sed copulæ & conditionem eius quod consignificatur & in quo principales partes ineluduntur; hinc Aristot. vtitur hoc loqueri di modo; Si autem factorum, & futurorum tempus vna intelligit, adeo ut tempus intelligatur vnà cum partibus principalioribus, quę sunt Subiectum & Prædicatum, sic uerba non significant tempus, sed consignificant, ut dicitur in lib. de Interpretatione. Consideró Secundò, quod Aristot. inquit falsum semper esse in compositione, adeò, vt non reperiatur falsum sine compositione, & hoc non ita dicit de uero, ob id quod in præcedente Contex. dictum est; Insuper, non in omni compositione locum habet uerum & falsum, sed in ea quæ formatur in modo indicatiuo, & dicitur Enunciatio, Propositio, Conclusio: Assumptum, & Consequens; Insuper id uerum & falsum, uel est definitum, uel indefinitum, ut euenit de futuris particularibus contingentibus; Præterea, uerum & falsum ut apparent in compositione rei, cum re, ita rei cum tempore, & potest enunciatio esse falsa, uel ratione rei, ut coruus est albus uel ratione temporis, ut Luna eclipsabitur cras, & Plato cras morietur; uel ratione utriũsque, ut Socrates uolabit cras; Præterea, cum uerum & falsum in compositione refulgeant, ea ueritas & falsitas in recta uel non recta compositione posita est, quæ cum constituatur per copulam quæ est uerbum Substantiuum, penes quod attenditur affirmatio, & negatio, ideo ex eo pendet ueritas uel falsitas: nam si nectenda nectit, & seiungit seiungenda, enunciatio dicitur uera, contra uerò falsa. Consideró Tertiò in dubium uerti posse, num detur compositio sine tempore, id enim non uidetur posse fieri, quia compositio expostcit copulam, copula est uerbum, omne autem uerbum consignificat tempus; Pro Solutione dico, compositionem esse duplicem, unam sine uerbo, ut Mel dulce, Nix alba; Alterum cum uerbo, ea quæ est sine uerbo, est intimior, & consideratur utrunque tanquam unum, ut Agnus videt Lupum vt aduersum, hinc dicitur in 1. Physic. 26. quod Lycophron uolens seruare id quod est esse unum, abiecit uerbum substantiuum, ne appareret distinctio Prædicati à Subiecto; Compositio autem cum uerbo consignificante tempus, uel est cum eo ex Accidenti, uel secundum se, ex Accidenti; ut si dixero Homerus est Poeta, illud esse dicitur de Homero, non quod absolutè sit, sed quod sit Poeta, ut docet Aristot. in lib. de Interpretatione, & propterea ea solum est compositio rei cum re, non autem cum tempore; ut autem sit compositio cum tempore, oportet ut seorsum de tempore fiat mentio, ut dicendo, Plato cras curret, compositio rei cum re fieri potest modo aliquo per Phantasiam, at cum tempore & distinctè non fit sine ratione, tempus enim sine ratione non potest distinctè nosci, cum sit numerus, & Mens sola ualeat numerare; Consideró

Quartò,

Cur tempus nõ dicatur cõponi cum tempore.

2

Verũ & falsũ uersatur i triplici compositione.

3

An detur compositio sine tẽpore.

Lycophron.

Quartò, quæri posse num Definitio dicatur Compositio, uel simplex intellgibile? uidetur Compositio, cum constet ex multis vocibus, videtur simplex intelligibile, cum sit id quod res est, & essentia vna, de qua inquit Aristot. in 1. Poster. quod non dicit esse, vel non esse. Soluitur: vel consideratur modus denotandi; vel res quæ denotatur, modus denotandi est cum compositione, res autem denotata simplex est, ac ita partim respondet primæ, partim secundæ actioni Mentis; Quinto loco Considero, quod Aristot. ait Mentem esse eam quæ componit, nomine Mentis intelligere debemus, id, quod Mentem potestate & agentem includit, unà enim conspirant ad id munus obeundum, præsertim tamen, id tribuendum est agenti, quia componere non est pati, sed agere, ideo Aristot. inquit, quod unum facit Mens est; At quæritur, num etiã Phantasia ualeat componere, apparet enim eam quoque, non autem solam Mentem componere, quod ex eo patet, quia est principium per quod iumenta, & feræ uitant aduersa, & prosequuntur vtilia, quod non eueniret, nisi Agnus Lupum cum inimicitia necteret, & Carnis Leporem cum iucundo & vtili, & nedum uidetur rem cum re componere, sed etiam cum tempore, nam formica pro futura hyeme colligit grana; Gallus horis definitis canit, & Grues adueniente Hyeme regiones mutant, quod non facerent, nisi res una cum tempore necterent; Pro Solutione dico, Naturam per gradus eleuari, & ex infimo per definita media ad superiores ascendere; Vis nutriens non iudicat, Sensus externi iudicant, sed non componunt; similiter sensus communis, Phantasia confusè componit res cum rebus, & adhuc confusius cum tempore, Mens Hominis distinctè componit cum utrisque; si mox supra eam eleuamur, Mentes Cælorum simplicissimè, & eminenter, & consimilia, & dissimilia apprehendunt. Et si quis instet de Sensibus qui & se sentire, & differentias inter sensibilia noscunt, quod non videtur posse fieri sine compositione; Respondeo potius noscere differentia, & similia, quam differentias, & similitudines; distinctè autem deinde Homo instrumento Sensuum, munere Mentis componens, inquit album non esse nigrum, & hoc non esse calidum; Similiter etiam eadem actione qua Sensus iudicat Obiectum, nouit se sentire, quæ duo mox ratione nectuntur, per quam dicimus, nosco me sentire. Phantasia autem consideratur dupliciter; vel ut communis ferisvel ut in Homine formata, & directa ratione; Prima consideratione confusissimè componit, & potius apprehendit iucunda, & molesta, ut unum quoddam, quam distinctè ea componat; Insuper, magis res cum rebus componit, quam cum tempore, hinc pueri ante usum rationis solum simplicia proferunt, & prius nomina, quam uerba indicantia tempus, & noscentes Obiectum cum ratione unius iucundi, uel molesti, per instinctum naturæ id nituntur assequi, uel uitare; Instabatur, quia Formicæ pro futura Hyeme colligunt grana, Respondeo, Formicas, & Grues, non prænoscere futura, sed per ea quæ præsentia sunt, dirigente instinctu Naturæ, excitantur ad uaria efficienda; At, si Phantasia considerat ut iuncta cum usu Rationis, quo dirigitur & formatur, ut patebit in Cont. 57. sic distinctius singularia componit, & diuidit. Iure itaque Aristot. officium componendi tribuit Menti, cum ea sola distinctè & res & tempora componere ualeat, sic præstat inferioribus facultatibus, cedit autem (vt dixi) superis Mentibus; Ea ut apprehendit simplicia, dicitur νοῦς hoc est Mens; ut Componit, dicitur Dianoia; ut Ratiocinatur, dicitur Dianoetica, quamuis nomen Mentis extendatur etiam ad hæc omnia; Considero Sextò, cum Mens componens constituat affirmationes & negationes, iure in dubium uerti posse, quodnam horum prius sit apta formare; Nonnulli aiunt negationem, quia prius res apprehendimus ut distinctas, mox connectimus, distinctio autem pertinet ad negationem; Confirmatur: quia facilius est noscere quid res non sit, quam quid sit; quid autem res non sit, per negationem indicatur; Similiter, facilius est noscere ea quibus res differunt, quam eis communia, differentiæ enim sunt plures, & dissimilitudo magis mouet, Sensum; Præterea, ut res se habent ad esse, ita ad cognitionem, res autem transeunt ex non esse, ad esse; Demum,

4 *An Definitio sit Compositio, Solutio.*

5 *An sola Mens cõponat.*

Solutio.

Solumtur Instãtia.

6 *Nũ affirmatio sit prior negatione.*

negatio

negatio est similior primæ actioni quæ est simplicium separata apprehensio; Ex aduerso affirmatio uidetur prior, quia est Simplicior; Insuper, quia negatio videtur supponere affirmationem, nam est euersio eius, ideo inquit Aristot. in lib. de Interpretatione idipsum oportet negationem negare, quod affirmauerit affirmatio. Similiter ait, est autem una prima oratio affirmatio, deinde negatio. Confirmatur: quia Mens ea Primò est nata enunciare, quæ eam mouent, eam Primò mouent quæ sunt, ea autem affirmatione enunciantur; Tertiò, neutra earum videtur prior, quia sunt proximę species enunciationis; Cum res sit apprimè dubia, pro Solutione accipio, inter affirmationem & negationem non esse ordinem secundum essentiam, quia una non est enunciatio ob aliam; Ex quo elicio, non esse absurdum ut distincta consideratione modo una, modo altera, modo neutra dicatur prior; Hoc supposito, dico, affirmationem, & negationem considerari posse consideratione Logica, Physica, & Metaphysica, Logica consideratione considerari possunt dupliciter; Primò referendo eas ad enunciationem tanquam Genus, & quamuis non propriè sit Genus, tamen qa una non est enunciatio ob aliam, dici possunt æquales; Secundò, considerando ordinem compositionis, quia affirmatio est simplicior, & est tanquam mensura, & regula negationis, propterea ab Aristot. asseritur prior; Secundò, si considerantur consideratione Metaphysica, quia ens, non ente simplicius, minus simplici, & vnum multitudine est prius, ut dicitur in 2. de Cęlo, 22. ideo comparata affirmatione cum negatione, quia ea competunt affirmationis, iure hac consideratione affirmatio antecedit; Tertiò, dum considerantur consideratione Physica; quia ad Physicum pertinet considerare modum, ut ordinem actionum Mentis, quod hoc in loco facit Aristot. dicendum est Primò, esse natam formari affirmationem de Accidẽtibus Sensum mouentibus, cum ipso est, secundo adiacenti, ut dicendo calidum est, frigidum est, nam hæ sunt simplicissimæ enunciationes, proximæ apprehensioni simplicium, & ex primo notis conflatæ, nam ita obiecta nos primo mouent, quo noto, nos deinde noscimus & dicimus, calidum non est, negatio enim tanquam priuatio semper supponit cognitionem alicuius affirmationis, tanquam habitus, mox progrediendo ad enunciationes de ipso est, tertio adiacenti, quamuis primo simus apti nectere subnotiones cum accidentibus, ut dicẽdo calidum est iucundum, frigus molestum, & inde prodit appetitus, & motus, tamen componendo res varias, prius sumus nati unum accidens negare de altero, quam accidens nectere cum Subiecto, ut dicẽdo calidum non est frigidum, quã dicendo Ignis est calidus, quia accidentia sunt nobis prius nota quam substantia; Ex his elicio affirmationem esse priorem negatione, negationem affirmatione, & unam non esse altera priorẽ; Ex qua etiam Resolutione patet, quid ueri, quidque falsi includant Rationes pro utraque parte relatæ, dixi enim prę sertim affirmationem esse priorem, ostẽdebatur autem oppositum: quia facilius est noscere quid res non sit, quã quid sit; Ea Sententia absolutè uera non est, quia Primò res nos mouẽt ut sunt, & affirmatio est tanquam habitus, per quem negatio noscitur; ea Sententia solũ est uera de cognitione latentis essentiæ rei, non de cognitione absolutè; Insuper dicebatur, nos prius simplicia noscere, ut distincta, mox ea nectere, distinctio autem pertinet ad negationem. Respondeo, nos primò noscere esse rerum, ut patuit, & quamuis primò noscamus distincta, tamẽ sumus apti ea componere ut dulce & iucundum, non autem solum diuidere: nam primo ea iuncta noscimus, & quamuis differentiæ sint plures, parum refert, quia primò nos ea mouent simul, quæ iuncta sunt; Dicere, quod res trãseunt ex non esse, ad esse, nil refert: quia nos non primò id non esse noscimus, nec id mouet Sensum; Dicebatur, negationem esse similiorem primæ actioni Mentis; Respondeo, non de omnibus distinctis formari negationes, sed flauum cum dulci primò componi, quia primò in melle iuncta se nobis offerunt, sic patet Solutio omnium: nam quo pacto negatio possit dici prior, iam patefeci.

Resolut.

INDIVISIBILE autem quoniam duplex est, vel potestate, vel actu, nil prohibet intelligere ipsum indiuisibile, cum intelligit longitudinem, indiuidua namque est actu, & in tempore indiuiduo; Similiter enim tempus diuiduum, et indiuiduum est ut longitudo, Nõ itaque licet dicere, in vtroque dimidio aliquid intelligit, non enim id accidit nisi diuisum fuerit, sed aut potestate; Diuisim autem vtrunque intelligens, diuidit, & tempus simul, tunc autem quasi longitudines, si autem id intelligit tanquam conflatum ex ambobus, in tempore etiam intelligens ex ambobus conflato. Cont. 23.

IOQVENS Philosophus de modo quo Mens intelligeret, ordiebatur à prima eius actione, cum qua mox nectebat secundam, quæ erat Compositio vel rei cum re, vel rei cum tempore, ex quo patet, prima simplicia, quæ indiuidua dicebantur esse duplicia nimirum, res, & tempus; Ideo intentio Philosophi modo est, patefacere, quomodo res indiuiduæ, in tempore indiuiduo, diuisæ autem in tempore diuiso noscantur. Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima, diuiso indiuisibili per actum, & potentiam, ostenditur quomodo indiuisibile, tempore indiuisibili noscatur; In Altera, hac de re Sententia falsa reijcitur; Inquit in Prima parte, indiuiduum esse duplex; Vel actu, hoc est, non diuisum; vel potestate, quia non sit aptum diuidi, ut Punctum, nil prohibet ut dicamus intelligi indiuiduum, dum intelligimus Lineam longitudine præditam, nam quamuis possit diuidi, tamen sumpta ut una, dicitur indiuidua, hoc est non diuisa; idipsum est dicendum de tempore, in quo intelligitur: nam dum intelligitur ut vna, & non diuisa, etiam intelligitur tempore vno, & non diuiso, adeò, vt in quauis parte eius temporis intellectio tota sit simul, quia Natura eius, & essentia una est; Non itaque licet dicere, &c. In hac Secunda parte reijcitur Sententia falsa, nam posset aliquis putare cum Linea in duas, & tres partes sit diuidua, similiter tempus in totidem partes diuidi possit, quod in singulis tertijs partibus temporis, intelligeretur tertia pars longitudinis, hoc autem reijcitur: nam id solum accidit dum actu diuiditur, & partes diuisim intelliguntur, at nisi diuidatur, solum potestate id eis competet quia diuidi potest, non autem actu.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, indiuisibile esse duplex; vnum in conceptu & voce; Alterum, in re; de Primo sermo est in Contex. 21. & 22. Alterum adhuc est duplex; vel actu, hoc est, non diuisum; vel indiuiduum potestate, & est id quod diuidi non potest; de indiuiduo actu sermo est in præsenti Contex. Indiuiduum potestate est duplex; vel secundum formam, de quo erit sermo in Contex. 24. vel secundum Quantitatem, ut Punctum, & vnitas, de quo erit sermo in Contex. 25. Considero Secundò, quod Arist. ait, dum intelligitur longitudo, intelligi indiuisibile actu, quia non diuisa, est tamen diuidua potestate; & addit similiter intelligi tempore indiuiduo, hoc est non diuiso, per tempus indiuiduum non denotatur momentum siue instans, hoc enim non est tempus, nec est indiuiduum actu, quia non sit diuisum, sed potestate quia diuidi non potest; hinc Aristot. ait, si diuiditur lõgitudo, etiam diuidi tempus, per tempus itaque indiuiduum denotatur tempus continuum, non diuisum cogitatione: nam dum persistimus in contemplatione longitu-

Consid. 1. Indiuisibile duplex.

2

dinis, ut est natura vna, & non diuisa, in quauis parte totum Mentis aciei intuemur. Considero Tertiò, in dubium verti num Mens momento intelligat, & apprehendat
3 essentiam Obiecti, vel potius egeat tempore; Apparet id facere momento, tum, quia
An Mens momento apprehendat. actio spiritalis momento fit, ut patet de Visu, tum insuper, quia Mens est indiuidua, & simul tota, quare similiter eius actio, tum tertiò, quia rei essentia indiuidua est, tũ quartò, quia actio perfecta est tota simul, & non est motus qui est actus imperfectus, intellectio autem est actus & actio perfecta; Ex aduerso, intelligere est actio nostra, nos autem subijcimur tempori, & ut intelligamus præsertim latẽtiora, egemus ocio, & tempore; Insuper, velocissima, vt pilam tormento bellico pulsam, ob temporis paruitatem non uidemus, quare longè minus momento; Confirmatur per Aristot. qui dixit, non diuisa intelligi tempore indiuiduo, hoc est non diuiso in partes, non autem momento, quo etiam loquendi modo utitur Aristot. in 2. de Anima, 146. loquens de sensu communi, necnon in calce lib. de Sensu & sensili, quibus in locis per indiuisibile tempus, denotat tempus nõ diuisum in partes, quod modo appellatur indiuiduum actu, & in 5. Metaphys. loquens de uno, ait motum esse vnum, qui est indiuisibilis, & fit tempore indiuiduo, hoc est, non diuiso, sed continuo; Hac de re varia dicuntur à
Resolutio Simplicio, Philopono, D. Thoma, & Auerroe, quæ silentio prẽteriens breuibus dico, in officio intelligendi quatuor considerari, Mẽtem, Obiectum, Iudicium, & Tempus, quæ sibi mutuo modo aliquo respondent. Accipio Secundò, in officio intelligendi tria considerari, Primum est, applicatio facultatis ad Obiectum cum requisitis dispositionibus; Alterum est, apprehensio, siue iudicium; Tertium est, conseruatio iudicij, dum in contemplatione Obiecti persistimus; His assumptis, dico, Primum, & Tertiũ, egere tempore, medium uerò, hoc est Iudicium, fieri in termino Temporis, quia (vt patebit) est actio perfecta, tota simul: adeò, ut dicere valeamus, intellectionem secundum se esse momento, ex Accidenti, & ratione nostræ applicationis & conseruationis, egere Tempore; Insuper, dum dico egere tempore pro applicatione, & pro conseruatione, id accidit modo uario: nam pro applicatione ita requiritur tempus, ut non fit tota simul, sed fiat successione quadam ob nexum cum Phantasia; At, pro conseruatione ita requiritur Tempus, ut in quolibet eius momento iudicium integrum fit, & totum, cum sit actio perfecta, ut illuminatio; Ex his patet Resolutio difficultatis, & quid veri, uel falsi includant Rationes pro utraque parte relatæ; Aristot. inquiens Intelligibile intelligi tempore indiuiduo, denotauit apprehensionem cum eius conseruatione, & contemplatione; & vsus est eo loquendi modo, dicendo, quod fiat tempore indiuisibili, siue non diuiso, quia ut dixi in quouis eius momento intellectio est
4 tota. Considero Quartò, quod Aristot. inquit, si diuiditur Obiectum, veluti longitudo, diuidi & Tempus, quod Tempus diuidi possit, patet: at, latet quod diuidi possit Obiectum, cum id sit essentia, quæ indiuidua est; Respondeo, diuisionem esse duplicem, vel secundum dimensionem, vel secundum distinctam formam, secundum dimẽsionem, vt dũ Geometra primò considerat lõgitudinem duorum pedum, mox seorsũ partes eius, tunc nõ diuiditur essentia, sed materia mathematica, nimirum continuũ, Diuisio autem secundum formam est, dum primò essentiam hominis simul consideramus ut unã, & simplicem, mox Rationale, & mortale seorsum speculamur; vltimã tamen differentia ea est, quæ est totum id quod res est, ut dicitur in 7. Metaphys. 43.
5 Considero Quintò, quod cum Aristot. dicat si diuiditur intelligibile, etiam diuidi
An simul plura intelligam⁹ tempus, per hoc indicat nos simul plura intelligere non posse, quod tamen est dubium: nam simul plura uidemus, plura audimus, quare similiter plura intelligimus; Confirmatur: quia Mens comparat uaria, & distincta, id autem non potest fieri, nisi simul ea distincta noscantur, vt affirmant Aristot. loquens de Sensu communi in Cõ tex. 646. Præterea, Mens format hanc enunciationem, Homo est albus, quam formare non posset, nisi simul nosceret Subiectum & Prædicatum, quæ sunt distincta; Insuper, simul nosci duo inuicem relata; Præterea, nosci uocem æquiuocam, æquè primo

varia significantem; Ex aduerso est Aristot. hoc in loco, ut dixi, & clarius in 2. Topic. cap. 4. inquiens nos posse plura scire, cogitare autem unum; Idipsum confirmatur experientia, dum enim in contemplatione unius versari uolumus, excludimus alia, & à distrahentibus pro facultate recedimus, & iure: nam Mens est indiuidua, indiuiduum autem simul unum solum attingit; confirmatur ratione: quia si plura posset Mens simul intelligere, posset simul intelligere omnia, formatur enim ratio, ut de penetratione Corporum, nam si duo simul potest intelligere, ita & tria, & sic in infinitum; Pro Solutione, dimissa opinionum varietate, accipio Primò, quod facultas quo magis est materiata, quia magis est extensa eo plura potest simul iudicare, veluti tactu per uarias corporis partes simul uaria sentimus, quo uerò facultas est eminentior, & magis à materia secreta, quia magis est vna, & indiuidua, eo minus valet distincta simul apprehendere, sed magis conformatur cum vno, adeò, vt Deus eminentissimus solum vnum, hoc est se solum apprehendat, in eo tamen iucluduntur omnia; Confirmatur: quia Mens intelligendo maximè fit id quod intelligit, indiuiduum autem non valet simul esse plura. Accipio Secundò, intelligere plura, contingere dupliciter; Vel in ratione unius, & de hoc non est dubitatio: nam Mens intelligens Vniuersale, dicitur intelligere Singularia eius, at, id facit in ratione unius communis; Vel in ratione plurium, & distinctorum, & de hoc est dubitatio. Pro quo accipio Tertiò, intelligere plura ut plura sunt, contingere dupliciter; vel distinctè, & cum attentione, uel confusè oscitanter, & sine distinctione, id contingit hoc Secundo modo, non Primo; Ex his elicio Duas Conclusiones; Prima est, Mens minimè omnium valet simul iudicare plura; At, cum maximè simul apprehendat unum, maximè simul apprehendit plura, quia id unum est Vniuersale, plurima includens. Altera Conclusio est, Mens confusè valet simul plura iudicare, & speculari, non autem distinctè, & sine impedimento, ut experientia nos docet; Aristot. autem considerauit iudicium distinctum, & sine impedimento. In mutua autem comparatione relatorum, similium, & dissimilium, consideratur Relatio, similitudo, & dissimilitudo, quæ includunt rationem unius. *Resolutio* *Concl. 1.*

QVOD autem non secundum Quantitatem indiuiduum est, sed forma intelligit indiuiduo tempore, & indiuidua Animæ notione. Ex accidenti autem, & non quatenus ea sunt diuidua quo intelligit, & quo tempore, sed quatenus indiuidua, inest namque in eis aliquid indiuiduum, sed forsan haud separabile, quod tempus facit vnum, & longitudinem; & id similiter in omni est continuo, & tempore, & longitudine. *Cont. 24.*

IOQVENS Philosophus de functionibus, munerum nostræ Mentis, quia prima eius actio est apprehensio simplicium, quæ indiuisibilia nuncupantur, in quibus etiam secunda & tertia actio uersatur, ac insuper quia Obiectum est essentia indiuidua, termino temporis apprehensa, ideo iure optimo versari dicitur in cognitione indiuisibilium, id autem indiuisibile, vel erat secundum uocem & primam apprehensionem, de quo in Contex. 21. uel secundum rem, & hoc uel erat actu, de quo in Contex. 22. & 23. vel potestate, hoc est non aptum diuidi, quod est duplex; vel forma, & essentia, de quo est sermo in hoc Contex. vel male, de quo in sequenti; Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima profertur Sententia propria; In Altera occurrit Philosophus tacitæ obiectioni; Inquit in prima parte, Indiuiduum non secun- *Intentio.* *Diuisio.* *Exposit.*

dum Quantitatem, vt Longitudo, sed secundum formam, quod est indiuiduum potestate, qualis est essentia, quæ non propriè & secundum se est apta diuidi, hoc indiuiduum Anima intelligit tempore indiuiduo, vt iam patefeci; Insuper id intelligit indiuidua ipsius Animæ, notione, quæ notio est ipsum intelligibile in esse cognito, & est indiuidua ex parte Mentis iudicantis, & ex parte essentiæ iudicatæ. Ex accidenti autem & non quatenus ea sint diuidua, quo intelligit, & quo tempore, &c. In hac secunda parte occurrit Philosophus tacitæ cuidam obiectioni, nã dicere aliquis posset, cum intelligatur longitudo quæ est diuidua, & intelligatur tempore quod est continuum, diuiduum, & partium varietate præditum, quomodo dicitur quod intelligatur indiuiduum, & tempore indiuiduo, respondet Arist. quod quauis hæc sint continua, & partium multitudine prædita, tamen includunt aliquod indiuiduum, vt Punctum, Instans, & Momentum, quæ Indiuidua nectunt partes, & cõstituunt unum Indiuiduum actu, hoc est, non diuisum, adeò, vt Mens secundum se apprehendat Indiuiduum, & tempore indiuiduo, ex accidenti autem id quod est præditum multitudine partium, & diuiduum, temporeque diuiduo; Id autem Indiuiduum nectens, fortè nõ est separabile à continuo, non enim Punctum sine Linea, Instans sine Tempore, Momentum sine Motu reperitur, & hoc Indiuiduum consimiliter est in omni continuo & tempore, & longitudine, nam est in quauis parte, & tanquam terminus singulas partes nectit, omnes enim cõtinui partes vno cõmuni termino indiuiduo copulantur.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Arist. concedit ex accidenti Mentem noscere diuisibile, & tempore diuisibili, secundum se tamen indiuiduum, & tempore indiuiduo intelligere: nam Mens, & essentia quæ noscitur, ex se indiuidua sunt, & id eis competit ut sint indiuidua, semper enim Mens Obiectum noscit ut unum, ex accidenti tamen ea sunt diuidua, quia accidit ut id indiuisibile rei diuisibili, & partium multitudine prædito, iunctum sit, & id quod Arist. dicit de indiuiduo nectente partes continui, ut de notione, etiam debet intelligi de indiuidua rerum essentia, iuncta cum materia & corpore diuisibili.

2 Cur addatur forsasse. Considero Secundò, quod Arist. ait id indiuiduum fortasse non esse separabile, ait (fortasse) Primò, quia id ostendere non pertinet ad hunc locum; Secundò, quia Democritus, Leucippus & Epicurus, concedebant Atomos hoc est indiuidua separata; Tertiò, quia Plato putabat essentias rerum denotatas, ut dixi per indiuidua Mathematica, reperiri separatas, quatenus affirmabat dari Ideas rerum.

3 Pro Immortalitate mẽtis. Considero Tertiò, quod Aristot. vtitur hoc loquendi modo, inquiens Mentem intelligere indiuiduum notione indiuidua, & tempore indiuiduo; Hoc tribuit Menti ut consentanea proferat illis quæ de mente enunciauit, patefecit enim eam non esse mixtam cum materia, & aptam separari, ideo indiuiduum est conditioni eius maximè consentaneum, propterea in 12. Metaph. 51. inquit: indiuisibile id omne est, quod non habet Materiam, ut Mens Humana; Ex quo elicitur conspicua confirmatio immortalitatis Humanæ mentis; Insuper etiam inquit (in tempore indiuiduo) vt simul indicet actũ intelligendi, qui perfectus est, in quouis indiuisibili temporis totum, & integrum esse. Præterea, etiam ita loquitur, quia id indiuiduum temporis in quo mens iudicat, non est momentum æternitatis supra tempus eleuatum, simul includens differentias temporis, quo Deus intelligit, sed est momentum temporis, quod nectit partes temporis, & ideo ex accidenti intellectio nostræ mentis est in tempore diuisibili, quod de intellectione Dei dici non debet; Hinc Arist. in lib. de Memoria & reminiscentia, ait nil nos intelligere sine tempore, & continuo.

PVNCTVM autem, & omnis diuisio, & quod ita est indiuiduum noscitur vt priuatio; Et consimilis ratio est de aliis; Vt quomodo malum noscit, aut nigrum: nam contrario quodam modo cognoscit, oportet autem potestate esse quod cognoscit, & inesse in eo: si verò alicui non inest contrarium, id cognoscit se, & est actu, & separabile siue separatum, Græcè χωριστόν. Cont. 25.

LOQVVTVS est Arist. de indiuiduo actu, hoc est non diuiso, mox de indiuiduo potestate secundum formam & essentiam: nunc loquitur de indiuiduo potestate secundum molem, hoc est, de terminis Quantitatis, qui nequeunt diuidi, ueluti sunt Puncta, Instantia, & Momenta; Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima declaratur, quomodo huiusmodi indiuidua noscantur; In Secunda, referuntur duæ conditiones requisitæ pro noscendis huiusmodi indiuiduis; In Tertia manifestatur à qua mente huiusmodi indiuidua non cognoscantur, cum careat huiusmodi conditionibus; Vt pertinet ad Primam partem, inquit Philosophus: Punctum & omnis diuisio, hoc est termini omnes indiuidui, veluti Instans & Momentum, qui dicuntur diuisiones, quatenus sunt termini in quibus fit diuisio magnitudinum, huiusmodi inquam indiuidua noscuntur, vt priuatio, quatenus sunt priuata continuo, & facultate vt diuidantur, hæc autem noscuntur suo contrario, vt malum bono, nigrum albo, ita indiuiduum continuo; Oportet autem potestate esse ipsum cognoscens, &c. Hæc est pars Secunda, in qua inquit Auerr. duas requiri conditiones pro huiusmodi priuationum notitia; Vna est, vt facultas noscens prædita sit potestate, nam noscens priuationem, noscit se ab ea non moueri, quod ei soli competit cui inest potentia, & valeat agere, & non agere; Altera conditio est, ut ea facultas includat habitum priuationi oppositum, per quem noscat priuationem. Si autem alicui ex causis, &c. In hac Tertia parte ex requisitis pro cognitione priuationum, elicit separatas mentes, quibus ea duo requisita non competunt, non noscere priuationes, sed noscere se, adeò, ut earum cognitio sit earum essentia & sunt energia, hoc est simplices actus, & actiones, insuper separabiles, quia ex materia & Corpore non pendent, vel potius separatæ. *Intentio* *Diuisio.* *Exposit.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Puncta Linearum, Momenta Motus, Instantia Temporis, dici diuisiones, quia nectendo partes continui sunt termini earum & id in quo secernitur & distinguitur pars una ab altera, & in quo fiunt diuisiones; Dicuntur autem nosci ut priuationes, quia carent continuo, & partibus, ea tamen potius est negatio, quam priuatio, quia non sunt apta esse continua, ex se autem potius sunt priuatio, quatenus nectuntur cum continuo, cui cõpetit diuisio, quam dici debeant priuata. Considero Secundò, quod Arist. pro patefacienda priuatione utitur duobus exemplis; Vno sumpto ex Malo, quod est priuatio Boni; Altero ex Nigro, quod est quædam priuatio Albi, Primum est verè priuatio, Alterum non uerè, sed est contrarium deterius, præseferens priuationem lucidi inclusi in albo; Vnum attinet ad Animum, Alterum ad Corpus, ut pateat id quod docet esse uerum de omnibus, dum considerantur vt priuationes, nam malum ut malum, est non ens, quia est recessus à lege, à recto, & à bono, quod reciprocatur cum ente; Nigrum absolutè forma est, & species Coloris, & ut tale, nosci potest sua Definitione, & absolutè, at, dum consideratur ut priuatum quadam lucidi conditione, inclusa in albo, ita noscitur per priuationem, ut etiam termini indiuidui noscuntur *Consid. 1.*

per id cuius sunt termini, ut punctum dicitur cuius pars nulla est. Considero Ter-
3 tiò, iure optimo pro notitia priuationum duo requiri, nimirum, vt præditum sit po-
Cur duo requirun tur ꝑ notitia priuationũ. testate, & includat notitiam oppositi; Requiritur Primum, quia eadem est facultas oppositorum, & ideo si nosci unum, etiam debet esse apta noscere alterum; Præterea, tunc noscimus tenebras, dum iudicamus nos non moueri à luce, à qua sumus apti moueri; Altera conditio requiritur, quia actus est id per quod cuncta noscuntur, solus enim actus mouet, & format, priuatio noscitur per absentiã, & recessum à forma, hinc priuatio dicitur absentia formæ in Subiecto apto eam recipere; Ex quo elicio
Priuatio non est apta nosci per se, primò & di rectè. Primò, priuationem non ita posse nosci secundum se, vt ex se ualeat facultatem noscentem mouere, & formare; Elicio Secundò, priuationem non posse Primò nosci, quia eius iudicium, supponit iudicium formæ: hinc fœtus in utero cum non uiderit Lucem, non ualet uidere tenebras; Elicio Tertiò, priuationes non posse directè nosci, sed solum obliquè, progrediendo ex uno in aliud, & ob id non nosci tempore indiuiduo, sed cum aliqua eius diuisione; Elicio Quartò, expertia Rationis ualde diminutè, & adumbratè noscere priuationes: nam distinctè ex uno aliud elicere, est
4 officium Rationis. Considero Quartò, quod Arist. inquit: Si alicui ex causis contrarium non cõpetit, ipsum seipsum cognoscit, & energia, hoc est actus est, & separabile, excludit ex genere separatarum mentium cognitionem priuationis, quatenus ob earum præstantiam immunes sunt à potentia, & distincta forma contrarij priuationis, separati Cælorum motores dicuntur causæ, sunt enim per motum causæ communes, quibus contrarium non competit, nec ratione propriæ essentiæ, cui nil est contrarium, ut neque etiam humanæ Menti, neque per receptionem formæ & habitus contrarij, & per hoc distinguuntur ab Humana Mente, quæ dicitur locus spe-
Separatis tria competunt. cierum, & cum his careant, eis tria competunt; Primum est, ut intelligant se, ac ita nostræ Menti opponuntur, nostra enim mens fit alia, & intelligit alia, si autem intelligit se, id ei competit cum fuerit singula facta, hoc est, cum intellexerit talia; Ille verò tanquam Obiectum se intelligunt, cætera uerò solum vt refulgent in eis; Alterum quod eis tribuitur est energia, & actus: nam dicuntur sui essentia actio, in 12. Metaphys. Contra verò, nostra mens dicitur potestate, & dicitur fieri alia; Tertiò, eis tribuitur, ut sint separabiles, quod etiam nostræ Menti tribuitur, at, uario modo: nam illæ potius sunt separatæ, quam separabiles, & Corpus Cęli; cui assistunt, non subijcitur interitui, vt Corpus Humanum; Insuper, sunt separabiles, & separatæ, cum ratione essentiæ, tum ratione actionis; At, mens nostra ratione actionis eget Phantasia,
5 dicuntur tamen separabiles, quia vt motores iunctæ sunt orbi. Considero Quintò,
An separatæ formæ intelligant priuationes. dubiam esse hanc sententiam, quod separatæ formæ non intelligant priuationes, & indiuisibilia: nam ordiendo à Deo, ei sunt nota peccata omnium, quæ tamen sunt mala; Insuper motores omnes Cęlorum saltem noscunt Cælum continuũ, Tempus, & Motum, quæ sunt prædita Punctis, Instantibus, & Momentis; Præterea, oppositorum eadem est ratio, illæ noscunt formas priuationibus oppositas, quare etiam priuationes; Quod cõfirmatur: quia intelligentiæ omnes sub Deo positæ, participes sunt potentiæ, omnis potentia iuncta habet priuationem, quare cum se intelligant, etiam intelligent priuationes. Ex aduerso est Arist. hoc in loco, & cõfirmatur ratione: quia Cęlorum mentes sunt eleuatæ supra mortalia, supra motum, & tempus, iunctæ Deo, qui est ipsum Bonum, quo continenter, seorsum ab omni malorum cõtagio fruuntur, adeò, ut priuatio in eis nec secundum esse, nec secundum cognitionem, videatur ha-
Solutio. bere sedem. Dubitatio hæc proculdubio soluenda modo uario est ex vera Theologorum Sententia, & ex Sententia Arist. non enim idem sentiunt de cognitione Dei, D. Thomas 1. contra Gentes, cap. 71. hac de re uaria dicit: sed quia hic non est locus disputandi de modo quo Deus cuncta cognoscit, breuibus non recedens ab Arist. dico, noscere priuationes contingere dupliciter; Vel secundum propriam, & distinctã formam, quod Homini competit; Vel secundum eminentiam, quod competit sepa-

ratis

ratis formis; Insuper, cognoscere priuationem contingit dupliciter; Vel cum interna priuatione, quod competit Humanæ Menti, noscenti eam cum priuatione; quatenus noscit se non moueri; Vel seorsum ab interna priuat ione, sed solum externa alijs cõpetente, quod competit formis separatis; Duæ conditiones relatę ab Arist. requiruntur pro notitia priuationum, cum priuatione interna, & secundum propriam formã, at, non pro altera eminentiore, & præsertim, quia nil adeò est malum, quin boni aliquid includat, cui hæreat, & saltem secundum eminentiam noscitur malum, pro eo bono quod includit. Considero Sextò, pulchram ex dictis oriri difficultatem, nam 6
si mens nostra sit ea quæ noscit, noscens bonum erit bona, noscens malum, erit mala, & propterea ut sit bona, vel mala, ei sat erit noscere bonum & malum; Soluitur dubitatio, Mentem esse bonam, vel malam, contingere dupliciter, vel secundum imitationem & repræsentationtm, vel secundum morem & voluntatem; mens per cognitionem est bona & mala primo modo, at non secundo.

EST autem dictio quidem aliquid de aliquo vt affirmatio, & falsa, vel vera omnis: Mens autem non omnis, sed ea quæ est ipsius quid est, secundum quid erat esse vera est, & non aliquid de aliquo; Sed vt visio proprii vera est; si autem album est Homo, vel non, non verum est semper ita se habent quæcunque sine materia sunt. Cont. 26.

LOQVEBATVR Aristot. de actionibus Mentis cognoscentis, præsertim hactenus loquutus est de prima quæ est apprehẽsio simplicium, quãuis etiam aliquid de secunda dixerit, nunc autem Intentio eius est loqui *Intentio.* de secunda cum quadam comparatione cum prima; Distinguitur Contextus in duas partes; In Prima declaratur Secunda actio per comparationem cum *Diuisio.* Prima; In Altera idipsum illustratur exemplo attinentium ad sensum; Inquit in Prima parte quod dictio siue enunciatio quæ est Prædicati de Subiecto, veluti est af- *Expos.* firmatio, est falsa, vel uera omnis; huiusmodi autem est non omnis oratio, sed sola enunciatio quæ formatur in modo indicatiuo, & vera est, vel falsa, siue definitè, vt de præteritis, & præsentib. siue indefinitè, vt de futuris cõtingentibus, at altera ex parte Mens denotans apprẽhensionem simplicium, non omnis vera est, sed ea quæ est ipsius quid est, non dico quid nominis, sed quid erat esse, hoc est ipsius essentiæ, & proprij Obiecti Mentis, quę vera est, non quidem veritate enunciationis, sed apprẽhensionis, & æquationis; Sed ut uisio proprij uera est, &c. In hac Secunda parte exemplo Sensus illustrat quod dixit, nam ut Visus gratia exempli non decipitur circa propriũ Obiectum, ueluti quod sit album, sed circa sensibile ex accidenti, veluti quod album sit Homo, ita se habent quæcunque sine materia sunt, qualis est Mens relata ad essentiam materiatam, ambo dicunt sine materia, Mens quidem secundum propriam conditionem, Obiectum uerò eius, munere abstractionis prodeuntis ex Mente.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod dictio Græca φάσις propriè significat simplicem uocem, ueluti indicauit Aristot. in lib. de Interpretatione, inquiens partes orationis significare aliquid ut dictio, at nõ vt affirmatio, & negatio, hoc tamen in loco usurpatur pro enunciatione, vt Aristot. seipsum explicans patefacit; & hoc etiam considerarunt Alexander, Themistius, & Plutarchus Lydus. Considero Secundò, quod apprehensiõ simplicium denotatur nomine Mentis, & iure optimo profectò, Primò, quia hoc est commune omni Menti apprehendere essentiam simplicem, componere autem, & ratiocinari solum competit Menti humanæ; Secundò, quia hoc primo competit Menti, dum refertur ad suum Obiectum; Tertiò, quia ex lumine primæ apprehensionis, resulgent attinentia ad alias Mentis actiones; Hinc in 6. Nicomachiorum apprehensio dignitatum, & supremorum terminorum, nomine Mentis denotatur. Considero Tertiò, quod Aristoteles pro illustranda simplicium Mentis apprehensione, utitur exemplo Oculi, & iure: nam spiritualior est cæteris sensibus; Insuper est certior, nil enim dicitur certius oculata fide; hinc Mens per Metaphoram ab Aristotele in 1. Nicomachiorum dicitur oculus Animæ, de quo oculo enunciatum legitur apud Platonem, vnicum Animi oculum præstare mille oculis corporis, & externi oculi dicuntur fenestræ, per quas resulgent Animi. Considero Quartò, quod in dubium uertitur id quod dicitur ab Arist. Mentem non decipi circa quid est, & quia etiam datur quid nominis, ideò Arist. id distinctè explicans ait, secundum quod quid erat esse, hoc est circa essentiam, & id quod res est, indicans obiectum Mentis, hoc inquam est dubium, quod sit immunis hæc apprehensio à deceptione, nam frequenter inspicimus metallum, Mens iudicat id esse aurum, uel argentum, cum tamen non sit; Similiter in rerum Definitionibus innumeræ apparent deceptiones, ueluti dum pro differentijs Substantiæ sumuntur Accidentia, & Definitiones rebus tribuimus quibus non conueniunt. Pro solutione accipio, hoc in loco debere Definitionem considerari, non ut complexam, sed vt explicãtem essentiam simplicem; Insuper, accipio id quod enunciatur ab Aristot. 9. Metaphysicę 22. dicente: Decipi autem circa quid, non est, nisi ex accidenti: nam de his quę uerè sunt, non est deceptio, sed aut intelliguntur, uel nè; Sic itaque in eis est deceptio ex accidenti, & ex parte nostri, absolutè autem debemus dicere, quòd uel attinguntur Mente, uel nè; decipimur autem ex accidenti, putantes attingere quod nõ attingimus, & nectentes ea quę nequeunt rectè necti, qua de re etiam in præcedentibus uerbà feci. Considero demum, quod Aristot. semper Mentem affirmat esse sine materia, indicans eam ex materia non pendere, & in materia non esse mersam approbans semper eam à principiis ortus & interitus esse immunem.

Cur apprehensio simplicium dicatur Mens.

An Mens decipiatur circa quid est.

Solutio.

Cont. 27. *IDEM autem est scientia actu cum re, quæ verò potestate tempore prior, in uno est, omninò autem neque tempore, sunt enim ex actu ente, omnia quæ fiunt.*

VERBA huius Contextus etiam leguntur in Contex. 19. propterea censuit Alexander per errorem hoc in loco fuisse inserta, huic Themist. Alexand. sequens, hoc in loco ea prætermisit; Ego autem puto non per errorem hoc in loco legi, sed potius in Contex. 19. non enim illi sed huic loco sunt consentanea, quia modo sermo est de attrimentibus ad officium intelligendi, non autem eo in loco, hinc ea Sententia modo cumulatius enunciatur, cum ratio eius nō ibi, sed hic afferatur, exponens itaque verba, vt huic loco consentanea, dico cum Aristot. asseruisset Mentem non decipi circa essentiam, & suum proprium Obiectum, vult modo eius rationem assignare, & manifestare, quomodo sit vera, & quomodo ad scientiam de qua erit sermo se habeat. Diuiditur Contextus in Tres partes; In Prima assignatur ratio ob quam Mens dicatur vera, nam veritas est æquatio cum Obiecto, scientia autem actu, quæ est iudicium Mentis, est eadem cum re, ac ita æquantur, est enim eadem in esse spirituali, & cognito, per imitationem, & repræsentationem, & cum dicantur idem, etiam denotatur quod sint tempore simul; In altera parte manifestatur quod scientia potestate dupliciter consideratur, vel cum relatione ad vnum indiuiduum, & sic est tempore prior; Vel absolutè, siue in vniuerso, siue in specie, ac ita non potentia sed actus antecedit, cuius ordinis in tertia parte assignatur ratio, & est, quia cuncta quæ fiunt, per antecedentem actum, ex potentia ad actum rediguntur.

Intentio.

Diuisio. Expositi.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. in 9. Metaphys. de actu & potentia loquens, vniuersè manifestat actum absolutè præire potentiam, in eodem tamen potentiam antecedere: nam si ordinem vniuersum consideramus originis rerum, ex actu pendent omnia, & per actum cuncta ex potestate ad actum rediguntur; Sic Deus actus purissimus, caput est cunctorum, cui succedunt motores Cælorum, & à quo est descensus in inferiores gradus, at, si in eodem indiuiduo ordinem generationis consideramus, contra se habet, in eo enim consideratur non descensus sed ascensus, & progressus ex imperfecto ad perfectum, & ex potentia ad actum, & hoc est id quod de scientia profert Aristot. Considero Secundò, quod Aristot. pro suæ sententiæ confirmatione ait: Sunt enim ex eo quod est actu, cuncta quæ fiunt, nam per actum res fiunt, sunt, & operantur; At, occurrit Dubitatio de scientia, non enim semper verum est per scientiam aliquam actu, redigi ad actum aliam, vt patet de nostra inuentione, id verum est, de disciplina, & doctrina, non autem de inuentione; Respondeo sententiam Aristot. multiplici ratione veram esse: nam Primò in ordine vniuersi suprema est sapientia Dei, ex qua pendet, & sub qua collocantur cæteræ cognitiones, quæ eius sunt vmbræ, & imitationes; Secundò, omnis nostra inuentio fit per aliquam præcurrentem cognitionem, tanquam per actum; ut patet ex 1. Poster. Tertiò, concurrit obiectum mouens, quod actum includit; Quartò, adest Mens agens, quæ tanquam Lumen & actus, potestate intelligibilia, reddit actu intelligibilia.

Consid. 1.

Actus est absolutè prior potētia.

2 Cuncta ex actu pendent.

VIDETVR *autem ipsum sensibile, ex eo quod potestate est sensitiuum, actu id efficere; Neque enim patitur, neque alteratur; Propterea alia est species motus: Nam motus dicebatur imperfecti, at, qui simpliciter est actus, varius est, & est imperfecti.*

Cont. 18.

DIXE.

Intentio. *Diuisio.* *Expos.* DIXERAT Philosophus de Mente loquens, quod Scientia actu vniuersè sumpta, non est posterior, quia ex actu pendent omnia, & quoniam per attinentia ad Sensum, quæ sunt nobis notiora, redduntur conspicua attinentia ad Mentem, ideo id quod dixerat patefacit in sensu. Diuiditur Contex. in Duas partes; In Prima, ostenditur quomodo Sensus per actum redigatur ad actum; In Secunda, asseritur eum non esse propriè sumptum motum; Inquit in Prima parte, quod sensibile, cuius conditio est ut sit actus, deducit sensitiuum ex potestate ad actum, acta sensibile vt actus absolutè, antecedit, quamuis in sentiente præcurrat potentia; Neque enim patitur, &c. Hæc est pars altera, in qua ostenditur sensitiuam non propriè pati, & moueri ab Obiecto, sed perfici, & ille non est motus, sed actus perfectus, iudicium enim est actus perfectus, & totus simul, motus autem propriè sumptus est actus imperfecti, & imperfectus, ut dicitur in 3. Physic.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Aristot. affirmat sensum non propriè moueri, & pati, vt inde pateat longè minus Mentem propriè moueri, & pati; Insuper, de hoc loquitur, ut patefaciat suam Sententiam, nimirum, peractum redigi potestatem ad actum, nedum esse verum de propria passione, & motu, sed etiam de ea quæ Sensibus, & Menti per Metaphoram competit. Consi-
2 dero Secundò, quod motus rectius dicitur Energia, & actus imperfecti, quam imperfectus, nam imperfectio ei competit non ratione agentis, sed recipientis, imperfectio enim in patiente consideratur; hinc Aristot. ait esse actum imperfecti, Aristotelis, & intellectio etiam ex parte recipientis est actus perfectus, iudicium enim Obiecti indiuiduum est.

Cont. 29. *IPSVM igitur sentire simile est ipsi dicere solum, & intelligere; Dum autem iucundum, aut molestum iudicat, quasi affirmauerit, vel negauerit, tunc prosequitur, aut fugit; Et est delectari, & tristari, operari sensitiua medietate, erga bonum, aut malum, vt talia sunt; Et fuga demum & appetitus qui actu est, hæc sunt, Neque diuersa sunt appetens, aut fugiens, nec inter se, nec à sensitiuo, sed eorum esse varium est.*

IOQVENS Philosophus de actionibus humanæ Mentis, præsertim verba fecit de prima, quæ est apprehensio simplicium, quia ex ea vt ex principio pendent aliæ; Nonnulla etiam dixit de Secunda, quæ est compositio; De Tertia autem, quæ est Ratiocinatio, non distinctè loquitur, tum quia pendet ex alijs, tum insuper, quia tradere eius regulas ad Logicum pertinet, tum demum, quia ex dicendis de appetitu, & motu refulgebit; Et quia actiones Mentis sunt principia operandi, & contemplandi, ideo Philosophus à communioribus ad magis propria descendēs, quomodo horum sint principia manifestat, & Primò, quomodo sint principia agendi, vel efficiendi quod notius nobis est. Diuiditur Contextus in Quatuor partes; In Prima, sentire dicitur simile simplici iudicio, & apprehensioni Mentis, vtrunque enim iudicium simplex est, non enim Sensus componit; In Altera declaratur, quomodo excitetur appetitus: nam dum fit subnotio; & tum primò nectitur, adeò, ut Sensus quasi affirmet, uel neget, tunc excitatur appetitus ad prose-

Intentio. *Diuisio.* *Expos.*

quutio-

quutionem vel fugam, veluti, dum ſerpentem vt nobis aduerſum intuemur, excitatur appetitus ad fugam, ad proſequutionem verò dum leporem inſpicimus, ut nobis vtilem, & quoniam ex eo iudicio, & præſertim ex adeptione, vel euitatione conſurgit dolor, & voluptas, ideo in Tertia parte quid hæc ſint manifeſtat Philoſophus, inquiens: Delectari, & triſtari eſſe operari ſenſitiua medietate, & facultate erga bonum, aut malum, tanquam erga finem, quatenus bona, vel mala ſunt, & fuga ac appetitus actu, ſiue actus facultatis appetentis, ſunt hoc, nimirum, operationes circa bonum, & malũ; Et quia de proſequutione, & fuga eſt facta mentio, poſſet quis putare facultatem appetentẽ, à fugiente, & vitante diſtingui, ideo in Quarta parte oſtenditur ea eſſe officia eiuſdem facultatis, ſola ratione diſtinctæ.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod cum Ariſtot. in 2. Contex. dixerit: Si intelligere eſt ſicut ſentire, id non de omni mentis actione debet intelligi, ſed ſolum de prima, quæ eſt apprehenſio ſimplicium, non enim Senſus verè componunt, hoc lucidè indicat modo Philoſophus, inquiens ſentire eſſe ſimile ipſi dicere ſolum, & intelligere, hoc eſt apprehenſioni ſimplicium, & ait ipſi dicere, quia iudicare eſt veluti dicere album, acutum, & ſic de cæteris; Inſuper, quia id iudicium eſt tanquam interna prolatio, quæ mox eſt principium externæ, hinc ut dantur externi, ita interni ſermones. *Conſid. 1.* Conſidero Secundò, quod Ariſtot. loquens de actionibus Mentis, inſerit multa de Senſibus duplici ratione; Primò, vt per attinentia ad Senſum nobis notiora, illuſtret attinentia ac Mentem latentiora; Secundò, quia Mens nõ intelligit ſine Senſu, neque etiam operatur: nam per Senſum nectitur cum particularibus, circa quæ operatur, vt in progreſſu diſtinctè patebit. 2 Conſidero Tertiò, quod Ariſtot. ait, dum iucundum, aut moleſtum iudicat, nimirum ſenſus, quaſi affirmauerit, vel negauerit, tunc proſequitur, aut fugit, orditur pro operatione, & appetitu, à iucundo, & moleſto, quia hæc ſunt tanquam calcaria excitantia, & irritantia ad proſequendum, vel vitandum. Obiectum, hæc enim Primò excitant, mox comitantur, & Tertiò perficiunt opus; & ait: Cum iucundum, aut moleſtum, quia Primò conſideratur abſoluta cognitio Obiecti, per quam non mouemur; Secundò, conſideratur cum ſubnotione, vt iucundum, nobiſque vnicum, vel moleſtum, & aduerſum, & inde oritur proſequutio, vel fuga, & ait (tanquam affirmauerit) addit (tanquam) vel (quaſi) duplici ratione; Prima eſt, quia hæc non eſt externa, ſed interna loquutio, includẽs vires externæ; Altera potior eſt, quia Senſus non componit, nec propriè affirmat, vel negat, ſed Obiectũ noſcens, cũ illa ſubnotione aduerſi, uel amici, includit facultatẽ affirmationis, & rectã rõne reſpondet affirmationi, & negationi Mẽtis, & addit tũc proſequitur, aut fugit, ſupple, ſi põt, & nil prohibeat. Conſidero Quartò, quod Ariſt. 4 Definit delectari, & triſtari; Pro cuius notitia accipio delectationẽ, & triſtitiã, pertinere ad Animi perturbationes, de quibus latiſſimè in ciuili Scientia verba fecit, quę ut ad rẽ facit, cõſideratur dupliciter, uel ut ſunt paſſiones illatæ ab Obiecto, per quas patitur facultas ſentiendi, & appetitus, vel ut ſunt actiones earum facultatum, quæ motæ & excitatæ operantur; conſiderantur modo ab Ariſt. hac ſecunda conſideratione, & ideo inquit, quod delectari, & triſtari, eſt operari: nam ſunt ſecundi actus facultatis ſentientis, & appetentis, qui dicuntur paſſio, dũ referuntur ad antecedẽtia, actio uerò dum ad ſequentia, ait (ad bonum & malum) quia ut legitur in principio Nicomachiorum, omnis actio eſt gratia boni, & quodcunque aſſequi, vel vitare optamus, ſemper id facimus ut boni, uel mali conditionem uidetur includere, non autem veri, vel falſi, ſiue alterius cuiuſuis conditionem præſeferat. *Delectari, & triſtari quid ſint.* Conſidero Quintò, quod Ariſt. de facultate loquens ait (ſenſitiua medietate) quæritur, cur Senſus dicatur medietas; Reſpondeo, multiplici ratione Senſum dici medietatem, præcipua eſt, quia eſt 5 *Cur dicatur ſenſi-*

iudex,

tiua me-dietas.

iudex,omnis autem iudex dicitur mediator & medium,ex 5.Nicomachiorum; Altera ratio est : quia ex se est indifferens ad oppositа , & ad prosequutionem & fugam; Tertia, quia ad Sensum & appetitum pertinent virtutes morales , quæ in medio dicuntur positæ; Quarta, quia hoc est officium Sensus interni, qui mediat inter externos,& mentem ; Quinta , quia omnis sensus in quadam mediocritate dicitur positus, & ob id dicebatur uehemens sensibile lædere,mediocria vero, & contemperata delectare,ut apparuit in Contex.143. Sexta,quia Sensus duo includit,nimirum iudicare , & appetere , adeò, ut appetitus sit medietas eius aggregati, per quem appetitum prosequitur vel fugit; Septima , quia omnis facultas varia noscens, se habet ad ea vt

6 Centrum & medium,vt etiam dicetur in Contextu 31. Considero Sextò,quod Aristot.ait: Neque diuersa sunt appetēs aut fugiens,nec inter se,nec à sentitiuo, sed eorū esse distinctum est,&c. Cum dentur facultas sentiens, appetens, prosequens,& fugiens,hæ facultates fundamento,& pro absoluto non sunt essentia distinctę,nec loco secretæ,nec prosequens à fugiente, nec appetens à sentiente : nam oppositorum eadē est facultas,& appetitus ex cognitione prodiens , à facultate noscente pro esse absoluto non debet distingui,sed solum ratione,vt iudicans,& vt prosequens,nam Sensus vt Sensus , iudicat,non appetit , contra verò vt vis appetens , appetit,non iudicat,vt Sensus antecedit,vt appetens sequitur , vt Sensus dicitur verus,vel falsus,vt appetēs bonus uel malus ; Affirmat Arist. non distingui ob Platonem , qui Capiti tribuebat facultatem iudicandi,Cordi irascendi,Hepati concupiscendi,ac ita facultatem unam appetendi,loco secernebat ab altera.& utramque à facultate iudicandi,ut distinctius in progressu patebit; Insuper,ex hoc etiam conspicuè elicitur, facultatem ab essentia Animæ non distingui, alioquin facultas sentiendi ab ea appetendi etiam pro suo esse absoluto distingueretur; Et quemadmodum sensus sola ratione distinguitur ab appetitu, ita putādum est sensibile sola ratione distingui ab appetibili; Insuper,id quod de Sensu & sensitiuo dictum est, etiam intelligi debet de mente & uolūtate , necnon de intelligibili,& à mente optabili. Considero Septimò, quod Aristot.ait Sensum versari circa bonum vt bonum est; In lib. Topic. hoc damnat,inquiens uersari non circa bonum,ut bonum,sed vt delectabile,hinc Auerr.ait mentem uersari circa bonum; Sensum circa delectabile : nam hoc est proprium eius; Respondeo,appetitum Sensus dupliciter considerari ; Primò , ratione generis , ut est appetitus, ac ita uersatur circa genus quod bonum est ; Secundò,ratione propria,ut sensitiuus est, ac ita mens circa bonum honestum,sensus,circa delectabile uersatur ; Arist.hoc in loco illum considerat ratione generis, ut sententiam proferat etiam de mente ueram. Cōsidero Octauò,in dubium uerti ad quam facultatem pertineant,dolor,& voluptas , num ad Sensum, uel potius ad Appetitum,Arist. hoc in loco ea refert ad Sensum,inquiens, quod sunt operari sensitiua , medietate; similiter Auicenna ait dolorem esse sensum rei aduersæ; Ex aduerso perturbationes animi ad appetitum pertinent, quarum præcipuæ sunt dolor,& voluptas ; Confirmatur : qui virtutes in more positæ pertinent ad appetitum sensitiuum,ut ex ciuili scientia patet,virtutes autem sunt moderationes perturbationum & præsertim uoluptatis,& doloris,hi enim sunt tanquā fontes, ex quibus qui haurit,quantum,quando,& quomodo decet,probus est ; Respondeo, attinere ad vtramque facultatem,distincta ratione:ad Sensum,vt ad originem , & ad excitantem,ad Appetitum secundum propriam formam, quia commotio ad appetitum pertinet, cognitio Sensus excitat & dirigit, Appetitus verò exequitur & tendit ad finem.

Facultas non distinguitur ab essentia Animæ.

Controuersia.

Solutio.

8 *Dubitat. Ad quam facultatē pertineāt uoluptas, & dolor.*

RATIOCINANTIS autem Animæ, Phantasmata vt sensibilia sunt, si autem bonum aut malum affirmauerit, vel negauerit, tunc fugit, vel prosequitur, Propterea nunquam Anima intelligit sine Phantasmate. Cont. 30.

PRINCIPIA motus, siue prosequutionis, & fugæ in Iumentis, & Feris sunt solus Sensus, & eius Appetitus, in homine verò supra sensum est ratio, cum voluntate, & selectione, loquutus est Arist. de Sensu & eius appetitu, ut notioribus; Loquitur modo de Mente, siue ratione. Diuiditur Contex. in Tres partes; In prima ostendit Philosophus à quo mens moueatur, inquiens in mente id quod respondet sentibilibus erga sensum, esse Phantasmata, hæc enim ea sunt, quæ mentem excitant; In Altera parte patefacit, quomodo mens moueatur nam Primò excitatur à Phantasmate; Secundò, id iudicat & pro suo esse absoluto; Tertiò, cum subnotione & ratione boni vel mali, affirmando id esse sibi bonum, vel negando, nam ea propriè affirmat uel negat; Quartò, excitatur Appetitus ad prosequutionem & fugã; Colligit in Tertia parte quod vt Sensus nil intelligit sine sensibilibus, ita Mens nunquam intelligit sine Phantasmate. Intentio. Diuisio. Exposit. Quatuor subordinata pro appetitu.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristoteles explicaturus quomodo mens moueat, eam appellat nomine Dianoeticæ, hoc est Facultatis Ratiocinantis, & iure: nam Mens Ratiocinando est principium prosequutionis boni, & euitationis mali, id tamen non facit sine sensu intermedio, cum quo per selectionem nectitur, constituendo Minorem propositionem, quæ in Syllogismo practico est particularis. Consid. 1.

Considero Secundò, quod Arist. ait Phantasma esse illud quod perinde se habet ad Mentem, ac sensibile ad sensum, & cum Phantasma refulserit ex declaratione Phantasiæ, colligere valemus, quod Arist. etiam Obiectum Mentis prius declarauerit quam Mentem, vt in 2. de Anima est pollicitus, at oritur dubitatio, quia Obiectum Mentis uniuersale esse debet, vt sensuum singulare Phantasma autem singulare est, cum offeratur à Phantasia, quæ est singularium; Respondeo, Obiectum Mentis considerari dupliciter; Primò, vt mouet; Secundò vt iudicat; vt mouet, est Phantasma, actu singulare & sensibile, potestate verò vniuersale, & intelligibile; sic essentiæ materiatæ ab Arist. nuncupabantur intelligibilia potestate, hæc; ut mouent, antecedunt, & notiora sunt priusque declaranda, vt verò reddita sunt uniuersalia actu, & cognita, id habent ex Mente agente, ac ita refulgent partim ex notitia Mentis agentis, partim ex declaratione functionis muneris Mentis. 2 Phantasma est tãquam sensibile. Dubitat. Solutio.

Considero Tertiò, quod Arist. de Sensu dixit quando iucundum vel molestum iudicat, quasi affirmans vel negans, de Mente ait: cum bonum aut malum affirmauerit, vel negauerit, nam Mens verè bonum inspicit, ad idque tendit, & præsertim honestum, insuper verè affirmat & negat, sensus autem ad iudicandum contrahitur, nam hoc est quod sensu percipitur, illumque demulcet, ipsius autem honesti, & verè boni sensus ex se non est capax. 3

Considero Quartò, quod Arist. colligit nunquam Animam intelligere sine Phantasmate; Ait Animam, non Mentem absolutè, nam Mens ex se & absolutè non eget Phantasia, vt patet de Cælorum Mentibus, at, dum consideratur tanquam particula Animæ, per quam Anima, & per Animam Homo intelligit, sic Anima nunquam intelligit sine Phantasia: nam Anima, & Mens verè intelligit, Phantasia autem non intelligit, sed est id sine quo Mens iuncta Homini non intelligit, 4 Anima nil esse Phantasmata intelligit.

telligit,ex quo patet, quod dum Arist. in Contex. 20, dixit Mentem patientem interire,& sine ea Animam nil intelligere, per Mentem patientem non valuit denotare Mentem propriè sumptam,quia ea verè intelligit, siue principium est intelligendi,sed Phantasiam, quiá hæc illa est, de qua dicitur, quod sine ea Anima nunquam
5 intelligit. Considero Quintò, dicere Animam non intelligere sine Phantasmate, proculdubio verum est de Mente,vt est particula Animæ,& nobis iuncta : num autẽ absolutè,& vt est mens,ualeat sine Phantasia intelligere, in libris de Humana Mente declaraui; Academici tribuentes Animæ rationali Rationes,& Menti Ideas,putãt per eas Animam in se manentem,& Mentem,etiam sine Phantasia posse intelligere, quod etiam Auerroes tribuit Menti quam adeptam appellat, at, quicquid de ea sit, Arist.renuens insitas rationes Animæ, & mentis Ideas, ac insuper non tribuens menti memoriam,cogitur per distincta sua principia secus sentire; & saltem mens nobis iuncta non intelligit sine Phantasmate, pro origine sui modi intelligendi, quamuis deprompto ex Phantasmate Obiecto ualeat supra Phantasma eleuari, quod facit tãquam Linea circumflexa in se rediens, vt dicebatur in præcedentibus, ac ita in eius contemplatione aliquandiu valet persistere, ita tamen, vt semper Phantasiã habeat sibi comitem.

Academicos.

Cont.31. *QVEMADMODVM autem Aer Pupillam talem reddit, ea verò aliud, ita etiam auditus, extremum autem vnum est, & vna medietas, secundum esse autem plura sunt; Quoniam autem iudicat quomodo differt dulce ab albo, supra dictum est, & etiam*
32 *dicendum, est enim vnum aliquid. & ita vnum vt terminus; Et hæc vnum sunt secundum proportionem, & numerum quem habent ad vtrumque, quemadmodum illa inter se; Quid enim differt dubitare quonam pacto ea quæ eiusdem sunt generis iudicat, aut contraria, vt album, & nigrum Esto sanè vt ipsum A. album, se habet ad B.nigrũ; Ipsum G. ad ipsum D. vt illa inter se, quare & conuersim, si sanè ipsa G. D. vni inessent, ita se habebunt, quemadmodum ipsa, A. B.idem quidem & vnum, esse autem non idem & illud similiter; Eadem au-*
33 *tem ratio est, si A. quidem dulce sit, ipsum vero B. album; Facultas itaque intelligendi, species in Phantasmatibus intelligit, & quemadmodum in illis ei præfinitum est quid persequendum, quidque vitandum sit, ita etiam extra sensum, cum in Phantasmatibus fuerit, mouetur, vt sentiens facem, ignem esse communi cognoscit, videns verò eã moueri,hostem esse; Aliquando autem in iis quæ sunt in Anima Phantasmatibus aut Mentis notionibus, quasi videns ratiocinatur, & ad præsentia respiciens, consultat de futuris.*

DIXE-

DIXERAT Philosophus Aiam sine Phantasmate nil intelligere, veluti nec Sẽsus sine externis sensibilibus; Intentio eius modo est, id explicare, & exemplo Cõmunis Sensûs patefacere, quomodo se habeat ad suas munerum functiones; Diuiditur præsens Contex. in Tres partes; In Prima declaratur quomodo Communis Sensus se habeat ad uaria sensibilium genera, quæ iudicat & ab inuicẽ secernit; Secundò id exemplo per Elementa Grammaticæ, elucidatur; Tertiò id quod de Communi Sensu dictum est, refertur ad Mentem; Inquit in Prima parte, (quemadmodum) indicando ea quæ dicuntur de Sensu, esse transferenda ad Mentem; In Sensu autem primo externa sensibilia mouent externos sensus, veluti Colores per Aerem spiritaliter formant Pupillam, per quam deinde mouetur, & formatur Sensus Communis; Similiter soni mouent aures, per quas similiter Cõmunis Sensus mouetur, nam extremum externorum quinque Sensuum unum est, & medietas una, æquè apta recipere extrema, & tanquam intermedium quoddam Centrum; quod tamen ut distinctarum motionum, tanquam distinctarum Linearum terminus, ipso Esse & Ratione distinguitur; De hoc Communi Sensu in præcedentibus dictum est, quomodo differentiam noscat inter Sensibilia distincti generis, ut inter dulce & album, quod etiam repetendum est: nã Communis Sensus fundamento, & pro absoluto, & tãquam cõis terminus, vnus est, termini.n. distinctorũ sensibilium sunt unũ proportione, quia Sensus Cõis vt se habet ad vnũ, ita ad alterum; Insuper, sunt idem numero, hoc est pro absoluto, & fundamento, nam Sensus Communis consimiliter se habet ad vtrunque distinctum sensibile, & quemadmodum ea sensibilia inuicẽ sunt vel distincta, vel consimilia, ita rationes per quas Sensus Communis eorum est terminus & Iudex inter se distinctę, & similes sunt; Quid enim refert dubitare, &c. Hæc est pars Secunda, in qua attinentia ad Communem Sensum per Elementa Grãmaticæ patefacit, inquiens, nil referre siue dubitemus de contrarijs eiusdem generis, quę etiam ab eodem externo Sensu internoscuntur, veluti de albo & nigro, siue de his quæ sint distincti generis, vt de albo & dulci, semper enim ab eadem facultate, distincta ratione apprehenduntur, & inter se distinguuntur, veluti si terminus, & propria ratio per quam Communis Sensus attingitur ab albo dicatur A. per quam verò à nigro B. Ea uerò per quam attingitur à dulci, C. ab amaro autem D. vt A. se habet ad B. hoc est vt ratio albi se habet ad rationem nigri, quæ sunt eędem genere, distinctæ specie, fundamento tamen non distinctę: ita ratio dulcis se habet ad rationem amari, sunt enim eędem fundamento, & pro absoluto, distinctæ, ratione; Quare per commutatam proportionem vt se habet A. ad C. ita B. ad D. hoc est, vt se habet ratio albi, ad eam dulcis, ita nigri, ad eam amari, nam sunt distinctę genere, eędem autem fundamento, quod iudicans ea quorum sunt termini, secernit illa ab inuicem, vel consimilia esse iudicat; Facultas itaque intelligendi formas in Phantasmatibus intelligit, &c. Hęc est pars Tertia, in qua Philosophus dicta de Communi Sensu transfert ad Mentem: nam Phantasmata proportione respondent externis sensibilibus Sensum mouentibus, & quemadmodum, in externis sensibilibus præfinitum est quid persequendum, vel fugiendum, id enim præfinitum est per iucundum, & molestum, ita seorsum à Sensu id præfinitum est in Phantasmatibus per bonum & malum, quod à Mente iudicatur, & ob id iubet prosequi, vel fugere, quod fieri potest cum præsentibus sensibilibus, cum absentibus, præsentibus quidem, ut si miles in oppido defensionis gratia constitutus inspiciens eminus facem, Communi Sensu in quem Visus definit, iudicat flammam, & ignem: at mox inspiciens eam accedere, propria Mentis ratione iudicat esse hostilem, sibique aduersam, & tunc paratur ad defensionem, quasi dicat custodes accedente hoste, tenentur parari ad defensionem; Ego sum custos, & hi sunt hostes, qui accedunt, quare teneor ad defensionem parari; Id etiam fieri potest absentibus sensibilibus, quod Aristot. declarans ait: Aliquando autem in ijs quæ sunt in Anima Phan-

Intentio

Diuisio.

Expositi.

tasmatibus, &c. Hoc est nonnunquam absentibus sensibilibus id fit à Mente per Phantasmata seruata, eique oblata, nam circa ea uersatur tanquam illa inuens, & per presentes circunstantias ratiocinatur & consultat de medijs quid sit agendum pro bono aliquo assequendo, vel malo vitando.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Mens similis est Sensui cõmuni.

CONSIDERO Primò, iure optimo Aristot. per attinentia ad Sensum Communem, patefacere attinentia ad Mentem: nam Mens Communi Sensui est similis, Communis, sensus est Centrum & terminus sensibiliũ, Mens intelligibilium, ille noscit differentias sensibilium omnium, hæc intelligibilium, ille in sensibilibus percipit iucundum, & molestum, hæc in intelligibilibus bonum & malum, ille excitat ad prosequendum iucundum & uitandum malum, hæc id facit erga bonum & malum; Et demum, ille est iudex internus, & medius sensibilium, Hæc est iudex & absolutè domina cunctarum animæ Facultatum. Con-
2 sidero Secundò, quod facultas iudicans similia, distincta, & contraria, iure id dicitur facere ratione, vel simili, vel distincta, vel contraria: nam ut materia distinctis facultatibus recipit formas distinctas, ita facultas noscens, id facit distinctis rationibus, quod verum est, siue recipiat ut Subiectum, siue ut iudex iudicet Obiectum, id verum enim est, siue sit recipiens, siue sit iudex, nam iudex distincta ratione est iudex distinctorũ; Præterea, id maximè est uerum de iudicante, quia per iudicium dicitur fieri res, quam iudicat, & non valet eadem ratione, & relatione fieri varia; Et dum dico facultatem noscentem distincta Ratione iudicare distincta, nomine Rationis nõ eas denoto, quas Plato Animę insitas affirmabat, eas enim renuit Aristot. sed eas quas Aristot. explicat, inquiens distingui ipso esse, hoc est relatione, definitione, facultate, & (vt ita dicam) formalitate; Sic facultates per Obiecta distingui dicuntur. Consi-
2 dero Secundò, quod dum aliqua facultate noscitur similitudo vel differentia inter duo, id iudicium partim est unum, partim sunt duo; est unum, quia similitudo est Ratio vna, quæ una Definitione circumscribitur; Similiter, contrarietas, siue dissimilitudo; Sunt autem duo quatenus similia uel cõtraria duo sunt, & propterea facultas quoque iudicans partim vna, partim duplex esse debet, vna fundamẽto, & numero, vt etiã materia & priuatio
3 in 1. Phys. dicuntur unum Numero, duplex autem Ratione; Consi-dero Tertiò, quod Aristot. de Mente ait, quod intelligit species, siue formas in Phantasmatibus: nam Obiectum proprium Mentis, non est Phantasma, id enim singulare est, sed Species, Forma, & Essentia, quæ per Phantasma offertur, & est Vniuersale, ideo dicitur eam speciem in Phantasmatibus intelligere, nam quanuis etiam noscat Singularia, id tamen non est eius proprium, sed commune cum Sensu, & recipit à Sensu: nos autem
4 vnicuique id tribuere tenemur, quod est eius proprium; Consi-dero Quartò, quod Aristot. ait, ut sentiens facem; ignem esse Communi cognoscit, quid denotet per Cõmunem, non constat, dixi ego, denotari Communem Sensum, cum quo etiam Phantasia nectitur, id enim non est iudicium proprium Mentis, sed Sensus Communis, cũ quo nectitur Phantasia, dum debet esse principium motus; Dicitur autem Communis quadruplici ratione, Primò, quia est tanquam commune centrum Sensuum externorum; Secundò, quia ei respondent sensibilia communia, ideo dicebat Aristot. nos communium habere Sensum Communem; Tertiò, quia non est proprius Hominis, sed communis omnibus Animalibus; Quartò, quia est communis Corpori & ex eo pendet, de quo Communi ait Aristot. in 1. de Anima, Contex. 66. amare & recordari non Mentis, sed communis esse affectiones. Auerr. autem id exponit, inquiens accipi Ignem vt signum commune vtrique parti, vel commune quia pro ratione dirigente ad motum accipitur, pro prima, & communi propositione, in quibus expositionibus reijciendis non moror, quia parum refert, cum sit exemplum. Consi-dero

Quid denotet nomine Rationis.

Cur Sensus dicatur Communis.

Quintò, quod Aristot. ait etiam à Mente dirigi actiones & motus, absentibus externis sensibilibus, dum uersatur in Phantasmatibus singularium, Memoria seruatis; inquit (aliquando) quia non semper circa absentia versatur; ait (quasi videns) quia ei tribuitur Oculus per Metaphoram; Addit (in Phantasmatibus,) quæ in anima, quia Phantasmata hoc est simulachra, & imagines etiam nonnunquam apparent extra Animam; addit, (aut Mentis notionibus,) quia ex Phantasmatibus Mens elicit notionem propriam, in qua proximius refulget conditio Obiecti; Considero Sextò, quod Aristot. inquit Mentem Ratiocinari & consultare de futuris, inspiciendo præsentia, consilium non est de his quæ facta sunt, sed de futuris, & efficiendis: neque est de fine sed supposito fine, quæritur, per quæ media debet attingi, & id fit considerando præsentia, hoc est, circunstantias omnes præsentes, veluti qualis est nostra conditio, quales sunt vires, an sit tempus oportunum, qualis sit occasio siue iniuria, qualis sit inimicus, & alia consimilia, per quæ pręsentia monemur, quid, quando, quomodo, & per quę operari debeamus; Considero Septimò, quod pulchra se offert Dubitatio, cum Mens operetur & dirigat ad actiones & motus, nedum absentibus, sed etiã pręsentibus sensibilibus unà cum externis sensibus, quæritur, num tunc proximè & sine medio operetur cum externis Sensibus, vel potius semper id faciat per mediam Phantasiam, & Sensum Communem; Nonnulli uiri docti putant id facere sine medio, ut etiam Simplicius nititur ostendere: nam Phantasia non circa pręsentia, sed circa absentia uersatur auxilio Memoriæ; Insuper, attentio ex Mente pendet, & dum attentè uersatur Sensus circa Obiectum, id facit munere Mentis; hinc dicitur, Mens est ea quæ uidet, & ea quę audit; Aduersa tamen opinio mihi uidetur uerior, quia facultates subordinatę ita se habent, ut extrema non operetur, cum extrema, nisi per intermedias; Insuper, tunc Mens operari posset sine Phantasmatibus, & sine Phantasia, cuius oppositum sępè profert Aristot. Et quanuis Phantasia magis appareat circa absentia, tamen etiam circa præsentia operatur, & est Principium motus circa præsentia; Attentio etiam seruatur sine Mente, ut Feles attentissimè expectant Mures, & Canes Lepores; Et dum dicimus, quod Mens uidet, & audit, id partim est uerum per Metaphoram, partim quia accuratè, & distinctè noscit, quę ei per Sensus offeruntur; Prima tamen opinio magis approbanda uideretur, si essentiam Mentis statueremus non distinctam ab ea Sensuum, ut est absoluta ueritas; Aristot. tamen huiusmodi essentias iudicauit distinctas, quarum unam mortalem, alteram iudicauit æternam.

5 6 *Quomodo Mens consultet de futuris.* 7 *An Mẽs sine medio operari valeat cũ externis Sensibus.*

ET cum dixerit vt ibi esse rem iucundam, vel molestam, tunc fugit, aut prosequitur, & omninò in actione versatur; quin etiam Verum & Falsum, quæ sine actione sunt, in eodem sunt genere, quo Bonum & Malum, sed ipso simpliciter differunt, et alicui. Cont. 34.

LOQVEBATVR Philosophus de operibus Mentis, per quæ Homo dirigitur ad agendum, dicebatur, eam versari circa præsentia, & absentia, indagando consultatione media congruentia: nunc verò, vt etiam de contemplatione loquatur, considerat distinctos Mentis fines; qui sunt Bonum, & Verum, unus pertinet ad actionem, alter ad contemplationem; Diuiditur Contex. in Duas partes; In Prima sermo est de fine actionis; In Altera contemplationis; Ait in Prima parte: Cum Mens dixerit, hoc est iudicando intrinsecus affirmauerit, vt in attinentibus ad Sensum, Sensus iudicat iucundum, & molestum, ita subintellige in attinentibus ad Mentem, ea iudicans Bonum & Malum, tunc per ap-

Intentio. Diuisio. Exposit.

petitum qui sequitur cognitionem, fugit Malum, prosequitur Bonum, & omninò, vt vniuersè proferatur Sententia, versatur in actione; Quin etiam Verum & Falsum, &c. Loquitur de fine Contemplationis & est Verum & Falsum quę dicuntur in eodem esse genere, cum Bono & Malo, nam ut Bonum se habet ad Mentem agentem; ita Verum ad Contemplantem, & ita sunt eiusdem rationis, & conditionis, differunt tamen ipso simpliciter, & alicui, nam Verum simpliciter dicitur Verum, & quod est Verum uni, est uerum cunctis, Bonum non sic se habet, frequenter enim Bonum uni, non est Bonum alteri, vt exercitium est Bonum Iuueni, Seni non Bonum.

ANNOTATIONES.

Cõsid. 1. Phãtasia quorum Dux.

CONSIDERO Primò, quod in iumẽtis, feris, & pueris, ante vsum rationis, dux, & domina est Phantasia; Hæc præsertim ducit secundum instinctum Naturæ, secundariò autem per cognitionem; Hæc vna cum Sensibus sine interna cum Ratione pugna, tendit ad iucundum, & vitat pro facultate molestum, & solum de bono corporis, & voluptario est solicita; In homine dum vtitur Ratione, Phantasiæ præest Mens consultrix, & ut Phantasia Bonum quærit voluptarium, ita hæc solicita est de Bono eminentiore, & rectæ Rationi consentaneo; Ambæ hæ facultates quærunt Bonum, sed varium; Ambæ operantur cum cognitione, Phantasia tamen magis ducitur instinctu naturæ, Mens verò liberior est, utriusque operatio nil aliud est, nisi prosequutio, & fuga, quod indicauit Aristot. inquiens: Tunc fugit, aut prosequitur, & omnino in actione versatur. Consídero Secundò, Mentem diuidi in operantem, & contemplantẽ; quæ non essentia, sed sola ratione distinguuntur, vna solicita est de Bono, altera de Vero, ea dicitur versari circa Finem, cuius conditio est Bonum; altera circa Obiectum, cum quo dum conformatur, dicitur Verum: per Primam Homo absolutè denominatur vir probus, vel improbus, quia ad eam pertinet rectus, & præposterus vsus rerum, & moderatio perturbationum Animi, per alteram Homo non denominatur probus; vel improbus, sed Sapiens, siue sciens, & ignarus; In attinentibus ad cognitionem Mens inspectrix domina est, & alteri principia tribuit, ac ita altera redditur particeps Veri; In attinentibus verò ad vsum, & probitatem, contra Mens inspectrix ab altera dirigitur, & per eam statuitur quibus scientijs, quando, & usque ad quem terminum in Vrbe danda sit opera, ut dicitur in 1. Nicomachiorum; Sic itaque Arist. hanc Mentis diuisionem indicans, duplicem statuit Mentis Finem. Considero Tertiò in dubium verti, quomodo Mens inspectrix non ad Bonum; sed ad Verum tendat, omnis enim Methodus, & actio est gratia Boni, ut dicitur in principio Nicomachiorum, Contemplatio autem est actio, & Methodus; Confirmatur: quia contemplatio tendit in Summum Bonum in contemplatione positum; Respondeo Bonum vsurpari dupliciter, uel pro attinente ad hominis probitatem, contradistincto à Vero; vel latè pro quouis actu, & perfectione, quod diuiditur in Bonum contemplabile, & Bonum agibile; Similiter contemplatio consideratur dupliciter, uel cum relatione ad Obiectũ, & dicitur uera, vel falsa, vel ut actio cum suis circunstantijs congruenter facta. His assumptis, dico Primò, contemplationem relatam ad Obiectum dici Veram, uel Falsam, non autem Bonam ea probitate, per quam actio dicitur proba, & homo per eam, Bona tamen est Bono in contemplatione posito, quòd dicitur Verum; Addo Secundò, contemplationem consideratam tanquam actionem, & cum suis circunstantijs, dici posse Bonam, & Malam; Sic Sapiens in sua Vrbe contemplans, quando, quantum, pro quo, & quomodo, dicetur rectè agere, at, si secus, contra se habet, ut damnandus esset uir sapiens, si dum teneretur parare victum pro filijs, uel pro patria pugnare, uellet morari in cõtemplatione rerum; Ex his patet solutio difficultatis, & aduersarũ rationum. Considero Quartò, quod Aristot. videtur diminutus, quia nedum datur

Omnis operatio est prosequutio, vel fuga.

2 *Mens cõtẽplans et operans.*

3 *Dubitat.*

Solutio.

Resolut.

4

actio,

actio, & contemplatio, sed etiam effectio, ex mente pendens ad Artes pertinens, de qua Arist. nil dicit, hinc Mens diuiditur in agentem, efficientem, & contemplantem; Respondeo, Aristot. considerasse Mentem operantem, & contemplantem, per operãtem autem denotasse agentem, & efficientem, ea respicit Bonum honestum, hæc vtile, præsertim tamen de agente est loquutus, quia est magis propria Hominis, & magis conspicuè quærit Bonum, & verius Bonum. Solutio. Considero Quintò, quod Arist. ait Verum, & falsum esse in eodem genere cum bono, & malo, quod est dubium, & præsertim quia Aristot. in 6. Metaphys. Contex. 8. ait non est Verum, & Falsum in rebus, vt Bonum, sit Verum, Malum, Falsum, sed in Mente, hinc Auerr. ait, Bonum, & Malum, sunt in rebus, Verum, & Falsum in Anima, sic multa sunt Vera, quæ tamen non sunt Bona, ut de patricida, quod occiderit Parentem suum; Respondeo, non dici eiusdem generis quia de omni Vero prædicetur Bonum, & de omni Falso Malum, hoc enim est id quod renuit Arist. in 6. Metaph. sed sunt eiusdem generis Analogici, quia vt se habet Bonum ad Actionem, ita Verum ad Contemplationem; Insuper, sunt eiusdem generis ab vno, quia Bonum uniuersè sumptum diuiditur in Agibile, Effectibile, & Contemplabile: nam Verum vt Verum, Bonum est, quamuis ex accidenti ex parte rei de qua est, possit esse malum, vt apparuit, & dicebatur ab Aristot. 5 *Q ũo Verũ & Falsum sint in eodem genere cũ Bono & Malo.* *Solutio.* Considero Sextò, quod Arist. ait, Verum, & Bonum distingui ipso simpliciter, & alicui, nam verum dicitur simpliciter, quia non est per relationem ad personas, sed Verum vni, est Verum omnibus, Bonum autem non sic se habet, nam Bonum vni, potest esse Malum alteri, vt habere duos pedes Bonum est Homini, malum Equo; At, oritur Dubitatio quia etiam Bonum diuiditur in Bonum simpliciter, & alicui; adeò, ut etiam detur Bonum simpliciter, veluti Bona Fortunę, & Naturæ, ab Aristot. in lib. de Moribus dicuntur Bona simpliciter, quæ tamen possunt nonnullis esse mala; Hinc ait Aristot. enitendum esse, ut per Bona nobis, ueluti per Prudentiam ea reddantur nobis Bona, quæ sunt simpliciter Bona, ueluti munera Naturæ, & Fortunæ. 6 *Dubit.* Respondeo Aristot. loqui non de Bonis Naturæ, & Fortunæ, sed de Bono agibili, quod potest uni esse Bonum, & non alteri; Insuper Bonum simpliciter adhuc differt à Verò, quia quamuis sit Bonum simpliciter, & sui conditione, potest alicui ob eius deprauationem esse Malum; de Vero non sic se habet, nam Verum simpliciter, etiam unicuique Verum est. *Solutio.*

VAE verò in abstractione dicuntur, intelligit vt Simũ, quod quatenus quidem Simum separari nequit, quatenus verò curuum, si quid actu intelligeret, sine carne intelligeret, in qua est curuum, sic Mathematica non separata tanquam separata intelligit, cum illa intelligit. *Cont. 34.*

LOQVENS Philosophus de modo quo fieret intelligere, explicata apprehensione Simplicium, & compositione, quia per Tertiam operationem quæ est Ratiocinatio, dirigitur ad agendum, & contemplandum; Patefecit Primò tanquam notius, quomodo ad Bonum, & ad agendum tendat; Mox quomodo ad Verum referatur, explicare cœpit; Et quia speculatio esse potest vel Physica, vel Mathematica, vel Diuina, Prima est concreta, & cum materia Physica; Secunda ex abstractione à materia Physica, at, non à Mathematica; Tertia de abstractis; Arist. Primò loquitur de Mathematicis vt conueniunt cum Physicis, Secundò, de illis vt differunt; Tertiò, dubitat de Diuinis; Præsens Contextus diuiditur in Duas partes, quatenus de duobus primis est sermo; Inquit in Prima parte: Quæ in abstractione uocantur, hoc est, Mathematica, quæ tanquam media inter Physica & Diuina dicuntur communi Philosopho- *Intentio. Diuisio.* *Expos.*

losophorum nomine, in abstractione, siue ex abstractione: nam Mathematicæ uersantur in Quanto Physico, Mente & Ratione à materia Physica seiuncto, & abstrahunt posterius à priore, hoc est Accidens à Substantia, quod fieri potest scientia non perfecta absolutè, sed in suo genere, veluti sunt Mathematicæ, quæ sunt quidem certæ, cũ abstrahãtur à materia, at, non ob id sunt Scientiæ absolutè perfectæ, ut alibi patefeci; Sic itaque mens Mathematica intelligit, ut Simum, quod considerari potest dupliciter; Primò, ut Simum, hoc est compositum ex carne nasi, & curuo, & hoc fit habitu Physico; Secundò, ut curuum, considerando solam Figurã, quæ definitum Subiectum non exposcit, & hoc facit Mens habitu Mathematico.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Mathematica sunt scientia certa at non absolutè perfecta.

CONSIDERO quod Mathematicæ scientiæ dicuntur certæ, quia uersantur in Quanto, quod est accidens commune, satis conspicuum, idq; abstrahunt à materia, origine inconstantiæ & incertitudinis, & abstrahendo nõ considerant interna, & latentia Principia, ueluti est Substantia; & quia sine Substantia non possunt Accidentia perfectè, & absolutè nosci, hinc Mathematicæ dicuntur certæ, at non absolutè perfectę; Metaphysicus, & Physicus exactius Quantum cognoscunt, quia Metapyhlicus id ut accidens refert ad Subiectum; Physicus verò vt affectionem Corporis Physici, refert ad corpus Physicum. Considero 2 Secundò, quod Arist. in præcedentibus dixit, Mathematica esse ut Simum, & esse cũ materia, nunc uerò ait Mathematicum considerare Simum, hoc est complicatum cũ materia, non ut Simum, sed vt curuum: nam Mathematica pro suo esse absoluto sunt ut Simum, hoc est iuncta cum materia considerantur tamen à Mathematico, non ut Simum, sed vt Curuum; Sed duplex apparet controuersia; Vna est, quia Mathematica hic dicuntur esse, vt Simum, in 2. Phys. dicuntur esse non ut Simum, sed ut curuũ; Altera est, quia Arist. in Contex. 11. dixit à Mathematico considerari rectum, ut Simum, quia consideratur cum continuo, hic negat ab eo considerari, ut Simum, sed vt curuum; Soluitur prima controuersia, dicendo Mathematica partim esse ut Simum, partim non, sunt ut Simum, quia pro esse absoluto sunt cum materia, non sunt vt Simum, quia nõ sunt cum materia definita & proxima, ut Simum; Soluitur altera, quia Mathematica consideratio est tanquam Simi; ob materiam Mathematicam, non vt Simi ob materiam Physicam. Insuper, vt elicitur ex 2. Phys. 20. dicere ualemus Geometram in origine uersari in Simo, in fine uerò in curuo, nam orditur à figura existente in materia, & desinit in eam à materia secretam.

Duplex cõtrouersia.

Solutio.

Cont. 36. *OMNINO Mens actu intelligens est res ipsæ; An verò fieri possit, vt ea à magnitudine non seiuncta, separatorum aliquid intelligat, vel ne, postea considerandum.*

Intentio. Diuisio.

LOQVEBATVR Philosophus de Mente, quæ pro actione in Bonum tendit, pro contemplatione in Verum; Contemplatio potest esse vel Physicorum, vel Mathematicorum, vel Diuinorum, loquutus est de primis, superest vt loquatur de Diuinis, de quibus in hoc Contex. uerba facit, qui diuiditur in Duas partes; In Prima de Mentem actu regulam profert, quę est tanquam summa dictorum, & est, quod Mens actu intelligens est res ipsæ, quatenus cum eis conformatur, & spiritaliter, ac per imitationem, dicitur id fieri quod intelligit; In Altera loquitur de Diuinis à materia seiunctis, inquiens, posterius esse considerandum, an Mens non seiuncta à Corpore, & Magnitudine, valeat aliquid separatorum intelligere; Ratio huius dubitationis est: quia dixerat, fieri res ex abstractione, quod

ne, quod

ne, quod ei non competeret, nisi sui conditione esset abstracta; At, cum id faciat iuncta Magnitudini, & Phantasiæ, iure in dubium verti potest, num ita iuncta valeat aliquid separatorum intelligere.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Mens ante quam intelligat, dicitur potestate omnia intelligibilia, & nihil actu; Insuper, dicitur locus specierum potestate, dum verò intellexerit, dicitur omnia facta; Præterea, dicitur conformari cum his quæ intelligit, sic Mens potestate, est res potestate, prædita habitu, est res habitu, actu contemplans, est res actu, est res per cognitionem, imitationem, repræsentationem, & spiritaliter, per Primam operationem, est res pro esse simplici; in Secunda pro esse composito, in Tertia, cum Ratione; Mens per habitum Physicum est res modo Physico, per Mathematicum, modo Mathematico, per Metaphysicum modo Metaphysico; Præterea, Mens per habitum inspectricem, est res in esse cognito, per habitum Practicum, est res secundum actionem, per effectricem, secundum effectionem; Hinc ait Aristot. 7. Metaphys. Artem Medendi modo aliquo esse sanitatem, & in 12. Metaphys. 18. legitur etiam Artificiosa fieri à simili; Demũ, Mens Primo & propriè est suum Obiectum proprium, Secundariò & per consequutionem, est reliqua omnia. Considero Secundò, quod Aristot. dubitans de abstractis ait, an fieri possit: nam id esse difficile ex parte nostri, constat, dubitatio est de possibili; Addit (à Magnitudine non separata) indicans fortè, quod ut abiuncta in se manens & non participata intelligit se, & ea, dubitatio est an id ei competat ut nobis iuncta, & participata, adeò, vt intellectio nostra sit, non eius tantum; Insuper, inquit, separatorum aliquid, non attributorum aliquod, ueluti quod sit motor, sed attinens ad essentiam; Insuper, aliquid, quia Mens nostra est infima, nam supremarum Mentiũ, conditio est, separata exactè intelligere, exactissimè autem ipsius Dei est proprium; de quo legitur, quod ipse solus Deum intelligit, ideo de nostra Mente ut infima, dubitat, an saltem aliquid valeat intelligere. Considero Tertiò, iure optimo queri posse, cuius Philosophi officium sit considerare num Mens hominis ualeat separata cognoscere, & quæ est ratio quod Aristot. propositam hanc difficultatem modo non soluit; Pro Solutione dico, duo quæri posse; Primum, an Mens, & ex materia non pendens, separata intelligat per essentiam? Alterum est, an nobis iuncta, & cum Phantasia operans, ualeat aliquid eorum intelligere; Primum profectò pertinet ad Metaphysicum, ad quem etiam pertinet considerare Mentem absolutè, ut Mens est, ut dicitur in 1. de partibus Animalium, & in 12. Metaphysicæ per declarata de separatis Mentibus uaria refulgent attinentia ad Mentem Hominis, de qua sæpè fit mentio; Alterum quod de Humana Mente quæri posse dixi, pertinet ad Physicum, & ad partem hanc in qua est sermo de his quæ competunt Menti, ut nobis iunctæ, & pro hac parte soluetur dubitatio in Cont. 39. ut patebit. Considero Quartò in dubium uerti id quod quæritur ab Aristot. num mens ualeat intelligere aliquid separatorum, nam separata sunt simplicia, & ideo uel attinguntur, uel ne, ut dicitur in 9. Metaphysicæ, 22. non autem partim possunt attingi, partim non, cum partium sint expertia; Soluitur, dicendo simplex dupliciter posse considerari; vel ex parte sui, ut simplex est, ac ita uel attingitur, uel ne; Vel ex parte nostri modi intelligendi, per genus, differentias, & attributa uaria, ac ita ualemus noscere unum, & non aliud; Sententia Aristot. in 9. Metaph. non obest, quia solum affirmat in simplicium apprehensione non reperiri falsum, ut etiam dicebatur in præcedentibus, non autem quod nequeunt partim attingi, partim non, eo modo quem retuli. Considero Quintò, quod Arist. uidetur sibi non constare: nam in 4. Contex. dixit Humanam Mentem omnia intelligere, in 8. ait cum fuerit singula facta, mox affirmauit Mentem Potestate esse aptam omnia fieri, Agentem omnia

Consid. 1.

Quo Mens cũ rebus conformetur.

2

3

Ad quem pertineat cõsiderare an Mens nostra noscat abstracta.

4

Dubitat.

Solutio.

5

Controuersia.

omnia facere, modo autem sub dubio dereliquit an ualeat intelligere Substantias separatas; Respondebit fortè aliquis, quod mens, intelligit omnia, at Dubitatio est an
Solutio. intelligat omnia ut nobis iuncta. Hæc Solutio non est approbanda, quia ita intelligi debet in 4. Contex. quod Mens intelligit omnia, vt in 1. proponebatur considerandа; At, proponebatur consideranda vt particula Animæ, & nobis iuncta; Propterea dicamus, Aristot. tunc retulisse mentem ad proprium Obiectum, ex quo & non ex alio elici debet conditio mentis, Obiectum proprium est essentia materiata, quæ dicebatur intelligibile potestate, quod per Agentem redditur actu, ac ita ex hoc Contex.
6 elicitur approbatio relatæ expositionis. Considero Sextò, ex uerbis Aristot. elici
Pro immortalitate Humanæ Mentis. Humanam Mentem ex materia non pendere, & esse immortalem, nã dubitat de mente non absolutè, sed ut iuncta magnitudini, intelligat abstracta, quo loquendi modo conspicuè supponit mentem posse etiam considerari ut abiunctam à magnitudine, alioquin frustra addidisset ut à magnitudine non seiuncta, sed absolutè dubitasset an mens nostra ualeat intelligere aliquid Separatorum.

Cont. 37. *NVNC autem quæ de Anima dicta sunt summatim colligentes, dicamus iterum, quod Anima quodam modo est omnia quæ sunt, nam ea quæ sunt, vel sunt sensibilia, vel intelligibilia; Est autem scientia quidem quodam pacto scibilia, sensus autem sensibilia; Quomodo autem hoc sit, opportet inquirere, secatur igi-*
38 *tur Scientia, & Sensus in ipsas res, qui quidem potestate in ea quæ sunt potestate, qui verò actu, in ea quæ actu sunt, ipsius enim Anima sensitiuum, & quod scire potest, potestate ea est, unum scibile, alterum, sensibile; Necesse autem aut ipsa, aut species esse, non quidem ipsa, non enim lapis est in Anima, sed species eius: Quare Anima est perinde ac manus, nam manus est instrumentum instrumentorum, Mens autem forma formarum, & sensus forma sensibilium.*

Intentio. Diuisio. VM Philosophus cumulatè de Sensibus, & Mente uerba fecisset, in calce summam dictorum colligit, & in unum tanquam caput ea redigit; Diuiditur Contextus in Tres partes; In 1ma, colligitur summa dictorum; In Altera distinctè explicatur; in Tertia,
Expositio. exemplo manus conditio Mentis illustratur. Sententia primæ partis est, quod summatim colligentes, & in caput unum declarata de Anima iudicante redigentes, dicimus Animam esse quodam modo, nimirum spiritali, & per cognitionem, ea omnia quæ sunt, quia ea quæ sunt, vel sunt sensibilia materiata, & singularia, vel sunt intelligibilia, & scibilia, Anima per sensum est sensibilia, per Mentem scibilia, & intelligibilia, quare est omnia: Quomodo autem hoc est, oportet inquirere, &c. In hac Secunda parte distinctè explicat id quod dixit, inquiens sensum, & Mentem secari in res, nam dum considerantur vt sunt potestate, secantur in res ab eis noscendas potestate, dum verò considerantur vt actu, vel habitu, iudicant; Similiter, secantur in eas actu, nam potestas est modo aliquo res potestate, actus verò actu, & ideo iure in eas dicitur diuidi; At dum dicimus Animam potestate, vel actu esse rem noscendam, ea res potest dupliciter cõsiderari; Vel secundum esse materiatum, & principale; Vel secundum speciem sine

materia,

materia,& esse spiritale, Anima est res non primo modo, non enim lapis est in Anima,sed secundo modo. Quare Anima est perinde ac manus,&c. In hac Tertia parte pro illustranda sua Sententia vtitur exemplo manus, cui recta quadam ratione Anima respondere videtur, vt enim manus est instrumentum instrumentorum, ita Anima per Mentem est forma formarum, per Sensum verò est forma sensibilium.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Sensum & Mentem eximia connexione iungi, ambæ enim hæ facultates iudicant, & sibi mutuo opem ferunt, ideo Aristot. cõtinuato sermone de illis egit; Insuper, simul patefecit Methodum, qua sunt hæ facultates explicandæ,& modo simul in caput redigit ea, quę de illis dicta sunt, quæ cum pertineant ad iudicium, per quod spiritaliter fiunt res, ideo hoc commune de illis colligit, vt diuidantur in res. Considero Secundò, quod Sensus & Mens, potius dicuntur diuidi in res, quam ut res; Ratio est: quia considerantur, vt sunt res in esse cognito, & ideo in eas dicuntur diuidi, nam Primò sensus & mens diuiduntur in res, quia Sensus sunt Sensibilia, Mens verò Intelligibilia; Secundò, quia vt Sensus potestate est res potestate, Sensus verò actu, res actu, ita mens; Tertiò, Sensus, vel est sensibilia communia, vel propria; Quartò, Sensus diuiditur in varia genera sensibilium, & in varias eorum oppositiones; Idipsum dicendum de mente; Et quemadmodum considerando facultates noscendi ut fiunt res, dicuntur diuidi in res, ita considerando res ut Obiecta earum facultatum, dicere valemus facultates diuidi, & definiri per Obiecta. Considero Tertiò, Quatuor reperiri quæ dici possunt esse omnia; Mundus, Materia, Anima, & Deus, Mundus dicitur cunctorum ordinata series, Materia dicitur facultate omnia, Anima ut apparuit, & Deus eminentissimè omnia est, Homo Anima præditus dicitur paruus Mundus, & uario modo est omnia; Primò, quia cunctorum quæ in Vniuerso sunt portionem includit, ętemorum, & mortalium; Secundò, quia est aptus uiuere uitam omnem, & Brutam, & Humanam, & modo quodam Diuinam; Tertiò, quia per cognitionem est aptus fieri omnia, & exactius uir sapiens est omnia, quam insipiens; Hinc ille dici potest Mundus completus, hic uerò inchoatus. Considero Quartò, ea quæ sunt, diuidi in sensibilia, & intelligibilia, quæ diuisio in duplici significatione traditur; Nonnunquam per sensibilia denotantur omnia materiata, per intelligibilia uerò, ea quæ actu sunt separata, in qua significatione traditur in 1. de partibus Animalium, & in hoc lib. Contex. 16. dum dicitur quod uerè intelligibile etiam intelligit; In Altera significatione traditur, denotando per sensibilia, cuncta singularia materiata, sub sensum cadentia, per intelligibilia uerò vniuersalia, veluti in 1. Physic. dicitur sensum esse singularium, mentem uerò uniuersalium, in qua significatione modo profertur, & ob id intelligibilia, mox dicuntur scibilia, nec possunt includi separatæ Mentes, quia sub dubio dereliquit, An mens magnitudini iuncta ualeat eas intelligere. Considero Quintò, gradus eorum quæ sunt, secus ab Academicis referri, & vario modo declarari, quomodo varia valeãt dici omnia, nam ex eorum Sententia Deus est omnia eminentissimè, & per modum supra intelligibile eleuatum, Mens non participata est omnia per Ideas omnium non participatas, mens participata in tertio gradu est omnia per Ideas participatas, Anima est omnia per Rationes insitas, Natura est omnia per Semina, Materia demum fit omnia per Vmbras, & participationes; In ascensu consideratur perfectio, in descensu lapsus in imperfectionem; Homo tunc actu est omnia, dum in eo Anima progressa redit ad se, in se manentem, & per rationes eleuatur ad Ideas, quarum caput est Deus; per Auerroem tunc Homo actu, & absolutè dicitur esse omnia, dum Mens potestate fuerit adepta agentem, & omnem suam potentiam exuerit, at, de his egi alibi latè. Considero Sextò, quod Aristot. inquit Animam perinde, ac manum se habere, manus

Consid. 1.

2 *Qũo Sensus, & Mens diuidãtur in res.*

3 *Quatuor ea sũt quę dici possunt omnia. Homo est oĩa multipliciter.*

4 *Diuisio rerũ in sensibiles, & intelligibiles.*

5 *Sententia Academicorum de his quæ sunt oĩa.*

Sententia Auerrois. Qũo Anima sit ut manus.

nus enim est instrumentum instrumentorum, mens est forma formarum', & Sensus forma sensibilium; Vt pertinet ad manum, ea se habet ad instrumenta tribus modis, nam Primò ea est principale instrumentum Hominis; Secundò, ea efficit instrumenta Artificiosa; Tertiò, illis utitur, ac ita dicitur instrumentum instrumentorum; Insuper mens diuiditur in Operantem, & Contemplantem, ei ut Operanti inseruiunt manus, vt Contemplanti eloquutio, qua patefacit suas notiones, hinc solus Homo est præditus his duobus Mentis inseruientibus: Et quemadmodum manus efficit o-
7 pera, ita Mens iudicando, & agendo dicitur fieri res. Septimò considero, ex hoc Cōtex. circa expositionem Sententiæ in 6. textu prolatæ, quo loci dicebatur, Animam esse locum specierum, non totam, sed Mentem, occurrebat Dubitatio de Sensu, & Phātasia, quæ soluitur ut eo loci patefeci, quia Aristot. per species intelligit essentias rerum, & vniuersalia, de quibus modo dicit, quod mens absolutè est forma formarum; Et in Contex. 33. dicebatur, Mentem intelligere species in Phantasmatibus, non autem ita Sensus se habet, qui solum dicitur cum contractione forma sensibilium;
8 Octauo loco occurrunt hæc dubia; Primum est, quod mens nedum fit Intelligibilia,
Dubitat. *Solutio.* sed etiam Sensibilia, nam ut alibi patefeci, etiam singularia cognoscit. Soluitur per duo fundamenta; Primum est, quia vnicuique id tribui debet quod est eius propriū, Mentis proprium est dicere vniuersalia; Alterum fundamentum est, quia mens propriè conformatur cum Vniuersali, & illud fit, non autem ita conformatur cum Singularibus complicatis, cum conditionibus, & accidentibus particularibus, hinc ait Themistius mens Singularia tanquam ante pedes collocata intuetur, ideo non ea dicitur
Dubitat. altera. *Solutio.* fieri; Altera Dubitatio est quia ea quæ sunt nedum sunt Sensibilia, & Scibilia, sed etiam Opinabilia, Cognitiones dignitatum, Agibilia, & Effectibilia; Respondeo, cuncta in hæc capita redigi, vt vel sint Singularia, vel Vniuersalia, vel iuncta cum materia, vel seiuncta; At, adhuc dubitatur, quia mens nedum species, sed etiam materiam
Dubitat. tertia. *Resolut.* intelligit; Respondeo, non eam ita intelligere, ut fiat illa, quia nō formatur per eam, sed solum ut de attinentibus ad eam aliquam habeat notitiā per alia, veluti per Trāsmutationem, Negationem, & Analogiam.

Cont. 39. *QVONIAM autem nulla res est (vt videtur) præter sensibiles magnitudines separata, in speciebus sensibilibus intelligibilia sunt, tum quæ in abstractione vocantur, tum quæcunque Sensibilium habitus, & passiones sunt; Propterea si non sentiat, nil dicere, aut intelligere poterit, & cum speculatur, necesse est vt vnà cum Phantasmate speculetur, Phantasmata enim tanquam Sensibilia sunt, nisi quod sine materia; Porrò autem Phantasia aliud est à dictione, & negatione, nam verum, & falsum connexio est notionum Mentis. At, prima notiones quomodo differunt, vt non sint Phantasmata? An ne hæc quidem Phantasmata sunt, at, non sine Phantasmatibus.*

Intentio. *Diuisio.* DIXERAT Philosophus Animam esse quodam modo omnia, & mentem esse formam formarum, intentio eius modo est duo declarare; Primum est, quomodo mens fiat species; Alterum, discrimen ponere inter notiones mentis & Phantasiam siue Phantasmata. Diuiditur Contextus in Tres partes; In Prima accipitur res quæ mente apprehenduntur, non reperiri separatas a magnitudinibus sensibilibus, & Physicis

Et quia sensibilia offeruntur menti per Phantasmata, ideo in Secunda parte ex eo assumpto infertur, sine Sensu, & Phantasia mentem species intelligibiles non apprehendere; Ratio ita formatur; Id Obiectum quod non reperitur sine Speciebus sensibilibus, non potest sine illis apprehendi, Forma intelligibilis Obiectum mentis, est huiusmodi, quare sine sensibilibus speciebus à mente apprehendi non potest, huiusmodi autem sunt Phantasmata, ideo dum mens speculatur, est necesse, vt una cum Phantasmate speculetur, quod confirmatur: quia hæc se habent ad Mentem, vt sensibilia ad Sensum, Sensus sine sensibilibus non sentiunt, quare nec mens sine Phantasmate: hæc tamen est differentia inter sensibilia seorsum posita, & Phantasmata, quia sensibilia sunt cum materia sensibili iuncta, Phantasmata autem sunt spiritalia sine materia apprehensa, non tamen sine conditionibus eius; Hinc in 2. libro Sensus dicebatur recipere species sine materia; Porrò autem, Phantasia aliud est à dictione & negatione, &c. In hac Tertia parte secernitur Phantasia pro officio sumpta, primò à secunda, mox à prima operatione mentis, à secunda quidem, quia est compositio, ad quam pertinet affirmatio & negatio, ac insuper, verum, & falsum, Phantasia autem non propriè componit, vt in præcedentibus patefeci; At, dicet aliquis, Phantasiam fortasse non distingui à prima operatione mentis, quæ est apprehensio Simplicium, renuit hoc Aristoteles, inquiens primas notiones mentis non esse Phantasmata, nam illæ sunt uniuersales, Phantasmata uerò singularia, illæ tamen non sunt sine Phantasmate, quia Vniuersalia & rerum essentiæ, non sunt sine Singularibus, & eorum conditionibus.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ait nullam esse rem separatã, præter sensibiles magnitudines, quod non ita debet intelligi, vt non putet dari separatas formas, nam conspicuè in 8. Phys. & in 12. Metaphys. eas dari demonstrauit, sed id triplici significatione uerũ est; Primò, quia quamuis dentur separati Cælorum motores, illi tamen iuncti sunt suo orbi, & per illum, & motum eius refulgent, adeò, vt cuncta quatenus se nobis offerunt, sint iuncta Sensibilibus Corporibus; Sic in 4. Physic. dixit Omne quod est, esse alicubi; Secundò, id intelligi potest ut sit dictum aduersus Ideas Platonis, ex cuius Sententia intelligibilia sunt seiuncta à materia, quod renuit Arist. Tertiò etiam id uerum est, intelligendo per res Græcè Pragmata, opera, & composita naturalia, ex causis pendentia, quæ sunt Obiectum mentis, de quo dixit, mentem intelligere omnia, & fieri omnia, & rectius esse censeo hanc tertium nectere cum secundo modo, & ait vt videtur, tum quia id profert sine ostensione, tum insuper, quia id accipit tanquam experientia conspicuum, quatenus nil nobis se offert quod mentem moueat, nisi sensibili magnitudini iunctum. *Consid. 1.*

Considero Secundò, quod Aristot. ait Intelligibilia esse in speciebus Sensibilibus, tum ea quæ uocantur ex abstractione, tũ quæcunque Sensibilium, habitus & passiones sunt; Ex his uerbis elicio Primò, Obiectum mentis esse Essentiam materiatam: nam id statuitur Obiectum, quod est, & includitur in speciebus Sensibilibus, huiusmodi autem sunt Essentiæ materiatæ, nil enim sub sensum cadit, nisi in materia sit; Et addit, hoc esse uerum, tum de Mathematicis, tum de habitibus, & Passionibus sub Sensum cadentibus, Mathematica præsertim sunt Sensibilia communia, alia verò propria, indicans esse verum de vtrisque; At, dices, cur non addit etiam Metaphysica esse talia? Respondeo, iure Aristot. prætermittere separata à materia, tum, quia ea non continentur secundum se, & primò sub Obiecto mẽtis, tum insuper, quia (vt dixi) per res à Sensibilibus magnitudinibus, non seiunctas, denotabat composita Physica, ex principijs prodeuntia, tum Tertiò, quia Phantasmata solum sunt compositorum, sub Sensum cadentium. *2*

Dubitat. *Solutio.*

Considero *3*

Tertiò, quod Arist. ait: cur non sentiat, nil dicere aut intelligere poterit, & cum speculatur, necesse est, vt vnà cum Phantasmate speculetur; Inquit Simplicius Sententiam Arist. debere intelligi de Physicis & Mathematicis sub Sensum cadẽtibus, quorum sunt Phantasmata, & de quibus mentionem fecit, non autem de collocatis supra Sensum, at, errat: nam vniuersè intelligi debet, quia Arist. dixit Phantasmata esse ut sensibilia, at, Sensus absolutè sine sensibilibus nil sentiunt; Præterea, cum Philosophus declaret quomodo mens fiat omnia, non de nonnullis, sed de vniuerso suo Obiecto tenebatur modum patefacere, & præsertim, quia in Contex. 20. dixit sine Phantasia nil intelligere, & in Contex. 33. dixit, mentem intelligere species in Phantasmatibus: Confirmatur: quia dum facultas præter contenta sub suo Obiecto, alia apprehendit, ea non secus apprehendit, nisi quatenus refulgent ex suo Obiecto; Cum itaque mentis Obiectum sint essentiæ materiatæ, quæ eliciuntur ex Phantasmatibus, cætera apprehendere non potest, nisi quatenus per opera, vel aliud aliquid in eis refulgent, & hoc experientia adeò constat, vt pro eius confirmatione nil lucidius dici possit, cur autem Arist. de solis Mathematicis, & Physicis affectionibus mentionem fecerit, iam patefeci. Considero Quartò, ex hoc elici Solutionem dubitationis propositæ in Contex. 36. num Mens iuncta Magnitudini, ualeat intelligere aliquid separatorum, nam manifestè affirmat, nil ab ea intelligi, nisi vt fulgent per Phantasmata, nam Phantasmata Primò, & propriè offerunt Accidentia, quorum sunt imagines, per ea autem materiatas essentias, quarum ea sunt Accidentia, & hæc attinent ad proprium Obiectum Mentis; Tertiò loco ex Phantasmatibus operum, refulgent attinentia ad eorum principia, conspirante ratione, & hæc iam sunt extra terminos proprij Obiecti, Mens itaque Magnitudini iuncta, eatenus ualeat apprehendere separatas Substantias, quatenus per opera Sensibilia in Phantasmatibus refulgent; Sic Cæli enarrant Gloriam Dei, & per visibilia in inuisibilium Amorem rapimur; Hoc conspicuè approbauit Aristot. in 2. de Cælo, 17. inquiens Cælestia esse difficilia cognitu, quia pauca eorum sub Sensum cadunt. Considero Quintò, quod Aristoteles inquit, Mentem vnà cum Phantasmate speculari, quod non ita puto contingere, vt Phantasmata sint tanquam impressæ in Memoria imagines, quas Mens intueatur non enim imaginari possum internos habitus ita legi posse, sed cum internæ facultates iunctæ sint, actio vnius inseruit alteri, & dum intelligere aliquid uolumus, est necesse vt vis imaginandi circa Phantasma versetur, ex quo id refulget, adeò, vt Mente operante, etiam Phantasia fungatur suo officio, & inde oritur, quod quamuis Mens non sit Organica, tamen dum speculamur, ob cooperantem & comitantem Phantasiam, imbecilliores reddamur; Sic etiam primas notiones Mentis Arist. ait non esse Phantasiã, at, non sine Phantasia; Phantasia quamuis dicatur esse sine materia, non tamen est sine conditionibus eius, cum enim sit singulare, est necesse, vt singularibus affectionibus sit præditum. Considero Sextò, quod cum Arist. patefecerit quomodo per Phãtasmata Mens fiat omnia, & ualeat ad supera elcuari, qua de re uaria dicuntur ab Academicis, ideo breuibus de hoc ascensu eorum Sententias referam, qua de re etiam alibi uerba feci; Ordiens ab Academicis, ipsi per varia aiunt Mentem ad supera eleuari, lucidè autem per amorem, liceat autem mihi ferè octuagenario, de ascensu per Amorem uerba facere, quamuis eius alas eneruauerim & pennas omnes euulserim; Nouem sunt gradus Musis nouem, nouemque Cęli orbibus respondentes, per quos Animi ingenui, Duce ingenuo Amore, ad principium vnde manarunt fęliciſſimè eleuantur; In Primo eis occurrit formosum aliquid, veluti Socrati formosus Alcibiades; in quo Primo gradu illum intuetur delectatur eius forma, gratia, & indole, cum eo libenter loquitur, & dum ei licet, ab eo non recedit; In Secundo gradu, illum absentẽ imaginatur, imaginem à materia secretiorem formosioremque iudicat, & in ea imaginatione libenter uersatur; In Tertio gradu imago Animariæ Menti offertur, qua Mente ea Alcibiadis pulchritudo à cõditionibus particularibus purgatur, & uniuersè

Sentẽtia Simplicij. Euersio.

4

5

6

Phantasmanõ est Vniuersale actu, sed proxima facultate.

Gradus nouẽ per quos mẽs per Phantasmata ad supera eleuatur.

Gradus primus.

2

3

non

non tanquam Alcibiadis, sed tan quam forma in Humano Corpore fulgens cõsideratur,& quamuis purgatior sit, quam ut concipiebatur per Phantasiam,Mens tamen iudicat eam non esse ueram pulchritudinem,sed imaginẽ in Corpore velut in aqua, vt ea Narcisci apparentem,& tunc noscit Mens decipi homines, qui Corporum formas tanquam veras formas admirantur,magni faciunt, & colunt, quæ animaduersio dicitur docta ignorantia, qua Socrates Sophistis se præferebat, inquiens hoc unum Scio,quod nihil scio; Hinc oritur desiderium indagandi ueram pulchritudinem, quo concitatus Animus,tanquam interno stimulo,in Quartũm gradum eleuatur, in quo 4
Natura suis Seminibus fęcunda recumbit, in quam Animus Amore flagrans conuersus eam admiratur,& sedulam,prouidam,iustam,& artificiosam iudicat; At intimius eam inspiciens, noscit illam non esse principale principium, sed uitam postremam, famulam & ministram Animæ, cum nil aliud sit,nisi uis seminaria, à Mundi Anima infusa Materiæ; Propterea Animus ex Quarto in Quintum gradum tendit, in quo 5
tanquam medio residet Anima Mundi, Medij conditionibus prædita, quæ Dea necessitatis nuncupatur,cui illæ hærent quæ Parcæ dicuntur; In hac Anima, refulgent rationes ei secundum essentiam insitæ, ex quibus,vt ex principijs proximis, Naturę Semina prodierunt; At,quamuis Anima præstet Naturæ,& Rationes Seminibus,& insignes appareant vires eius,de qua Vergilius.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus,
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Nomine Mentis denotans non supremam,sed Animariam mentem, quãuis inquam splendidè fulgeat Anima, non propterea est verè Sol, sed Lumen ex Sole prodiens, & eius rationes non in indiuiduo sunt positæ,sed sunt diuiduæ,& cum aliqua imperfectione iunctæ,& ex uno in aliud tendunt; Propterea Animus sublimia quærens, in Sextum ascendit gradum in quo mens splendet,quæ participata dicitur,eo quia Ani 6
ma eius redditur particeps cui Ideæ similiter participatæ competunt,per quam Anima splendidissimè fulget; At quia participatio alicuius eminentioris est participatio & tanquam radius ex principali sole prodit, ideo Animus in hoc gradu non requiescens in Septimum eleuatur,in quo Prima,& non participata mens fulget,cuius aliæ 7
tanquam radij solis,sunt participationes; Hæc Primis,& non participatis Ideis tanquam Syderibus splendidissimis titubantibus animi oculis se offert decorata, in hac ea inspiciuntur,quæ verè sunt, quorum in materia solum apparent vmbræ: sed quia per speciem pulchritudinis in hunc gradum eleuamur, ideo in eo non adumbratam, & impuram,sed veram & synceram pulchritudinem intuemur,& tunc cognoscimus, quod pulchritudo nil aliud est,nisi splendor boni,& propterea duce ea,in Bonũ ve 8
luti in gradum Octauum eleuamur, quod est Mare immensum fęcunditatis, origo prima emanationis,conseruationis,& perfectionis rerum, per quam cætera id habent vt bona sint,sed quia vnum est caput Boni, & nil Bonum, nisi sit vnum, ac etiam vt intimè fruamur Bono,quærimus unum & nitimur necti cum eo, & ad supremum indiuiduum eius redigi; Ideo ex Octauo in nonum gradum in caput omnium in supremum apicem,& in indiuiduam sublimitatem eleuamur,cũ quo iunctus animus,Igne Charitatis,& Diuini Amoris flagrans supra dorsum Cęli(vt legitur in Phedro, caput eleuat,in conuiuijs Deorum sedem habet,Nectare, & Ambrosia reficitur, & tũc ex Corde clamat: Bonum est Domine nos hic esse; nam dies vnus in atrijs tuis plus patet, quam mille aliorum anni. Sic Academici per gradus ab eis excogitatos, ad sublimia rectè affectos Animos eleuant; Peripatetici uerò, duce Aristotele, pau- *Peripatetici.*
ciores, at forte firmiores constituunt gradus: nam supero Lumine destituti, viribus Naturæ ad supera properantes, Sensus cum ratione iunctos sibi statuunt duces, qui per Naturæ viridaria vagantes,per Lumen & Motum ascendunt in Cælum, Naturæ enim sunt formæ omnes substantiæ, ex materia pendentes, quæ cum à Cælo per lu-

men & motum producantur, seruentur, & perficiantur in Cœlum eorum causam, & per Cœlum in Deum cunctorum ducem accuratos indagatores eleuant in quo requiescunt. At quomodo Animus cum summo bono nectatur, eoque frui valeat distinctius, in Nono gradu Ciuilis Scientiæ, qui est de summo Bono, patefeci.

Cont. 40. *QVONIAM autem Animalium Anima in duas distributa est potentias, in iudicantem, quod Mentis & Sensuum opus est, & mouentem motu secundum locum; de Sensu, & Mente hæc definita sint; De mouente autem quid nam sit Anima speculandum est, num vna quædam pars eius sit, separabilis aut Magnitudine, aut Ratione, vel tota Anima; Et si pars aliqua est, num propria quædam sit præter consuetas dici, & dictas, vel potius vna harum sit.*

Intentio. Diuisio. Expos. PROPOSVERAT Philosophus agendum de differentijs humanæ Mentis, & de modo quo intelligeret, egit de vtrisque, ideo modo loquuturus de re alia; tenetur vti nouo particulari Proœmio, quod absoluitur in hoc Contex. qui diuiditur in Tres partes; In Prima refertur diuisio Animæ; in Secunda manifestatur de quibus egerit; In Tertia, de qua sit agendum; Ait in Prima parte, Animam Animalium diuidi in iudicantem, & mouentem motu secundum locum. In Secunda parte ait iudicantem distribui in sentientem, & intelligentem, de quibus hactenus Aristot. egit; In Tertia parte ait superesse facultatem mouentem, de qua est agendum, & vsus est in principio particula denotante causam (Quoniam) indicans hanc Rationem; Cum Anima in iudicantem & mouentem diuidatur, disputans de Anima, cum egerit de iudicante, tenetur de mouente verba facere, nos disputamus de Anima, & egimus de iudicante, quare tenemur de mouente disserere, de qua inquirendum & an sit Anima tota, vel pars ab alijs partibus aut Magnitudine, aut Ratione seiuncta; Si est pars, vel est propria aliqua pars soli motui destinata, vel una aliarum, veluti Phantasia, & Appetitus vt censet Aristot.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Ratio Ordinis. CONSIDERO Primò, iure optimo Arist. post facultatem cognoscentem agere de mouente, nam Appetitus & Motus sequuntur cognitionem; Insuper, facultates noscentes sunt maximè iunctæ, & per unam refulget altera, vnaque alteri inseruit, ideo debuerunt continuato, & non intercisos sermone declarari; Tertio, quia nedum sensus, sed etiam Mens est principium motus secundum locum, de Principijs autem primò est agendum; Nec obest communis instantia, quod motus secundum locum sit communior Mente, quia non motus omnis secundum locum est communior mente, sed solum motus ex Sensu prodiens; at, dum vniuersè consideratur motus omnis Animalium, ille supponit ut priora principia Phantasiam & Mentem, nos autem totum simul considerare tenemur, non patentem seorsum, & præsertim quia Aristot. illum motum præcipuè in Lumine considerabit. His accedit, quod facultas mouens non est re vna distincta ab alijs, tanquam pars varia, ut nonnulli putarunt. Considero Secundò, quod Aristot. Animam diuidit in iudicantem, & mouentem, ut etiam in 2. libro Contex. 150. & in 1. Contex. 19. inquit à Veteribus diuisam fuisse in sentientem & mouentem, quia Sensum non secreuerunt à Mente, prætermittit facultatem nutriendi, tum, quia Veteres nutritionem,

1 Diuisio. Anima.

accretio-

accretionem,& generationem,non Animæ,ſed naturæ eſſe officia putarunt, tum inſuper quia diuidit Animam propriam Animalium,ut hoc in loco ait; At, quando ex propria Sententia eam diuidit,ſecus diuidit, vt alibi apparuit; Vtitur itaque diuiſione Veterum,ſuæ intentioni non repugnantem. Conſidero Tertiò, quod Ariſt.pro- 3
ponit conſiderandum an ſit Anima tota,uel pars, quia illi qui Animam dixère numerum ſe mouentem, uidentur putaſſe totam eſſe principium motus, cum primò ea ſe moueat; Similiter, Cęlorum motores, non per partem unam diſtinctam ab altera, ſunt principia motus, ſed ipſi uniuerſi per Mentem & appetitum, mouent Cęlum, nec requiritur facultas alia, ut minus rectè nonnulli putarunt, tribuentes eis præter Mentem,& appetitum,facultatem mouendi, nam pro conſtituendo principio motus, ſola Mens & appetitus in Cęlo ſunt ſatis, in mortalibus autem præter cognitionem dirigentem & appetitum exequentem, requiruntur inſtrumenta famulantia.Cõſidero Quartò, iure aliquem ambigere poſſe cur Ariſtot.conſueta Methodo non vta- 4
tur progrediendo ab Obiecto,& ab actione ad facultatem; Reſpondeo motum proximè ptodire ex appetitu, ipſius autem appetitus non propriè eſt Obiectum ſed finis, nam appetitus in bonum tendit; Hunc finem iam Ariſt. cumulatè in præcedentibus patefecit,ut uerò pertinet ad actionẽ, ipſe per cõperentiæmotui patefaciet principia eius. Conſidero Quintò,quod Ariſtot. de facultate mouente quærit an ſit pars una 5
Animæ ſeparabilis,aut Magnitudine,aut Ratione,per ſeparabile Magnitudine, proculdubio non denotat ſeparabile à Corpore,ſed loco, & ſede; ex quo elicio non rectè Philoponum expoſuiſſe Contex.primum in quo Ariſtot.de Mente ait ſiue ſeparabilis ſit magnitudine, ipſe inquit proponit indagandum an ſit ſeparabilis à Corpore, cum tamen denotet an ſit ſeparabilis loco,& ſede,ut modo ait de mouente; At, iure *Dubitat.*
dubitabit aliquis, iam enim Ariſtot.in 2.libro Contex.20. patefecit de Senſu Phantaſia, & mouendi facultate conſtare quod non ſecernantur loco. Reſpondeo Ariſt. *Solutio.*
eo loci id fecit breuibus & confuſè, nunc latius & diſtinctè, ibi vniuersè loquebatur de partibus Animæ, nunc in ſpecie, ut in loco proprio de ſola mouente facultate.

DVBITATIO ſe offert, *quomodo Animæ partes* *Cont.41.*
competant,& quot ſint: nam modo quodam infinitæ eſſe videntur, & non eæ ſolæ, quas nonnulli referunt, nimirum Rationalem, Iraſcentem, & Concupiſcentem; Alii autem Rationalem, & Rationis expertem: Nam ſecundum differentias quibus has ſeparant, aliæ quoque videntur eſſe particulæ, magis his inter ſe diſtantes, de quibus nunc quoque dictum eſt, qualis eſt vis nutriens, competens Plantis, & Animalibus omnibus, et ſenſitiua, quæ neque omnino expers, nec abſolutè Rationis particeps dici facilè poteſt; Inſuper, & Phantaſia, quæ ipſo eſſe ab aliis om 42
nibus & diſtincta, cui autem relatarum ſit eadem, & à qua differat magna eſt dubitatio, ſi quis ſeparatas ſtatuerit particulas Animæ; Praterea, quæ ſit facultas appetendi, quæ cum Ratione, tum facultate videtur ab omnibus diſtincta, & abſurdum, ſanè eſt.hanc ſeiungere; In facultate namque ratiocinandi voluntas eſt, in Rationis experte, cupiditas, & ira, ſi autem tria ſit Anima, in vnoquoque erit Appetitus, Et etiam de quo nunc ſermo eſt, quid eſt mouens Animal ſe-

cundum locum? motu enim accretionis & diminutionis qui omnibus ineſt, id quod omnibus ineſt, videtur eſſe principium, nimirum vis generandi, & vegetandi; De reſpiratione autem & expiratione, & ſomno & vigilia, poſterius agendum, nam hæc quoque magnam habent difficultatem.

Intentio. Diuiſio. Expoſit.

DE motricæ Animæ facultate conſiderandum propoſuit Ariſtot. num ſit Anima tota, vel pars, & ſi pars, quænam ea ſit; Abſoluto Procœmio ſeruaturus quod eſt pollicitus, vt Auditores excitet, & ad ueri intẽtionem dirigat, in præſenti Contex. tria facit; Primò dubitat de diuiſione Animæ in partes; Secundò duas refert opiniones; Tertiò, aduerſus eas diſputat; Dubitans in prima parte ait, non leuem ſe offerre difficultatem, quomodo Animæ competant partes, cum ea nec Corpus, nec Magnitudo ſit; Inſuper, ſi prædita eſt partibus, quot, & quæ ſunt. Et quia ex Solutione huius Secundæ difficultatis, patebit Reſolutio Primæ, ab hac orditur, nam partes dicuntur gradus & facultates eius, & Rationem afferens huius Secundæ difficultatis, ait iure de numero eſſe dubium, quia innumeræ eſſe uidentur, non illæ ſolæ quæ à nonnullis referuntur. Quorum opinionem in Secunda parte referens, ait, quoſdam putare partes Animæ eſſe uim Ratiocinandi; Iraſcendi, & Concupiſcendi, veluti Academici, qui Primam tribuunt Capiti; Secundam Cordi; Tertiam Hepati. Alij, utentes diſtinctione bimẽbri, partes Animæ diuidunt in compotes Rationis, & expertes, ut ijdem Academici nonnunquam faciunt, dum Animam ſecant in partem Æternam, tributam Capiti, & Mortalem, tributam Pectori; Diſputans in Tertia parte aduerſus relatas diſtinctiones, quinque eis obijcit; Primò, quia præter relatas partes, datur facultas, quæ gignendi, & nutriendi eſt principium, magis ab alijs diſtincta, quam relatæ ab eis inter ſe; Secundò, eis obijcit, quia datur facultas ſentiendi, quæ Rationis, neque omnino expers, neque omnino compos dici debet, ſed media eſt, quatenus ex ſe Rationis eſt expers, cum tamen ſit apta obtemperare Rationi; Tertiò obijcit Phantaſiæ facultatem, quæ Ratione diſtinguitur ab alijs, vt apparuit in eius declaratione: nec conſtat ad quam partem relatarum ab alijs redigatur: & à qua differat; Quartò eis obijcit attinentia ad facultatem appetendi, quæ & Ratione, & facultate uidetur ab alijs diſtincta, cum officium eius varium ſit, de qua uidentur male ſentire, non enim ex relatis diuiſionibus conſtat quænam ea ſit, cum non accipiatur pro uno membro diuiſionis Animę, ac inſuper minus rectè facultates appetendi ſecernunt ab inuicem; Vnam in Corde, Alteram in Hepate conſtituẽtes; ac etiam minus rectè eas ſecernunt loco à Cognoſcente, quam Capiti tribuunt: nam cum facultate Ratiocinandi iuncta eſt Voluntas, cum facultate Rationis experte, Cupiditas, & Iraſcendi appetitus; At, ſi (vt ipſi aiunt) Anima fuerit tria, hoc eſt, in tres partes, & ſedes diſtributa, in ſingulis reperiretur appetitus ſeiuncti, & diſtincti, quod abſurdum uidetur; Quinto eis obijcit, quia non diſtinctę patefaciunt quid ſit id quod motu ſecundum locum mouet Animal, non motu accretionis & diminutionis mouetur nutriendi facultate, communi cunctis uiuentibus; Et quoniam inſpiratio, & exſpiratio, ſunt motus quidam ex Anima prodeuntes, ſimiliter ſomnus eſt requies, vigilia eſt tanquam motus, quę ſine Anima nulli competunt, de quibus cum ipſi nil decernant, poſterius Ariſtot. ſe diſputaturum pollicetur.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. disputandum proponit de partib. Animæ, quærens quotnam, & quæ sint, quod videtur superuacaneum, cum in 2. libro eas retulerit, & prius id faciendum fuerat, ut pateret de quibus, & quo ordine esset agendum, non autem modo, cum iam de illis disseruerit; Respondeo, Arist. id fecisse in 2. libro absolutè referens Sententiam propriam, secundum quam dixit Animam esse principium Nutriendi, Sentiendi, Intelligendi, & Mouendi, de quorum Tribus gradibus iam disseruit, supereſt Quartus, qui non est gradus, & pars propriè distincta ab alijs, ideo Arist. partim ut constet illum de omnibus Animæ partibus disputasse, partim ut ostendat quarum partium officiū sit motus secundum locum, partim, ut aliorum, & præsertim Platonis errata patefaciat, de numero partium Animæ disputat. *Consid. 1. Dubitat.* *Solutio.*

Considero Secundò, quod quanuis Arist. varia proferat aduersus Platonem, non difficilè tamen est Platonem à calumnia uindicare: nam (ut ait Plotinus) Plato distinguens Animam, instrumenta principalia inspexit, non essentiam; At, nolo modo in Platonis explicanda opinione morari, cum id alibi latiùs fecerim, sed solum considero, quod cum Arist. frequenter dixerit Veteres distinxisse Animam in iudicantem, & mouentem, modo referens eiusdem distinctiones, duas alias refert, & hanc prætermittit; Ratio est: quia iam illam retulerat in Proœmio huius Capitis, modo verò consilium eius est, distinctiones Platonis in dubium vertere, & præsertim, quia facultatem appetentem à cognoscente, loco, & sede secernebat, & appetitum unum ab altero. 2

Considero Tertiò, quod Aristot. ait, particulas Animæ, modo quodam uideri infinitas, at, quo modo infinitæ videantur, non constat; Inquit Auerroes, videri infinitas, considerando innumerarum rerum varias cupiditates, quæ etiam innumeræ sunt, & ubi desinant non habent; Quæ expositio non uidetur approbanda, quia cupiditas cum à Platone, tum ab Aristot. semper pro vna parte numeratur; Propterea dicamus, particulas uideri infinitas, hoc est, indefinitas, quia plurimæ apparent, & earum non constat numerus, hinc particulæ ob multitudinem hoc in loco nuncupantur. 3 *Quo particulæ Animæ videantur infinitæ.*

Considero Quartò, loquendo de Appetitu, quod Aristot. hoc in loco Tres numerat Appetitus Animæ, quorum duo ad Sensum pertinent, & sunt Appetitus Concupiscendi, & Irascendi, Tertius, nimirum Voluntas, ad Mentem: in libris de Moribus addit Selectionem: nam Voluntas finem, Selectio media respicit, hoc tamen in loco nomine Voluntatis, Selectionem quoque denotauit, de qua non est dubium, quod à voluntate, loco, & sede non secernitur; Hi appetitus hoc habent commune, vt à sua facultate noscente non secernantur nisi Ratione; Hinc Appetitus Concupiscendi, & Irascendi, nec inter se, nec à Sensu distinguuntur, vt dicebatur in Contex. 29. Similiter, Voluntas non distinguitur à Mente, nisi Ratione, At, quia Mens, & Sensus, essentia secundum Aristot. distinguuntur, ideo etiam Voluntas simili modo à Sensu secernitur, & hoc indicauit Aristot. inquiens, Voluntatem esse in Mente, reliquos Appetitus in Sensu; Ex quo elicio, minus rectè sensisse Themistium, qui dixit Appetitiones esse varias, vim autem appetendi, esse vnam, nam vna dici non potest, cum per Aristot. Sensus à Mente, essentia distinguatur, & dum Arist. ait absurdum esse, appetitum seiungere, denotauit absurdum esse illum seiungere à facultate noscente, & cupiditatem ab irascendi appetitu, vt secernebat Plato. 4

Considero Quintò, quod Aristot. mentionem facit de Inspiratione, & Exspiratione, Somno & Vigilia, quia sunt quidam motus vel quietes proprij Animalium, ut indicet nō de omni motu se modo verba facere, sed de eo, qui est secundum locum, & ad libitum Animalibus competit, pro quo Tria sunt consideranda; Primò, quæ instrumenta ei inseruiant; Secundò, à qua Animæ facultate prodeat; Tertiò, quomodo sit affectio quædam Animalibus competens; Primum explicatur in libro de partibus motui Animalium 5

malium inseruientibus ; Alterum , in hoc capite ; Tertium , in libro de motu Animalium .

Cont. 44 SED *de motu secundum locum, quid mouent Animal dum progreditur , considerandum est ; Quod igitur non sit vegetandi facultas , manifestum est , semper enim propter aliquid motus hic fit, & vel est cum Phantasia, vel cum appetitu , nil enim non appetens, aut fugiens mouetur, nisi violentia ; Praterea Plantæ quoque essent aptæ moueri, & præditæ essent instrumento aliquo pro hoc motu ; Similiter autem neque facultas sentiens ; Multa enim Animalium cum Sensu sint prædita, manent , & continue immobilia sunt ; Si igitur Natura nil facit frustra, nec necessariis caret nisi in orbatis, & imperfectis, huiusmodi autem Animalia perfecta sunt , & non orbata , signum autem est , quod generant , et crescunt , ac decrescunt , Prædita autem vtique essent partibus Organicis , progressui inseruientibus . At verò , neque* 46 *Facultas Ratiocinandi , & nuncupata Mens , est mouens , Inspectrix enim nil speculatur agibile , nec aliquid dicit de fugiendo, & prosequendo , motus autem semper aut fugientis , aut prosequentis est , sed neque cum speculatur aliquid huiusmodi iam fugam præcipit ; aut prosequutionem , veluti sæpè intelligit aliquid formidabile, & non iubet timere ,* 47 *sed Cor mouetur ; Si autem aliquid delectabile , pars aliqua alia ; Amplius etiam præcipiente Mente, & dicente, quod aliquid prosequamur, vel fugiamus non mouemur , sed secundum concupiscentiam agimus , veluti incontinens . Et omnino videmus , quod Arte præditus non sanat, tanquam aliud quoddam principium requiratur per quod agat se-*
48 *cundum scientiam, a scientia distinctum ; At verò, neque appetitus huius motus dominus est, continentes enim appetentes, & concupiscentes , non agunt ea quæ appetunt, sed sequuntur Mentem.*

Intentio. VT Philosophus nos excitaret , & dirigeret ad indagandum principium motus Animalium, nonnulla disputando protulit de partibus Animæ : Nunc autem proximius de huiusmodi principio loquens, Primò, progrediens per principales Animæ gradus, manifestat nullum eorum absolutè principium dici posse , mox quodnam sit principium tale manifestabit; Diuiditur præsens Contex-

Diuisio. in quinque partes ; In Prima, ostenditur Animam nutrientem non producere hunc motum ; In Secunda , id ostenditur de Sensu ; In Tertia , de Mente inspectrice ; In

Exposit. Quarta, de Mente, quæ in agendis versatur ; In Quinta, de Appetitu ; Vt pertinet ad Primam partem, hæc formatur Ratio ; Ille motus qui est ob finem optatum, & fit cũ Phantasia, non producitur à facultate nutriente, motus Animalium est huiusmodi, vt experientia patet, quare, &c. Altera Ratio hæc est; Si motus secundum locum prodi-

ret

ret ex Anima nutriente, deberet competere Plantis, & deberẽt eis competere instrumenta huic motui inseruientiæ, cum Plantæ sint præditæ Anima nutriente, at, Plantis, nec motus, nec instrumenta pro motu competunt, quare non prodit huiusmodi motus ex Anima nutriente; Similiter autem neque facultas sentiens, &c. Hæc est pars Secunda, in qua unica ratione ostenditur motum secundum locum non produci à Sensu; Ratio sic formatur: Si motus secundum locum produceretur à Sensu omnia Animalia cum sint prædita Sensu, deberent moueri motu secundum locum, at, hoc est falsum, nam Ostreacea, & affixa Lapidibus manent, & nedum manent, sed etiam sunt immobilia, hoc est, non sunt apta moueri, quare non ex Sensu prodit talis motus; Quod autem non sint apta moueri, patet: quia carent instrumentis motui inseruientibus, ut alis, uel pedibus. Natura autem nulli tribuit facultatem organicam sine instrumentis, quia prouida est, nil facit frustra, facultas autem instrumentaria destituta instrumentis esset frustra, nec caret necessarijs, instrumenta autem necessaria sunt, solum deesse possunt orbatis, ut captis oculis, veluti etiam imperfectis, ut auiculis quæ sine pennis oriuntur, huiusmodi enim Animalia tunc perfecta sunt, dum generent, nam ex 4. Meteorum, tunc vnumquodque est perfectum, cum generare valet, ac insuper crescunt, & decrescunt, per accretionem autem Animal acquirit perfectionem sui corporis; At verò, neque Facultas Ratiocinandi; Hæc est Pars Tertia, in qua ostenditur Mentem contemplantem attinentia ad inspectricem Philosophiam, non producere talem motum; Ratio hæc est facultas quæ non versatur in attinentibus ad actiones, & ad prosequutionem, & fugam, non est Principium motus secundum locum Animalium, Mens inspectrix est huiusmodi, quare, &c. Sed neque cum speculatur aliquid huiusmodi, &c. Hæc est pars Quarta, in qua tribus rationibus ostenditur, Mentem quæ in agendis, & efficiendis versatur, non esse principium talis motus. Ratio prima est: Id quod noscendo rem uitandam, vel prosequendam, non iubet prosequutionem, uel fugam, non est principium motus secundum locum, Mens quæ in agendis versatur, est huiusmodi, nam frequenter euenit, quod Homo videns inimicum suum Ratione iudicat non esse timendum, tamen Cor agitatur, & mouetur, adeò, ut etiam repugnante Mente, adsit principium aliquod motus; Similiter, dum uidet formosam Puellam, Ratio iubet non esse concupiscendam, tamen repugnante Ratione excitantur, & mouentur membra uirilia, Veneri famulantia; Secunda Ratio est: Ea facultas quæ præcipit motum, & non sequitur motus illæ, sed alius ei oppositus, non est principium illius motus, at, in uiro incontinente hoc accidit: nã Mens iudicat, & præcipit vnum, per appetitum verò fit oppositum, & tunc dicimus, Video meliora, proboque, deteriora sequor; Tertia Ratio est: Si Mens quæ in agendis, & efficiendis versatur, esset proprium principium motus, tunc quando ea adesset, deberet motum producere; At, experientia nos docet oppositum, inspicimus enim frequenter adesse Medicum, & non curare; adesse Fabrum, & nõ efficere opus suum, quod nobis indicat requiri principium aliud, per quod moueatur ad efficiẽdum opus suum; At, verò, neque appetitus, huius motus dominus est, &c. In hac Quinta parte vnica ratione ostenditur Appetitum non esse absolutè Principium talis motus; Ratio ita formatur: Id quo præsente non producitur motus secundum locum, non debet absolutè statui principium motus; At, præsente appetitu voluptatis, Vir continens non sequitur uoluptatem, sed Rationi obtemperat, non itaque appetitus absolutè dici debet principium motus Animalium.

ANNO-

ANNOTATIONES.

FREQVENTER euenit, vt facilius de re aliqua sit noscere quid non sit, quam quid sit, & patefaciendo quid non sit, excitamur ad noscendum quid sit, hoc seruat Aristot. disputans de Principio motus,

Consid. 1. in quo considero Primò, quod intentio Aristot. est patefacere principium integrum, & absolutum motus, adeo, vt ipsum sit satis pro efficiendo motu, ideo quamuis & Sensus, & Mens, & Appetitus modo aliquo producant motum, tamen quia nullum eorum ex se solum est satis, ideò Arist.

2 ostendit non esse principia motus. Considero Secundò, quod Aristot. ostendit Sensum non esse principium motus Animalium, exemplo sumpto ab Ostreaceis, & Animalibus affixis lapidibus, quæ Stirpanimalia nuncupantur, quæ sunt prædita Sensu, non autem motu, nam mouentur profecto oia sentientia, saltem per contractionem, & extensionem, per quam vitant aduersa, hærent iucundis, veluti etiam Vermes per extensionem, & contractionem mutant locum, at, Aristot. non de hoc motu verba facit, sed de absoluto, per quem Animalia liberè proprijs instrumentis ex vno loco in

3 alium tendunt. Considero Tertiò, quod Aristot. ostendens Ostreacea esse perfecta, ait ea generare, nam legitur in 4. Meteorum, tunc vnumquodque esse perfectum ea

Num Ostreacea generent. valeat generare, at, hoc dubium est, num generare valeant: nam cum non moueantur motu secundum locum, coire non valent, nec Semẽ edunt vt Plantæ, Augetur dubitatio: quia Aristot. conspicuè secum pugnat, nam in 5. de Gener. Animal. cap. postremo, negat generare; Nonnulli aiunt generare secundum partes, quia in eis Caro carnem generat, & sic reliquæ partes; At hoc non satisfacit: quia etiam imperfecta sic generant, & mutilata; Simplicius, ait generare, vel quia spummã edunt similis prolificam; vel generant, sed non simile; At, si non simile, non constat quid sit id quod generant, id quod profert de spuma, est dubium: quia Aristot. in calce 3. de Gener. Animal. ait: Cum Chij ex Pyrra Lesby insulæ Ostreas viuas detulissent, & in loca quædam Maris dimisissent, temporis cursu nihilo plures fuisse repertas, quamquam corporis mole plurimum creuerunt; Propterea dicendum putarem, ea Animalia non propriè generare, sed uice Seminis, & generationis, quoddam tanquam ouum parere, vt eo loci ait Aristot. quod & Pinnis, & Buccinis, & Purpuris etiam tribuit, & per

4 hoc indicant suam perfectionem: Considero Quartò, quod Aristot. ostendens Mentem non esse principium motus, ait nonnunquam pugnante Mente moueri partes

Dubitat. Hominis, vt cor per Timorem; Pudenda per concupiscentiam; At, hoc non uidetur ad rem facere, quia motus illius non sunt præsentis considerationis, nec in nostra fa-

Solutio. cultate sunt collocati; Pro Solutione accipio, quod Aristot. ostensurus Mentem esse Principium motus, accipit λογικὸν ad quod pertinet officium Ratiocinandi, per quod uidetur Homo moueri, & addit, (& uocata Mens,) vel quia propriè Mens, est facultas eius sublimis, quæ circa prima & simplicia versatur, non ea quę infera respicit, uel id dicit indicans se denotare uniuersam facultatem intelligendi, contradistinctam ab alijs gradibus; Accipio secundò, quod Aristot. ait: Neque cum speculatur aliquid huiusmodi, iam fugam præcipit, uel prosequutionem, ueluti sepè intelligit aliquid formidabile, & non iubet timere, Hoc uerificatur duobus modis; Primò, quia speculari ualemus aliena terribilia, ut incendia, bella, terræmotus, inundationes, & non timere, quia ad nos non pertinent; Secundò, quia uir fortis Ratione ductus tenetur aliquando non timere inimicum, tamen Cor repugnante Ratione, agitatur, & hoc facit ad rem, & additur, per delectabile repugnante ratione, moueri partem aliam, Philoponus ait, moueri Hepar ex Sententia Platonis. Quæ expositio non est approbanda, tum, quia Aristot. iam dixerat, Appetitus non esse seiungendos, tum insuper, quia huiusmod Hepatis, motus non apparet, ideo denotat conspicuum motum pudendo-

rum; At instabatur, quia motus Cordis & Pudendorum, non facit ad rem: quia non est ille motus cuius modo principium quæritur; Respondeo, ad rem facere duplici Ratione; Primò, quia quamuis non sint ille motus, de quo est sermo, tamẽ sunt quædam naturalia eius semina, quasi dicat Arist. repugnante, & inuita Ratione apparent semina quędam motus; Secundò, ad rem facit, quia perinde est, ac si dicat Arist. tunc Mens non mouet, & motui aduersatur, cum tamen adsint alij motus, quorum mens conspicuè principium non est. Considero Quintò, quod Aristot. idipsum ostendens ait repugnante Ratione virum incontinentem moueri; nam Homo ergà voluptatem quatuor modis potest esse affectus, vel enim est continens, vel incontinens, vel temperatus, vel intemperatus; si fuerit continens, duce Ratione, pugnante Sensu fugit voluptatem; Si fuerit incontinens, contra repugnante Ratione, ducente Appetitu, sequitur voluptatem; Tertiò, si fuerit contemperatus, duce Ratione, & Sensu non repugnante, fugit obscœnam voluptatem; Quartò, si fuerit intemperatus, duce Appetitu Sensuum & Ratione non repugnante, quia in eo est peruersa, sequitur voluptatem; Et ex his patent ea quæ primò de incontinente, mox de cõtinente dicuntur. Considero Sextò, cum Arist. progrediendo per gradus principalium facultatum, manifestet quid non sit principium motus, de Phantasia nil dixit, de qua etiam ostendi posset, non esse principium motus, quia dicebatur in 2. de Anima, frequenter nos varia imaginari, vt bella aut fulgura, & tamen non moueri; Respondeo Primò, Aristot. hanc denotasse per Sensum à Mente contradistinctum; Addo Secundò, de ea non formasse distinctam Rationem, quia de imaginatione perinde se habet, ac de contemplatione terribilium; Addo Tertiò, hanc fuisse dimissam, quia maximè noscentium facultatum est principium motus. Considero Septimò, iure optimo Aristot. de Natura dicere, quod non est redundans, non diminuta, nil facit frustra, non tribuit facultatem sine instrumentis, nec viceuersa, de cunctis facit id quod melius est, vnicuiq; id tribuit quod ei conuenit, non facit per plura, quod potest facere per pauciora, ad finem optatum breuissimè ducit, ordinem pro facultate seruat, res generat, & quandiu potest seruat, vitat pro viribus mala, ac ita prouida, sagax, artificiosa, consultrix; iusta, fęcunda, liberalis, pia & benigna Mater dici potest, quæ cum ei non competant ratione propriæ facultatis, & cognitionis, inferendum est ei competere, & in uniuersum redundare, munere Principis Vniuersi, cui ea famulatur, de cuius prouidentia qui dubitat, etiam dubitare potest an ipse viuat, & nam Sol luceat.

Dubitat.
Solutio.
5
Homo ergà voluptatẽ quatuor modis valet esse affectus.
6
Cur de Phãtasia nõ est formata. Ratio.
7

VIDENTVR igitur hæc duo mouere, aut Appetitus, aut Mens, si quis Phantasiam ponat tanquam intellectionem quandam, multa enim præter Scientias sequuntur Phantasias, & in cæteris Animalibus non Mens, neque Ratio est, sed Phantasia. Vtraque igitur hæc sunt mouentia secundum locum, Mens, & Appetitus, Mens autem qua gratia alicuius Ratiocinatur, & qua Practica est, & differt ab inspectrice fine, & Appetitus omnis est propter aliquid, id enim cuius est appetitus, est principium Mentis Practicæ: Vltimum autem principiũ actionis est; Iure itaq; hæc duo videntur mouere, Appetitus, & Mens Practica, Appetibile enim mouet, & ob id Mens mouet, quia appetibile principium eius est.

Cont. 48.
49

Intentio. EXCITAVIT hactenus Arist.& disputãdo patefecit quid non sit Principium motus Animalium, modo intentio eius est patefacere, quidnam sit; *Diuisio.* Diuiditur Contextus in Quatuor partes; In Prima duo statuuntur Principia motus,Mens,& Appetitus;In Secunda id declaratur de Mente; In Tertia de Appetitu; In Quarta, vt patefactum colligitur duo illa esse principia motus; *Exposit.* Ait in Prima parte, Videri , nimirum Ratione & Experentia, hæc duo esse principia motus, Appetitus & mens;Addit, nomine mentis, etiam Phantasiam denotare:nam ea quoque est principium motus,quod patet:quia uiri populares,& pueri non Scientiam & veram mentem, sed Phantasiam sequuntur, & Animalia cætera præter Hominem ratione carent,& per Phantasiam mouentur;Mens autem,quę gratia alicuius Ratiocinatur,&c. Hæc est Pars Secunda,in qua id ostenditur de mente, nam mens diuiditur in Contemplantem, & Operantem, de Contemplante non est sermo,quia finis eius est cognitio veri , sede de Operante , & præsertim de Practica, quæ agendi est principium , & non essentia absoluta , sed solo fine ab inspectrice seiungitur , finis autem eius est id bonum quod in actione includitur ; Hæc mens ea est quæ ratiocinando decernit, an debeat Homo moueri, vel ne; Et appetitus omnis est propter aliquid &c. In hac Tertia parte id ostenditur de Appetitu; Nam appetitus omnis est propter finem,est enim tanquam motus in finem tendens, veluti Imperator appetit Victoriam, Mens pro principio suæ Rationis accipit Victoriam,inquiens pro ea assequenda necessariam esse copiam militum; Insuper, pro copia militum parandâ, necessariam esse pecuniam, facta hac resolutione, id quod erat finis Rationis & resolutionis, est deinde principium operationis,& motus,Id autem quod erat principium est finis; Iure itaque hæc duo uidentur mouere, &c. Hæc est pars Quarta in qua colligit hæc duo uideri principia motus, Appetitum, & Mentem Practicam , Et quia aliquis posset obijcere,quia etiam Appetibile uidetur mouere;Respondet Arist. Appetibile denotari per Mentem : nam Appetibile mouet Mentem , Mens verò est principium motus ob Appetibile quod cognoscendo includit.

ANNOTATIONES.

Consid.1. PRO attinentibus ad motum quo Animalia sponte mouentur uaria occurrunt accurata consideratione digna, pro quibus ego seorsum librum construxi; propterea breuissimè potiora quędam capita modo percurrã; Pro quibus Considero Primò,Quatuor ea esse quę pro hoc motu conspirant, *Quatuor pro motu motu conspirante.* & quæ explicanda se offerunt, nimirum, Principia excitantia , dirigentia , exequentia, & famulantia; excitantia sunt fines appetitionum,qui dicuntur Obiecta facultatum cognoscentium, qui fines primò se offerunt, & excitant, vltimò perficiunt. Dirigentia sunt facultates cognoscentes, nimirum Mens & Phantasia,quæ duo principia communi nomine Mentis, hoc in loco ab Arist. denotantur, ut ipsemet se explicat,Phantasia semper est necessaria,Mens autem requiritur, vt motus Ratione dirigatur,& corrigatur,Phantasia autem in iumentis operatur,& mouet, partim per cognitionem,partim per instinctum Naturæ,ideo eorum opera nonnunquam dicuntur fieri per Naturam,ut in 2.Phys.80.nonnunquam per Phantasiam,ut in 2.de Anima; *Principia exequentia.* Principia exequentia sunt Appetitus qui cognitionem sequuntur, & hoc efficiunt Appetitus omnes,cum Mentis in Homine,tum Sensuum, illi longius,hi proximius; *Principia famulantia.* Hinc dicet Arist. Appetitum esse motum quendam. Principia famulantia, sunt Instrumenta,nimirum,cardines ossium, musculi,nerui,& ligamenta,& de his omnibus
2 Arist.verba facit. Considero Secundò,quod cum quatuor conspirent pro motu, ea in duo principalia ad Animam pertinentia rediguntur, quæ sunt Mens & Appetitus, ideo iure Arist.ait quod hæc duo videntur mouere Obiectum, siue appetibile redigitur ad Mentem,& appetitum,ideo Arist.dixit,Appetibile mouet,quia Mens mouet:

nam

nam Mens mouet formata Obiecto,& Appetitus ductus ab Appetibili; Principia autem famulantia, non ad Animam, sed ad Corpus pertinent. Considero Tertiò, ex his patere principium,& facultatem Animæ mouentem, non esse distinctam ab alijs Animæ facultatibus,ut fuit multorum opinio,sed esse officium Mentis & Appetitus, & cum Arist. proposuerit considerandum an sit facultas quædam ab alijs quæ numerari solent distincta, cõspicuè patefacit,nõ esse distinctã,nisi Ratione,quatenus opus aliud efficit,numeratur tamen inter principales distinctas facultates,quatenus distinctũ Aialium gradũ,& distinctũ officiũ producit,& ex multorũ opinione est distincta. 3

Cõsidero Quartò, quod cũ duo sint principia principalia,motus, Mẽs,& Appetitus, Arist.cõspicuè noĩe Mẽtis denotat ẽt Phantasiã,vt in 2.de Aĩa,Cont.155.in hoc 3. Contex.20.& vtitur nomine Mentis,duplici Ratione;Prima est,quia in Homine pro motu constituendo,sæpè Mens,& Phantasia conspirant,& quia Mens non potest denotari nomine Phantasiæ, ideo vtramque nomine Mentis denotauit; Altera Ratio est: quia Phantasia dum mouet, cum sit dux eius motus, qui sæpè admirationem parit,videtur esse tanquam Mens,vt dicitur in 2.Physic.80. 4

Cur Aristot. utatur nomine Mẽtis.

Considero Quintò, quod cum pro motu requiratur finis, veluti Medicus pro sanitate curat, ea sanitas ad duo potest referri,ad Mentem,& ad Appetitum,& quamuis ad vtrumque relata possit dici Obiectum, & oppositum, oppositione Relationis, tamen relata ad facultatem cognoscentem,rectius dicitur Obiectum,quod cognoscitur,relata verò ad Appetitum, rectius dicitur finis,cum enim appetitus sit quidam motus in finem tendens,id appetibile in quod tendit, ut erat Obiectum facultatis noscentis, ita est finis appetentis. 5

Considero Sextò,quod quæri solet in quo genere causæ Appetibile moueat, num Finis,vel Efficientis? Qua de re à varijs varia confusè dicuntur Auerroes in 12.Metaphysicæ,Contex.36.dixit Balneum in Anima mouere vt efficiens,extra Animam verò vt Finem,at,non exactè attigit Scopum solutionis,dicamus Obiectum ad duo referri,vel ad facultatem noscentem,vel ad appetentem,si refertur ad noscentem, dicitur efficiens,nedum quia mouet eam,sed præsertim quia in facultate noscente habet esse cognitum,per quod operatur:et principale quod repræsentat,& ita mouet,& dirigit,veluti in calce præsentis Contex.indicauit Aristot.& distinctius in lib.de motu Animalium,& propterea in 12.Metaphys.Contex.18.dicitur Artificiosa fieri à simili,quatenus ab Artifice concipiuntur Mente ea quæ effici debent; At,dum refertur ad Appetitum,dicitur finis,quia Appetitus est motus in finem tendens; Pro constituenda autem causa in genere Finis, requiritur intentio pro eo esse quod debet habere extra Mentem, quia pro eo esse est bonum, quod quæritur, & optatur. 6

In quo genere causæ Appetibile moueat.

Requisita pro cõstitutione Finis.

Considero Septimò,quod Aristot.explicans Mentem quæ est principium motus,dixit eam esse Mentem Practicam, quæ in actione versatur,& Consultrix nuncupatur: nam appetitus Finem respicit, Consilium verò est de medijs ordinatis in Finem,potius autem principium motus statuit mentem Practicam,ad quam pertinet Prudentia,quam Effectricem,ad quam pertinet Ars, quia ad Effectricem pertinet noscere modum quo aliquid formari debeat, vt quomodo formanda sit domus, vel inducenda sanitas, at, decernere num debeat id efficere,& quo tempore,non ad eam pertinet,sed ad Practicam Mentem, cuius officium est præesse vsui cunctarum rerum, ideo dicebat in præcedentibus Aristot.quod Medicus quamuis habitu sit præditus, non tamen aliquando curat; & Ratio ea est,quam retuli, quia Practicæ mentis officium est præesse vsui cunctarum rerum, & decernere quando, quamdiu, & cuius gratia, mouendum sit. 7

Cur Mẽs Practica statuatur principiũ motus.

Considero Octauò,quod Aristot.cõspicuè secum pugnare videtur, nam in 1.de partibus Animalium,ostendens Mentem non esse Naturam, ait eam non esse principium motus,quia sine ea Animalia mouentur; Similiter,in præcedente Contex. ostendebat,eam non mouere,quia nonnunquam præcipiente mente moueri Hominem, non mouetur, ut patet exemplo incontinentis; Soluitur controuersia dicendo, mentem partim non mouere,partim mouere,ea non mouet proximè,sed per mediam Phantasiam, 8

Cõtrcu.

Solutio.

siam, non mouet tanquam principium vniuersum, sed tanquam pars, num etiam sine ea fit motus, non mouet producendo motum Naturalem, sed motui tribuendo ordinem, legem, & dispositionem: Sic in 1. de partibus Animal. Arist. inficiatur eam esse principium motus, quia non est principium proximum, vt Natura, nec vniuersum, nec motus naturalis; In præcedenti textu dicebatur, quod ea oppositum præcipiente, Homo mouetur; Soluitur, nam per hoc indicatur, Mentem non esse principium totum, & vniuersum, sed aliud requiri, in incontinente enim, non Ratio dominatur, sed

9 Phantasia, cum appetitu sensitiuo. Considero Nonò, quod Aristot. Appetitum statuit principium motus, & ait sine appetitu Animal nunquam sponte moueri, sed violentia tantum; hoc videtur dubium; Primò, quia Aristot. in præcedenti Contextu oppositum enunciauit: nam dixit continentem pugnante appetitu moueri; Similiter, sæpè dicimus nos multa agere sine appetitu, ut Febre correpti, sine Appetitu commedunt, & medicinam accipiunt, ita etiam, pugnante appetitu ambulamus, & multa efficimus; Soluitur Dubitatio: quia appetitus est multiplex, & est cum Sensus, tum Rationis, qui appetitus frequenter inuicem pugnant, & ille qui est potentior dominatur, & mouet, adeò, vt semper animal moueatur per appetitum dominantem; Instabatur, quia Aristot. inquit moueri continentem pugnante appetitu, Respondeo, id fieri pugnante appetitu sensitiuo, at, non appetitu Rationis dominante; Similiter, ægroti commedunt sine appetitu, & sine eo recipiunt Medicamentum, at; id faciunt appetitu Rationis dominante, quo uitam, & sanitatem appetunt; Similiter alio appetitu dominante, contra cupiditatem mouemur, & alia multa facimus: nam dum Homo mouetur, & aliquid facit, vel mouetur dominante appetitu sensitiuo, vt incontinens, vel dominante appetitu Rationis, vt continens; vel conspirantibus vtrisque, vt temperatus, & intemperatus.

An sine Appetitu Animal moueat.

10 Considero Decimò, quod Aristot. inquit Mentem Inspectricem, & practicam distingui Fine, & iure: nam dum considerantur pro absoluto, eadem est essentia, solum distinguuntur Ratione, & pro esse relato, referuntur autem ad finem, ideo sine distinguuntur: nam quamuis propriè Obiectum respiciat facultatem cognoscentem; Finis verò appetentem, latè tamen vtrunque, & Obiectum, & Finis dici potest, ut dixi: & quemadmodum facultates sine distinguuntur ita habitus: nam omnes Mentes habitus in Contemplantes, Agentes, & efficientes rediguntur, & inuicem distinguuntur, quia fines tres sunt, à fine tamen distinguuntur extrinsecus, & tanquam ab origine constitutionis eorum, intrinsecus tamen distinguuntur per propriam formam quæ est finis productionis. Viri nonnulli arguti, negant distinctionem habituum à fine petendam esse, sed aiunt distinctionem petendam esse à Subiecto in quo uersantur, considerato cum ratione Obiecti, non Finis, & aiunt hic accipi Finem, ut cognitum, quia sic seruat conditionem Obiecti, non ut ultimum, & optimum; Horum Sententia mihi approbanda non videtur: nam ab eo petenda est distinctio à quo etiam petitur denominatio; hæc autem à fine in ratione finis petitur, non in ratione Obiecti, vt patet ex 2. Physic. 14. & ex 5. Physic. 48. Similiter, hoc in loco Aristot. finem in ratione finis considerauit, cum dixerit id peti pro principio Rationis, & Consultationis; Confirmatur: quia id absolutè iudicari debet origo distinctionis, quod absolutè est origo prima motus, huiusmodi autem est Finis, in ratione Finis: nam Finis ille est, qui excitat agens, ad operandum; Insuper confirmatur: quia duo distincti Habitus possunt habere idem commune Subiectum, siue Obiectum, vt Physicus, & Medicus in eodem versari possunt; Finis tamen proximus necessariò est distinctus, & Finis ille est cum quo conformari debent conditiones ordinatorũ in illum.

Difficultio Mentis & Finem.

11 Considero Vndecimò, quod cum Aristot. de Mente quæ in actione uersatur dicat: Id cuius gratia appetitus, est principium Mentis Practicæ, ultimum autem Mentis Practicæ, & Consultationis, est principium actionis. Ex hoc nonnulli nituntur elicere Ciuilem Scientiam solum tradi posse ordine Resolutionis, quia Mens Practica, cuius propria est Prudentia, & cui Ciuilis Scientia respondet, orditur à fine, & Re-

Ciuilis scientia nõ

soluendo

soluendo progreditur, ex quo progressu consurgit Resolutio; At, hi conspicuè decipiuntur: nam aliud est loqui de Consultatione, & progressu pro inuentione requisitorum ad actionem; aliud loqui de doctrina, & disciplina inuentorum: nam pro inueniendis requisitis pro actione, vel effectione, ordimur à Fine, nam conditio Finis, patefacit conditionem, & numerum requisitorum pro illo; At, cum ea inuenerimus, possumus deinde ea patefacientes alijs, vti etiam ordine Compositionis, ut euenit de Grammatica, de Logica, & alijs nonnullis; adeò, vt dicere debeamus, ordinem Compositionis esse proprium, ordinem distinctè docendi, ordinem verò Resolutionis, esse ordinem inueniendi partes, & requisita pro ea disciplina; At, de re hac alibi latissimè. Confidero Duodecimò, cum Aristot. statuat Duo principia motus, Mentem, & Appetitum, & Cælum viuat, & moueatur, quæritur, num in eo quoque ea Duo principia locum habeant? Respondeo, in Cælo quoque ea reperiri, at, modo eminentiore sine Phantasia, Appetitu Sensuum, & Organis; mouent superæ Mentes, Mente, & Voluntate, optantes Deo obtemperare, ei reddi similes, & Orbi vniuerso prodesse, nec alia præter has requiritur faculeas mouens, cum aliam non statuat Aristot. & minus rectè Ioan. Bac. tertiam facultatem iudicauit necessariam. Confidero Decimotertiò, cum Aristot. Duo statuat Principia motus, Mentem, & Appetitum, in dubium verti posse, quodnam eorum sit principalius, & magis moueat: Simplicius id tribuit Appetitus, ille namque est qui spiritus agitat, & per eos mouet Corpus; Ex aduerso, Aristot. in 7. de Repub. cap. 3, inquit: Illi maximè mouent, qui cognitione sunt externarum actionum Architecti, veluti etiam Consultores; Confirmatur: quia Cognitio excitat Appetitionem, & est ea prior; Respondeo, maximè mouere, dupliciter posse intelligi; vel quia sit motor prior; magis propria virtute mouens, minus pendens, & eminentior, & huiusmodi est cognitio, quæ ob id dicitur dirigere, vel quia proximius, & intimius Corpus agitet, quod appetitui competit, hinc Aristot. in lib. de motu Animalium, cap. 4. ait: Vltima causa motus est appetitus, qui fit per Sensum aut Imaginationem.

solo ordine Resolutionis tradi potest.

12 *An Cœli moueatur per Mentē, & appetitum.*

13 *Nū Phantasia, vel appetitus magis moueat.*

ET Phantasia mouens non mouet sine Appetitu, vnum igitur est mouens Facultas appetendi: si enim Duo, Mens, & Appetitus mouerent, secundum communem aliquam formam mouerent, nunc autem Mens non videtur mouere sine Appetitu; Voluntas enim appetitus est, cum autem Ratione mouetur, Voluntate mouetur, Appetitus autem mouet sine Ratione, Concupiscentia enim appetitus quidam est. Cont. 50.

ARIST. Principia motus Duo esse dicebat, Mentem, & Appetitum; Modo quia Principium proprium & proximum debet esse vnum, Intentio eius est, ea Duo in vnum redigere, & ostendere, id esse Appetitum; Dimiditur Contex. in Duas partes; In Prima ea Duo Principia redigit in Appetitum; In Altera ostendit, ita debere redigi. Ait in Prima parte, Phantasiam sine appetitu non mouere, adeò, vt semper Appetitus ille sit, qui proximè mouet; Ex quo infertur, ex Duo Principia, in unum redigi, nimirum, in Appetitum qui proximè mouet; Si enim duo, &c. Hæc est Pars secunda, in qua ostenditur ea reductio: Nam si duo ad aliquid efficiendum conspirant, si id quod efficitur, est vnum, debent ea id per communem aliquam speciem efficere, motus qui producitur, vnus est, communis autem ratio & species per quam efficitur, non est Mens, quia

Intentio.

Diuisio.

Expos.

quia Mens non mouet sine Appetitu, qui Voluntas dicitur, Appetitus autem mouet etiam repugnante Mente, vt patet de incontinente, id itaque cõmune Appetitus est.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, dum plura conspirant ad producẽdum motum vnum, illa plura vel sunt subordinata, vel æquè proximè id efficiunt; Si fuerint subordinata, tunc prius est causa posterioris, & ita se habent Cognitio, & Appetitus: nam Cognitio parit Appetitum; Si verò consideran tur vt distincta, & proximè mouentia, tunc ea plura per aliquid commune mouent, vt plures equi ducentes Currum, id faciunt per virtutem mouendi eis communem, dum considerantur Mens, ut Appetitus ab Aristot. hoc in loco non considerantur ut proximi motores, quia Mens non proximè mouet, sed ut motores distincti, & non semper, nec necessariò subordinati, ac ita non semper Mens ea est quæ mouet, & appetitum excitat, & ideò Mens excluditur: quia sine ea fit motus; At, si loco Mentis acciperetur Phantasia, vel Cognitio, non deberet excludi, quia semper pro motu conspi-
2 rant Cognitio, & Appetitus, vt Duo Subordinata. Considero Secundò, quod Arist. ait: Dum Homo secundum Rationem mouetur, Voluntate mouetur, Voluntas est Appetitus Rationis, siue Mentis, nomine Voluntatis præsertim intelligere debemus Selectionem, quæ tamen cum Voluntate conformatur, Voluntas recipit Finem, Selectio Media, Motus autem fit seligendo Media, Ratione inuenta, & approbata. Con
3 sidero Tertiò, in dubium uerti, num Mens suo Appetitu ualeat sine medio mouere Corpus, vel semper conspirare debeat Appetitus Sensuum, quod id facere ualeat ostenditur: quia frequenter Homo Ratione mouetur, repugnante Appetitu; & in Contextu antecedente Aristot. dicebat motum illum non fieri ab appetitu; Ex aduerso videtur id fieri non posse, Primò, quia facultas non Organica, non utitur sine interme dio organis, Mens & voluntas sunt facultates non organicæ, quare non ualent proximè alterare, & agitare spiritus, & membra; Confirmatur: quia in Subordinatis, extremum non mouet extremum, sine medio, appetitus autem Sensuum, medij sunt inter Mentem & motum, non itaque sine aliquo horum fit motus, quod conspicuè dicitur ab Aristot. nam in lib. de motu animalium, cap. 5. ait: Alterant autem nos Imaginationes, & Sensus, & Intellectiones, Sẽsus enim statim sunt alterationes quædam, Imaginatio verò & intellectio, rerum habent virtutẽ; Et mox in calce additur; Instrumentarias namque partes, passiones aptè parant, appetitus passiones cõstituunt, Imaginatio autem appetitum, hæc autem fit aut Sensu, aut Mente, &c. Semper itaque Mens mouet per mediam Phantasiam, & appetitum, & id præsertim euenit, quia (ut rectè dixit Plato) appetitus irascibilis pugnat pro Ratione aduersus Concupiscibilẽ, & à Ratione facilè excitatur, adeò, ut contrà Sensum frequenter pugnet; Et dum Aristot. dixit in præcedentibus appetitum non mouere, vt in viro continente, denotauit, quod non mouet sponte, sed coactus, & nisi moueat appetitus Concupiscendi, mouet appetitus Irascendi, pro Ratione pugnans, & dominans; Sic itaque semper proximè mouent Phantasia, & appetitus; Arist. autem Mentem sumpsit, quia Phantasia mouens est duplex; uel formata Ratione, vel Sensu, quam communi nomine
4 Mentis denotauit. Considero Quartò, iure quæri posse, cum motores Cælorum, Cælos mouent sine appetitu Sensuum, & solo appetitu Mentis, cur etiam Mens Hominis non valet mouere Hominem sine appetitu Sensuum? Respondeo, id iure euenire, Primò quia Mens Cæli motor, magis ei dominatur, quam Mens nostro Corpori, ideo magis ad libitum id mouet; Secundò, quia motus ille omni ex parte est secundũ Naturam, & nulla ei inferenda est uis; Tertiò, quia motus ille est alterius Rationis, & non fit cum alteratione, passione partium, & instrumentis corporeis, & ut Mens Cælorum ut intelligat, non eget Phantasia, ita neque ut moueat.

An Mens cum Voluntate valeat sine alio medio mouere.

Dubitat.

Solutio.

MENS itaque omnis recta est, Appetitus autem, & Phantasia recta, & non recta; Propterea semper quidem mouet Appetibile, quod vel est bonum, vel apparet, & id non omne, sed illud, quod ad actionem pertinet, hoc autem illud est, quod potest secus se habere. Cont. 51.

QVIA ad mouendum conspirant Mens, Phantasia, appetitus & appetibile, proximè tamen appetitus semper, mouet, Ideo intentio Aristot. est, patefacere conditiones eorum Quatuor, vt inde pateat origo internæ litis, & unde pendeat bonum, quod in motu includitur, uel per illum acquiritur. Diuiditur præsens Contex. in Duas partes; In Prima comparatur Mens cum Phantasia, & appetitu, per Relationem ad rectum; In Altera manifestantur Duæ Cõditiones appetibilis; Ait Philosophus in Prima parte, Mentem omnem ex se rectam esse, Phantasiam uerò & appetitum posse & recta, & non recta esse, recta quidem, dum Ratione diriguntur, contra uerò, dum sequuntur Sensum cum Ratione pugnantem; Propterea semper, &c. In hac Secunda parte sermo est de appetibili: nam cũ pro motu necessarius sit appetitus, & hic ducatur ab appetibili, pro omni motu requiritur appetibile, cuius Conditiones Duæ sunt; Prima, ut sit Bonum, uel uerè, vel saltem ut appareat, omnis enim actio, & electio est gratia Boni; Et confirmatur: quia appetibile relatum ad appetitum, est Finis, præcipua autem Conditio Finis, est Bonum. Altera Conditio est, ut sit Bonum, non quidem uerum, ut Contemplationis, sed Bonum ad actionem pertinens, Bonum verũ vnicuique est consimile, at hoc quod pertinet ad actionem, potest aliter se habere, ueluti, attingi, & non attingi, & Bonum vni, frequenter non est Bonum alteri.

Intentio.

Diuisio.

Expositio.

Conditiones rei appetibilis.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, dubiam esse eam Sententiam quod Mens semper sit recta id enim uidetur falsum: quia Mens mouens ea est quæ Ratiocinatur; Ratio autem recta, & non recta, esse potest, ueluti uiri vitiosi Ratio peruersa est. Confirmatur: quia ea non est Scientia, sed Opinio, quæ uera & falsa esse potest. Hinc Aristot. in Cont. 26. dixit Mentem non omnem, sed eam quæ uersatur circa quid est, & essentiam ueram esse, & non aliquid de aliquo, non itaque Mens omnis recta est; Soluitur per Duo fundamenta; Primum est, quod Aristot. modo per Mentem denotat Rationem rectam, pugnantem cum appetitu Sensuum, ueluti in uiro continente; Alterum fundamentum est: quia id considerari debet quod est secundum se, non autem ob deprauationem, Mens & Ratio secundum se tendit in illud uerè Bonum est; Si autem ei competit deprauatio, est ex accidenti ob Sensus; At Phantasia & appetitus sunt indifferentes ad rectum & non rectum, quia tendunt in Bonum Sensuum, quod absolutè & rectum & non rectum esse potest, quatenus pugnat vel conformatur cum Bono Mentis. Considerò Secundò, quod Arist. ait appetibile semper mouere; Quod non caret difficultate; Primò, quia appetibile est finis, qui, non mouet nisi per Metaphoram, ut dicitur in 1. de Ortu, & interitu; & confirmatur: quia mouens debet tangere, id non tangit, & sæpe non est, & eo præsente definit mobile moueri; Respondeo appetibile ad Duo referri; Vel ad appetitum, & ita non mouet nisi per Metaphoram, quatenus excitat appetitum pro eius adeptione; Vel refertur ad Facultatem Cognoscentem, adeò, ut facultas noscens dicatur esse id per repræsentationem, & ita mouet in genere efficientis, & est tanquam ratio recta per quam mouens mouet, qua consideratione dicitur Obiectum mouens Facultatem

Consid. 1. Qũo Mẽs semper sit recta.

Solutio.

2 *An Appetibile moueat.*

Solutio.

Cognoscentem, & vna cum ea mouens Instrumenta inseruientia motui, ita habet ef se cognitum, & virtute rei cognitæ, alterat spiritus, ut docet Aristot. in lib. de motu Animalium, & sua facultate tangit, ex quo patet Solutio aduersarum Rationum.

3 *An Appetibile semper vel sit vel videntur Bonum. Solutio. Homo duplex.*

Considero Tertiò, quod Arist. aut appetibile semper uel esse, vel uideri Bonum; Hoc in dubium uertitur, quia incontinens sequitur voluptatem, quam nescit esse malam, ideo de eo dicitur: Video meliora, proboque, deteriora sequor; Ita multi furantur, uocant Homines, & alia patrant quæ nescunt esse scelera, & ob id latenter ea faciunt, ut uitent pœnas suorum delictorum; Hinc D. Paulus, inquiunt: Non quod uolo bonum id facio, sed quod odi malum; Pro Solutione dico, Hominem Duo includere; Naturam attinentem ad Corpus, & Mentem; Hinc datur Homo internus, & externus; Viuens secundum Spiritum, & secundum Carnem, & demum, Sensitiuus, & Rationalis; Duplici Hominis conditioni & gradui, duplex respondet Lex, & duplex Bonum, & euenit frequenter, ut Bonum unius, pugnet cum Bono alterius, & quia Bonum Rationis, & Mentis, est eminentius, inde oritur quod frequenter Bonum Naturæ, & Sensuum comparatum cum eo, dicitur malum, Natura & Sensus Bonum quærunt, at, Naturæ & Corporis, Mens autem quærit Bonum eminentius; Ex hoc elicitur Solutio aduersarum Rationum; Instabatur Primò, quia incontinens nescit Bonum, & sequitur malum; Respondeo, sequi Bonum Carnis & Sensuum per præpotentem appetitum id optantem nescit incontinens id esse aduersum Rationi, at iudicat esse Bonum Sensuum, & Carnis, ut etiam fures dum clam furantur, & ideo non faciunt id Bonum quod recta Ratione optarent, sed id quod Mente iudicant malum,

4 *An quod fit per appetitū naturæ, possit esse malum. Solutio.*

Sensu Bonum, cuius appetitus est potentior. Considero Quartò, iure optimo posse aliquem ambigere, num id quod fit per appetitum Naturę, possit esse malum, id enim non uidetur posse accidere, quia de Natura dicitur optare Bonum, dirigi ab Intelligentia non errante, & propterea non uidetur posse nos ad malum ducere, & ad scelera reddere procliues, ut est vox communis; Hæc dubitatio, per ea quæ dicta sunt facilè soluitur; Natura enim, vel consideratur secundum se, uel ex accidenti, considerata secundum se, ducit ad Bonum, non alienum, sed proprium; & quia Natura in Corpore est mersa, ideo ducit, & dirigit ad conseruationem sui & suæ speciei & ad uoluptatem Corporis; At, euenit, ut ob legem eminentiorem, Bonum Corporis nonnunquā pugnet cum Bono Rationis, ac ita ex accidenti tendit in malum; Et quia Regulæ debent considerari secundum se, non ex accidenti, ideò recta Regula hæc est; Natura ducit ad Bonum, & vulgata Regula, quod Natura nos reddat ad malum procliues, approbanda non est; Et quod id eueniat ex accidenti, ob nexum cum ratione, patet; quia in expertibus Rationis ad solum bonū dirigit, & ducit; Sic Abraham seligens interficere Isaac filium contra instinctum Naturæ, operabatur rectè, quia id faciebat

5 *Finis uerè & non verè.*

mandato Dei, Naturæ dominanti; Considero Quintò, quod vt se habet de Bono, ita de Fine, nam Bonum est conditio Finis, ideo ut datur Bonum Verum, & Bonum apparens, ita putandum est se habere de Fine, nam verè Bonum, uerè Finis cēseri debet, & finis absolutè, Bonum verò apparens, nec verè, nec absolutè finis censeri debet, sed solum Finis apparens, & Finis ob deprauatam constitutionem Appetentis; Hoc indicauit D. Paulus inquiens: Non enim quod volo Bonum id facio, indicans id esse verè Finem; Sed quod odi malum, quod non est uerè finis, sed ex deprauatione oritur; Sic Ius Diuinum præest Iuri Naturæ, & Lex Spiritus, Legi Carnis, quæ duæ Leges nonnumquam pugnant.

QVOD igitur huiusmodi Anima facultas quæ dicitur Appetitus, moueat, manifestum; Diuidentibus autem Anima partes, si secundum potentias diuidunt, & secernunt, accidit vt multæ prodeant, veluti Vis Nutriendi, Sentiendi, Intelligendi, Consulendi, Appetendi, Hæ namque magis inter se differunt, quam Vis Concupiscendi & Irascendi. Cont. 52.

OSTENSO quod Appetitus statui debet proprium & proximum Principium motus; In præsenti Contex. Duo facit; Primò, colligit Conclusionem; Secundò, inuehitur in Platonem loco secernentem Duos Appetitus Sensuum; Conclusio hæc est; Patet ex dictis Appetitum esse eam Animæ facultatem, quæ statui debet Principium motus; Diuidentibus autem Animæ partes, &c. Hæc est pars Altera, in qua inuehens in Platonem, ait, quod diminutè Animam in partes diuidit, cũ eam diuidat in Facultatem Irascendi, Concupiscendi, & Iudicandi: nam si secundum Facultates eam secamus, dantur partes aliæ, magis inter se differentes, quam tres relatæ, dantur enim Facultas Vegetandi, Sentiendi, Intelligendi, Consultandi, Appetendi, magis ab inuicem seiunctæ, quam vnus Appetitus ab altero, & ambo à Facultate Cognoscente. *Intentio. Diuisio. Exposit.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Plato Appetitum concupiscendi, tribuit Hepati, Irascendi Cordi, Facultatem Intelligendi Capiti, ostendit unũ appetitum distingui loco ab alio, quia frequenter vnus pugnat cum altero, ideo non simul reperiuntur, Appetitum Irascendi ait mediare inter Cupiditatem, & Rationem, quia frequenter pugnat pro Ratione aduersus Cupiẽdi Appetitum, Aristot. illum carpit, quia diminutè refert partes Animæ, & quia vnum Appetitum loco secernit ab altero, & vtrosque à Facultate Cognoscendi, vt apparuit in præcedentibus. Rationes Platonis non cogunt, quia nedum una Facultas appetendi pugnat cum altera, sed etiam secum, vt cupiditas Cibi, cum ea Veneris, & tamen non loco secernitur: nam pugna oritur ex uarietate appetibilium, quæ etiam in eadem facultate seruatur vt sæpè ratio una pugnat cum altera. Consulto Secundò, quod Arist. numerans partes Animæ, modo plures, modo pauciores numerat, quatenus vel principaliores tantum, vel alias etiam minus principales numerat, sed est Dubitatio: quia referens partes Animæ, in hoc Contex. prætermittit facultatem mouendi, quam retulit in Secunda Definitione Animæ; Insuper, prætermittit Phantasiam, Mentem, non pro una, sed pro duobus distinctis facultatibus enumerat, inquiens dari facultatem intelligendi, & consultandi; Respondeo, Arist. hoc in loco diuisisse facultatem mouendi, quia iam patefecit id esse officium appetitus; in 2. autem de Anima, retulit facultatem mouendi, at prætermisit Appetitum, facultas autem mouendi à Veteribus pro principali referebatur, & gradum distinctum Animalium constituit. Phantasiam modo prætermittit, quia eam per Sensum denotat, cum versetur in singularibus, Mentem in Duo secreuit, quatenus in Contemplantem & Operantẽ sumpta differentia ex fine distribuitur: nam Contemplantem dixit Facultatem Intelligendi, Operantem verò Consultandi; quæ Diuisio ei inseruit ut pateat quæ facultas sit principium motus. Consulto Tertiò, quod cum appetitus sit Triplex, non appareret quomodo valeat constituere principium unum motus; Insuper, dum appetitus *Consid. 1. Rationes Platonis. 2*

dici-

Quo appetitus cum sit triplex Principiũ unum motus sit. Solutio.

dicitur principium motus non constat an nomine appetitus, etiam denotetur uoluntas, vel potius solus appetitus Sensuum; Augetur Dubitatio; quia motus non rectè dicitur principium motus, ita enim esset principium sumet: at, appetitus ab Aristotele dicitur esse quidam motus; Respondeo, appetitum constituere principium unũ, non specie vltima, sed genere, ut etiam motus varietate sunt præditi; Et nomine appetitus Arist. etiam denotat Voluntatem, siue Selectionem, quia quamuis non proximè moueat, saltem dum mouet dominatur, & per eius imperium mouetur Homo, appetitus autem Sensus tunc proximè mouet vt coactus, victus & directus ab appetitu Mentis; Hinc Arist. in præcedentibus affirmauit, Voluntatem esse appetitum, & quod dum Voluntate mouemur, per appetitum mouemur. Instabatur, quia appetitus est quidam motus; Soluitur appetitum esse motum, dum vsurpatur pro actu Secundo, at dum vsurpatur pro actu Primo, est Facultas, & Principium motus. Considero Quartò, in dubium verti, num motus Animalium de quo est sermo, sit motus Naturalis, vel Violentus, vel neuter; Respondeo, motum illum distincta ratione & consideratione dici posse Naturalem, contra Naturam, suprà Naturam, Animarium, & Rationalem; Primò, ab Arist. in 8. Phys. 27. dicitur Naturalis, quatenus est à principio interno, & quatenus Anima quoque nomine Naturæ denotatur; Secundò, est contra Naturam Corporis grauis, & partium eius, & præsertim ascensus, vt dicitur in eodem Contex. Tertiò, est supra Naturam, dum Natura consideratur ut infra Animam posita, vt sæpè vsurpatur, ita enim Anima supra Naturam dicitur eleuata; Ac ita Quartò dicetur motus Animarius, & sponte factus; Quintò, vt Motus in Homine dirigitur à recta Ratione, Artis vel Prudentiæ, dicetur motus Rationalis & Artificiosus; Ex quo patet, nullum esse genus motus, quo Homo non agitetur, quod nulli aliorum Corporum competit.

4 *An motus Animatũ sit naturalis.*

Cont. 53.

QVONIAM autem Appetitus nonnunquam inuicem pugnant, quod quidem accidit cum Ratio, & Concupiscentia contraria sunt, idque illis competit, quæ temporis Sensu prædita sunt; nam Mens ob futura vitandum iubet, Concupiscentia autem à præsenti ducitur, & id quod iam delectabile, est absolutè delectabile, & absolutè bonum ei videtur, quia non videtur futurum.

Intentio.

QVM Appetitus sit constitutus proprium & proximum principiũ motus Animalium, quia appetitus est tanquam Bellua multorum capitum, quæ frequenter inuicem pugnant, & mutuo se euertunt, ideo consilium Arist. est, de eorum pugna, & oppositione verba facere, quæ cum sit multiplex, Aristot. de principalissima loquitur, eiusque rationem affert, reliquas magis conspicuas, & communiores prætermittit; Diuiditur Contex. in duas partes, in Prima profertur pugna; In Altera eius Ratio affertur; Pugna appetitionum principalissima, versatur inter Concupiscentiam & Rationem, quæ conspicuè fulget in uiro, continente, & incontinente, quam expressit D. Paulus, inquiens: Sentio nouam Legem in membris meis, repugnantem Legi Mentis, &c. Hæc pugna non in iumentis & feris locum habet, sed in solo Homine, quia solus est particeps Rationis, & conscius est distinctionis temporum, munere rationis; Nam Mens ob futura, &c. Declarat causam pugnæ, & est, quia Sensus & Cupiditas solum præsentia iudicant, & id quod pro præsenti est eis iucundum, & Bonum, iudicatur absolutè tale; At, Ratio præuidens

Diuisio. Expos.

futura,

futura, noſcens damna inde proditura, noſcit id abſolutè, nec iucundum nec Bonum eſſe, veluti, dum Homo ægrotat Febre ardente, Senſus & appetitus eius iudicant uinum abſolutè iucundum, & Bonum; At, Ratio noſcit per Vinum augeri febrem, & reddi lethalem, & tunc lis oritur inter Senſum & Rationem, & dominans redditur principium motus.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò pugnas inter appetitiones uarias eſſe, præſertim tamen eſſe Sex; quarum principaliſſima verſatur inter cupiditatem, & rationem, quæ conſpicua eſt. Altera inter Cupiditatem & Cupiditatẽ prodiens ex varietate eorum quæ cupiuntur, veluti Iuuenis ſimul cupit ire ad Cœnam, & ad Concubinam, & iturus ad concubinam, Vna ex parte trahitur ab amore pecuniæ, ex Altera ab Amore meretricis; Tertia pugna verſatur inter appetitiones uarias appetitus Iraſcibilis, vt iniuria affectus à duobus, anceps eſt in quẽ Primò irruat; Quarta pugna uerſatur inter appetitum Iraſcendi, & Concupiſcendi, vt iniuria affectus à meretrice, quam diligit, per appetitum Concupiſcibilem, tendit ad eam, per Iraſcibilem detinetur, & ideo dicitur, quod amantium iræ, ſunt amoris redintegratio, & uerius diceretur quod ſunt amoris accretio; Ratio eſt: quia dum amans ob iniuriam ſe abſtinet, & non tendit ad rem dilectam, magno afficitur dolore ob priuationem, & propterea creſcit deſiderium fruendi ea, & eſſe cum illa; Quinta pugna verſatur inter appetitum Iraſcendi, & Rationem, veluti dum quis iniuria affectus à ſuo domino per appetitum Iraſcendi vindictam quærit Ratione autem detinetur, quia durum eſt contra ſtimulum calcitrare, & tunc dicitur

Conſid. 1.

Sex pugnæ Appetitionũ.

Hoc quoque Cor perfer, uana & graviora tuliſti.

Sexta pugna verſatur inter Rationem, & Rationem, quod accidit in re dubia, & Rationes pro partibus oppoſitis afferuntur, & tunc vera refulget ea Sententia, dum in dubio eſt Animus, facili momento huc vel illuc impellitur. Conſidero Secundò, quod cùm Sex ſint Capita pugnarum, Tria eorum ſunt communia etiam Iumentis, & Feris, at, ea quæ eſt uel Rationis cum Ratione; vel Rationis cum appetitu Iraſcendi; vel cum appetitu Concupiſcendi, propria eſt Hominis, Ariſtot. retulit pugnam principalem inter Senſum & Rationem, quę includit duo capita, nimirum, Rationis, cum cupiditate, & Rationis, cum Ira; Hæc pugna inter Senſum & Rationem, ea eſt quæ dicitur Homini coæua, & vniuerſa Hominis recta inſtitutio; in hoc eſt poſita, ut Ratio præualeat, & aſſueſcamus ut Senſus ſuccumbat; Hinc pœnitentia, tolerantia, abſtinentia, enitendum eſt vires Senſuum eneruare & minuere; Dum Ratio præualet, dicitur Homo verè potens vereq; fortis; Inſuper, dicitur vincere ſeipſum, & potentior dicitur victor ſui, quam expugnator Vrbium; At, fortè minus rectè Homo dicitur vincere ſe, dum Ratio ſuperat Senſum, quia Senſus Hominem non conſtituit; rectius fortè loqueremur, dicentes Partem Humanam vincere ferinã, conditionem Virilem ſuperare Fœmineam, & Spiritum Carni dominari, vt vice uerſa, dum præualet Senſus, Pars fera vorat humanam, & Caro necat Spiritum. Conſidero Tertiò, quod Ariſt. aſſignans rationem pugnæ, & inquiens id euenire ob Senſum temporis, indicat tempus ſine Ratione non cognoſci, & ob id expertia Rationis ſunt expertia Cognitionis temporis, & iure: quia tempus eſt numerus, numerare autem eſt officium Rationis, noſcunt feræ tempus ex accidenti, noſcendo Qualitates temporum anni; Inſuper, noſcendo modo aliquo motum, at, formam temporis non cognoſcunt; Inſuper, cauſam affert Ariſtot. illius pugnæ ſatis conſpicuam, at, non totam, & integram: nam ex ſola conditione finium ſine diſtinctione temporum prodire poteſt pugna, veluti pugna inter Senſum, & Rationem, an Homo debeat Hominem interfice-

2

3 *Ratio ſola noſcit propriè tempus.*

Quæ cauſa pugnæ appetitionũ afferatur ob Ariſtotele.

re,

re, vel furari, non ex tempore oritur, sed ex conditione rei, quæ grata est Sensui, Ra-
tioni autem est aduersa, cum sit iniusta, & cum virtute pugnans, quærit Sensus dele-
4 ctabile, pugnat ratio pro honesto. Considero Quartò, quod etiam feræ & iumenta
Dubitat. videntur à nonnullis abstineri ob futurum, & multa facere pro futuro, adeò, vt causa
relata ab Arist. dubia videatur: Nam gratia exempli, Grues pro futuro tempore mu-
tant Regiones, Formicæ colligunt grana, Araneus retia ducit, Hirundo nidum con
struit pro futuro tempore, & Canis a domino percussus se abstinet à commedenda
Solutio. carne, ne iterum percutiatur; Soluitur Dubitatio, quia competere alicui Sensum tẽ-
poris, contingit dupliciter; Vel cum Ratione, & distinctè; Vel confusè, & loco Ratio-
nis per instinctum Naturæ, expertibus Rationis competit, hoc Secundo modo, non
Primo; Arist. considerauit Cognitionem temporis distinctam, & cum Ratione non
confusam, veluti expertibus Rationis tribuitur nonnunquam Prudentia, quæ Physi-
ca dicitur; Similiter eis tribuuntur Virtutes morum nonnullæ, & Artes, cum eis solũ
vmbræ competant, & per similitudinem ac Metaphoram.

Com. 53. *SPECIE quidem vnum erit mouens, vis appetens, vt appetens est; Primum autem omnium appetibile, hoc enim mouet, & non mouetur, eo quod Mente aut imaginatione sit cognitum; numero autem mouentia sunt plura; Quoniam autem tria sunt, Vnum quidem*
54 *mouens, Alterum quo mouet, & Tertium quod mouetur, Mouens autem duplex est; Vnum quidem immobile, Alterum autem mouens, & motum; Immobile est Bonum Agibile, mouens autem & motum, facultas appetens, nam id quod appetit vt appetit mouetur, & appetitus motus quidam est, aut actus; Quod autem mouetur est Animal, quo verò mouet Organo appetitus, hoc iam Corporeum est; Propterea de ipsis agendum est in Sermonibus qui sunt de operibus communibus Anima & Corporis.*

Intentio. *Diuisio.* CVMVLATE satis patefecit Arist. appetendi facultatem es-
se id principium quod mouet Animalia, ideo, vt cætera quoque
pro huiusmodi motu requisita patefaciat, Quatuor in præsenti
Contex. declarat, nàm Primò, appetitum principium motus, ait
esse numero multiplicem, specie vnum; Secundò, refert Tria in
motu subordinata, quæ sunt Motor, Mobile, & Quo motor mo-
uet; Tertiò, declarat Mobile; Quartò, loquitur de Organis, qui-
Expos. bus fit Motus; Vt pertinet ad primum, vis appetendi statuitur principium mouens,
quæ uis numero est multiplex, cum ob numerum animalium, tum ob numerum appe
tibilium; Hæc facultas ex sui conditione, & cum reduplicatione mouet, hæc enim
conditio est appetitus, vt moueat, pro quo tamen duo alia requiruntur, & sunt appe-
tibile, & cognitio mentis, vel Phantasiæ: nam appetibile cognitum excitat appetitũ
ad mouendum. Quoniam autem tria sunt, &c. Constituto principio motus, pro
reliquorum explicatione, in hac Secunda parte numerantur tria pro motu subordina
ta, quæ sunt, Mouens, Quod mouetur, & Quo; Mouens est duplex; Vnum quod mo-
uet, & permanet immobile, quod est appetibile, & id bonum, quod ad actionem per-
tinet; Alterum est Vis appetendi, quæ tanquam media mouetur, & mouet, mouetur

ab

ab Obiecto, mouet Instrumenta: nam appetitus pro actu secundo, est quidam motus, quo mox agitantur Instrumenta; In Tertia parte manifestatur mobile, hoc autem est Animal, quod mouetur per instrumenta, motui inseruientia; Quo verò appetitus mouet Organo, &c. Loquitur in hac Quarta parte de instrumentis motui inseruientibus, Hæc autem corporea sunt, non autem spiritalia, vt appetibile, cognitio, & uis appetens, & cum sint Corporea, non propriè pertinent ad hunc librum, in quo sermo est de Anima, sed ad librum de Operibus communibus Animæ & Corpori, nimirum, ad librum de motu animalium, nam declarata in paruis naturalibus, sunt opera communia Animæ, & Corpori.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, cum motor per tria constituatur, quæ sunt appetibile, cognitio, & appetitus, Aristot. pro principio hoc Tertium statuit, quia proximè mouet, præsupponit alia, & mouet cum sui reduplicatione; Conditio appetibilis est, ut appetatur; Conditio facultatis iudicantis, ut cognoscat; Appetentis verò vt agitet instrumenta, & moueat. Considero Secundò, quod appetitus dicitur unus specie, numero multiplex, est vnus specie, hoc est cõmuni ratione, & forma, ut appetitus est, non autem specie vltima, nam appetitus est multiplex, ut apparuit, Primò enim est Triplex, appetitus irascendi, Concupiscendi, & Voluntas; Insuper, est multiplex ob varietatem specierum animalium; Tertiò, ratione multitudinis appetibilium; nunc tamen dicitur unus specie, pro sua communi forma, & reduplicatione, non tamen Vniuocè, sed ab vno, & ad vnum. Considero Tertiò, quod appetitus relatus ad appetibile cognitum, mouetur, relatus ad Spiritus, & Organa mouet, & cum moueatur, dicitur quidam motus, aut actus; Ea particula (aut) Græcè, ἢ. potest denotare, vel (aut) vel (quatenus) si denotat (aut) dicemus, quod appetitus sumptus pro secundo actu, est motus prodiens ex facultate appetente, aut actus, quo Spiritus, & Organa mouentur; Si denotat quatenus cum subscriptione, dicemus quod appetitus est quidam motus, quatenus est actus facultatis appetentis; Considero Quartò, quod appetibile relatum ad facultatem appetentem, est finis, at, pro esse cognito (vt in præcedentibus dixi) est efficiens, de quo Aristot. loquens, secum videtur pugnare, nam in Contex. 51. de eo dixit, quod potest aliter se habere, similiter in lib. de motu Animalium, cap. 3. dixit, solum Deum immobilem, apud nos autem moueri, & appetibile, & appetitum; Confirmatur: quia appetibile dicitur Bonum, ad actionem pertinens, quod quidem multiplici uarietati est obnoxium, & nonnunquam à nobis acquiritur, uel attingitur, nonnunquam minimè; Ex aduerso ait modo Aristot. id mouere, & non moueri; Soluitur controuersia, quia appetibile dupliciter consideratur; Vel pro suo esse absoluto, & extra animam, ac ita mutatur; uel pro esse cognito, dum mouet, qua consideratione mouet, & excitat appetitum, non autem mouetur. Considero Quintò, quod Aristot. explicans appetibile, ait id esse Bonum agibile, quod profecto non de omni appetibili verum est, nisi agibile latissimè vsurpetur: nam actio est propria Hominis, Iumenta, & Feræ, operantur, & efficiunt, at, non agunt, vt dicitur in 2. Physic. & in libris de Moribus, Aristot. tamen præsertim loquitur de motu Hominis, & ideo declarat appetibile, ut Menti respondet, ex quo constat iure optimo cum Primò debuisse de Mente loqui, mox de Motu, cum enim Motus competens Homini, sit omni perfectione præditus, iure optimo præsertim consideratur, & cum sit tanquam mensura cæterorum, ex eius explicatione refulgent cæteri.

Consid. 1.

2

Appetit⁹ quomodo sit unus.

Quo sit multiplex

3

4

Controu.

Solutio.

5

Cont. 55. *NVNC autem vt summatim dicam, id quod instrumentariè mouet, vbi principium, & finis idem, vt cardo, vbi enim gibbosum, & cauum, hoc quidem finis, id verò principium est, quapropter alterum quidem quiescit, alterum verò mouetur; Ratione quidem distincta sunt, non autem magnitudine, omnia enim pulsione, & tractione mouentur, ideo oportet vt in circulo manere aliquid, & inde incipere motum.*

Intentio. Diuisio. Expositi. ARISTOTELES in libro de motu Animalium exactissimè attinentia ad Instrumenta, & modum quo mouentur patefecit, quorum modo solum summam, & conclusionem profert. Diuiditur Contex. in duas partes; In Prima asseritur, facultatem instrumentis vtentem in cardinibus ossium vigere; In Altera, exemplo motus Circuli id illustratur; Ait in prima parte, vt summa & conclusio proferatur, attinentium ad instrumenta motuum Animalium, facultas quæ proximè per instrumenta mouet, uiget in cardine, & nexu ossium, in quo finis vnius ossis, cum principio alterius per gibbosum unius, & alterius cauum nectitur, ideo quiescente uno, alterum circa id mouetur, quod principium, & finis, ratione sunt distincta, non magnitudine, & loco, hinc distincta ratione, & relatione, id quod pro reuolutione alterius ossis est finis, pro reuolutione suimet, circa illud est principium; Insuper, etiam sola ratione dicuntur distingui: quia ut ex nexu, & cardine tanquam ex centro ducuntur dicitur principium, vt in cardinem desinunt finis, vt Lineę Circuli se habent ad Centrum, propriè tamen finis dicitur gibbosum manens in cardine, concauum verò quod circa id reuoluitur, dicitur principium; quæ cum nectantur, dicuntur magnitudine nõ seiuncta; Demum non sunt seiuncta magnitudine, sed sola ratione, quia omnis motus fit tractione ad cardinem, & ita seruat conditionem Finis, uel pulsione ab eo, & dicitur principium. Ideo oportet ut in Circulo manere aliquid, &c. in hac Secunda parte Philosophus utitur exemplo motus Circuli, pro quo oportet manere aliquid, nimirum Centrum, & Polos, & inde dicitur Circulus incipere moueri, quod conspicuè patet in statera, in qua cardo tanquam centrum manet, quod distincta ratione ut patuit, est principium, & finis, & inde motus recipit originem.

ANNOTATIONES

Consid. 1. *Circulus est origo plurimũ admirabilium. Quo i motu Anim. refulgeat virtus circuli.* CONSIDERO. Primò omnium consensione Mundum esse eximia admiratione dignum, qui cum moueatur in orbem, motu adeò admirabili est præditus, vt plurimorum admirabilium sit orgo, hinc Artifices Naturam æmulantes utentes virtute Circuli, innumera efficiunt, quę admirationem pariunt, vt docet Arist. sub initiũ suarum Mechanicarum, nam auxilio Circuli eleuãt Põdera grauissima, eaque trahũt, & ducunt, variaq; efficiunt, quę humanas vires superare videntur hæc Circuli virtus, refulget in motu Animalium; Primò enim Animal totum est tanquã Sphæra, & Circulus, cuius Centrum est Cor, à quo vires per vniuersum Corpus effunduntur, & in quod contrahuntur; Mox lucidius apparet facultas Circuli in ossium iuncturis, & proximis instrumẽtis motus, veluti in Cubito, Genua & alijs similibus, in quibus refulgent Cardines, & Centra Circulorum, ex quibus ossa, tanquam radij, & Lineæ ex Centro ductæ prodire videntur, in quorum nexu distincta ratione vt patefeci Principium & Finis eorum consideratur. Consídero Secundò,

eundò, quod iure optimo Aristot. motum Animalium dicit similem motui Circuli, nã in eo motu quinque refulgent Circuli imagines; Prima pertinet ad Appetibile, id enim à se in se mouet, excitat motum ut Obiectum cognitionis, & est finis appetitionis; Secunda pertinet ad Cor, ex quo vt ex Centro prodeunt Spiritus & vigor pro motu, & in quod redeunt à quo seruãtur, & perficiuntur; Tertia imago refulget in relatione ad Animam, quæ est principium motus, & id cuius gratia fit, ut dicitur in 2. de Anima; Quarta similitudo quæ magis ad rem facit & de qua modo loquitur Aristot. refulget in connexione, & Cardine ossium, per quæ fit motus qui Cardo ab Aristot. κινλισμος dicitur; Cardo est tanquam Centrum, ossa iuncta sunt ut Radij, & Lineę circa Centrum tractione & pulsione reuolutæ. Quinta imago est, quia Animalia, & præsertim Homo, non motu recto ascendendo, & descendendo propriè mouentur, sed progrediendo circa terram, tanquam circa Centrum; Iure itaque Animalia ex Cęli motu pendentia, pro facultate dum mouentur, imaginem motus Cęli seruant; 2 *Quinque Circuli in motu Animalũ.*

Considero Tertiò, iure quæri posse, quæ sit ratio quod Homo non motu recto mouetur sed potius reuoluatur (vt dixi) in orbem, ambulando circa terram? Aiunt Academicorum nonnulli, id euenire, quia Anima est numerus, se mouens, motus autem eius est in orbem, nam se noscẽs, in se reuoluitur, & quia nectitur cum Corpore quod sui Natura motu recto mouetur, ex eo nexu motus quidam cõsurgit, qui est medius ĩntęr rectum & orbicularem, Animæ autem Cęlorum quia exactè dominantur Corpori, exactè Cęlum mouent in orbem; Huius opinionis etiam fuit Magnus Albertus quæ tamen approbanda non est, quia tunc Anima non ita moueret vt esset apta mouere sed contra propriam conditionem; Secundò, tunc instrumenta motus non responderent facultati, ea enim esset apta mouere uno modo, & instrumenta essent parata pro altero, Præterea nedum Anima Hominis apta se noscere, producit incessum circa terram, sed etiam Anima Iumentorum; mitto alia. Et dico Animalibus perfectioribus, & præsertim Homini hoc competere, vt ambulando circa terram progrediantur; Primò, quia sic seruant modo aliquo imaginem motus in orbem, ex quo pendent; Secundò, quia hic motus paratus est pro vitandis, vel assequendis illis quæ præsertim sunt suprà, & circa terram; Tertio, quia motus exposcit formam & immobile, suprà quod, & circa quod fiat, huiusmodi autem maximè est terra, ideo pro tali motu, à Natura formata Animalibus tradita sunt instrumenta, non autem pro alio; At, 3 *Cur Homo nõ motu recto mouetur.*

Quarto loco considerandum occurrit, id quod dicitur ab Aristotele motum Animalium fieri tractione & pulsione, id enim videtur dubium, quia tractio, & pulsio, sunt motus violenti, simpliciores, ex quibus mox prodeunt vectio, & uertigo, Motus autem Animalium nõ est violentus; Pro Solutione dico, Qatuor in motu Animalium considerari tractiones, & pulsiones; Prima respicit Obiectum, quod si fuerit molestũ, pellitur, si iucundum, trahitur; Altera pertinet ad Spiritus, qui vel trahuntur ad Cor, vel ab eo pelluntur; Tertia pertinet ad totum Animal quod dum mouetur supra terram partim pellit à terra, partim trahit: nam dum Homo ambulat, pes sinister Primò quiescit, & ab eo quiescente pellitur dexter qui calidior & mobilior est, mox quiescente dextro, trahitur sinister, & ad interiora pellitur; Quarta pulsio & tractio pertinet ad partes animalium, quæ vel à Cardine ossium pelluntur, vel ad eum trahuntur, & de hac loquitur Aristot. & in omni pulsione, & tractione refulget imago Circuli. At, instabatur, quia tractio & pulsio sunt motus violenti, Animal autem dicitur moueri secundum Naturam; Soluitur per duo fundamenta; Primum est, quia tractio & pulsio sunt motus violenti, dum fiunt ab externo trahente, vt Currus ab Equo, & Sagitta pelliur à Sagittario; At, non dum fiunt ab interno, ut in Animali. Alterum fundamentum est, quia motus Animalium non est per Naturam infra Animam positam, sed per Animam, & est motus quidam mixtus, partim Physicus, partim violentus, vt patuit in præcedentibus; Considero Quintò in dubium verti, num vt motus Animalium, ita motus alij fiant tractione, & pulsione; Breuibus ordiendo à motibus violen- 4 *An omnis motus fiat tractione & pulsione.* 5 *Quo pulsio & tractio competãt motui secundum naturam.* *Qui motus fiant*

tractione, & pulsione.

tis, omnes fiunt trahendo, & pellendo, sic lapides proijciendo pellimus, Currus trahitur, & sic de cæteris; Vectio, & vertigo qui etiam sunt motus violenti, ex pulsione, & tractione prodeunt, nam vectio est quædam pulsio, vertigo autem partim pulsio, partim tractio; Loquendo de motu Cæli ille secundum quandam eminentiam fit tractione, & pulsione, nam motor partim efficit motum, partim est finis eius, vt efficit, tactu virtutis dicitur pellere, vt est finis, dicitur trahere, nam mouet à se, ad se; Insuper

Mirabile in universo.

addo, (& hoc est mirabile) totum universum, & ordinem partium eius, tractione & pulsione constitui, cum enim cuncta ex Deo Prodeant, & in Deum conspirent, vt ex eo prodeunt & cum potestate miscentur dicuntur pelli vsque ad definitum gradum, vt verò à bono excitata conspirant in eum dicuntur trahi, ideo legitur in sacris literis Cum ascendero in Cælum, omnia traham ad me; Dubitatio est de motu naturali Elementorum, an fiat trahendo & pellendo; Soluens dico, etiam in eorum motu id sectuari: nam cum appetant proprium locum, dicuntur per Metaphoram ab eo trahi, id enim quod appetitur dicitur trahere, veluti dicimus, trahit sua quemque voluptas; Insuper, dicuntur pelli, quia dum lapis gratia exempli descendit, à subsequente aere à tergo pellitur; & quo diutius descendit, vehementius pellitur, hinc descendit velocius, nec ob id motus est violentus, quia mobile ad motū illum est propensum, Consi-

6

Ois motus expoſcit quieſcens.

dero Sextò, quod cū omnis motus fiat tractione, & pulsione, ideo motus oīs expoſcit aliq̄d quieſcens nā tractio est ad aliquid quieſcēs, pulsio ab it à quieſcente, ideo in reuolutione ossium in cardine, & nexu eorū, manente gibboso, reuoluitur cauū circa illud; Iure autem motus expoſcit quieſcens, cum enim sit fluxus, expoſcit fundamentum, & cum sit actus iunctus cum potentia, expoſcit actum ab ea potentia immunem ex quo pendeat; sic ab immobili aliquo prodit motus; Propterea rectè de Deo dicitur: Stabilisque manēs, das cuncta moueri; In motu Vniuersi quatuor considerantur immobilia; Primum est Deus; Alterum est Centrum; Tertium sunt Poli, ex quibus tribus

Quatuor immobilia in motu Vniuersi.

immobilibus, & præsertim ex Primo consurgit immobilitas quarta totius Vniuersi, de qua Arist. in 8. Physic. 72. ait: Manente principio, necesse est manere Vniuersum, quod continuum ei est. Loquendo de motu violento, conspicuum est, quod expoſcit quieſcens, omnis enim tractio, & pulsio, ut patuit, expoſcit quieſcens, omnis motus violentus fit tractione, & pulsione, omnis itaque motus expoſcit quieſcens; In motu Animalium multiplex est quieſcens; veluti appetibile, quod mouendo non mouetur, Anima quoque mouens secundum se, non mouetur, & præsertim Mens; At, immobilia quæ ad rem faciunt duo sunt; Vnum est necessarium pro motu totius Animalis; Alterum, pro motu partium; necessarium pro motu totius, est id, in quo mouetur, vt Homo ambulat super Terram quieſcentem, non autem super aquam, quæ mollis est, & non resistit; Aues volant per Aerem, quia Aer pennis resistit, vt aqua branchijs Piscium; Ex quo elicio, quod in vacuo nec Pisces, nec Aues moueri possent, quia non adesset immobile eis resistens; In motu autem partium requiritur quieſcens internum, & in cardine ossium, est os gibbosum, circa quod reuoluitur cauum alterius ossis; Et ratio quod requiratur quieſcens, est, quia (vt patuit) omnis motus animalis, fit trahendo, & pellendo; Supereſt motus inanimorum grauium, & leuium, de quo non constat, an expoſcat firmum aliquid, & manens; Academici id affirmant, aiunt enim partes Elementorum seiunctas à proprio loco, trahi ab animata eorum vniuersitate in suo loco manentes; Aristot. negat Elementa esse animata, & partes à sua vniuersitate trahi; & in lib. de motu animalium, cap. 3. dubitat an expoſcant pro suo motu aliquid requieſcens; Breuibus dico, expoſcere requieſcens, contingit dupliciter; vel proximum, ut animalia, & hoc non expoſcunt; vel remotum, & hoc expoſcunt: nam terminī extremi motuum rectorum, sunt Centrum, & Cælum, qui duo terminī ex parte distantiæ sunt immobiles, & per hos terminos motus Elementorum mensurantur; & præsertim per Centrum, ideo dicitur in 1. de Cælo, quod motus omnis, vel est à medio, vel ad medium, vel circa medium; Insuper, etiam locus proprius in quem

In motu Animalium multiplex quieſcens.

De motu grauium, & leuiū, Academici. Aristot.

Elementa tendunt, dicitur immobilis, ut patet ex Definitione loci. Colligamus ita; que, motum omnem expoſcere quieſcens, & motum omnem prodire ex immobili, & immobile eſſe prius motu, & magis denotare actum, quam denotat motus; idem inde Pythagoras pro actu, & forma ſumebat immobile, pro potentia, & priuatione, motum, nam quanuis motus relatus ad motorem, dicatur actus, quies priuatio, relatus tamen ad terminum, contra ſe habet. Conſidero Septimò, quod Ariſtot. in 2. de Cœlo, 34. ait, vigorem, & intenſionem motus Phyſici eſſe in Fine, violenti in Principio, proiectorum in medio. Dubitatio eſt, quia proiectio, ſiue pulſio, eſt motus violentus, quomodo Ariſt. illum à violento ſecernit, & quomodo in medio habet vigorem, & eſt velocior? Auerroes, Albertus, & per vnam expoſitionem Simplicius, aiunt per motum pulſionis denotari motum animalium, & in Contex. Auerrois id dicitur de animali; At, id non ſatisfacit: quia in omni proiectione, vigor apparet non in principio, ſed paulo poſt, & ideo dicitur in medio velocior; Sic, dum ſagitta arcu, vel pila plumbea tormento bellico pellitur, non ſtatim in principio vehementiſſimè percutit, ſed paulo poſt principium: Similiter, Equi dum currunt, vel etiam Homines, velocius currunt paulo poſt initium, quam in principio, cuius varietatis non apparet Ratio; Soluens dico, motum poſſe conſiderari tripliciter; Primò, vt abſolutè eſt Phyſicus; Secundò, vt eſt violentus; Tertiò, vt eſt mixtus, dum conſideratur vt Phyſicus, viget in fine; dum vt abſolutè violentus, viget in principio, quia ex inferente violentiam pendet vigor; at, dum conſideratur vt mixtus ex Phyſico, & violento, vigor fulget in medio, & hæc mixtio maximè apparet in pulſione, & motu animalium, nam pro horum motu varia conſpirant, quæ non ſtatim in principio rectè parata ſunt, ſed rectius paulo poſt principium, veluti, dum animal incipit currere, paulo poſt initium, ſpiritus magis ſunt excitati, connexiones oſſium magis per intermedium humorem paratæ, Aer quoque ambiens animal magis agitatus, magis impellit illud, & conducit pro velocitate motus, vt etiam id accidit in his quæ proijciuntur; Ex his colligo, mota motu violento, vt eo motu ſolum mouẽtur, in principio includere vigorem vt dum lapis funè ligatus attollitur ex puteo, Mota motu Phyſico, vt eo ſolum mouentur, in fine eſſe velociora, includentia autem vtrunque, ratione connexionis naturalis, & violenti, paulo poſt principium vigorem includere, quod præſertim accidit in curſu animalium. Conſidero Octauò, cum motus Animalium ſit à principio interno, & tendere ad finem, ſit tendere ad perfectionem, vnde oritur, quod Animalia per curſum relaxantur, debilitantur, & in fine minuitur vis currendi; Reſpondeo, id ex Quatuor cauſis prodire; Prima eſt, quia motor Animalium cum moueat, etiam ex accidenti patitur, & mouetur; Altera, quia ille motus eſt contra Naturam Corporis, & partes Corporis non ſunt in loco ſecundum propriam Naturam eis competentem; Tertia Ratio eſt, quia in eo motu partes, & inſtrumenta ei inſeruientia inuicem agũt, & pugnant, pellendo, & trahendo; Quarta eſt, ſpirituum reſolutio, & alteratio.

Immobilis prior motu, & magis actum denotat.

Quo proiectio vigorem habeat in medio.

Solutio.

8

Cur Animalia dũ mouẽtur relaxẽt.

Cont. 56.

OMNINO igitur (vt dictum eſt) Animal eatenus eſt aptum ſe mouere, quatenus eſt præditum facultate appetendi, qua facultate non eſt præditum ſine Phantaſia, omnis autem Phantaſia, vel eſt rationalis, vel ſenſitiua, hanc igitur & alia Animalia participant; Conſiderandum autem etiam in Animalibus imperfectis ſolo tactu præditis, num eis competat Phantaſia, & concupiſcentia, vel ne; videntur enim lætitia, & triſtitia affici, quæ ſi inſunt, & Phantaſiam ineſſe neceſſe eſt, at, Phantaſia quomodo vtique inerit? An vt

indefinitè mouentur, ita, & hæc insunt, nam indefinitè eis competunt.

Intentio.

Diuisio. Expositi.

EX declaratis in præcedentibus, colligit Philosophus principia quæ intrinsecus mouent animal, quorum Vnum proximè mouens est appetitus, Alterum ei iunctum est Phantasia. Diuiditur Contextus in Quatuor partes; In Prima, ex dictis colligit proximum, & per se principium motus, esse appetitum; In Altera, quia appetitus supponit Phantasiam, infert principium alterum esse Phantasiam, nam Phantasia cognoscit, & dirigit, appetitus exequitur; In Tertia, diuidit Phantasiam: nam uel Sensu formatur, uel Ratione; Sensu solo formatur in expertibus Rationis; in Homine autem cum Ratione operante, formatur, & dirigitur Ratione; In Quarta, proponitur Dubitatio de Stirpanimalibus, quæ cum uideantur modo aliquo moueri, uidentur tamen expertia Phantasiæ, & solo Sensu Tactus prædita, & Soluitur: quia ut eis competit motus, ita Phantasia, mouentur indefinitè per solam contractionem, & extensionem, ita sunt prædita Phantasia quadam confusa, & indefinita; Similiter sunt prædita cupiditate quadam confusa alimenti; idque ostenditur: nam cui competit lætitia, & tristitia, competit etiam Phantasia, at, Stirpanimalia lætantur iucundis, tristantur aduersis, quare etiam sunt prædita Phantasia.

ANNOTATIONES.

Consid. 1.

Duplex Phãtasia.

CONSIDERO Primò, ex hoc Contex. lucidè elici Solutionem eius difficultatis, num omne animal sit præditum Phantasia; Vtitur enim Aristot. distinctione, partiendo in confusam, & distinctam: nam Tria sunt quæ sibi mutuo respondent; Phantasia, Cupiditas, & Motus; Phantasiam sequitur Cupiditas, Cupiditatem Motus; Phantasiam distinctam, sequitur Cupiditas, & Motus distinctus; Confusam uerò confusus.

2 *Quid sit Phãtasia confusa.*

Considero Secundò, in dubium uerti, quid sit ea confusa Phantasia, & num animalibus perfectis competat utraque Phantasia, uel ea sola quæ perfecta, & distincta dicitur; De his, & alijs adnexis difficultatibus, cumulatè differui in libro de Sensibus internis, ideo nunc breuissimè dico, Stirpanimalia esse prædita Tactu, & quia Sensus externus exposuit originem internam, in ea origine, & termino consideratur Sensus Communis, qui sola ratione distinctus, fungitur munere Phantasiæ confusæ, ut rem apprehendit tanquam sibi iucundam, uel aduersam, & inde oritur cupiditas, & confusus motus attractionis, & expulsionis; In animalibus perfectioribus includuntur vires omnes competentes imperfectioribus, modo quodam eminentiore; Ac insuper eis competunt facultates aliæ eorum propriæ; Differt Phantasia perfectior à confusa, Primò, quia instrumento magis distincto est prædita, magisque est seiuncta à Sensu Communi; Secundò, quia cum conspicua memoria est iuncta, cuius beneficio in absentibus versatur; Tertiò, quia circa plura versatur, & ob id parit nedum cupiditatem, sed etiam conspicuum appetitum irascendi; Quartò, quia magna ex parte potest disciplina aliqua formari, & corrigi. Considero Tertiò, quod Arist.

3 *An Stirpanimalibus competat Appetitus Irascendi.*

ambigit, num Stirpanimalibus competat Appetitus Concupiscendi, & ait competere confusè, de Appetitu Irascendi nil dicit, ideo in dubium verti potest, num eis competat, nonnulli id negant: nam Ira est Appetitus vindictæ, quam ipsa non appetunt; Insuper Appetitus Irascendi est rerum arrisentium ad Animum, veluti Victoriæ, Honoris, & similium, quæ à Stirpanimalibus non appetuntur. Propterea dicendum puto, huiusmodi Appetitum non propriè eis competere, sed solum confusè, adumbratè, & secundum quandam similitudinem, cum enim huiusmodi Appetitus præsertim

refulgeat

refulgeat in rebus arduis, propterea, dum ea Animalia aliquid vehementer cupiunt, & impediuntur, adeò, ut id assequi non valeant, refulget tunc imago quædam & vmbra Appetitus Irascendi; Similiter dum læduntur, & diuiduntur; Competit itaque eis solum tenuis vmbra Appetitus Irascendi, magis propriè autem eis competit Appetitus Concupiscendi, quó præsertim alimentum appetunt. Considero Quartò, quod 4
Phantasia duplex statuitur; Vna prodiens ex Sensu; Altera ex Ratione; Phantasia prodiens ex Sensu, ea dicitur, quæ proximè à Communi Sensu formatur, qua Iumenta, & Feræ præditæ sunt, qua etiam vtuntur pueri ante vsum Rationis. Altera Ratione formatur, & dirigitur, quæ in Homine non sunt facultates distinctæ, sed vnamet, quæ modo per oblationem à Sensu factam, modo per imperium Rationis formatur, & imagines concipit hoc est; id quod denotauit Aristot. in Contex. 41. inquiens dari facultatem sentiendi, quam neque vt rationis expertem, neque vt eius compotem facilè vtique quis ponet; sic in lib. Nicomachiorum diuidit facultates rationis compotes, quia vel ex se tales sunt, vel per participationem, quatenus ratione formari, dirigi, & corrigi possunt, qualis est Appetitus, & internus Sensus; Ex quo elicio, minus rectè nonnullos per Phantasiam Rationalem intelligere Sensum illum internum, quem Auerroes vim cogitandi affirmat, distinctam à Phantasia, nunquam enim Arist. alios retulit internos Sensus, præter Communem, Phantasiam, & Memoriam; Vis Cogitandi propriè sumpta, est Mens Dianoetica, siue Ratiocinatrix, sumpta autem ut vsurpatur apud Auerroem, est culmen, eminentia, & excessus quidam, siue fulgor Phantasiæ Hominis, supra eam Iumentorum, tribuit tamen ei nonnulla quæ Mentis potius, quam eius sunt officia.

SENSITIVA igitur Phantasia (vt dictum est) aliis quoque Animalibus inest; Consultrix autem in his quæ Ratione sunt prædita; Num enim aget hoc, vel hoc, iam Rationis est opus, & necesse est vno mensurare, maius enim prosequitur, ideo valet vnum ex pluribus Phantasmatibus facere, & hæc causa est, quod opinionem non videtur habere, quoniam eam non habet, quæ est ex Syllogismo, hæc autem illum; Propterea Appetitus non habet vim Consultandi vincit autem & mouet aliquando voluntatem, nonnunquam autem hæc illum, veluti Sphæra, Appetitus Appetitum, cum adest incontinentia, Natura autem semper superior principalior est, & mouet, adeò, vt tribus lationibus iam moueantur. Cont. 57.

DICEBATVR Phantasiam dirigere, Appetitum proximè exequi, & constituere motum, Phantasia autem diuidebatur in Sensitiuam, & Rationis compotem, modo consilium Aristot. est, eandem Phantasiæ distinctionem clarius referre, & quę eam sequuntur distinctè patefacere; Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima ponitur duplex Phantasia; In Altera declaratur quæ opinio ei non competat, in tertia Sermo est de pugna inter Sensum, & Rationem, vt inde colligat semper Appetitum dominantem esse principium Motus. Inquit Phiosophus in Prima parte, Phantasiam Sensu formatam, cæteris quoque Animalibus cunctis competere, uel exactam, uel confusam, Consultricem uerò & Ratione formatam, solum competere Homini, qui Rationis est compos, & iure: nam decernere, num duorum oppositorum unum potius quam alte- *Intentio.* *Diuisio.* *Exposit.*

rum efficiamus, officium est Rationis, & ob id oportet, uel Phantasia dirigens formetur Ratione, quæ Ratio cum decernit quid agendum, & seligendum est, tenetur uno mensurare quanti fieri debeat utrunque agendorum, id dicitur fieri uno Tripliciter; Primò, facultate una noscente utrunque; Secundò, uno, quo tanquam nummo, & minimo, mensuremus precium utriusque, & id seligamus quod maioris est precij; Tertiò, considerando illud unum, quod tanquam principalem scopum optamus, ueluti optamus bonum, occurrit iucundum, & honestum, consultamus, quid proximius accedat ad illud, & prælato honesto, consultamus, quod duorum magis ad id accedat, & hoc puto indicasse Aristot. sic ait nos maius seligere, hoc autem non fieret nisi ex pluribus Phantasmatibus fieret unum, colligendo ex eis Vniuersale, & per id constituendo Rationem dirigentem ad agendum. Et hæc causa est quod opinionem non uidetur habere, &c. In hac Secunda parte, ex dictis colligit Philosophus, Phantasiæ non competere opinionem, quia opinio propriè sumpta, & principalis, Rationem sequitur, & ex Ratione elicitur, ut distinctius affirmauit Aristot. in 2. lib. Contex. 153. & 154. quibus in locis opinionem tribuit, non Phantasiæ, sed Rationi, adeò, ut non cui Phantasia competit, conuenit propria opinio, sed contra, cui competit hęc, competit etiam Phantasia; Propterea Appetitus non habet uim consultandi, &c. Hæc est pars Tertia, in qua sermo est de interna pugna Appetitionum, oritur autem ex eo, quia appetitus Sensitiuus non includit Rationem, & uim consultandi, & deliberandi, sed sequitur Sensum, qui per instinctum Naturæ definitus est ad unum, nimirum ad iucundum, & in Homine nonnunquam adeò est potens, ut moueat & superet Voluntatem ex Ratione prodeuntem, ut in incontinente; Nonnunquam contra Voluntas præualet, & Selectio, ut incontinente, & hi Appetitus sunt tanquam duæ Sphęre in oppositum procliues, quarum potentior in oppositum repellit alteram, & mouet, in qua pugna tres considerantur motus, nam Primò, Appetitus ille mouet uoluntatem; Secundò uoluntas ei repugnat, illumque mouet; Tertiò, si Appetitus fuerit potentior, repellit motum uoluntatis, & constituit motus Animalis.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. CONSIDERO Primò, quod Phantasiæ nomen magis propriè significat actum secundum, hoc est officium, quam facultatem, ideo Definiebatur quod sit motus factus à Sensu qui actu est, & ob eandem rationem modo distinguitur in Sensitiuã, & Ratione formatam. *Dubitat.* At oritur Dubitatio, quia ea quæ ratione formatur, non videtur dicenda Phantasia, nam ei non competit Definitio, cum nõ sit motus factus à Sensu, sed à Ratione; *Solutio.* Respondeo quod Phantasia sit motus factus à Sensu, est commune omni Phantasiæ, & Arist. id explicauit per Definitionem, quod omni competit; Quod autẽ sit motus à Ratione factus, est proprium Phantasiæ Hominis, cui Phantasiæ etiam competit vt Sensu formetur, ideo Arist. dixit cui competit Phantasia Ratione formata, competit & Sensitiua. Consi-

2 *An Feris competat Phãtasia Rõnalis.* dero Secundò, in dubium verti posse, num etiam Phantasia Rationalis competat Feris, & Iumentis; Arist. id negat; Ex aduerso Porphyrius, in lib. De Abstinentia ab esu carnium, oppositum varijs rationibus nititur ostendere; Similiter, Plutarchus, & alij multi, quod confirmant per varia eorum opera, quæ sine Ratione fieri posse non videntur; & confirmatur: quia si Phantasia dicitur Rationalis, quia est apta corrigi, formari, & dirigi ratione, etiam Phantasia eorum Animalium, quæ sunt disciplinabilia, est talis: nam Ratione & Disciplina corriguntur, & instituuntur, vt patet de Ca- *Solutio.* ne, Tauro, Equo, & similibus. De Ratione Iumentorum & Ferarum alibi verba feci; nunc breuibus dico, Bruta duci instinctu Naturæ, & eorum quæ faciunt, quamuis eis sint vtilia, Rationem tamen non cognoscunt, ideo includunt vmbram Rationis,

non

non Rationem,corriguntur autem & domantur,non Ratione propria quam ipſa no-
ſcant,ſed Ratione Hominis domantis & corrigentis. Conſidero Tertiò,quod vt po- 2
nitur duplex Phantaſia,ita duplex conceditur Opinio: nam ait Ariſtot. & hæc cauſa *Duplex Opinio.*
eſt quod Opinionem non videtur habere,quoniam eam non habet,quæ eſt ex Syllo-
giſmo; Hæc autem illam,&c. conſpicuè concedit opinionem ſine Ratione, quæ nil
aliud eſt,niſi Phantaſia ex Senſu prodiens, cum Subnotione iuncta, & cum inſtinctu
Naturæ,per quam opinionem Agnus fugit Lupum,Lepus Canem,& ſic de cæteris,
& per hoc intelligi, & recte explicari id poteſt,quod Ariſt. nonnunquam opinionem
refert pro officio non Mentis,ſed alterius facultatis,veluti in 2.de Anima,Cont.22.
& alibi. Conſidero Tertiò,quod Ariſt.loquens de Appetitu Senſitiuo, inquit carere
facultate Ratiocinandi; Quibus verbis indicare videtur, Appetitui competere Co- 3
gnitionem,niſi enim cognoſceret,nec Appetitus Senſitiuus, nec Voluntas, prædita *Num appetitus cognoſcat.*
eſſent facultate Ratiocinandi,non enim Ratiocinatur ea facultas, quæ nõ cognoſcit;
hinc multi viri docti Appetitui Cognitionem tribuunt, ne à cæco duci & moueri di-
camur; Quorum Sententiam minimè approbandam puto; Ratio eſt: quia omninò
eſſet redundans, iam enim apparuit in præcedentibus, quod facultates Appetendi,
nec inter ſe,nec à facultate noſcente,diſtinguuntur, niſi Ratione, adeò, vt dum pro
abſoluto conſiderantur,idem ſint;dum autem id fundamentum, & abſolutum refer-
tur ad iudicium,dicitur facultas noſcẽs,dum verò per eam notitiam in finem aſpirat,
dicitur facultas appetens,quæ ut appetens, non eſt cognoſcens, ſed ſequitur cogni-
tionem,ut noſcens,non appetit,ſed Appetitum excitat,dicere autem, quod vt appe-
tens noſcat,eſt dicere,quod vna diſtincta Ratio,ſit altera,à qua diſtinguitur. Simili-
ter,etiam ſe habet de Phantaſia,& Memoria,quæ Ratione diſtinguuntur, vt imagi- *Memoria.*
nans, & vt ſeruans; Nec ob id Appetitus eſt cæcus,quia ut Appetitus,non eſt aptus
cognoſcere, ſed eius conditio eſt,vt per cognitionem excitetur,& dirigatur; At,in-
ſtabatur, quia Ariſt. inquit Appetitum carere facultate Ratiocinandi, indicans Vo-
luntatem ea facultate eſſe præditam. Reſpondeo, Appetitum dici Rationalem, &
Senſitiuum,non ratione ſua propria,ſed ratione cognitionis excitantis illum, & di-
rigentis,veluti,Iram dicimus & cum Ratione; & ſine Ratione. Conſidero Quartò, 4
quod Ariſt.ait officium eſſe Rationis decernere,quid oppoſitorum ſit ſeligendum, &
quod oportet vno menſurare,& tunc maius proſequimur; Menſurare vno, contingit
(vt dixi) Tribus modis; vno facultate comparante, referendo comparata ad finem
vnum, & menſurando aliquo minimo eius generis latitudinem, vt hora menſuratur
tempus,id ſeligitur quod maioris precij iudicatur; Ex hoc elicio fundamentum uni-
uerſæ rectæ noſtræ inſtitutionis hoc eſſe, vt vnumquodque tanti faciamus, quanti ſui *Fundamẽtũ noſtræ rectæ inſtitutiõis.*
Natura & conditione fieri debet,ita namque ſemper id ſeligimus, quod maioris eſt
precij, & non fallimur; At intemperatus pluris facit voluptatem Corporis, quam
fieri debeat,ideo derelicto honeſto,eam amplectitur,vt itaque ſimus probi, nitamur
eſſe iuſti æſtimatores rerum,& iuſta ſtatera vtamur. Conſidero Quintò,quod Ariſt. 5
vtitur exemplo ex Sphæra ſumpto, pro patefacienda pugna inter Appetitum Senſi-
tiuum, & Rationalem, inquiens: Vincit autem & mouet aliquando Voluntatem,
nonnunquam hæc illum; Veluti Sphæra,Appetitus Appetitum, cum adeſt inconti-
nentia;&c. Cenſet Simplicius, per Sphæram debere intelligi pilam, qua ludimus, *Exemplũ ex Sphæra Sumptum.*
nam unus manu eam pellit & mouet,alter repellit,& ille abſolutè mouet, qui vehe-
mentius pellit,at Ariſt. de Sphæra loquitur non de pila, & appetitum dicit Sphærã
non appetibile; Refert etiam expoſitionem aliorum,putantium denotari duplicem
motum orbium Cæli,nimirum diurnum, & Planetarum, qui oppoſiti modo aliquo
dicuntur,& motus diurnus ſupremi orbis dicitur motus Rationis, alter verò obliquè
ei oppoſitus,dicitur motus Senſuum; Quæ expoſitio eſt probabiliot,quia ſic Sphæra
dicitur mouere,dubia tamen eſt: quia illi motus non inuicem pugnant, nec mutuo ſe
deſtruunt, ſed ſimul ſeruantur; Propterea puto ego, exemplum magis reſpondere *Sententia propria.*

mutuæ

mutuæ pugnæ Appetitionum, magisq; artificiosum esse, & pro explicatione accipio Primò, omnẽ appetitum perinde se habere ac Sphæram, omnis enim Appetitus est à se, in se, quatenus id Appetibile à quo excitatur, ad se trahit; Accipio Secundò, id quod explicatur ab Aristot. sub initium suarum Mechanicarũ, & est, quod duæ Sphæræ se tangentes, mutuò se pellunt in oppositum; Qua consideratione modo ait, quod Appetitus mouet Appetitum, ut Sphæra mouet Sphæram quam tangit, in oppositum. Considero Sextò, quod Arist. ex pugna Appetitionum colligit, quare Tribus

6 *Tres lationes in pugna appetitionũ.* Lationibus mouetur, tres autem Lationes hæ sunt; Prima, Appetitus Sensitiuus mouet Voluntatem; Altera est, qua voluntas mouet Appetitum Sensitiuum, eique repugnat; Tertia, qua dominans, superans oppositum, mouet Animal; Ait Arist. hoc fieri, dum adfuerit incontinentia, nam in incontinente maximè tres illi motus fulgent, qui tamen etiam in continente locum habent; Hinc Simplicius incontinentiæ nomine censuit denotari omnem pugnam appetitionum; Ego tamen puto, prolatã fuisse incontinentiam, quia in ea maximè fulgent, & quia in ea Primò appetitus mouet Voluntatem; Secundò Voluntas appetitum; Tertiò, appetitus repellit Voluntatem, & redditur motor animalis; In ipsa autem continentia appetitus Sensitiuus mouet Voluntatem, Voluntas mouet & superat appetitum, ac ita redditur principium motus Animalis, adeò, ut illi tres motus non tam distinctè refulgeant; In viro temperato, & intemperato, hi tres motus non reperiuntur, sed cum appetitus Sensitiuus, & Voluntas sint concordes, concordi pace mouent Animal. Considero Septimò, qd

7 *Recta Hominis dispositio.* Arist. ait: Natura semper superior, principalior est, & mouet, his uerbis indicans, quæ sit dispositio Hominis secundum Naturam, tunc enim Homo rectè se habet, & secundum Naturam est dispositus, dum facultas superior domina est, veluti dum Ratio præest appetitui, & dominatur, ita conditio Humana præest Ferinæ, & rectè ducit, at, dum appetitus Sensitiuus præualet, & Ratio succumbit, consurgit peruersio Hominis, & dispositio prẽter Naturã; Nitamur itaq; secũdũ Naturã disponi, si rectè disponi cupimus. Considero Octauò, quod pro motu cõstituendo in Iumentis, hic est

8 *Ordo in Brutis ad motu constituẽdo.* ordo; Primò Sensibile iudicatur externo & Cõmuni Sensu; Secundò apprehenditur Phantasia, pro esse absoluto; Tertiò, ut sibi aduerso vel iucundo; Quartò oritur Appetitus qui proximè mouet; In Homine autem consimiliter, Primò Sensibile veluti formosa puella offertur Sensui externo, à quo unà cum Sensu Communi iudicatur; Secundo, imaginatione concipitur, ut pulchra imago; Tertiò, ut sibi iucunda; Quartò, consurgit Appetitus amplectendi illam, qui Appetitus mouet Mentem; Quintò, Mens & Voluntas Ratione directa repellit Appetitum, & si fuerit continens, coercet illum, si vero incontinens succumbit; Sexto loco Appetitus repellit uoluntatem, & mouet ad amplexum; Missas facio multas varietates, quæ consideranti facilè reddũtur notæ, nam aliquando antecedit Voluntas appetens aliquid honestum, cui Sensus mox aduersatur; at, Tertiò Voluntas præpotens illum coercet, & redditur principium motus.

Cont. 58. *MENS qua sciendi principium est, non mouet, sed manet, quoniam autem Aestimatio & Ratio, hæc quidem est ipsius vniuersalis, illa verò ipsius singularis, ea quidem dicit quod oportet talem, tale agere, hæc autem, quod hoc tale, & ego quidem talis, iam hæc mouet opinio, non autem ea quæ est uniuersalis, aut vtraque, sed ea quidem magis quiescens, hæc autem non.*

DIXERAT Philosophus Mentem, & Appetitum esse principia Motus, nomine Mentis denotans cum propriè sumptam Mentem, tum Phantasiam, de Phantasia quo pacto necessario concurrat ad mouendum, iam patuit, supererat, vt id de propria Mente ostenderetur, ideo intentio Philosophi modo est, patefacere, quæ facultas Mentis sit apta mouere, & quæ non, ac insuper, quo pacto dirigat motum; Diuiditur Contex. in tres partes, in Prima asseritur Mentem inspectricem non mouere; In Altera, loquendo de Mente Consultrice, & operante, manifestatur quomodo per Rationem dirigat ordinata ad Motum; In Tertia, quomodo per maiorem, & minorem propositionem moueat; Vt pertinet ad Primam partem, inquit Philosophus: Mens inspectrix, quæ est principium scientiæ, cuius finis est Cognitio ueri, nõ mouet, sed manet, & in quiete perficitur, sedatis enim Animi perturbationibus, vt dicitur in 7. Phy. & 10. Nicomachiorum, Homo fit Sapiens. Quoniam autem Aestimatio & Ratio, &c. In hac Secunda parte declaratur, quomodo Mens consultrix; & Ratiocinatrix, sua ratione sit principium motus, ea enim rationem formans, maiorem accipit vniuersalem, quę est communis Regula, & Lex ex Prudentia prodiens, cui minorẽ addit particularem, ex qua particularis Conclusio elicitur, quam proximè sequitur motus, ueluti, si dixero: Omnis Iuuenis nobilis, dum se offert occasio, tenetur pro salute Patriæ pugnare, Ego sum Iuuenis nobilis, & modo se offert occasio, quare teneor modo pro salute Patriæ pugnare; Hanc Conclusionem sequitur Voluntas pugnandi, ob quam eligit pugnam conspirante Phantasia, & Appetitu proximè alterante spiritus; Iam hæc mouet opinio, non autem ea quæ est vniuersalis, &c. Hæc est pars Tertia, in qua declaratur quomodo per maiorem, & minorem propositionem fiat motus; Dicitur Primò, non per Maiorem, sed per Minorem propositionem, fieri motum, nam proximè per Minorem fit, at, quia modo aliquo etiam Maior mouet, ideo distinctius explicando Sententiam, additur, vtramque mouere: nam Prima mouet magis, cum sui quiete, Altera non cum sui quiete, sed cum permutatione, quia id particulare de quo erat sermo mouetur, alteratur, & operatur.

Intentio.
Diuisio.
Expositio.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, quod Arist. ait Mentem inspectricem non mouere; Quæ Sententia est vera secundum se, nam sic contenta est inspectione veri, ex accidenti tamen ea quoque mouet, quatenus principia tradit Disciplinis, & Habitibus operantibus, nam cum Ciuilis Scientia, tum artes omnes ingenuæ; principia recipiunt à Scientijs, ac ita Scientiæ dicuntur mouere, quatenus tradunt principia habitibus operantibus. Consídero Secundò, quod Aristot. loquens de Mente Operante, non de Efficiente loquitur, ad quam pertinent Artes, sed de agente, ad quam pertinet Prudentia, dirigens Humanas actiones; Ratio est: quia per artem non decernimus, & consultamus, an debeamus moueri, uel ne, sed quomodo debeamus aliquid efficere, consultare autem, & decernere an debeamus moueri, & aliquid agere, vel ne, est officium Mentis agentis, ad quam pertinet decernere, Quando, Quantum, & Pro quo, debeamus operari; Sic Prudentia ea est, per quam nobis competit rectus vsus cunctorum in nostra facultate collocatorum; Nam quod faber die Dominico non efficiat scamnum, non habet à sua arte, sed à Prudentia. Consídero Tertiò, quod ex hoc Contextu conspicuè elicitur, Mentem noscere singularia: nam declarat Arist. quomodo Mens moueat, & ait vti Minori propositione singulari, & per eam mouere, at, nisi singularem illam nosceret, non valeret formare integram Rationem, & non Mens diceretur tunc mouere, sed sola Phantasia; At, de hoc alibi. Consídero Quartò, quod Aristot. inquit: Hæc mouet Opinio, nimirum particularis, nõ autem vniuersalis, aut vtraque, sed ea quidem magis quiescens,

Consid. 1.
Quõ Scientiæ moueant.
2
Mentẽ noscere Singularia.
3
4

scens, hæc autem non, loquens de particulari propositione ait: Hæc Opinio; nam particularium non est Scientia, sed Opinio, præsertim de variabilibus; mox ait, vniuersalem non mouere, quia non proximè, nec cum sui motu mouet, at, quia re iterata quoque mouet, ideo ait eam mouere, sed ita, ut magis quiescens; ait, magis quiescens, non autem absolutè, quia etiam Leges, & communes Regulæ nonnunquam æquitate, & occasionum varietate modo aliquo mutantur, ideo dicitur summum ius, esse summam iniuriam; Minor autem propositio absolutè mutari dicitur, tum, quia particularia varietati, & permutationi sunt obnoxia, tum insuper, quia id includit, cui motus competere debet. Considero Quintò, cum ambæ propositiones moueant, in dubium uerti posse, quænam earum magis moueat; Aristot. uidetur dicere Minorē magis mouere, ex aduerso in 8. Physic. legitur, causam priorem magis mouere, nam propter quod vnumquodque, id magis est; Respondeo, Minorem propositionem proximius, & cum sui permutatione mouere, absolutè autem magis mouere Maiorē, quia ea dirigit, Minor autem dirigitur, ex ea Minor pendet, non ex Minori Maior, & propterea ut consultor absolutè magis operari dicitur, quam qui exequitur, ita Maior eminentius, & magis mouet, quam Minor, nec obest, quod ea non moueatur, quia ex immobili tanquam ex primo principio prodit Motus.

Quæ propositionis magis moueat.

Cont. 59.

ALTRICEM itaque Animam necesse est habere omne viuens, Animaque præditum, ab ortu vsque ad interitum, necesse enim est omne genitum, præditum esse accretione, statu, & deminutione, cui hæc sine alimento competere nequeunt, Necesse itaque est, cuncta quæ crescunt, & minuuntur, prædita esse vegetandi facultate.

Intentio.

Diuisio.

DECLARAVIT hactenus Aristot. cunctos Animæ Gradus, & facultates, propterea in hac postrema parte, in eas conuersus, considerat, quænam earum necessariæ censeri debeant, quæ verò conducant vt viuentia bene sint; Et orditur ab Anima nutriēte, priore origine primoque declarata, manifestans eius necessitatem. Diuiditur Contextus in duas partes; In Prima, proponitur necessitas Animæ nutrientis pro Animantium vita; In Altera, affertur ratio

Exposit.

necessitatis; Vt pertinet ad Primam partem, inquit Philosophus: Est necesse, vt omne viuens, quod cum viuat est Anima præditum, habeat Animam altricem, ab ortu eius vsque ad interitum; Et utitur particula illationis, inquiens (itaque) quia hoc colligitur ut notum ex eius declaratione, id tamen in Secunda parte confirmans ait: Necesse enim est omne genitum, &c. Ratio ita formatur; Quæcunque crescunt, stant, & minuuntur, necessariò egent alimento, & vegetandi facultate, omnia genita propriè sumpta generatione ex Anima prodeunte, quæ viuentia sunt, crescunt, stant, & minuuntur, cuncta itaque genita, & viuentia, egent alimento, & vegetandi facultate.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, in Vniuerſo Octo reperiri formarum gradus; In Primò, eſt moles, & dimenſio, conſtituens corpus Mathematicum; In Secundò, eſt Ars, conſtituens Corpus Artificioſum; In Tertiò, eſt Natura, ſub Anima poſita, conſtituens Corpus Phyſicum, vitæ expers. In Quartò, eſt Anima nutriens, conſtituens viuentia mortalia; In Quintò, eſt Senſus, ſine diſtincto motu conſtituens Stirpanimalia; In Sextò, eſt Senſus cum diſtincto Motu, conſtituens Animalia abſolutiora; In Septimò, eſt Anima Rationis compos, conſtituens Hominem; In Octauò, eſt Mens ſupra Rationem eleuata, conſtituens motores Cęlorum, quibus omnibus præeſt Omnipotens Deus, eminentiſſimè includens perfectionem cunctorum. Conſidero Secundò, quod iure optimo ambiget aliquis, vnde eſt, quod Corpora Animæ expertia, gignuntur cum ſua congruente mole, viuentia autem, debent augeri, & molem idoneam acquirere? Reſpondeo, id ortum ducere ex præſtantia formæ viuentium, nam Anima eſt forma præſtantior, magis vna, magiſque vnum quoddam totum, & diſtinctum conſtituens, ſuiſque inſtrumentis munitum, quod totum, & integrum, non valet per Naturam ſimul gigni, nec Semen id valet efficere; Præterea, viuentia diſtinctius proprio æuo ob eorum perfectionem ſunt prædita, cuius diſtinctioris æui, vitæque periodi, diſtinctius per ætates, principium, medium, & finem refulgere debent. Conſidero Tertiò, aliam occurrere difficultatem, & eſt, vnde oriatur quod Lapides, & Metalla, ſine vllo alimento diu ſeruentur, viuentia autem ſine continua nutritione non ſeruentur? Breuibus dico, id ortum ducere ex conditione Caloris Vitalis, qui ſe habet perinde ac flamma, quæ niſi continenter alatur, extinguitur, & quemadmodum flamma marceſcit per ſuffocationem, ita hic Calor Vitalis, & de eius reſtauratione vera eſt Sententia illa, quod uiuens alitur, quouſque viuit; In mixtis inanimis reperitur quidem Calor temperamenti, qui non eſt tanquam flamma, ſed gradus Caloris, cum gradibus aliarum Qualitatum in temperamento mixtus, qui non eget continua generatione, ſed per mixti formã ſeruatur. Conſidero Quartò, oriri difficultatem de Fungis, qui creſcunt, & nutriuntur, cum tamen uideantur Vitæ, & Aĩæ expertes: Academici aiunt id eis competere per Animã Terræ, at, Ariſtot. eam non concedit; Alij dicunt, oriri ex putri, & carere uita, non ſecus ac excrementa, ueluti pili creſcunt, & ſeneſcunt, non tamen uiuunt, ſed tanquam excrementa expelluntur à Calore, hinc aiunt, in defunctis nonnunquam creſcere; Sic in mineris Metallorum, inſpiciuntur ſæpè fila Auri, vel Argenti, quæ tanquam Plantæ ſupra terram ſurgunt, & augentur, cum tamen non uiuant; Quam opinionem etiam approbandam non puto: ſed probabilius dicendum cenſeo, non ſecus ac Plantas Fungos eſſe præditos Anima nutriente, & per eam nutriri, creſcere, & ſeneſcere: Ratio conſpicua eſt: quia ſunt prædiri mole definita, figura propria, & ſunt Corpora diſſimilium partium, & propterea inſtrumentis prædita inſeruientibus nutritioni, & cum omnes ex putri oriantur, omnes quoque ſunt praui alimenti, nec apti ſunt generare.

Conſid. 1. Octo gradus formarum ſunt in Vniuerſo.

2 Cur ſola viuentia debeãt augeri.

3 Cur ſola viuẽtia egeant alimento.

4 Fungi an nutriãtur Academici.

SENSVS autem non competit neceſſario cunctis viuentibus, neque enim ea quorum Corpus ſimplex eſt, contingit eſſe prædita Tactu, neque ſine hoc Animal vllum eſſe poteſt; neque ea quæ non ſunt apta ſuſcipere ſpecies ſine materia; Animal autem eſt neceſſe vt Senſum habeat, ſi nil frustra facit Natura *Cont. 60.*

Natura, omnia enim quæ Natura fiunt propter aliquid sunt, vel eis accidunt quæ sunt propter aliquid; Si igitur non omne Corpus aptum progredi est Sensu præditum, corrumpetur vtique, & finem non assequetur, qui est Naturæ opus, quomodo enim aletur? nam manentibus inest hoc, vnde sunt orta.

Intentio. Diuisio. Expos.

ANIMA nutriens dicebatur necessaria pro vita & constitutione viuentium, modo est sermo de Sensu, & ostenditur esse necessarium pro constitutione Animalium; Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima declaratur quibus non competat Sensus; In Secunda, quibus necessariò competat; In Tertia affertur ratio necessitatis; Ait Philosophus in Prima parte: Sensus non competit viuentibus omnibus, nam Primò Sensus Tactus non potest competere Corporibus consimilibus, vt Elementis, & Metallis, & est huius conditionis, vt sine eo Animal nullum esse valeat; Secundò, ea quæ non sunt apta suscipere species sine materia, non sunt prædita Sensu, vt Plantæ, Sensus enim dicebatur aptus recipere species sine materia; Animal autem est necesse, vt Sensum habeat, &c. In hac Secunda parte, Sensus tribuitur cunctis Animalibus, nam Sensus Animal constituit, adeò, vt inuicem reciprocentur, omne enim Animal est præditum Sensu, & vice versa. Si nil frustra facit Natura, &c. In hac Tertia parte affertur Ratio, cur Animal omne sit præditum Sensu; Ratio est: quia Natura nil facit frustra, & formatur hunc in modum: Id quod gignitur, & non valet seruari, nec attingere finem suum, est frustra, Corpus aptum progredi, Sensu carens, est huiusmodi, quare erit frustra; Ostenditur Minor: quia non posset quærere & sibi parare alimentum, quo seruetur, & assequatur finem; Pro Plantis quæ manent in suo loco, non est necessarius Sensus, quia ex Terra in qua sunt orta Alimentum hauriunt.

ANNOTATIONES.

Consid. 1. Dubitat.

CONSIDERO Primò, quod Aristot. ait non apta suscipere species sine materia, nõ esse prædita Sensu; At obijciet aliquis, quia etiã perspicuum, & Speculum, & Aer, ac Aqua, recipiunt species Colorũ sine materia, cum tamen careant Sensu; Dicendum est, hæc expertia Animæ, non recipere species sine materia, sed solum offerre, & deferre actiones sensibiliũ, & præsertim Colorum: nam propriè species sensibilis, est res in esse cognito, nec datur species propriè

Solutio.

2 sumpta, distincta ab actu cognitionis. Considero Secundò, quod Aristot. ait: Omnia quæ Natura fiunt, propter aliquid sunt, vel eis accidunt; Ostenditur in 2. Phys. Naturam operari propter finem, & sæpè dicitur, Naturam nil frustra facere, id autem verum est de his quæ absolutè, & secundum se, ab ea fiunt. Ex accidenti autem, & in particularibus varia fiunt frustra, quæ non propriè dicuntur per naturam fieri, sed potius accidere illis, quæ fiunt Natura, & eis esse posteriora, qualia sunt illa, quæ casu fiunt, & addit Aristot. Finem esse opus Naturæ; Quo loquendi modo indicat, quod dum id quod fit, consideratur absolutè, vt seorsum reperitur, non est causa, sed opus, & res effecta, at, dum refertur ad Appetitum agentis, pro eo tamen esse quod seorsum reperiri valet, ita Finis est, & Causa; Frequẽter affirmat Philosophus; Naturam optare Finem, operari propter Finem, tenuere infinitum, in infinitum non tendere, conditionem & nomen recipere à Fine, & alia similia; Cuius Sententiæ Ratio vna est; quia Natura pendens ex bono, quærit bonum, hoc autem est conditio Finis. Altera est: Quia propriè Natura est Forma, quæ est terminus, & finis generationis, ac insuper, definitum & terminatum principium rei genitæ. Tertia Ratio: Quia id quod

Natura quõ nil frustra facit.

Finis est opus Naturæ.

per Na-

per Naturam fit, debet esse factum, quod enim non potest esse factum, non fit, omne autem factum est Fine præditum; Quarta Ratio est: Quia quod caret Fine, est inane, & frustra, Natura autem nil facit frustra; Demum natura omnis est finita, & terminata, ideo opus eius terminis circunscribitur. Considero Tertiò quod Aristot. solum ostendit Sensum necessariò competere Animalibus quæ incedunt & progrediuntur, at, Sensus etiam competit Stirpanimalibus, & his quæ affixa sunt Lapidibus, quibus videtur frustra competere cum non valeant prosequi vtilia, & vitare aduersa, & præsertim, quia hæc quoque ex loco in quo sunt, & orta sunt, valent haurire alimentum, ac ita Ratio quę affertur, non ęquatur ei pro quo affertur. Augetur Dubitatio: quia prestantius, non est gratia vilioris, Sensus est prestantior nutritione, quare non gratia nutritionis tributus est Animalibus. Pro Solutione dico, Sensus tributos esse Animalibus, partim vt sint, partim vt bene sint, per Tactum Primò Animalia constituuntur, finis Sensuum est non nutritio, sed esse, & conseruatio Animalium, qui si conducunt pro alimento, non ob id sunt gratia alimenti, sed gratia ipsius esse, & conseruationis, pro quo necessarium est alimentum; Similiter, conducunt pro iudicandis, & vitandis aduersis, Aristot. Rationem afferens, inspexit vtilitatem magis conspicuam, qua prosunt Animalibus præstantioribus, at, per eam denotat vtilitatem quam prębent Stirpanimalibus, quia per Sensum Tactus iudicant vtilia, & aduersa, & per contractionem & extensionem, ea nituntur assequi, vel vitare; Ex his patet etiam Solutio alterius difficultatis, 3 *Dubitat.* *Solutio.*

FIERI aut non potest, vt Corpus præditum sit Anima, & Mente iudicante, Sensu autem careat, cum non sit manens, generabile quidem, at non ingenerabile, sed cur enim non habebit? nam aut melius erit Animæ, aut Corpori, nunc autem neutrum est, ea enim non magis intelliget, hoc autem nilo id erit magis, nullum igitur Corpus, non manens, præditum est Anima sine Sensu; At verò si habet 62 *Sensum, necesse est vt sit Corpus, aut simplex, aut mixtum, simplex quidem esse nequit, nam tactu careret, quo necesse est vt sit præditum.* *Con.* 61.

DECLARAVIT Aristot. quibus non competat Sensus, & quibus competat, & Rationem attulit cur eis competat; Modo intentio eius est, per comparationem cum Mente, latius manifestare quibus competat; Diuiditur prędens Contex. in Tres partes; In Prima asseritur nulli corpori mortali competere Mentem sine Sensu; In secunda ostenditur de ęternis id verum non esse; In Tertia declaratur omne Sensu prędituni esse Corpus mixtum; Ait Aristot. in Prima parte, Corpus non potest esse prędituni Anima & Mente Critica, siue Iudicante, nisi prędituni sit Sensu, cum non maneat, sed ex se moueatur: nam per Sensum iudicat, per morum vitat, vel prosequitur; Generabile quidem, &c. In hac Secunda parte contrahitur ea Regula, & sententia ad mortalia, nam in ęternis reperitur Mens sine inferioribus facultatibus, & hoc ostenditur, dum dicitur: Cur enim non habebit? quę verba, in nonnullis Codicibus leguntur sine negatione, dicendo: Cur enim habebit? & si ita legantur, Sententia est conspicua, nam indicatur eis non conuenire, quia essent frustra, & re uera ita puto esse legenda, si autem leguntur cum negatione, ita sunt exponenda: Cur non habebit? hoc est, quę est Ratio quod ęternis nõ competit Sensus, & Ratio statim affertur: quia si eis competerent, vel conducerent pro Mente, vel pro Corpore; non pro Mente, quia Mens secreta sine Sensu, non mi- *Intentio.* *Diuisio.* *Expositio.*

nus intelligit,non enim Cęlorum Mentes ut intelligant egent Sensu; non pro Corpore,non enim ob Sensum magis seruabitur,cum sit ęternum,propterea colligitur Conclusio,nullum Corpus non manens,& mortale reperiri sine Sensu; non addit Mente prędituм,quia includitur: nam si Mente fuerit prędituм,non manet, sed ex se mouetur; Insuper,ista Sententia est magis uniuersalis,nam motus sponte,siue ex se,necessariò Sensum exposcit. At uerò si habet Sensum, &c. In hac Tertia parte ostenditur omne Sensu prędituм esse Corpus mixtum; Ratio ita formatur: Quod caret Tactu, caret Sensu,nam cęteri Tactum supponunt, Corpus simplex caret Tactu, quare caret Sensu, Minor ostendi potest: quia Tactus est positus in temperamento primarum Qualitatum, quod solis mixtis competit.

ANNOTATIONES.

Consid.1.

Cælo non competere Sensũ.

CONSIDERO Primò hunc Contextum reuera esse satis perplexum, & cum Aristot.loquens de ętetnis, dicat: Cur enim non habebunt Sensum? nonnulli nituntur elicere,etiam Cęlo Sensus competere,quod conspicuè aduersatur Sententię Aristot.qui in 2.de Anima,3 2.conspicuè affirmat,de solis mortalibus id esse uerum,quod cui Mens competit, etiam competunt reliquę Animę facultates, non de ętetnis; Et hoc etiam patet ex Ratione in hoc Contextu formata, qua ostendit, ętetnis nullam præbere utilitatem, & ita frustra competerent eis; Similiter, ex eo elicitur, quod addit, simplicibus non competere Tactũ, sine quo cæteri Sensus seruari nequeunt; Insuper elicitur ex eo, quod dixerat, sensus esse paratos pro iudicio alimenti,& lædentium,at,Cælum nec eget alimento,nec lædi potest; Confirmatur: quia ut sæpè dicitur ab Aristot. Facultas Organica, & ipsa Organa ita esse iuncta,ut unum non reperiatur sine altero, Cælo autem non competunt Instrumenta Sensuum,quo autem pacto uerba illa Contextus intelligi debeant,

2 *An Cælo competãt Sensus.*

iam apparuit; Considero Secundò, iure optimo quæri posse, num Cęlo modo aliquo competant Sensus? Breuibus dico, ex Sententia Aristot. Cęlo secundum propriam formam Sensus non competere,cõuenire tamen ei secundum eminentiam, quatenus in superiori eminenter includitur inferius,ut in Auro Argentum; Insuper, secundum Metaphoram, ueluti, dum dicimus Deum uidere cuncta, & audire preces supplicantium; Tertiò, secundum Naturam quatenus inter simplicia Corpora per Naturam

Academici.

est quædam consensio & dissensio; Academici autem, Quatuor Sensuum gradus in Vniuerso considerant; Primum in Anima Mundi,qui sit communis,& unus,& nil sit aliud,nisi imaginaria quædam uirtus nullo egens instrumento,neque ad externa prosgrediens,nec patiens;Secundum,in Animis Sphærarum, ac Stellarum, qui etiam sit communis,& passionis expers,ad externa tamen progrediatur; Tertium, in Animis particularibus Animalium, ultrà communem iam per instrumenta singula distributum,ad externa progredientem,qui à passione oriatur,& desinat in iudicium; Quartum Sensum una cum Pythagoricis tribuunt Plantis, qui tamen stupidus est, & potius imago, quam uerè Sensus, carens iudicio, & in sola passione positus. Horum Quatuor graduum,solum Tertium nomine Sensus appellant Peripatetici. Consi-

3 dero Tertiò,quod Aristot. loquens de ętetnis,ait Sensum nec Animæ,nec Corpori prodesse; non Animæ, quia per Sensum non magis intelliget; Cum hoc dicat, indicat Humanam Mentem consideratam ut æterna est,non egere Sensu, & eo solum egere, ut nectitur cum Corpore mortali,& fungitur officio mortali,adeò,ut satis conspicuè indicet,eam ex se etiam sine Sensu intelligere; Verum nos id non animaduertimus,

4 quia per id non nectitur cum nostra imaginatione. Considero Quartò, id quod ait Aristot.fieri non posse ut Corpus non manens, prædituм sit Anima, & Mente iudicante,& Sensu careat,inquit (non manens)ait Simplicius pro distinctione à Plantis, at,eis non competit Mens; Alexander referente Simplicio,dixit id fuisse additum ob

Stellas,

Stellas, quæ manent, cum ex ſe, non moueantur, uerum Ariſtot. Stellis non tribuit Animam propriam diſtinctam ab ea totius Orbis, qui proprio motu mouetur, ideo puto ſolum id fuiſſe additum, quia per motum Animalia vitant, vel proſequuntur ea quæ Senſu iudicant, ut dixit in præcedentibus. Inſuper ait, (& Mente iudicante) addit (iudicante) quia Senſus inſeruiunt Menti pro iudicio, & pro eo ſunt neceſſarij, nil enim eſt in Mente, niſi præfuerit in Senſu.

HOC autem ex his conſpicuum eſt, quoniam enim Animal eſt Corpus Animatum, Corpus autem omne eſt tangibile, tangibile autem id eſt, quod Senſu Tactus eſt aptum ſentiri, neceſſe eſt vt Corpus Animalis ſit præditum facultate tangendi, ſi Animal ſeruari debeat: nam alii Senſus ſentiunt per alia, vt Odoratus, Viſus, Auditus, tangens autem niſi habeat Senſum, non poterit ea quidem fugere, alia autem accipere, ſi autem hoc fuerit, non poterit ſeruari Animal; Propterea & Guſtus eſt quidam Tactus, alimenti enim Senſus eſt, alimentum autem eſt Corpus tangibile; Sonus, autem & Color, & Odor, non alunt, neque accretionem, ſiue deminutionem efficiunt, quamobrem et Guſtum neceſſe eſt Tactum eſſe quendam, quia rei tangibilis & nutrientis Senſus eſt; Hi igitur neceſſarii ſunt Animali, & conſpicuum eſt Animal ſine Tactu eſſe non poſſe: Alii autem conducunt vt bene ſit, & iam generi Animalium non cuique, ſed cuidam nimirum progredienti neceſſariò competunt; Si enim ſeruari debent, non ſolum oportet vt tangendo ſentiant, ſed etiam è longinquo. Hoc autem erit, ſi apta fuerint ſentire per medium, adeò, vt medium à ſenſibili patiatur, & moueatur, ea autem à medio; Vt enim mouens ſecundum locum, vſque ad permutationem operatur, & pellens alterum facit vt pellat, et ſit motus per medium, & primum quidem mouens pellit, & non pellitur, vltimum autem ſolum pellitur, & non pellit, medio competit vtrunque, multa autem media ſic ſe habent in alteratione, præterquam quod alterans manens in eodem loco, alterat, veluti ſi quis ceram tinxerit, vſque ad id mota eſt, quouſque tinxit, lapis autem nihil, ſed Aqua vſque procul, Aer autem ad plurimum mouetur, & agit, & patitur, ſi maneat, & vnus ſit; Ideo & de refractione eſt melius, quam viſum egredientem refrangi, putare Aerem pati a Colore & Figura, quouſque fuerit vnus, in leni autem eſt vnus, ideo iterum hic viſum mouebit, veluti ſi in cera ſignum vſque in finem progrederetur.

Cont. 63.

64

65

Intentio. *Diuisio.* *Exposit.*

AFFIRMAVIT Philosophus Corpus Sensu præditum non esse simplex, quia Sensus non est sine Tactu, Corpus autem simplex non valet esse præditum Tactu, cum Tactus in temperamento sit positus; Modo autem consilium eius est, patefacere necessitatem Sensus Tactus, pro salute Animalium. Diuiditur Contex. in Quinque partes; In Prima ostenditur necessitas Sensus Tactus; In Secunda Gustus dicitur quidam Tactus, & ob id dicitur necessarius; In Tertia declaratur reliquos egentes externo medio conducere vt Animalia bene sint; In Quarta declaratur varietas mediorum, per quæ agens, siue mouens, mouet; In Quinta sermo est de refractione attinente ad Visum. Conclusio Primæ partis hæc est; Tactus pro Animali est necessarius; Ratio hæc est: Id quod à tangibilibus potest lædi, ut seruetur, eget Sensu Tactus, Animal cum sit per Naturam constitutum, seruari debet, quare eget Sensu Tactus, Minor patet: Maior ostenditur; Omne Corpus tangibile à tangibilibus potest lædi, Animal est Corpus tangibile, quare potest lædi à tangibilibus, ideo ut aduersa vitet, & amplectatur utilia, debet esse præditum Sensu Tactus: nam cætera sensibilia percipiuntur cæteris Sensibus per media, at, tangibilia, sine medio, & proximè, & hæc ea sunt quæ apta sunt prodesse & lædere; Propterea & Gustus est quidam tactus, &c. Hæc est pars Secunda, cuius Conclusio hæc est; Gustus est quidam Tactus; Ratio Conclusionis est: quia Sensus alimenti est quidam Tactus, Gustus est Sensus alimenti, quare est quidam Tactus; Maior ostenditur: quia his nutrimur, ex quibus constamus, constamus autem ex tangibilibus, & hæc ea sunt quę nutriunt, & augent, non autem Odores, Colores, & Soni, constat itaque Tactum, & Gustum necessariò competere Animalibus. Alij autem conducunt vt benè sint, &c. Hæc est pars Tertia, cuius Conclus. hæc est; Reliqui tres Sensus conducunt Animalibus vt bene sint; Ratio hæc est: Illi Sensus sine quibus Animalia esse, & seruari possunt, non sunt necessarij, sine tribus alijs Sensibus nonnulla Animalia veluti Ostreacea sunt, & seruantur, quare non sunt necessarij, quod autem conducant vt bene sint, ostenditur; Iudicare absentia, quæ obesse, & prodesse possunt, vtile est, & conducit vt melius seruemur, per cæteros Sensus iudicamus absentia, quæ obesse & prodesse possunt, ideo vtiles sunt, & conducunt vt melius seruemur: nam per ea absentia mouetur medium, & per medium Visus, Auditus, & Odoratus, vt etiam motus secundum locum sæpè fit per medium, adeò vt Homo manu pellat Lapidem, & vna cum eo Aerē, qui Aer mox vnà cum Lapide mouet partem Aeris iunctam, vsque in finem, adeò, vt Motor Primus, solum pellat, non pellatur, Medium, pellat & pellatur, Postremum, solum pellatur, & non pellat: ita Sensibile principale, solum mouet, Medium mouet & mouetur, Sensus soluin mouetur; Media autem multa sunt, &c. Hæc est pars Quarta, Media per quæ fit motus multa sunt, quod vt latius pateat additur, id quod dictum est de motu secundum locum, nimirum, quod Primum non pellatur, Medium pellat & pellatur, Postremum solum pellatur, etiam esse verum de Alteratione, & hoc est quod facit ad rem: nam motus Sensuum est quædam Alteratio, differt Alteratio à motu secundum locum, quia in motu secundum locum, Primum mouens Corporeum vt moueat, cogitur mutare locum, veluti patet de manu proijciente Lapidem; At Primum alterans, veluti Ignis calefaciens, alterat etiam si locum non mutet; Addit, (veluti si quis Ceram tinxerit) declarans varietatem mediorum, nam dixerat media multa esse, & refert Quatuor mediorum varietates, quas explicat exemplo Ceræ, Lapidis, Aquæ, & Aeris; Loquendo de Cera, si quis Ceram calamo tinxerit, siue fœdauerit, & Colore affecerit, calamus eo vsque Ceram mouet, quousque tingit, non autem tingit vnam partem, & ea alteram succedentem vsque in finem; Lapis autem, ferrū, & similia, nec primam recipiunt impressionem à mouente, adeò, vt medij conditione careant, Aqua Tertio loco medium vtile esse ualet, nam in ea vnda excitat vndam, vsque ad definitum terminum; At Quarto Aer, cumulatissimè in motu fungitur offi-

cio

eio medij,& per latiſſimum interuallum ſecundum partes mouet, & mouetur,vt patet in motu proiectorum, quod ei maximè competit dum manet, non autem Ventis agitatur impedientibus pulſionem,& dum fuerit vnus,continuus,non interciſus,nec in partes diſſipatus; Ideo & de refractione,&c. Hæc eſt pars Quinta,in qua Ariſtot. ex eo quod dixit primum mouens mouere per medium vſque ad vltimum, occaſionem accipit loquendi de refractione attinente ad viſum: nam putarunt Veteres, & cum eis Plato,ex oculis prodire radios,& eos à ſpeculo refrangi, & ad oculos redire; At inquit Ariſt. melius eſt putare Colores per medium mouere Speculum, & ab eo refrangi; ſimiliter tendere ad oculos, nam Color eſt mouens primum, principali autem tribui debet vt primò moueat; Color itaque mouet Aerem quouſque Aer continuus fuerit,& vnus,nõ interciſus,in leni autem,ut in ſpeculo,unus fit & cõſimilis, ideo vſque ad id mouet,& ab eo repercutitur,& repercuſſus Viſum mouet, veluti ſe haberet, ſi in Cera veſtigium & imago in ea formata progrederetur vſque in finem eius,& repercuteretur,quod tamen non fit quia Cera,& Imago non ſunt eius conditionis cuius ſunt Color & Aer.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, Tactum eſſe neceſſarium Animalibus, Primò vt ſint; Secundò ut ſeruentur; Salus ad duo refertur,ad alimentum,& ad læſiones; Senſus per media ſentientes, ſunt neceſſarij pro eſſe Animaliũ abſolutiorum,at, non pro conſeruatione,ſed pro hac ſolum dicuntur vtiles,& conducunt vt bene ſint, quod bene eſſe referri poteſt, & ad alimentum, & ad ea quæ lædere uel prodeſſe poſſunt; Hominis autem hoc eſt proprium, vt eius Senſus,& præſertim Viſus,& Auditus, conducant ut benè ſit,nedum ex parte Corporis, quod ei eſt commune cum cæteris Animalibus, ſed etiam ex parte Animi, pro diſciplina,& inuentione. Hinc dicitur in Procemio Metaphyſ.nos maxime diligere Senſum Viſus. Conſidero Secundò,Guſtum dici quendam tactum,ac ita neceſſarium; eſt quidam Tactus ex parte medij,quia non eget medio externo,& ex parte Obiecti, cũ ambo dicantur Senſus alimenti,nam Guſtus eſt duplex; Vnus loco ſeiunctus à Tactu,& diſtinctus; Alter, confuſus & loco à Tactu non ſeiunctus; Primus dicitur eſſe condimenti nutritionis, alter non ſecus ac tactus alimenti, ille vtitur lingua tanquã inſtrumento,hic non eſt præditus inſtrumento diſtincto ab eo tactus, primus ſolum competit Animalibus abſolutioribus,alter autem cunctis, & à Tactu ſola ratione eſt diſtinctus; Ex his patet,quomodo guſtus ſit quidam tactus, ſit præditus inſtrumento proprio,eoque non ſit præditus, ſit Senſus alimenti,& condimenti,ſit neceſſarius,& non neceſſarius,competat Animalibus omnibus,& non competat. Conſidero Tertiò quod medium per quod fit motus ab Ariſtotele dicitur multiplex, id autem uerũ eſt,tum quia quadruplex eſt varietas mediorum,vt apparuit, tum inſuper,quia idem medium veluti Aer,ſiue Aqua eſt multiplex,quatenus multitudine partium,pars partem pellit,adeò,vt ſit multiplex cum ſecundum totum,tum ſecundum partes. Conſidero Quartò quod in pulſione Ariſt.ait primum non pelli,ſed ſolum pellere,vltimũ contra non pellere,ſed ſolum pelli,Macrobius vir doctus aduerſus Arandrum ait, nõ poſſe dari Corpus vltimum quod non pellat, ſed ſolum pellatur; Ratio eſt: quia id quod pellitur eſt Corpus,& non poteſt pelli niſi in ſuccedentem locum transferatur, nec poteſt in alium transferri locum, niſi ex eo loco Corpus in eo exiſtens repellat, quæ inſtantia ſoluitur: quia Corpora per quæ fit pulſio, condenſantur & rarefiunt, adeò ut terminus impulſionis deſinat in condenſationem medij per quod fit motus, ut etiam ipſemet Ariſt.in 4. Phyſic. patefecit. Conſidero Quintò, quod Ariſtot.loquens de refractione ait melius eſſe,putare Aerem pati à Colore, & Figura,quam Viſum egredientem refrangi. In 3.Meteorum loquens de Meteorologicis ex refractio-

Conſid.1.

Quid prius Hominis ſit.

2 *Quo Guſtus ſit quidam Tactus. Guſtus duplex.*

3 *Medium per qd fit motus eſt multiplex.*

4 *Inſtantia Macrobij*

5

ne prodeuntibus, ait Visum, eiusque radios refrangi: nã in loco non proprio frequenter vti consueuit opinionibus aliorum; at in loco proprio, vt in lib. de Sensu & sensili opinionem illam damnat, vt etiam id facit hoc in loco, eamque Ratione confirmat, nam Obiectum est principale mouens, & cum dicat refrangi Colorem & figuram, indicat nedum Sensibilia propria, sed etiam communia agere, & repercuti præsertim tamen propria, & una cum eis communia.

Cont. 66. *QVOD autem corpus Animalis non valeat esse simplex veluti Igneum, aut Aereum, manifestũ est, sine enim Tactu Sensus alius esse non potest, omne enim Animatum corpus facultatem habet tangendi, vt dictum est; Alia quidem prater terram Sensoria vtique fient, omnia autem per aliud sentiendo faciunt Sensum, & per medium, Tactus verò id facit tangendo ipsa propterea eo nomine est praditus, attamen alii quoque Sensus tangendo sentiunt, sed per alia, hinc autem videtur solus per seipsum, quare nullum huiusmodi Elementorum ualet esse Corpus Animalis, neque itaque terreum esse potest, nam Tactus est tanquam medietas omnium tangibilium, eiusque instrumentum est aptum suscipere nedum differentias Terra, sed & calidi, & frigidi, & caterorum omnium tangibilium; Et propterea ossibus, capillis, & huiusmodi partibus non sentimus, quia terra sunt, Planta quoque ob idipsum nullum habent Sensum, quia terra sunt, sine autem tactu nullus alius Sensus esse potest, hic autem sensus non est neque Terra, neque vllius Elementorum.*

Intentio. VM Philosophus patefeciſſet Corpus Animalis non esse simplex, ac insuper manifestasset necessitatem sensus Tactus, & Gustus; consilium modo eius est confirmare Corpus Animalis non esse simplex, vt inde occasionem suscipiat Academicorum sententiam euertendi, qui etiam simplicibus Corporibus videbantur Animam tribuere;

Diuisio. Diuiditur præsens Contex. in quatuor partes; In Prima, ostenditur Corpus Animalis non esse simplex; In Secunda, declaratur quomodo sensus sentiant, vel per media, vel tangendo; In Tertia, affirmatur Corpus Animalis non esse Terram; In Quarta, ex eo elicitur Ratio, cur Pili, Ossa, & Plantæ non sentiant. In Prima, ponitur hæc

Expositio. Conclusio; Corpus Animalis non posse esse simplex; Quæ ita ostenditur: Corpus præditum Sensu Tactus, non est simplex, omne Animal est Corpus præditum Sensu Tactus, nullum itaque Animal est Corpus simplex; Minor ex sæpè repetitis est conspicua; vt autem pateat Maior; In Secunda parte dum ait: Alia quidem præter terram, &c. digreditur circa omnes Sensus: manifestans solum tactum secundum se fieri sine externo medio, & cum fiat per contactum, & sit collocatus in contemperamẽto, & medio Primarum Qualitatum apto suscipere omnes differentias tangibiles, conspicuum est non posse esse simplex, quia nullum temperamentum est simplex; Ex quo in Tertia parte elicitur, non esse terram, vel terreum, quia Terra non est contemperamentum, nec Sensorium alicuius Sensus; Insuper, ex his in Quarta Parte elicitur, nec Pilos, nec Ossa, nec Plantas, Sensu Tactus esse præditas, quia nec Terra, nec

Terreum

Terreum est Sensu Tactus præditum, relata sunt Terrea, quare carent Sensu Tactus, Maior est conspicua, quia Terra uel Terrea, non sunt temperamentum congruens pro Tactu.

ANNOTATIONES.

PRIMA Conclusio erat; Nullum simplex potest esse Corpus Animalis. Pro qua considero, quod Academici, Elementa putarunt Sensu prædita; Simplicius in 1. de Cælo 43. necnon in 2. de Cælo aduersus Alexandrum id negantem, Elementa aut Sensu prædita; At, in 8. Physic. 28. & in libris de Anima, cum Aristot. asserit carere Sensu; Hac de re Aristot. etiam in 1. de Anima loquitur, & in Contex. 86. aduersus Thaletem dicentem omnia esse plena Dijs, hoc est Anima, ait: Cur in aere, aut in igne Anima cum sit, non facit Animal, in mixtis autem id facit, & præsertim cum melior in illis esse videatur. *Consid. 1.*

Considero Secundò, Academicos etiam putasse Dæmones esse sensu præditos, quos tamen præsertim dixêre Igneos, uel Aereos, ita tamen Sensu eos putarunt præditos, ut per omnem partem sine distincto instrumento uiderent, & audirent; Aduersus quam Sententiam etiam modo inuehitur Aristot. & ob id ait Corpus animalis, nec Igneum, nec Aereum esse posse, & in 2. de Generat. Animal. cap. 3. ait: Organi, & facultatis eandem esse rationem, adeò, ut unum sine altero esse nequeat; Statuere autem sensus illos esse distinctæ Rationis, est abuti uocibus, & multiplicare ea quæ sunt sine necessitate, & præsertim cum nec ob nutritionem, nec ob salutem Corporis eis uideantur egere. 2 *Dæmones Sẽ, u prædicti, secũdum Academicos.*

Considero Tertiò, quod omnia Elementa sui imperio sunt apta constituere instrumentum Sensus præter terram, quæ uel nullius est propria, uel modo aliquo Tactus, cuius instrumentum, crassius, & solidius esse debet, re uera tamen instrumentum Tactus nimium Terreum esse non debet, quia Terra maximè distat à Cælo, quod inter Corpora est principium uitæ; Insuper, quia Terra ob soliditatem minimè omnium Elementorum est capax specierum sine materia; Tertiò, quia siccitas, & frigiditas quæ sunt Qualitates propriæ terræ, maximè Sensibus sunt aduersæ; Hac autem de re etiam uerba feci dum in principio 3. libri Aristot. ostendebat; Sensus non esse plures quam quinque. 3 *Cur Terra non valeat instrumentũ Sẽsus constituere.*

Considero Quartò, quod Aristot. ait omnem Sensum fieri per Tactum; Ratio est: quia omne agens agit per tactum, omne Sensibile agit in Organum Sensus, quare omne sensibile tangit Organum; At, tangere contingit multipliciter, datur enim tactus uirtutis, & Corporis, Agens spiritale modo quodam Tactu uirtutis dicitur tangere, ueluti Colores tangunt oculos; Insuper tangens, uel tangit medio, uel sine medio, tangere sine medio externo, & secundum se, est proprium Tactus, & etiam gustus, ut est quidam tactus, & ob id nomine tactus denotatur; Ex his patet, quomodo uniuersè uera sit ea Sententia, omne agens agit per contactum, explicata in 1. libro de Ortu & interitu. 4 *Omne agens agit per Tactum.*

Considero Quintò, quod cum Aristot. dicat omne animatum Corpus esse præditum facultate tangendi, id non de omni animato intelligi debet, ut conspicua est instantia de Plantis, sed de animato consensione omnium, & quod modo aliquo ex se moueatur, & demum de ita animato, ut etiam denominetur animal. 5

Considero Sextò, quod Arist. in 1. de Anima, 79. ait, Ossa, Pilos, & Neruos non sentire, & in hoc Contex. id dicit de Ossibus, & Pilis, de Pilis nulla est dubitatio, at, de Ossibus, & Neruis non leuis dubitatio est: nam laborantes morbo Gallico, sæpè conqueruntur de dolore Ossium; Similiter, id accidit illis, qui uexantur morbo Articulorum, & connexionum Ossium, & magis conspicuè laborantibus dolore Dentium, cui difficultati respondendum est, id accidere ob connexionem cum panniculis, in quibus insertæ sunt tenuissimæ uenæ per quas Ossium extremæ partes redduntur participes doloris, & ille dolor est uehementissimus ob spirituum alterationes, qui in Ossium poris includuntur, 6 *Ossa, Pili. & Nerui non sentiunt.*

duntur, Medici autem inquiunt, id accidere ob nexum cum Neruis; De quibus Neruis maior est dubitatio, nam Aristot. negat, Medici autem affirmant eis competere Sensum, & Auerroes aliqua ex parte Medicis adhæret; Qua de re alibi uerba feci, cum enim Aristot. hoc in loco de Neruis nullam faciat mentionem, hæc consideratio nimium uideretur aliena, dicere autem possumus id competere Neruis, non ratione proprij temperamenti eorum, sed quia uirtutem sentiendi deferunt ob nexum cum Corde, ex Sententia Aristot. uel cum Cerebro, ex Sententia Medicorum.

Cont. 67. *CONSTAT igitur necesse esse hoc solo priuata Sensu Animalia mori, neque enim hunc necesse est habere id quod non est Animal, neque cum sit Animal, est necesse vt alium habeat præter hunc; Hinc euenit quod cætera sensibilia exuperantia non interimunt Animal, vt Color, Odor, Sonus, sed solum interimunt Sensus, nisi ex euentu, veluti si vna cum sono adsit pulsio, & ictus, & ab his quæ videntur, & ab Odore alia moueantur quæ tactum interimunt; Similiter, Sapor interimit, vt accidit quod simul tangibile sit, tangibilium autem exuperantia, vt calidorum, frigido-*
68. *rum, & durorum destruunt Animal, Omnis enim sensibilis exuperantia corrumpit sensum, ideo & tangibile factum, hoc autem definitum est, ipsum viuere, ostensum est enim, sine Tactu non posse Animal esse, & propterea tangibilium exuperantia nedum Sensum interimit, sed & Animal, quia hunc solum necessariò habet Animal, cæteris autem sensibus præditum est Animal (vt diximus) non vt sit, sed vt benè sit, veluti Visu, vt in Aere, & Aqua videat, ac omnino in perspicuo, Gustu, gratia delectabilis, & aduersi, vt sentiens quæ competunt alimento, id appetat, & moueatur; Auditu autem, vt aliquid significetur, Lingua autem, vt alteri aliquid significet.*

Intentio. OSTENSO Corpus Animalis non esse simplex, Ratione sumpta ex Tactu, sine quo cæteri Sensu esse nequeunt, qui tactus in temperie tangibilium est collocatus, consilium Aristotelis modo est, ex necessitate Sensus Tactus Rationem elicere, cur excellens tangibile, nedum Sensum sed etiã
Diuisio. Animal interficiat; Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima ex necessitate Tactus elicitur priuationem Tactus sequi mortem; In Secunda manifestatur hoc esse proprium Sensus tactus, vt excellens tangibile, nedum Sensum, sed etiam Animal destruat; In Tertia manifestatur, quomodo cæteri Sensus solum conducunt vt Animal bene sit;
Expos. Inquit Philosophus in Prima parte, ex necessitate Sensus tactus, elici Rationem, cur de solo tactu hoc contingat, vt Animalia eo priuata moriantur: nam tactus & Animal, tanquam forma, & formatum, reciprocantur, si adest tactus, est Animal, si non adest, non est Animal; Similiter, si est animal, est præditum tactu, & si non est animal, non est tactu præditum, de cæteris Sensibus secus se habet; Hinc euenit, quod cætera Sensibilia exuperantia, &c. Hæc est pars Secunda, in qua Aristot. ex dictis Rationẽ elicit, cur cætera sensibilia exuperantia, solum labefactẽt Sensum, exuperantia autem

tangibi-

tangibilia,nedum Sensum,sed etiam animal destruunt, nam tactus requiritur ut animal sit, & in eius temperamento est positus,ideo eo destructo,destruitur animal; Cæteris autem sensibus præditum est animal, ut diximus, &c. In hac Tertia parte declaratur cæteros sensus conducere, ut animal bene sit, & eminus sentiat sensibilia, ac ita melius ea vitet, vel prosequatur, Gustus conducit ut animal percipiens sapores iucundos,eos appetat, & vitet aduersos, Per auditum Animalia bene sunt,quatenus percipiũt voces,quæ sunt signa affectionum animi, cui auditui respondet lingua,quæ est instrumentum patefaciens alijs proprias animi notiones.

ANNOTATIONES.

EA quæ dicuntur in præsenti Contextu, magna ex parte,nota sũt per dicta in præcedentibus. Considero tamen Primò,quod Aristot.ait solo sensu tactus animalia priuata mori, quod tamen est dubium: quia per eius absentiam Corpora moriuntur, per cuius præsentiam viuunt, at viuunt per præsentiam facultatis nutrientis,non autem tactus,quare per illius, & non per tactus absentiã animalia moriuntur; Pro Solutione duo sumenda sunt,vnum est quod Mors & Vita est duplex; Vna conspicua; Altera obscura, & adumbrata, per solam animam nutrientem viuunt, & moriuntur morte obscura, & adumbrata, at per eam vna cum tactu uiuunt, & moriuntur conspicuè; Hinc ea Plantarum non propriè mors,sed ariditas nũcupari cõsueuit;Alterũquod accipi debet,est,quod aliud est mori absolutè, & mori animal, per absentiam facultatis nutrientis viuentia dicũtur mori absolutè,at non mori ut animalia,& ut viuunt uitam animalis de qua loquitur Arist. Considero Secundò, quod dicebat Aristot.in 2.de Anima,quicunque Animæ gradus adsit, viuere dicitur, & quia vitæ opponitur Mors, ideo vt dantur varij gradus vitæ, ita & Mortis,nã viuentia,vt viuũt per Animam nutrientem,moriũtur per eius absentiã,vt viuũt & sunt Animalia per solum tactum,moriũtur per tactus absentiam,vt viuunt & sunt Animalia absolutiora, per tactum cum motu, moriuntur per interitum eius,vt verò per Rationem sunt Homines, moriuntur per recessum Rationis, nam in eminentiore gradu cum vitæ,tum mortis,includuntur inferiores; Considero Tertiò, quod interimere Animal contingit dupliciter; Vel secundum se; Vel ex accidenti,tangibile excellens secundum se, vt tangibile, dicitur interimere cætera sensibilia ex accidenti,tangibile excellens interimit,non vt tangibile,sed vt excellens, & cum interimat duo,Sensum,& Animal,quæri potest, quid prius interimat? Et dicendum puto,quod Primò interimat Sensum, Secundariò Animal; Ratio est: quia interimere Sensum,est commune omnibus exuperantibus sensibilibus, interimere Animal, est proprium eius,commune autem antecedit; Præterea,vt tangibile est, refertur ad tactum, ideo vt excellens tangibile, prius destruit Sensum Tactus,cuius destructionem sequitur destructio Animalis, Insuper,dum consideratur vt sensibile excellẽs,destruit tactum, dum vero consideratur vt euertens temperamentum Animalis,destruit Animal; Demum,vt Sensus antecedit, & est principium constituens Animal, ita interitus eius antecedit,& est causa interitus Animalis,Animal enim interit, quia Sensus interit. Considero Quartò,quod loquendo de Sensibilibus cæterorum Sensuum,ea ex accidenti dicuntur destruere Animal, quia Animal non constat ex temperamento Sonorum, Colorum,& Odorum, vt ex temperamento tangibilium, & quemadmodum tangibilia, sunt fundamentum cęterorum Sensibilium, ita tactus est fundamentum cęterorum Sensuum, & reliqua Sensibilia ob id dicuntur ex accidenti destruere Animal,quatenus per ictum,& motum destruunt tactum, & eius fundamentum;Hoc conspicuè patet exemplo Tonitrui, quod quamuis sit vehemens, tamen nisi Igneis spiritibus,& Fluminibus incenderet,& scinderet, non interficeret Animalia; Similiter, Odo-

Consid.1.

Dubitat.

Solutio.

An mors sequatur priuationẽ facultatis nutrietis vel Tactus.

2 *Varij gradus vitæ, & Mortis.*

3

4

ter Odores,& Sapores venenosi, interficiunt,quatenus Veneno lædunt temperamenta ad quæ pertinet Tactus; Considero Quintò quod Aristot. in præcedentibus affirmauit gustum esse necessarium, & competere cunctis Animalibus, modo verò illum numerat inter Sensus,qui conducunt, vt Animal bene sit, quatenus percipiendo iucunditatem Alimenti, excitat appetitum,& motum, veluti etiam alibi sapor dicitur condimentum; Hæc controuersia in præcedentibus soluta fuit, nam Gustus vt est quidam Tactus, & Sensus alimenti, est necessarius, & competit omnibus, non autem vt sensus distinctus, cuius Obiectum est Sapor, & cui competit instrumentum distinctum,ex quo patebat Gustum esse duplicem, confusum, & distinctum, fundamento eundem cum Tactu,& varium; Sed hoc consideratione dignum est, cum Gustus sit duplex,num Animalibus perfectioribus competat uterque, vel solus exactus & perfectus; Puto dicendum, eis vtrumque competere; Ratio est: quia eis competit Tactus exactior, quam Srirpanimalibus, quare si Tactus eorum fungitur officio Tactus & Gustus, distincta Ratione, longè magis id efficere poterit Tactus perfectiorum Animalium; Confirmatur hoc experientia: nam dum commedimus & percipimus quadam iucunditate Ventriculum, & partes reliquas amplecti & ad se trahere alimentum, putandum est, eam iucunditatem illis competere,ut Tactus est quidam Gustus, & hoc est commune cunctis Animalibus. Considero Sextò, quod Aristoteles agens de Anima, videtur deminutus,nam de Memoria, & Reminiscentia,de Ingenio,de Solertia,Attentione,& similibus, non est loquutus. Respondeo, Memoriam & Reminiscentiam, non esse facultates Animæ distinctas, sed officia varia,partim ad Phantasiam,vt Memoriam, partim ad eam una cum Ratione pertinentia,de quibus in paruis naturalibus est agendum; At instabit aliquis, quia etiam motus Animalium est officium distinctum, non facultas; Respondeo, Veteres putasse,eam esse distinctam & principalem facultatem; Insuper, Appetitus est distincta facultas,quæ declaranda erat; Appetitus autem est quidam motus, & proximum principium motus Animalium; Ingenium,solertia,& similia,sunt dispositiones Animi competentes,ex varia constitutione facultatum Animæ,& prçsertim Phantasiæ,& attinentium ad eam, de quibus in Ciuili Scientia verba feci. Considero Septimò,quod Arist.loquuturus de Anima,orsus est à bono,inquiens bonorum bonorabilium finem imposuit in Lingua indice notionum Animi, vt nos moneret, solum Bonum ex Labijs & Lingua nostra debere prodire, hoc autem cumulatè seruabimus si Deum qui est ipsum Verum,ipsumque Bonum, toto Corde, Animo, & Lingua excoluerimus,cui soli Honor & Gloria.

1

An Animalibus perfectioribus cõpetat vterq; Gustus.

2

Dubitat.

Solutio.

Dubitat.

Solutio.

7

Cur Aristot. sit orsus à bono, et desinat in Linguã.

FINIS.

CAPITA SENTENTIAE SIMPLICII

EX COMMENTARIIS LIBRORVM DE ANIMA DEPROMPTA.

SIMPLICIVS Syrus Cilix, siue Phryx, vt ex Suida colligitur, auditor Ammonij Hermæ, floruit Anno fere sexcentesimo ab ortu Domini; hic varios scripsit libros, varietate opinionum Veterum Philosophorum splendidè ornatos, quorum nonnulli extant, & omnium consensione, eius sunt opera; De Commentarijs in libros de Anima non leuis est dubitatio, consueuit Simplicius in explicandis libris Physicorum, & de Cælo Asiaticorum more satis esse effusus, & latus, sæpè & latè consueuit digredi aduersus Philoponum, sæpenumero consueuit referre sententiam Alexandri, & cum eo differere; Interpres autem horum librorum de Anima, potius est Laconicus, & nil relatorum seruat, mitto uaria quæ referre possem, per quæ probabiliter confirmari posset hæc Sententia, quod Commentarij de Anima Simplicio adscripti, re vera non Simplicij, sed alterius viri docti sint, & ego ob uaria nonnunquam sum suspicatus, quod potius sint Priscians Lydi, qui Philosophus fuit medius inter Peripateticos, & Academicos, & nixus est, non secus ac Simplicius, vtrosque conciliare, nam Theophrastum sequutus est, & Paraphrasticè explicauit librum eius de Phantasia, & Intellectione, quæ Paraphrasis extat, & modus loquendi, necnon Sententia simillima est Sententiæ & modo loquendi horum Cõmentariorum libri de Anima; Quod confirmo: quia auctor horum Commentariorum in secundo de Anima, Contex. 74. loquens de Lumine, & Coloribus, ait se id explicasse in Compendio Theophrasti, & legitur in eo Compendio siue Paraphrasi, cap. 25. 29. & 30. Insuper idem Priscianus in eo Compendio mentionem facit suorum Commentariorum in libros de Anima; Præterea, vt auctor horum Commentariorum, ita ille Paraphrasis in Theophrastum, sequuntur Iamblichum, ut patet ex initio expositionis horum librorum, & ex primo, ac decimotertio Cap. Paraphrasis, de Phantasia; Insuper, ambo frequenter mentionem faciunt Plutarchi Lydi Nestorio geniti; mitto varia quæ hanc Sententiam mihi probabilem reddunt. Hic Priscianus Lydus, maximè Theophrasto adhæsit, fuit Simplicij Amicus, & una cum eo legatione in Persidem functus est, ut refert Suidas, in dictione *πολισβεις*, inquiens: Hi fuerunt illi Philosophi, qui cum Areonido in Persidem legati profecti sunt, Damascius Syrus, Simplicius Phryx, Priscianus Lydus, Hermias, & Diogenes Phœnices, Isidorus Gazeus, &c. Verum, quia non de nomine auctoris, sed de Sententia tenemur esse soliciti, propterea siue hi Commentarij sint Simplicij, fortè ab eo iam sene, ob ætatem uaria forma, & modo constructi, siue sint Priscians Lydi, eius amici, eiusdemque opinionis, dicamus, quod sint Simplicij, nil enim obest, nam ambo viri fuerunt eximia eruditione ornati, & ob id iure optimo quæritur, quæ fuerit Sententia auctoris horum Commentariorum, qui communi voce nomine Simplicij denotatur; Pro cuius lucidiore explicatione, accipio Primò, morem fuisse Simplicij, niti pro facultate Aristotelem cum Platone conciliare, adeò, ut Commentarij Simplicij, sint concilium Aristotelis cum Platone, quatenus nititur semper Sententias Aristotelis per eas Platonis explicare, qui etiam

Quo tempore Simplicius floruerit.

Dubitatio an Cõmentarij librorum de Anima sint Simplicij.

Priscianus Lydus.

Suidas.

Primum quod accipitur.

Mos Simplicij.

etiam fuit mos Prisciani Lydi, necnon Ammonij Hermæ, & Porphyrij: nam se-

Theoph. Medi ua rij explicandi Platonem.

quuti sunt Theophrastū, qui post obitum Aristotelis in Academicas opiniones inclinauit; Accipio Secundò, quod cum Plato vsus sit non Auscultatorio, vt Aristoteles, sed Dialogico sermone, & Sententias suas variis Metaphoris, & velaminibus operuerit, non facile constat quænam absolutè fuerit opinio eius, hinc uariæ prodierunt Assectarum eius Academiæ, modo uario Platonis dicta usurpantes, & explicantes, & præsertim Sex, quarum Tres dictæ sunt Atticæ, reliquæ Peregrinæ;

Academia Sex.

Atticarum una dicitur Vetus, quæ duce Zenocrate floruit; Altera media, sub Archelao; Tertia Noua sub Carneade, Peregrinarum vna dicta est Ægyptia, quæ floruit sub Ammonio; Altera Romana, sub Plotino; Tertia Lycia, sub Proclo. Simplicius magna ex parte sequutus est Iamblichum, nam in Procœmio inquit: Ac Iamblichi expositionem ex eiusmet Commentarijs de Anima sequar; Iamblichus inter Academicos cognomine Diuinus, Porphyrij fuit auditor, & Sacerdos extitit magnus, qui plurima ex Ægyptiorum columnis deprompsit, neque ex eorum numero fuit, qui Pyrroniorum more, putauerit, Platonem nil asseruisse, sed cuncta in dubium reuocasse; In Iamblichum igitur conuerti debemus, dum latentes Simplicij sententias cupimus elucidare, vt etiam conducit consideratio dictorum à Prisciano Lydo, Simplicij amico, in Paraphrasi librorum Theophrasti de Phantasia, & Intellectione, nam apprimè sunt consimiles.

Simplicius sequutus est Iamblichum.

His assumptis considerandum est, Simplicium ex Academicorum Sententia putasse vniuersum ex octo præcipuis gradibus esse conflatum, quorum supremus est Deus, cui succedit Mens non participata, in Tertio resulget Mens participata, in Quarto residet Anima Rationis cōpos, in Quinto Idola, & vestigia Animæ, in Sexto Natura seminibus prædita, in Septimo vmbræ, imitationes, & participationes Idearum, infima omnium est Materia; Horum graduum apud Simplicium frequenter fit mentio, si non omnium simul, saltem diuisim; Quod gradus supremus ratione distinguatur à secundo, nimirum, Deus à non participata Mente, consentiunt Academici omnes; an autem distinguatur etiam essentia dissentiunt: Nam Plotinus, Numenius, Porphyrius, Proclus, & alij multi, censent etiam essentia distingui; Alij nonnulli aiunt solum distingui ratione, Simplicius videtur cum primis consentire, hinc Deum tanquam supremum gradum, frequenter Menti supremæ præfert, ut conspicuè patet ex digressione eius de tempore in quarto Physicor. ex secundo de Cælo, Contex. 43. & ex locis alijs, & vtrisque satis distincta tribuit: Nam Deum statuit supra mensuram omnem, Menti pro mensura tribuit æternitatem; Deum affirmat supra ens, ac insuper sui substantia bonum, & vnum, Mentem contra ait proximè participare ipso bono, & vno, & esse eminentissimam entis vnitatem, quia propriè entia sunt Ideæ, quæ menti insitæ sunt; Deum statuit supra Mentem, & supra intelligibile, tanquam eminentissimam claritatem, Mentem ait esse primum intelligens, primumque intelligibile, propriè enim intelligibilia sunt Ideæ, à Deo abest prorsus omnis compositio, omnisque alteritas, adest autem absoluta simplicitas, & identitas; In Mente verò compositio & alteritas incipit apparere, ob distinctionem aliquam intelligentis & intelligibilis, necnon Idearum; Est itaque Deus supra omnem Mensuram, supra Ens, supersubstantialis, Principium Entis, supra Intelligibile, & Mentem, caput horum, vnitas impartibilis, vnitatum Fons, Principium, & Causa, Finis omnium, ipsumque bonum, ipsumque unum, omnem excludens compositionem, & alteritatem. Deo proximè dicebatur succedere Mens suprema, non participata, quia soluta est supra Animam, neque est participatio superioris Mentis, cum suprema sit; Hanc circumscribit Simplicius exponens Contex. primum tertij de Anima, inquiens; Quid enim & Qualis ea sit Mens, ab Anima seiuncta, nimirum, quid sit prima substan-

Octo gradus Vniuersi.

De gradu supremo nimirum de Deo.

Quæ Deo cōpetant.

De gradu Secundo.

tia

tia indiuidua, & præstantissima vita, supremusque actus, idemque intelligibile, intellectio, & intellectus, & perpetuitas, & perfectio, & mansio, & terminus, ac causa omnium oportunius à nobis, & absolutius in ijs quæ in duodecimo Metaphysicæ scriptimus optimè sunt disputata, ex Sententia Iamblichi iuxta Aristotelis Mentem, & intentionem, nunc autem occasio expostulat, ut dicamus qualis nam sit ea Mens, cuius Anima nostra facta est particeps, &c. Similiter in tertio Physicorum Contex. decimo, primum statuit ipsum Vnum penitus immobile; sub eo Mentem, quæ solum moueatur ab esse ad agere; Similiter Proclus & Iamblichus, quos præsertim sequitur Simplicius, Deum à Mente non participata secernunt; Tertia dicebatur Mens participata, quæ simul & participatio, & participata est, participatio quidem primæ Mentis, ex qua pendet, participata verò quatenus Anima Rationalis eius redditur particeps, non secus ac perspicuum redditur particeps Luminis; Quarta est Anima Rationalis, quæ verè & propriè Anima est; hæc distinguitur à Mente, nam Menti competunt Ideæ, Animæ Rationes, Mēs prorsus est immobilis, præterquam ex esse ad agere, Anima ex se immobilis, mens est supra generationem, Animæ modo quodam generatio competit, & constitutio ex primis principijs, ut patet ex Timeo; Hæc est ea Anima, quæ ab Aristotele in tertio de Anima, nuncupatur νοῦς hoc est Mens, quæ non est Mens absolutè, sed Animaria, & Rationalis, & hæc est ea Mens, de qua est sermo in tertio de Anima, quæ Mens dicitur per comparationem cum Sensu, & quia Mentis est particeps per quam formatur, terminatur, & unitur. Hæc Animaria mens, ad instar Iani, duplici quasi facie prædita, uel consideratur vt conuersa ad supera, & cum participata mente nectitur, per quam ad superiora eleuatur, eisque fruitur, ac ita dicitur in se purè manens, & diuiniora intuens, vel consideratur vt in se quidem manet, ita tamen, vt ad infera conuertatur, eaque pariat, illustret, formet, ac perficiat; Tertiò consideratur non amplius vt manens, sed vt progressa, veluti radij corporis Lucidi considerantur in perspicuo, vt progressi à Lucido, & non manentes in eo, & quēadmodum radij illi dicuntur produci à Lucido, ita hæc mens progressa, relata ad manentem dicitur vita secunda ab ea genita; Quæ mens Animaria, & Rationalis progressa, vel est imperfecta, ut in pueris & rudibus, vel perfecta, habituque prędicta, ut in viro sapiente; Dum consideratur ut purè in se manet, & solum ad supera uertitur, non dicitur particula Animæ; Dum Secundò consideratur vel ut in se quidem manet, at non purè, sed ad infera vertitur, eaque format, & perficit, uel solum ad ea progreditur, sic redditur particula Animæ & consideratur in tertio de Anima, ac priore quidem consideratione, dicitur mens agens, posteriore verò mens potestate, siue imperfecta, siue perfecta sit, & dicitur mens Animaria, ex quo Quarto gradu prodeunt deinde, non sine Corporis conspiratione, attinentia ad gradum Quintum, & sunt Vmbræ, Idola, ac Vestigia quædam Animę, quę à Iamblicho Idola uirę dicebantur, qualis est vis sentiens, desinens in nutrientem, ex qua prodeunt Semina constituentia Naturam, & gradum Sextum; Natura enim est vis, seminariaque virtus, à Mundi Anima infusa materię, adeò, vt Natura re uera nec forma sit, nec materia, sed medium quoddam inter vtrumque, & via ad formam, siue potius ad umbram, imitationem, & participationem formę in materia apparentem, quæ gradum Septimum constituit, cui pro infimo & Octauo gradu subijcitur materia, quę dicitur locus imitationis formarum, in qua perinde ac in Aqua refulgent umbrę formarum.

Gradus Tertius.

Gradus Quartus.

Mens Animaria.

Mens agens, mēs potestate.

De Quinto gradu.

De Sexto gradu.

Septimus gradus.

Dum inuicem relati Octo gradus conferuntur, Deus est suprema Vnitas, ex se talis, non participatio eminentioris, Mens non participata, ab eo proximè vnitionem, & terminum recipit; mox reliqua, quo magis ad infera labuntur, eo magis in infinitum diffunduntur, & solum recipiunt terminum, vt nectuntur cum superis; Insuper, Deus est absolutè supra mensuram omnem, Menti pro mensura

Octauus gradus.

Mutua cōparatio inter octo gradus.

respondet æternitas, Animæ terminus æternitatis, & initium temporis, reliquis tempus ab æternitate seiunctum; Præterea Deus eminet supra motum, Mens solum mouetur ex esse ad agere, Anima ex se mouetur, Natura solum includit propensionem ad motum, Materia omnino patitur, & mouetur ab alio; Insuper, Deus est supra Ens, & Substantiam, hæc enim sunt nomina concreta; Mens propriè Substantia, & eminentissima Entis Vnitas, ob Ideas quas includit, Anima est, & fit, cum ex se moueatur, collocata infra Animam, usque ad materiam, potius fiunt quam sint; Materia, nec est, nec fit, sed cunctis quæ fiunt sedem præbet; Præterea, Deus est supra Ideas; Menti non participatæ competunt non participatæ Ideæ; Menti participatæ, Ideæ participatæ, Animæ Rationes, Naturę Semina, Materiæ Vmbræ, & Imitationes rerum; Insuper, Deus est supra Scibile, & Intelligibile; Mens includit propriè Intelligibile, Anima per Rationes Scientiam, & Scibile, Natura attinentia ad Opinionem, Vmbræ in materia ad Sensum; Materia infra Sensum est collocata, & solum sine Sensu percipitur, & quadam adulterina cognitione noscitur. Præterea, Dei propria est non participata Vnitas, Mentis Ordo, Animæ motus, Naturæ promptitudo ad motum, Materiæ passio. Insuper, Deus est supra vitam, & fons vitæ, Mens est propriè vita, & vita prima, Menti animariæ competit vita Secunda, ea Sensuum, dicitur Tertia vita, quæ cum desinat in nutritionem, & Naturam, ea Naturæ dicitur uita Quarta, infima, & postrema; Materia est infra omnem vitam; In omni Vita consideratur motus quidam vel ex esse ad agere, vel ut ex se moueatur, vel ut includat promptitudinem ut moueatur ab alio; Menti competit uita seorsum à Corpore, Animæ, & seorsum, & cum Corpore, Naturæ solum cum Corpore.

Quot rerum gradus sint in Homine.

In Homine ex relatis gradibus Sex postremi locum habent, de Mente participata, quæ est gradus in Homine supremus; non loquitur Aristoteles in libris de Anima, sed de Mente Animaria, & Rationali, non omnino, & purè in se manente, sed partim manente, partim progressa, siue imperfecta, siue perfecta, quia sic redditur particula Animæ, quam proponit explicandam Aristotelis in tertio de Animal

Verus Homo.

Hæc Anima Rationalis est verus Homo, qui definitur quod sit Anima Rationalis, Mentis particeps, Corpore utens, nec propriè materiam format, sed posteriores uitas non tamen sine Corpore, & materia edit, quæ materiam formant; & Animal, at Corpus viuens constituunt, adeò, vt Homo sit sola Anima Rationalis Animal verò, & viuens composita sint, est quidem Anima Rationalis essentia Hominis, & id quod est Homo, non autem est forma formans materiam; aliquin male ab Academicis definitur Homo; & decipiuntur illi qui ex Academicorum Sententia aiunt Animam Rationalem formare Hominem, hinc anima Rationalis solum dicitur vtens Corpore, Sensus autem diuiditur in formantem, & utentem, formans est extensus, & diuiduus, utens verò indiuiduus, & vbique totus; hinc in tertio de anima, quinquagesimo octauo ait Simplicius, eas quæ sunt in materia, non verè esse formas; absolutè enim, & propriè formę ab eo illæ dicuntur, quæ solutæ sunt à Corpore, quarum infima est anima rationalis, & quamuis in postremo Commentario secundi de anima dicat, Humanam formam intelligimus consistere in uita, quæ per Rationem perficitur, terminatas habente mensuras, secundum tempus, nõ tamen ob id denotat animam Rationalem formare materiam, sed solum eam esse Hominis essentiam, & conditionem, ut ex uarijs ab eo relatis conspicuè elici poterit; Hinc dicitur meare per varia Corpora, quod ei non competeret si materiam formaret.

Vera formæ.

De numero contentorum ab gradibus.

De numero attinentium ad singulos relatos gradus, non leuis est dubitatio, nam ordiendo à Deo, proculdubio eminentissimè, simplicissimè, & non per participationem adeò est Vnus, vt in eius Ratione sit, quod unus sit. Loquendo de Mente

non participata, non constat an Vna, vel plures sint, & de hoc nil distinctè protulit Simplicius. Cum Plotino magis uidetur statuenda Vna, & præsertim, quia si mox anima redditur Mentis particeps, si Mentes non participatæ essent plures, non constaret, quæ anima, cuius Mentis redderetur particeps, hinc dicitur eminentissima Entis Vnitas, & Pater omnium, ob Ideas, qui unus censeri debet; Ex aduerso Iamblichus, & Proclus, quos præsertim sequitur Simplicius, eas statuunt plures, hinc Proclus in Timeum inquit, Ante Cælorum animas, esse intelligentes, Intelligibilesque ornatus Entium, ex quibus hæc prodeunt, & rursus ante eos, Deorum numerum, Entia unientem, Diumoque Lumine illustrantem; & rursus ante hunc numerum, Vnitas est impartibilis, ex qua numerus iste seiptum eduxit, oportet enim ante participatas species, reperiri eas quæ non participentur, & ante illas vnitates earum esse, aliud enim est quod vnitum est, & ipsa vnitas, & rursus ante multas vnitates, vnam esse ipsarum fontem, &c. Conspicuè Proclus Mentes non participatas statuit plures, quas appellat Deos extra Mundum, quibus subijciuntur Dij mundani, & Dæmones; Simplicius in primo Contex. tertio de Anima, similiter plures affirmat, inquiens, differt hæc participata forma, à primis, & non participatis formis, vt quæ participetur; res itaque est dubia, & pro Resolutione dicendum censeo, Mentem non participatam dupliciter considerari; Primò, absolutè, secundum se, & iunctam supremo vno, ac ita esse vnam per participationem; Secundò, vt recedit ab vno, & est terminus supremus participatarum Mentium, qua ratione est multiplex, non secus ac Centrum Circuli, & Sensus Communis, ab Aristotele cum vnus, tum multiplex dicitur; Hoc elicio ex verbis Simplicij in primo de Cælo, Contextu vigesimoprimo dicentis: Prima autem ab vno procedens multitudo, tanquam proximè ipso participans, vnica est in vno manens, & quatenus qualitercunque ab vno processit, secundum hoc modo aliquo genitum habet, & propterea generationes Deorum tradiderunt, Deorum quidem multitudinem in vno manentem secundum multiplicationem eius, generationem autem laudantes ipsius, secundum quod ab vno subsistit, ut & numerorum generationem progressum ab vnitate speculemur, tamen in uno manens, unica secundum summam unionem est, &c. Conspicuè ex uerbis Simplicij elicitur relata Resolutio, & confirmatur, quia Marsilius Ficinus ex Sententia Iamblichi, & Procli, in Enneade tertia Plotini, libro septimo de Octo considerationibus, cap. primo ait Mentem esse Mundi Fabrum, quæ quoniam immobilis est, non potest in plures Mentes non participabiles propagari; sed Anima quæ mobilis est, propagari potest, & quia anima est Mentis particeps, ideo in ea Mens in plures Mentes participabiles distribuitur, &c. Hæc itaque Mens Prima, & Vna, & Multiplex dici potest, insuper est Pater rerum ob Ideas, simul tamen dicitur ipsius boni filius.

Deus vnus.
Mens prima non participata.
Proclus.
Simplic.
Resolut.
Marsili. Ficin.

Patet quid sit dicendum de Deo, & non participata Mente, sequitur Tertiò, Mens participata, quæ iam actu reddita est multiplex ob multitudinem animarum eam participantium, nam ut in attinentibus ad Sensum, primus est Sol, cuius conditio est, ut sit Vnus; Secundò, Lux eius, quæ ex parte Solis una est, multiplex tamen, ut terminus distinctorum Radiorum; Tertiò, Radij uarij; Quartò, perspicua uaria, Radios participantia; Ita in attinentibus ad Mentem, Deus tanquam Sol est unus, Mens non participata, quasi Lux Solis, est una, & multiplex; Radij participati, iam actu sunt multiplicati, Perspicuum uerò proportione respondet Animæ Rationali multitudine præditæ: Nam primo eius Mentis particeps redditur anima Mundi; Secundò, ea Cælestium orbium; Tertiò, ea Dæmonum; Quartò, ea Hominum; Inquit Plato in Phedro, nullam esse Mentem sine anima, quod uerum est, in hoc Mundo mortali, & intra Cælum, at non extra.

De numero participatarum Mentiũ.

Quartam sibi sedem optabat anima Rationalis, quæ non sola Ratione secernitur à Mente, ut perperam nonnulli putant; sed Essentia, & conditione, Menti

De numero Aiarũ.

competunt Ideæ, per quas individua intelligit, Animæ rationes, per quas ex una in aliam cum diuisione progreditur; Mens est immobilis præterquam ex esse ad agere, Anima ex se mobilis, Mens est suprà generationem, cum eius non detur Idea, Animæ modo aliquo generatio competit, & Resolutio in Principia, & propriè sumpta Idea, ut dixi in præcedentibus. Hæc re uera est initium motus cum uerè sit Anima, per Rationes sit libera, & uerè ex se moueatur, Iumenta autem & Ferę potius debent dici moueri secundum Sensum, & duci ab Appetitu Sensuum, quam à Sensu, cum Sensus non sit primum principium motus.

Vis primum principiũ motus.

Animæ Rationales ex sententia Simplicij non una sunt, ut nonnulli ex Platonicis, & cum eis Auerroes existimarunt, nec tot, quot fuerunt, & futuri sunt Homines, ut censent Diuus Thomas, & Alexander, sed certo, & definito numero sunt prædictæ, quæ ab æterno ex Idea mentis manarunt, qui numerus, nec crescit unquam, nec minuitur, sed Animæ singulę uarias uiuunt uitas, & ex una in aliam uitam, quasi in orbem reuoluuntur, nonnunquam enim hærent uehiculo æthereo, in eoque edunt facultatem Sensuum, præsertim Visus, & Auditus, sine perpessione, & instrumentis, nonnunquam uehiculo Aereo, uel magis, uel minus Crasso, nonnunquam ostreaceo, & denso, ut in Humano Corpore, ac ita per uarios ascensus in Cęlum, & descensus seruant generationem Hominum æternam, ut colligitur ex Simplicio, in secundo de Anima, 8.23.& in tertio de Anima, uigesimo & uigesimoprimo, ut etiam putarunt Iamblichus,& Proclus,quos sequitur Simplicius; Ex quo patet,quod Anima, ut ab Academicis dicitur, mediæ conditionis,inter ea quæ sunt, & præsertim inter æterna, & mortalia, in eorum terminis collocata, eaque nectens, ita est media in attinentibus ad numerum, nec enim una, nec infinitæ sunt.

Anima è media vi cõditione ita numera.

Distinguuntur ab inuicem Animæ, non per Relationem ad proprium Corpus, nam varijs hęrere valent, ex quo patet quod non propriè formant, sed insinuantur, & perinde ac nautę assistunt, & vtuntur, sed distinguuntur per proprias individuas conditiones, quas ex varijs Stellis ex quibus pendent recipiunt, non secus ac inuicem uariarum Stellarum Radij secernuntur; Plotinus in libro de Dubijs Animæ, primo cap. sexto, inquit distinctionem Animarum prodire, uel ex Corpore, uel ex recessu ab Anima vniuersa, uel ex relatione uaria ad Mentem; Mox capitulo decimoquinto inquit differentes reddi Animas, uel distinctione Corporum quibus insinuantur, uel ob fortunas, & educationes, uel ipsæ demum ex seipsis differentias deserunt, &c. Putat tamen Plotinus uniuersè eandem esse Animæ essentiam; Simplicius uerò vnà cum Iamblicho, & Proclo, magis eas distinguit, & seipsis distingui affirmat proprijs quibusdam differentijs individuantibus prodeuntibus ex infinito, & terminis Animæ competentibus, tanquam ex modo materiæ, & formæ.

Quo distinguntur Animæ.

Plotinus.

Loquendo de modo intelligendi, Mens siue non participata, siue participatâ, semper intelligit, idque ei competit per essentiam Idearum ei competentium, Anima Rationalis, Rationibus prędita, maiorem distinctionem includentibus, secus se habet: Quatuor enim sunt eius dispositiones, nam uel purè in se manet, mentique iungitur; uel non purè manet, sed cum eo quod manet, etiam infera respicit; uel est progressa, & imperfecta; uel progressa & perfecta; Dum considerat ut progressa, & imperfecta, operatur per Phantasmata, & rerum imagines, & tunc solum in Accidentibus uersatur, quia Phantasmata, solum Accidentia repræsentant; Dum Secundo consideratur vt habitu prędita, ita nectit ea accidentia cum rationibus ei iunctis, ad eas illa refert, & agit circa Substantiam, nam habitus acquisitus Substantia quidem non est, sed circa Substantiam, quatenus uersatur circa essentias rationum ex Anima in se manente progressarum; Tertiò, dum consideratur ut in se manens, non tamen purè, & omnino, sed cum relatione ad infera,

De modo intelligendi mẽtium. Quatuor dispositiones Animæ.

quod

quod pertinet ad Mentem agentem, sic operatur per essentiam, & eius actio ab eius Substantia non est distincta, non tamen continenter operatur, sed vnà cum progressu, ac ita dicitur tanquam Lumen reddere intelligibilia potesta te, intelligibilia actu, dicitur quidem Lumen, non Lux, quia hęc ad Mentem pertinet; Quartò, ut in se purè manet, continenter operatur, & eius actio à Substantia non distinguitur, Obliuioni ea solum tradere potest, quę ex Phantasmatibus pendent, at, quę attinent ad Rationes ei insitas, semper seruat, ob quas Scientia dicitur modo aliquo Reminiscentia; Primò, operandi modo respondet Opinio; Secundò, Scientia; Tertiò, Sapientia; Quartò, Intelligentia, quę principiorum est.

De Sęsu.

Descendendo ad Sensum, qui ex Anima Rationali, tanquam vestigium, idolum, & vmbra prodire dicitur, in eo non præcipuæ seruantur Rationes, cum non præcipuè sit Anima, sed seruantur vmbræ, & imagines earum; Quæ vis sentiens; duplici fungitur officio: nam formar instrumentum suum, eoque utitur, hinc diuiditur in vtentem, & formantem, vt formar magis extenditur & diuidua redditur per Corporis diuisionem, vt verò vtitur, indiuidua est; totaque est in toto, & quauis parte, hæc agit, illa potius mouetur, hæc explicatur ab Aristotele in Definitione Animæ per Organicum, illa, per potentia vitam habens; Hanc distinctionem in formantē, & vtentem, indicauit Aristot. in lib. de motu Animalium, inquiens, Animam residere in Corde, & vires effundere per vniuersum Corpus, vt enim est in Corde, indiuidua est, & vtens, vt verò effunditur, est formans; Hæc diuisio solum competit Animæ Rationali quatenus effundit inferiores uitas, formantes Corpus, quibus ea vtitur, at non propriè, vt dixi. Quo pacto Facultas sentiens sit principium sentiendi, declaratur à Simplicio in 1. de Anima, Contex. 75. in 2. 52. & 62. & sæpè alibi, eius sententia hæc est; Primò, sensibile externū agit in instrumentum sensus, ac ita instrumentum ratione materiæ patitur, quæ passio non interitus, sed perfectio est, ratione autem facultatis formantis agit, quatenus per eam illa sensorij perpessio, redditur spiritalior, & purior, quæ actio non est iudicium, sed dispositio ad illud, mox ea affectio syncerior reddita, attingit Rationem, nectiturque cum ea, vt Effectus cum sua Causa, & tunc facultas utens, per rationes consimiles; consimilium promit iudicium, adeò, ut per unam albedinis insitam rationem, siue dulcedinis, indicium promat singularum albedinum, & dulcedinum, & id iudicium dicitur actio non formantis, sed vtentis, quæ Facultas dicitur reddi similis Obiecto, non quia ab eo aliquid recipiat, sed quia per rationem ei respondentem agit, & iudicat, sic sentire est agere, præcurrente tamen instrumenti perpessione; Similitudo autem per quam sentiens redditur simile Obiecto, est triplex; Prima pertinet ad passionem Organi; Secunda ad actionem formantis; Terria ad actionem utentis, quæ præcipua est, adeò, ut Anima reddatur similis rei sensibili, non quia ab ea aliquid suscipiat, sed quia per propriam eius rationem agit; Insuper, discrimen est inter Sensum & Mentem, quia Sensus cognoscit sensibile, per Rationes ei insitas, at, non cognoscit Rationes, Mens autem intelligit nedum per Rationes, sed etiam Rationes; ex qua differentia pendet, ut sensus non dicatur esse sensibilia, scientia autem dicitur scibilia: nam ut ait Simplicius, in 3. de Anima, Contex. 14. Scientia præsertim speculatur Formas quæ in Anima sunt, ut Effecta per Causas speculetur, & in eo est posita similitudo; Ex quo pendet, quod sentiendi uita, alia sola, non seipsam dicitur sentire, & dicitur perfici ab exterioribus, quoniam intrinsecus agit circa passionem, ab externis illatam; Insuper, uis sentiendi, solum dicitur potestate, non actu, quia nunquam per se, sine præsentia externorum agit, Mens autem etiam actu aliquando esse dicitur; Insuper, cognitio sensus quauis non fiat sine perpessione, iudicium tamen quod definit in Formam, est actio sine perpessione, est indiuidua & tota simul.

De officio sentiendi.

Triplex similitudo per quam sentiēs simile redditur Obiecto.

Discrimen inter Sensum & Mentem.

At rediens ad animam Rationalem, quę dicitur Mens Animaria, de qua ex sen-

ne prodeuntibus, ait Visum, eiusque radios refrangi: nã in loco non proprio frequenter vti consueuit opinionibus aliorum; at in loco proprio, vt in lib. de Sensu & sensili opinionem illam damnat, vt etiam id facit hoc in loco, eamque Ratione confirmat, nam Obiectum est principale mouens, & cum dicat refrangi Colorem & figuram, indicat nedum Sensibilia propria, sed etiam communia agere, & repercuti præsertim tamen propria, & una cum eis communia.

Cont. 66. *QVOD autem corpus Animalis non valeat esse simplex veluti Igneum, aut Aereum, manifestũ est, sine enim Tactu Sensus alius esse non potest, omne enim Animatum corpus facultatem habet tangendi, vt dictum est; Alia quidem prater terram Sensoria vtique fient, omnia autem per aliud sentiendo faciunt Sensum, & per medium, Tactus verò id facit tangendo ipsa propterea eo nomine est præditus, attamen alii quoque Sensus tangendo sentiunt, sed per alia, hinc autem videtur solus per seipsum, quare nullum huiusmodi Elementorum ualet esse Corpus Animalis, neque itaque terreum esse potest, nam Tactus est tanquam medietas omnium tangibilium, eiusque instrumentum est aptum suscipere nedum differentias Terra, sed & calidi, & frigidi, & caterorum omnium tangibilium; Et propterea ossibus, capillis, & huiusmodi partibus non sentimus, quia terra sunt, Planta quoque ob idipsum nullum habent Sensum, quia terra sunt, sine autem tactu nullus alius Sensus esse potest, hic autem sensus non est neque Terra, neque vllius Elementorum.*

Intentio. VM Philosophus patefeciffet Corpus Animalis non esse simplex, ac insuper manifestasset necessitatem sensus Tactus, & Gustus; consilium modo eius est confirmare Corpus Animalis non esse simplex, vt inde occasionem suscipiat Academicorum sententiam euertendi, qui etiam simplicibus Corporibus videbantur Animam tribuere;

Diuisio. Diuiditur præsens Contex. in quatuor partes; In Prima, ostenditur Corpus Animalis non esse simplex; In Secunda, declaratur quomodo sensus sentiant, vel per media, vel tangendo; In Tertia, affirmatur Corpus Animalis non esse Terram; In Quarta, ex eo elicitur Ratio, cur Pili, Ossa, & Plantæ non sentiant. In Prima, ponitur hæc Conclusio; Corpus Animalis non posse esse simplex; Quæ ita ostenditur: Corpus præditum Sensu Tactus, non est simplex, omne Animal est Corpus præditum Sensu Tactus, nullum itaque Animal est Corpus simplex; Minor ex sæpè repetitis est conspicua; vt autem pateat Maior; In Secunda parte dum ait: Alia quidem præter terram, &c. digreditur circa omnes Sensus: manifestans solum tactum secundum se fieri sine externo medio, & cum fiat per contactum, & sit collocatus in contemperamẽto, & medio Primarum Qualitatum apto suscipere omnes differentias tangibiles, conspicuum est non posse esse simplex, quia nullum temperamentum est simplex; Ex quo in Tertia parte elicitur, non esse terram, vel terreum, quia Terra non est contemperamentum, nec Sensorium alicuius Sensus; Insuper, ex his in Quarta Parte elicitur, nec Pilos, nec Ossa, nec Plantas, Sensu Tactus esse præditas, quia nec Terra, nec

Expos.

Terreum

Terreum eſt Senſu Tactus præditum, relata ſunt Terrea, quare carent Senſu Tactus, Maior eſt conſpicua, quia Terra uel Terrea, non ſunt temperamentum congruens pro Tactu.

ANNOTATIONES.

PRIMA Concluſio erat; Nullum ſimplex poteſt eſſe Corpus Animalis. Pro qua conſidero, quod Academici, Elementa putarunt Senſu prædita; Simplicius in 1. de Cælo 43. necnon in 2. de Cælo aduerſus Alexandrum id negantem, Elementa ait Senſu prædita; At, in 8. Phyſic. 28. & in libris de Anima, cum Ariſtot. aſſerit carere Senſu; Hac de re Ariſtot. etiam in 1. de Anima loquitur, & in Contex. 86. aduerſus Thaletem dicentem omnia eſſe plena Dijs, hoc eſt Anima, ait: Cur in aere, aut in igne Anima cum ſit, non facit Animal, in mixtis autem id facit, & præſertim. cum melior in illis eſſe videatur. *Conſid. 1.*

Conſidero Secundò, Academicos etiam putaſſe Dæmones eſſe ſenſu præditos, quos tamen præſertim dixêre Igneos, uel Aereos, ita tamen Senſu eos putarunt præditos, ut per omnem partem ſine diſtincto inſtrumento uiderent, & audirent; Aduerſus quam Sententiam etiam modo inuehitur Ariſtot. & ob id ait Corpus animalis, nec Igneum, nec Aereum eſſe poſſe, & in 2. de Generat. Animal. cap. 3. ait: Organi, & facultatis eandem eſſe rationem, adeò, ut unum ſine altero eſſe nequeat; Statuere autem ſenſus illos eſſe diſtinctæ Rationis, eſt abuti uocibus, & multiplicare ea quæ ſunt ſine neceſſitate, & præſertim cum nec ob nutritionem, nec ob ſalutem Corporis eis uideantur egere. 2 *Dæmones Sẽ,u prædicti, ſecũdum Academicos.*

Conſidero Tertiò, quod omnia Elementa ſui imperio ſunt apta conſtituere inſtrumentum Senſus præter terram, quæ uel nullius eſt propria, uel modo aliquo Tactus, cuius inſtrumentum, craſſius, & ſolidius eſſe debet, re uera tamen inſtrumentum Tactus nimium Terreum eſſe non debet, quia Terra maximè diſtat à Cælo, quod inter Corpora eſt principium uitæ; Inſuper, quia Terra ob ſoliditatem minimè omnium Elementorum eſt capax ſpecierum ſine materia; Tertiò, quia ſiccitas, & frigiditas quæ ſunt Qualitates propriæ terræ, maximè Senſibus ſunt aduerſæ; Hac autem de re etiam uerba feci dum in principio 3. libri Ariſtot. oſtendebat; Senſus non eſſe plures quam quinque. 3 *Cur Terra non valeat inſtrumentũ Sẽſus conſtituere.*

Conſidero Quartò, quod Ariſtot. ait omnem Senſum fieri per Tactum; Ratio eſt: quia omne agens agit per tactum, omne Senſibile agit in Organum Senſus, quare omne ſenſibile tangit Organum; At, tangere contingit multipliciter, datur enim tactus uirtutis, & Corporis, Agens ſpiritale modo quodam Tactu uirtutis dicitur tangere, uelut Colores tangunt oculos; Inſuper tangens, uel tangit medio, uel ſine medio, tangere ſine medio externo, & ſecundum ſe, eſt proprium Tactus, & etiam guſtus, ut eſt quidam tactus, & ob id nomine tactus denotatur; Ex his patet, quomodo uniuersè uera ſit ea Sententia, omne agens agit per contactum, explicata in 1. libro de Ortu & interitu. 4 *Omne agens agit per Tactum.*

Conſidero Quintò, quod cum Ariſtot. dicat omne animatum Corpus eſſe præditum facultate tangendi, id non de omni animato intelligi debet, ut conſpicua eſt inſtantia de Plantis, ſed de animato conſenſione omnium, & quod modo aliquo ex ſe moueatur, & demum de ita animato, ut etiam denominetur animal. 5

Conſidero Sextò, quod Ariſt. in 1. de Anima, 79. ait, Oſsa, Pilos, & Neruos non ſentire, & in hoc Contex. id dicit de Oſſibus, & Pilis, de Pilis nulla eſt dubitatio, at, de Oſſibus, & Neruis non leuis dubitatio eſt: nam laborantes morbo Gallico, ſæpè conqueruntur de dolore Oſſium; Similiter, id accidit illis, qui uexantur morbo Articulorum, & connexionum Oſſium, & magis conſpicuè laborantibus dolore Dentium, cui difficultati reſpondendum eſt, id accidere ob connexionem cum panniculis, in quibus inſertæ ſunt tenuiſſimæ uenæ per quas Oſſium extremæ partes redduntur participes doloris, & ille dolor eſt uehementiſſimus ob ſpirituum alterationes, qui in Oſſium poris includuntur, 6 *Oſſa, Pili. & Nerui non ſentiunt.*

duntur, Medici autem inquiunt, id accidere ob nexum cum Neruis; De quibus Neruis maior est dubitatio, nam Aristot. negat, Medici autem affirmant eis competere Sensum, & Auerroes aliqua ex parte Medicis adhæret; Qua de re alibi uerba feci, cum enim Aristot. hoc in loco de Neruis nullam faciat mentionem, hæc consideratio nimium uideretur aliena, dicere autem possumus id competere Neruis, non ratione proprij temperamenti eorum, sed quia uirtutem sentiendi deferunt ob nexum cum Corde, ex Sententia Aristot. uel cum Cerebro, ex Sententia Medicorum.

Cont. 67. *CONSTAT igitur necesse esse hoc solo priuata Sensu Animalia mori, neque enim hunc necesse est habere id quod non est Animal, neque cum sit Animal, est necesse vt alium habeat præter hunc; Hinc euenit quod cætera sensibilia exuperantia non interimunt Animal, vt Color, Odor, Sonus, sed solum interimunt Sensus, nisi ex euentu, veluti si vna cum sono adsit pulsio, & ictus, & ab his quæ videntur, & ab Odore alia moueantur quæ tactum interimunt; Similiter, Sapor interimit, vt accidit quod simul tangibile sit, tangibilium autem exuperantia, vt calidorum, frigidorum, & durorum destruunt Animal, Omnis enim sensibilis exuperantia corrumpit sensum, ideo & tangibile factum, hoc autem definitum est, ipsum viuere, ostensum est enim, sine Tactu non posse Animal esse, & propterea tangibilium exuperantia nedum Sensum interimit, sed & Animal, quia hunc solum necessariò habet Animal, cæteris autem sensibus præditum est Animal (vt diximus) non vt sit, sed vt benè sit, veluti Visu, vt in Aere, & Aqua videat, ac omnino in perspicuo, Gustu, gratia delectabilis, & aduersi, vt sentiens quæ competunt alimento, id appetat, & moueatur; Auditu autem, vt aliquid significetur, Lingua autem, vt alteri aliquid significet.*

68

Intentio. OSTENSO Corpus Animalis non esse simplex, Ratione sumpta ex Tactu, sine quo cæteri Sensu esse nequeunt, qui tactus in temperie tangibilium est collocatus, consilium Aristotelis modo est, ex necessitate Sensus Tactus Rationem elicere, cur excellens tangibile, nedum Sensum sed etiã

Diuisio. Animal interficiat; Diuiditur Contex. in Tres partes; In Prima ex necessitate Tactus elicitur priuationem Tactus sequi mortem; In Secunda manifestatur hoc esse proprium Sensus tactus, vt excellens tangibile, nedum Sensum, sed etiam Animal destruat; In Tertia manifestatur, quomodo cæteri Sensus solum conducunt vt Animal bene sit;

Expos. Inquit Philosophus in Prima parte, ex necessitate Sensus tactus, elici Rationem, cur de solo tactu hoc contingat, vt Animalia eo priuata moriantur: nam tactus & Animal, tanquam forma, & formatum, reciprocantur, si adest tactus, est Animal, si non adest, non est Animal; Similiter, si est animal, est præditum tactu, & si non est animal, non est tactu præditum, de cæteris Sensibus secus se habet; Hinc euenit, quod cætera Sensibilia exuperantia, &c. Hæc est pars Secunda, in qua Aristot. ex dictis Rationẽ elicit, cur cætera sensibilia exuperantia, solum labefactẽt Sensum, exuperantia autem

tangibi-

tangibilia,nedum Sensum,sed etiam animal destruunt, nam tactus requiritur ut animal sit, & in eius temperamento est positus,ideo eo destructo,destruitur animal; Cæteris autem sensibus præditum est animal, ut diximus, &c. In hac Tertia parte declaratur cæteros sensus conducere, ut animal bene sit, & eminus sentiat sensibilia, ac ita melius ea vitet, vel prosequatur, Gustus conducit ut animal percipiens sapores iucundos,eos appetat, & vitet aduersos, Per auditum Animalia bene sunt,quatenus percipiũt voces,quæ sunt signa affectionum animi, cui auditui respondet lingua,quæ est instrumentum patefaciens alijs proprias animi notiones.

ANNOTATIONES.

EA quæ dicuntur in præsenti Contextu, magna ex parte,nota sũt per dicta in præcedentibus. Considero tamen Primò,quod Aristot.ait solo sensu tactus animalia priuata mori, quod tamen est dubium: quia per eius absentiam Corpora moriuntur, per cuius præsentiam viuunt, at viuunt per præsentiam facultatis nutrientis,non autem tactus,quare per illius, & non per tactus absentiã animalia moriuntur; Pro Solutione duo sumenda sunt,vnum est quod Mors & Vita est duplex; Vna conspicua; Altera obscura, & adumbrata, per solam animam nutrientem viuunt, & moriuntur morte obscura, & adumbrata, at per eam vna cum tactu uiuunt, & moriuntur conspicuè; Hinc ea Plantarum non propriè mors,sed ariditas nũcupari cõsueuit;Alterũquod accipi debet,est,quod aliud est mori absolutè, & mori animal, per absentiam facultatis nutrientis viuentia dicũtur mori absolutè,at non mori ut animalia,& ut viuunt uitam animalis de qua loquitur Arist. Considero Secundò, quod dicebat Aristot.in 2.de Anima,quicunque Animæ gradus adsit, viuere dicitur, & quia vitæ opponitur Mors, ideo vt dantur varij gradus vitæ, ita & Mortis,nã viuentia,vt viuũt per Animam nutrientem,moriũtur per eius absentiã,vt viuũt & sunt Animalia per solum tactum,moriũtur per tactus absentiam,vt viuunt & sunt Animalia absolutiora, per tactum cum motu, moriuntur per interitum eius,vt verò per Rationem sunt Homines, moriuntur per recessum Rationis, nam in eminentiore gradu cum vitæ,tum mortis,includuntur inferiores; Considero Tertiò, quod interimere Animal contingit dupliciter;Vel secundum se;Vel ex accidenti,tangibile excellens secundum se, vt tangibile, dicitur interimere cætera sensibilia ex accidenti,tangibile excellens interimit,non vt tangibile,sed vt excellens, & cum interimat duo,Sensum,& Animal,quæri potest, quid prius interimat? Et dicendum puto,quod Primò interimat Sensum, Secundariò Animal; Ratio est: quia interimere Sensum,est commune omnibus exuperantibus sensibilibus, interimere Animal, est proprium eius,commune autem antecedit; Præterea,vt tangibile est, refertur ad tactum, ideo vt excellens tangibile, prius destruit Sensum Tactus,cuius destructionem sequitur destructio Animalis, Insuper,dum consideratur vt sensibile excellẽs,destruit tactum, dum vero consideratur vt euertens temperamentum Animalis,destruit Animal; Demum,vt Sensus antecedit, & est principium constituens Animal, ita interitus eius antecedit,& est causa interitus Animalis,Animal enim interit, quia Sensus interit. Considero Quartò,quod loquendo de Sensibilibus cæterorum Sensuum,ea ex accidenti dicuntur destruere Animal, quia Animal non constat ex temperamento Sonorum, Colorum,& Odorum, vt ex temperamento tangibilium, & quemadmodum tangibilia, sunt fundamentum cęterorum Sensibilium, ita tactus est fundamentum cęterorum Sensuum, & reliqua Sensibilia ob id dicuntur ex accidenti destruere Animal,quatenus per ictum,& motum destruunt tactum, & eius fundamentum;Hoc conspicuè patet exemplo Tonitrui, quod quamuis sit vehemens, tamen nisi Igneis spiritibus,& Fluminibus incenderet,& scinderet, non interficeret Animalia; Similiter, Odo-

Consid.1.

Dubitat.

Solutio.

An mors sequatur priuationẽ facultatis nutrĩtis vel Tactus.

2

Varij gradus vitæ, & Mortis.

3

4

ter Odores,& Sapores venenosi, interficiunt,quatenus Veneno lædunt temperamenta ad quæ pertinet Tactus; Considero Quintò quod Aristot. in præcedentibus affirmauit gustum esse necessarium, & competere cunctis Animalibus, modo verò illum numerat inter Sensus,qui conducunt, vt Animal bene sit, quatenus percipiendo iucunditatem Alimenti, excitat appetitum,& motum, veluti etiam alibi sapor dicitur condimentum; Hæc controuersia in præcedentibus soluta fuit, nam Gustus vt est quidam Tactus, & Sensus alimenti, est necessarius, & competit omnibus, non autem vt sensus distinctus, cuius Obiectum est Sapor, & cui competit instrumentum distinctum,ex quo patebat Gustum esse duplicem, confusum, & distinctum, fundamento eundem cum Tactu,& varium; Sed hoc consideratione dignum est, cum Gustus sit duplex,num Animalibus perfectioribus competat uterque, vel solus exactus & perfectus; Puto dicendum, eis vtrumque competere; Ratio est: quia eis competit Tactus exactior, quam Srirpanimalibus, quare si Tactus eorum fungitur officio Tactus & Gustus, distincta Ratione, longè magis id efficere poterit Tactus perfectiorum Animalium; Confirmatur hoc experientia: nam dum commedimus & percipimus quadam iucunditate Ventriculum, & partes reliquas amplecti & ad se trahere alimentum, putandum est, eam iucunditatem illis competere,ut Tactus est quidam Gustus, & hoc est commune cunctis Animalibus. Considero Sextò, quod Aristoteles agens de Anima, videtur deminutus,nam de Memoria, & Reminiscentia,de Ingenio,de Solertia,Attentione,& similibus, non est loquutus. Respondeo, Memoriam & Reminiscentiam, non esse facultates Animæ distinctas, sed officia varia,partim ad Phantasiam,vt Memoriam,partim ad eam una cum Ratione pertinentia,de quibus in paruis naturalibus est agendum; At instabit aliquis, quia etiam motus Animalium est officium distinctum, non facultas; Respondeo, Veteres putasse,eam esse distinctam & principalem facultatem; Insuper, Appetitus est distincta facultas,quæ declaranda erat; Appetitus autem est quidam motus, & proximum principium motus Animalium; Ingenium,solertia,& similia,sunt dispositiones Animi competentes,ex varia constitutione facultatum Animæ,& prçsertim Phantasiæ,& attinentium ad eam, de quibus in Ciuili Scientia verba feci. Considero Septimò,quod Arist.loquuturus de Anima,orsus est à bono,inquiens bonorum honorabilium finem imposuit in Lingua indice notionum Animi, vt nos moneret, solum Bonum ex Labijs & Lingua nostra debere prodire, hoc autem cumulatè seruabimus si Deum qui est ipsum Verum,ipsumque Bonum, toto Corde, Animo, & Lingua excoluerimus,cui soli Honor & Gloria.

5

An Animalibus perfectioribus cõpetat vterq; Gustus.

6

Dubitat. Solutio.

Dubitat. Solutio.

7

Cur Aristot. sit orsus à bono, et desinat in Linguã.

FINIS.

CAPITA SENTENTIAE SIMPLICII

EX COMMENTARIIS LIBRORVM DE ANIMA DEPROMPTA.

SIMPLICIVS Syrus Cilix, siue Phryx, vt ex Suida colligitur, auditor Ammonij Hermæ, floruit Anno fere sexcentesimo ab ortu Dominj; hic varios scripsit libros, varietate opinionum Veterum Philosophorum splendidè ornatos, quorum nonnulli extant, & omnium consensione, eius sunt opera; De Commentarijs in libros de Anima non leuis est dubitatio, consueuit Simplicius in explicandis libris Physicorum, & de Cælo Asiaticorum more satis esse effusus, & latus, sæpè & latè consueuit digredi aduersus Philoponum, sæpenumero consueuit referre sententiam Alexandri, & cum eo differere; Interpres autem horum librorum de Anima, potius est Laconicus, & nil relatorum seruat, mitto uaria quæ referre possem, per quæ probabiliter confirmari posset hæc Sententia, quod Commentarij de Anima Simplicio adscripti, re vera non Simplicij, sed alterius viri docti sint, & ego ob uaria nonnunquam sum suspicatus, quod potius sint Prisciani Lydi, qui Philosophus fuit medius inter Peripateticos, & Academicos, & nixus est, non secus ac Simplicius, vtrosque conciliare, nam Theophrastum sequutus est, & Paraphrasticè explicauit librum eius de Phantasia, & Intellectione, quæ Paraphrasis extat, & modus loquendi, necnon Sententia simillima est Sententiæ & modo loquendi horum Cõmentariorum libri de Anima; Quod confirmo: quia auctor horum Commentariorum in secundo de Anima, Contex. 74. loquens de Lumine, & Coloribus, ait se id explicasse in Compendio Theophrasti, & legitur in eo Compendio siue Paraphrasi, cap. 25. 29. & 30. Insuper idem Priscianus in eo Compendio mentionem facit suorum Commentariorum in libros de Anima; Præterea, vt auctor horum Commentariorum, ita ille Paraphrasis in Theophrastum, sequuntur Iamblichum, ut patet ex initio expositionis horum librorum, & ex primo, ac decimotertio Cap. Paraphrasis, de Phantasia; Insuper, ambo frequenter mentionem faciunt Plutarchi Lydi Nestorio geniti; mitto varia quæ hanc Sententiam mihi probabilem reddunt. Hic Priscianus Lydus, maximè Theophrasto adhæsit, fuit Simplicij Amicus, & una cum eo legatione in Persidem functus est, ut refert Suidas, in dictione πρεσβεις, inquiens: Hi fuerunt illi Philosophi, qui cum Areonido in Persidem legati profecti sunt, Damascius Syrus, Simplicius Phryx, Priscianus Lydus, Hermias, & Diogenes Phœnices, Isidorus Gazeus, &c. Verum, quia non de nomine auctoris, sed de Sententia tenemur esse soliciti, propterea siue hi Commentarij sint Simplicij, fortè ab eo iam sene, ob ætatem uaria forma, & modo constructi, siue sint Prisciani Lydi, eius amici, eiusdemque opinionis, dicamus, quod sint Simplicij, nil enim obest, nam ambo viri fuerunt eximia eruditione ornati, & ob id iure optimo quæritur, quæ fuerit Sententia auctoris horum Commentariorum, qui communi voce nomine Simplicij denotatur; Pro cuius lucidiore explicatione, accipio Primò, morem fuisse Simplicij, niti pro facultate Aristotelem cum Platone conciliare, adeò, ut Commentarij Simplicij, sint concilium Aristotelis cum Platone, quatenus nititur semper Sententias Aristotelis per eas Platonis explicare, qui etiam

Quo tempore Simplicius floruerit.

Dubitatio an Cõmentarij librorum de Anima sint Simplicij.

Priscianus Lydus.

Suidas.

Primum quod accipitur.

Mos Simplicij.

etiam fuit mos Prisciani Lydi, necnon Ammonij Hermæ, & Porphyrij: nam se-

Theoph. Modus explicandi Platonem.

quuti sunt Theophrastū, qui post obitum Aristotelis in Academicas opiniones inclinauit; Accipio Secundò, quod cum Plato vsus sit non Auscultatorio, vt Aristoteles, sed Dialogico sermone, & Sententias suas variis Metaphoris, & velaminibus operuerit, non facile constat quænam absolutè fuerit opinio eius, hinc uariæ prodierunt Assertorum eius Academiæ, modo uario Platonis dicta usurpantes, & explicantes, & præsertim Sex, quarum Tres dictæ sunt Atticæ, reliquæ Peregrinæ;

Academiæ Sex.

Atticarum una dicitur Vetus, quæ duce Zenocrate floruit; Altera media, sub Archelao; Tertia Noua sub Carneade, Peregrinarum vna dicta est Ægyptia, quæ floruit sub Ammonio; Altera Romana, sub Plotino; Tertia Lycia, sub Proclo. Simplicius magna ex parte sequutus est Iamblichum, nam in Procœmio inquit: Ac Iamblichi expositionem ex eiusmet Commentarijs de Anima sequar; Iamblichus inter Academicos cognomine Diuinus, Porphyrij fuit auditor, & Sacerdos extitit magnus, qui plurima ex Ægyptiorum columnis deprompsit, neque ex eorum numero fuit, qui Pyrroniorum more, putauerit, Platonem nil asseruisse, sed cuncta in dubium reuocasse; In Iamblichum igitur conuerti debemus, dum latentes Simplicij sententias cupimus elucidare, vt etiam conducit consideratio dictorum à Prisciano Lydo, Simplicij amico, in Paraphrasi librorum Theophrasti de Phantasia, & Intellectione, nam apprimè sunt consimiles.

Simplicius sequutus est Iamblichum.

His assumptis considerandum est, Simplicium ex Academicorum Sententia putasse vniuersum ex octo præcipuis gradibus esse constatum, quorum supremus est

Octo gradus Vniuersi.

Deus, cui succedit Mens non participata, in Tertio resulget Mens participata, in Quarto residet Anima Rationis cōpos, in Quinto Idola, & vestigia Animæ, in Sexto Natura seminibus prædita, in Septimo vmbræ, imitationes, & participationes Idearum, infima omnium est Materia; Horum graduum apud Simplicium frequenter fit mentio, si non omnium simul, saltem diuisim; Quod gradus supremus

De gradu supremo nimirum de Deo.

ratione distinguatur à secundo, nimirum, Deus à non participata Mente, consentiunt Academici omnes; an autem distinguatur etiam essentia dissentiunt: Nam Plotinus, Numenius, Porphyrius, Proclus, & alij multi, censent etiam essentia distingui; Alij nonnulli aiunt solum distingui ratione, Simplicius videtur cum primis consentire, hinc Deum tanquam supremum gradum, frequenter Menti supremæ præfert, vt conspicuè patet ex digressione eius de tempore in quarto Physicor. ex secundo de Cælo, Contex. 43. & ex locis alijs, & vtrisque satis distincta tribuit: Nam Deum statuit supra mensuram omnem, Menti pro mensura tribuit æternitatem; Deum affirmat supra ens, ac insuper sui substantia bonum, & vnum, Mentem contra ait proximè participare ipso bono, & vno, & esse eminentissimam entis vnitatem, quia propriè entia sunt Ideæ, quæ menti insitæ sunt; Deum statuit supra Mentem, & supra intelligibile, tanquam eminentissimam claritatem, Mentem ait esse primum intelligens, primumque intelligibile, propriè enim intelligibilia sunt Ideæ, à Deo abest prorsus omnis compositio, omnisque alteritas, adest autem absoluta simplicitas, & identitas; In Mente verò compositio & alteritas incipit apparere, ob distinctionem aliquam intelligentis & intelligibilis, necnon Idearum; Est itaque Deus supra omnem Mensuram, supra Ens, supersubstantialis, Principium Entis, supra Intelligibile, & Mentem, caput horum, vnitas impartibilis, vnitatum Fons, Principium, & Causa, Finis omnium, ipsumque bonum, ipsumque unum, omnem excludens compositionem, & alteritatem. Deo proximè

Quæ Deo cōpetant.

De gradu Secundo.

dicebatur succedere Mens suprema, non participata, quia soluta est supra Animam, neque est participatio superioris Mentis, cum suprema sit; Hanc circumscribit Simplicius exponens Contex. primum tertij de Anima, inquiens; Quid enim & Qualis ea sit Mens, ab Anima seiuncta, nimirum, quid sit prima substan-

ria individua, & præstantissima vita, supremusque actus, idemque intelligibile, intellectio, & intellectus, & perpetuitas, & perfectio, & mansio, & terminus, ac causa omnium oportunius à nobis, & absolutius in ijs quæ in duodecimo Metaphysicæ scripsimus optimè sunt disputata, ex Sententia Iamblichi iuxta Aristotelis Mentem, & intentionem, nunc autem occasio expostulat, ut dicamus qualis nam sit ea Mens, cuius Anima nostra facta est particeps, &c. Similiter in tertio Physicorum Contex. decimo, primum statuit ipsum Vnum penitus immobile; sub eo Mentem, quæ solum moueatur ab esse ad agere; Similiter Proclus & Iamblichus, quos præsertim sequitur Simplicius, Deum à Mente non participata secernunt; Tertia dicebatur Mens participata, quæ simul & participatio, & participata est, participario quidem primæ Mentis, ex qua pendet, participata verò quatenus Anima Rationalis eius redditur particeps, non secus ac perspicuum redditur particeps Luminis; Quarta est Anima Rationalis, quæ verè & propriè Anima est; hæc distinguitur à Mente, nam Menti competunt Ideæ, Animæ Rationes, Mēs prorsus est immobilis, præterquam ex esse ad agere, Anima ex se immobilis, mens est supra generationem, Animæ modo quodam generatio competit, & constitutio ex primis principijs, ut patet ex Timeo; Hæc est ea Anima, quæ ab Aristotele in tertio de Anima, nuncupatur νοῦς hoc est Mens, quæ non est Mens absolutè, sed Animaria, & Rationalis, & hæc est ea Mens, de qua est sermo in tertio de Anima, quæ Mens dicitur per comparationem cum Sensu, & quia Mentis est particeps per quam formatur, terminatur, & unitur. Hæc Animaria mens, ad instar Iani, duplici quasi facie prædita, uel consideratur vt conuersa ad supera, & cum participata mente nectitur, per quam ad superiora eleuatur, eisque fruitur, ac ita dicitur in se purè manens, & diuiniora intuens, vel consideratur vt in se quidem manet, ita tamen, vt ad infera conuertatur, eaque pariat, illustret, formet, ac perficiat; Tertiò consideratur non amplius vt manens, sed vt progressa, veluti radij corporis Lucidi considerantur in perspicuo, vt progressi à Lucido, & non manentes in eo, & quēadmodum radij illi dicuntur produci à Lucido, ita hæc mens progressa, relata ad manentem dicitur vita secunda ab ea genita; Quæ mens Animaria, & Rationalis progressa, vel est imperfecta, ut in pueris & rudibus, vel perfecta, habituque prædita, ut in viro sapiente; Dum consideratur ut purè in se manet, & solum ad supera uertitur, non dicitur particula Animæ; Dum Secundò consideratur vel ut in se quidem manet, at non purè, sed ad infera vertitur, eaque format, & perficit, uel solum ad ea progreditur, sic redditur particula Animæ & consideratur in tertio de Anima, ac priore quidem consideratione, dicitur mens agens, posteriore verò mens potestate, siue imperfecta, siue perfecta sit, & dicitur mens Animaria, ex quo Quarto gradu prodeunt deinde, non sine Corporis conspiratione, attinentia ad gradum Quintum, & sunt Vmbræ, Idola, ac Vestigia quædam Animę, quę à Iamblicho Idola uitę dicebantur, qualis est vis sentiens, desinens in nutrientem, ex qua prodeunt Semina constituentia Naturam, & gradum Sextum; Natura enim est vis, seminariaque virtus, à Mundi Anima infusa materię, adeò, vt Natura re uera nec forma sit, nec materia, sed medium quoddam inter vtrumque, & via ad formam, siue potius ad umbram, imitationem, & participationem formę in materia apparentem, quæ gradum Septimum constituit, cui pro infimo & Octauo gradu subijcitur materia, quę dicitur locus imitationis formarum, in qua perinde ac in Aqua refulgent umbrę formarum.

Gradus Tertius.

Gradus Quartus.

Mens Animaria.

Mens agens, mēs potestate.

De Quinto gradu.

De Sexto gradu.

Septimus gradus.

Dum inuicem relati Octo gradus conferuntur, Deus est suprema Vnitas, ex se talis, non participatio eminentioris, Mens non participata, ab eo proximè vnitionem, & terminum recipit; mox reliqua, quo magis ad infera labuntur, eo magis in infinitum diffunduntur, & solum recipiunt terminum, vt nectuntur cum superis; Insuper, Deus est absolutè supra mensuram omnem, Menti pro mensura

Octauus gradus.

Mutua cōparatio inter octo gradus.

respondet æternitas, Animæ terminus æternitatis, & initium temporis, reliquis tempus ab æternitate seiunctum; Præterea Deus eminet supra motum, Mens solum mouetur ex esse ad agere, Anima ex se mouetur, Natura solum includit propensionem ad motum, Materia omnino patitur, & mouetur ab alio; Insuper, Deus est supra Ens, & Substantiam, hæc enim sunt nomina concreta; Mens propriè Substantia, & eminentissima Entis Vnitas, ob Ideas quas includit, Anima est, & fit, cum ex se moueatur, collocata infra Animam, usque ad materiam, potius fiunt quam sint; Materia, nec est, nec fit, sed cunctis quæ fiunt sedem præbet; Præterea, Deus est supra Ideas; Menti non participatæ competunt non participatæ Ideæ; Menti participatæ, Ideæ participatæ, Animæ Rationes, Naturę Semina, Materiæ Vmbræ, & Imitationes rerum; Insuper, Deus est supra Scibile, & Intelligibile; Mens includit propriè Intelligibile, Anima per Rationes Scientiam, & Scibile, Natura attinentia ad Opinionem, Vmbræ in materia ad Sensum; Materia infra Sensum est collocata, & solum sine Sensu percipitur, & quadam adulterina cognitione noscitur. Præterea, Dei propria est non participata Vnitas, Mentis Ordo, Animæ motus, Naturæ promptitudo ad motum, Materiæ passio. Insuper, Deus est supra vitam, & fons vitæ, Mens est propriè vita, & vita prima, Menti animariæ competit vita Secunda, ea Sensuum, dicitur Tertia vita, quæ cum desinat in nutritionem, & Naturam, ea Naturæ dicitur uita Quarta, infima, & postrema; Materia est infra omnem vitam; In omni Vita consideratur motus quidam vel ex esse ad agere, vel ut ex se moueatur, vel ut includat promptitudinem ut moueatur ab alio; Menti competit uita seorsum à Corpore, Animæ, & seorsum, & cum Corpore, Naturæ solum cum Corpore.

Quot rerum gradus sint in Homine.

In Homine ex relatis gradibus Sex postremi locum habent, de Mente participata, quæ est gradus in Homine supremus; non loquitur Aristoteles in libris de Anima, sed de Mente Animaria, & Rationali, non omnino, & purè in se manente, sed partim manente, partim progressa, siue imperfecta, siue perfecta, quia sic redditur particula Animæ, quam proponit explicandam Aristotelis in tertio de Anima.

Verus Homo.

Hæc Anima Rationalis est verus Homo, qui definitur quod sit Anima Rationalis, Mentis particeps, Corpore utens, nec propriè materiam format, sed posteriores uitas non tamen sine Corpore, & materia edit, quæ materiam formant, & Animal, ac Corpus viuens constituunt, adeò, vt Homo sit sola Anima Rationalis Animal verò, & uiuens composita sint, est quidem Anima Rationalis essentia Hominis, & id quod est Homo, non autem est forma formans materiam; aliquin male ab Academicis definitur Homo; & decipiuntur illi qui ex Academicorum Sententia aiunt Animam Rationalem formare Hominem, hinc anima Rationalis solum dicitur vtens Corpore, Sensus autem diuiditur in formantem, & utentem, formans est extensus, & diuiduus, utens verò indiuiduus, & ubique totus; hinc in tertio de anima, quinquagesimooctauo ait Simplicius, eas quæ sunt in materia, non uerè esse formas; absolutè enim, & propriè formę ab eo illæ dicuntur, quæ solutæ sunt à Corpore, quarum infima est anima rationalis, & quamuis in postremo Commentario secundi de anima dicat, Humanam formam intelligimus consistere in uita, quæ per Rationem perficitur, terminatas habente mensuras, secundum tempus, nõ tamen ob id denotat animam Rationalem formare materiam, sed solum eam esse Hominis essentiam, & conditionem, ut ex uarijs ab eo relatis conspicuè elici potest; Hinc dicitur meare per varia Corpora, quod ei non competeret si materiam formaret.

Vera forma.

De numero contentorum ab gradibus.

De numero attinentium ad singulos relatos gradus, non leuis est dubitatio, nam ordiendo à Deo, proculdubio eminentissimè, simplicissimè, & non per participationem adeò est Vnus, vt in eius Ratione sit, quod unus sit. Loquendo de Mente

non

non participata, non constat an Vna, vel plures sint, & de hoc nil distinctè protulit Simplicius. Cum Plotino magis uidetur statuenda Vna, & præsertim, quia si mox anima redditur Mentis particeps, si Mentes non participatæ essent plures, non constaret, quæ anima, cuius Mentis redderetur particeps, hinc dicitur eminentissima Entis Vnitas, & Pater omnium, ob Ideas, qui unus censeri debet; Ex aduerso Iamblichus, & Proclus, quos præsertim sequitur Simplicius, eas statuunt plures, hinc Proclus in Timeum inquit, Ante Cælorum animas, esse intelligentes, Intelligibilesque ornatus Entium, ex quibus hæc prodeunt, & rursus ante eos, Deorum numerum, Entia unientem, Diuinoque Lumine illustrantem; & rursus ante hunc numerum, Vnitas est impartibilis, ex qua numerus iste seipsum eduxit, oportet enim ante participatas species, reperiri eas quæ non participentur, & ante illas vnitates earum esse, aliud enim est quod vnitum est, & ipsa vnitas, & rursus ante multas vnitates, vnam esse ipsarum fontem, &c. Conspicuè Proclus Mentes non participatas statuit plures, quas appellat Deos extra Mundum, quibus subijciuntur Dij mundani, & Dæmones; Simplicius in primo Contex. tertio de Anima, similiter plures affirmat, inquiens, differt hæc participata forma, à primis, & non participatis formis, vt quæ participetur; res itaque est dubia, & pro Resolutione dicendum censeo, Mentem non participatam dupliciter considerari; Primò, absolutè, secundum se, & iunctam supremo vno, ac ita esse vnam per participationem; Secundò, vt recedit ab vno, & est terminus supremus participatarum Mentium, qua ratione est multiplex, non secus ac Centrum Circuli, & Sensus Communis, ab Aristotele cum vnus, tum multiplex dicitur; Hoc elicio ex verbis Simplicij in primo de Cælo, Contextu vigesimoprimo dicentis: Prima autem ab vno procedens multitudo, tanquam proximè ipso participans, vnica est in vno manens, & quatenus qualitercunque ab vno processit, secundum hoc modo aliquo genitum habet, & propterea generationes Deorum tradiderunt, Deorum quidem multitudinem in vno manentem secundum multiplicationem eius, generationem autem laudantes ipsius, secundum quod ab vno subsistit, ut & numerorum generationem progressum ab vnitate speculemur, tamen in uno manens, unica secundum summam unionem est, &c. Conspicuè ex uerbis Simplicij elicitur relata Resolutio, & confirmatur, quia Marsilius Ficinus ex Sententia Iamblichi, & Procli, in Enneade tertia Plotini, libro septimo de Octo considerationibus, cap. primo ait Mentem esse Mundi Fabrum, quæ quoniam immobilis est, non potest in plures Mentes non participabiles propagari; sed Anima quæ mobilis est, propagari potest, & quia anima est Mentis particeps, ideo in ea Mens in plures Mentes participabiles distribuitur, &c. Hæc itaque Mens Prima, & Vna, & Multiplex dici potest, insuper est Pater rerum ob Ideas, simul tamen dicitur ipsius boni filius.

Deus vnus.
Mens prima non participata.
Proclus.
Simplic.
Resolut.
Marsili. Ficin.

Patet quid sit dicendum de Deo, & non participata Mente, sequitur Tertiò, Mens participata, quæ iam actu reddita est multiplex ob multitudinem animarum eam participantium, nam ut in attinentibus ad Sensum, primus est Sol, cuius conditio est, ut sit Vnus; Secundò, Lux eius, quæ ex parte Solis una est, multiplex tamen, ut terminus distinctorum Radiorum; Tertiò, Radij uarij; Quartò, perspicua uaria, Radios participantia; Ita in attinentibus ad Mentem, Deus tanquam Sol est unus, Mens non participata, quasi Lux Solis, est una, & multiplex; Radij participati, iam actu sunt multiplicati, Perspicuum uerò proportione respondet Animæ Rationali multitudine præditæ: Nam primo eius Mentis particeps redditur anima Mundi; Secundò, ea Cælestium orbium; Tertiò, ea Dæmonum; Quartò, ea Hominum; Inquit Plato in Phedro, nullam esse Mentem siue anima, quod uerum est, in hoc Mundo mortali, & intra Cælum, at non extra.

De numero participatarum Mentiũ.

Quartam sibi sedem optabat anima Rationalis, quæ non sola Ratione secernitur à Mente, ut perperam nonnulli putant; sed Essentia, & conditione, Menti

De numero Animarũ.

competunt Ideæ, per quas individua intelligit, Animæ rationes, per quas ex una in aliam cum diuisione progreditur; Mens est immobilis præterquam ex esse ad agere, Anima ex se mobilis, Mens est suprà generationem, cum eius non detur Idea, Animæ modo aliquo generatio competit, & Resolutio in Principia, & propriè sumpta Idea, ut dixi in præcedentibus. Hæc re uera est initium motus cum uerè sit Anima, per Rationes sit libera, & uerè ex se moueatur, Iumenta autem & Ferę potius debent dici moueri secundum Sensum, & duci ab Appetitu Sensuum, quam à Sensu, cum Sensus non sit primum principium motus.

Ala primum principiũ motus.

Animæ Rationales ex sententia Simplicij non una sunt, ut nonnulli ex Platonicis, & cum eis Auerroes existimarunt, nec tot, quot fuerunt, & futuri sunt Homines, ut censent Diuus Thomas, & Alexander, sed certo, & definito numero sunt præditæ, quæ ab æterno ex Idea mentis manarunt, qui numerus, nec crescit unquam, nec minuitur, sed Animæ singulę uarias uiuunt uitas, & ex una in aliam uitam, quasi in orbem reuoluuntur, nonnunquam enim hærent uehiculo æthereo, in eoque edunt facultatem Sensuum, præsertim Visus, & Auditus, sine perpessione, & instrumentis, nonnunquam uehiculo Aereo, uel magis, uel minus Crasso, nonnunquam ostreaceo, & denso, ut in Humano Corpore, ac ita per uarios ascensus in Cęlum, & descensus seruant generationem Hominum æternam, ut colligitur ex Simplicio, in secundo de Anima, 8.23. & in tertio de Anima, uigesimo & uigesimoprimo, ut etiam putarunt Iamblichus, & Proclus, quos sequitur Simplicius; Ex quo patet, quod Anima, ut ab Academicis dicitur, mediæ conditionis, inter ea quæ sunt, & præsertim inter æterna, & mortalia, in eorum terminis collocata, eaque nectens, ita est media in attinentibus ad numerum, nec enim una, nec infinitæ sunt.

Anima è media ut cõditione ita numero.

Distinguuntur ab inuicem Animæ, non per Relationem ad proprium Corpus, nam varijs hęrere valent, ex quo patet quod non propriè formant, sed insinuantur, & perinde ac nautę assistunt, & vtuntur, sed distinguuntur per proprias individuas conditiones, quas ex varijs Stellis ex quibus pendent recipiunt, non secus ac inuicem uariarum Stellarum Radij secernuntur; Plotinus in libro de Dubijs Animæ, primo cap. sexto, inquit distinctionem Animarum prodire, uel ex Corpore, uel ex recessu ab Anima vniuersa, uel ex relatione uaria ad Mentem; Mox capitulo decimoquinto inquit differentes reddi Animas, uel distinctione Corporum quibus insinuantur, uel ob fortunas, & educationes, uel ipsæ demum ex seipsis differentias deferunt, &c. Putat tamen Plotinus uniuersè eandem esse Animæ essentiam; Simplicius uerò vnà cum Iamblicho, & Proclo, magis eas distinguit, & seipsis distingui affirmat proprijs quibusdam differentijs individuantibus prodeuntibus ex infinito, & terminis Animæ competentibus, tanquam ex modo materiæ, & formæ.

Quõ distinguantur Animę.

Plotinus.

Loquendo de modo intelligendi, Mens siue non participata, siue participata, semper intelligit, idque ei competit per essentiam Idearum ei competentium, Anima Rationalis, Rationibus prędita, maiorem distinctionem includentibus, secus se habet: Quatuor enim sunt eius dispositiones, nam uel purè in se manet, mentique iungitur; uel non purè manet, sed cum eo quod manet, etiam infera respicit; uel est progressa, & imperfecta; uel progressa & perfecta; Dum considerat ut progressa, & imperfecta, operatur per Phantasmata, & rerum imagines, & tunc solum in Accidentibus uersatur, quia Phantasmata solum Accidentia repræsentent; Dum Secundo consideratur vt habitu prędita, ita nectit ea accidentia cum rationibus ei iunctis, ad eas illa refert, & agit circa Substantiam, nam habitus acquisitus Substantia quidem non est, sed circa Substantiam, quatenus uersatur circa essentias rationum ex Anima in se manente progressarum; Tertiò, dum consideratur ut in se manens, non tamen purè, & omnino, sed cum relatione ad infera,

De modo intelligendi mẽtiũ. Quatuor dispositiones Animæ.

quod

quod pertinet ad Mentem agentem, sic operatur per essentiam, & eius actio ab eius Substantia non est distincta, non tamen continenter operatur, sed vnà cum progressu, ac ita dicitur tanquam Lumen reddere intelligibilia potestate, intelligibilia actu, dicitur quidem Lumen, non Lux, quia hęc ad Mentem pertinet; Quartò, ut in se purè manet, continenter operatur, & eius actio à Substantia non distinguitur, Obliuioni ea solum tradere potest, quę ex Phantasmatibus pendent, at, quę attinent ad Rationes ei insitas, semper seruat, ob quas Scientia dicitur modo aliquo Reminiscentia; Primò, operandi modo respondet Opinio; Secundò, Scientia; Tertiò, Sapientia; Quartò, Intelligentia, quę principiorum est.

De Sęsu.

Descendendo ad Sensum, qui ex Anima Rationali, tanquam vestigium, idolum, & vmbra prodire dicitur, in eo non præcipuæ seruantur Rationes, cum non præcipuè sit Anima, sed seruantur vmbræ, & imagines earum; Quæ vis sentiens; duplici fungitur officio: nam formar instrumentum suum, eoque utitur, hinc diuiditur in vtentem, & formantem, vt format magis extenditur & diuidua redditur per Corporis diuisionem, vt verò vtitur, indiuidua est; totaque est in toto, & quauis parte, hæc agit, illa potius mouetur, hæc explicatur ab Aristotele in Definitione Animæ per Organicum, illa, per potentia vitam habens; Hanc distinctionem in formantẽ, & vtentem, indicauit Aristot. in lib. de motu Animalium, inquiens, Animam residere in Corde, & vires effundere per vniuersum Corpus, vt enim est in Corde, indiuidua est, & vtens, vt verò effunditur, est formans; Hæc diuisio solum competit Animæ Rationali quatenus effundit inferiores uitas, formantes Corpus, quibus ea vtitur, at non propriè, vt dixi. Quo pacto Facultas sentiens sit principium sentiendi, declaratur à Simplicio in 1. de Anima, Contex. 75. in 2. 52. & 62. & sæpè alibi, eius sententia hæc est; Primò, sensibile externũ agit in instrumentum sensus, ac ita instrumentum ratione materiæ patitur, quæ passio non interitus, sed perfectio est, ratione autem facultatis formantis agit, quatenus per eam illa sensorij perpessio, redditur spiritalior, & purior, quæ actio non est iudicium, sed dispositio ad illud, mox ea affectio syncerior reddita, attingit Rationem, nectiturque cum ea, vt Effectus cum sua Causa, & tunc facultas utens, per rationes consimiles; consimilium promit iudicium, adeò, ut per unam albedinis insitam rationem, siue dulcedinis, iudicium promat singularum albedinum, & dulcedinum, & id iudicium dicitur actio non formantis, sed vtentis, quæ Facultas dicitur reddi similis Obiecto, non quia ab eo aliquid recipiat, sed quia per rationem ei respondentem agit, & iudicat, sic sentire est agere, præcurrente tamen instrumenti perpessione; Similitudo autem per quam sentiens redditur simile Obiecto, est triplex; Prima pertinet ad passionem Organi; Secunda ad actionem formantis; Tertia ad actionem utentis, quæ præcipua est, adeò, ut Anima reddatur similis rei sensibili, non quia ab ea aliquid suscipiat, sed quia per propriam eius rationem agit; Insuper, discrimen est inter Sensum & Mentem, quia Sensus cognoscit sensibile, per Rationes ei insitas, at, non cognoscit Rationes, Mens autem intelligit nedum per Rationes, sed etiam Rationes; ex qua differentia pendet, ut sensus non dicatur esse sensibilia, scientia autem dicitur scibilia: nam ut ait Simplicius, in 3. de Anima, Contex. 14. Scientia præsertim speculatur Formas quæ in Anima sunt, ut Effecta per Causas speculetur, & in eo est posita similitudo; Ex quo pendet, quod sentiendi uita, alia sola, non seipsam dicitur sentire, & dicitur perfici ab exterioribus, quoniam intrinsecus agit circa passionem, ab externis illatam; Insuper, uis sentiendi, solum dicitur potestate, non actu, quia nunquam per se, sine præsentia externorum agit, Mens autem etiam actu aliquando esse dicitur; Insuper, cognitio sensus quauis non fiat sine perpessione, iudicium tamen quod definit in Formam, est actio sine perpessione, est indiuidua & tota simul.

De officio sentiendi.

Triplex similitudo per quam sentiẽs simile redditur Obiecto.

Discrimẽ inter Sensum & Mentem.

At rediens ad animam Rationalem, quę dicitur Mens Animaria, de qua ex sen-

De quo in 3. de anima agatur.

tentia Simplicij uerba facit Aristot. in 3. de Anima, nec quidem quouis modo se habente, non enim de ea agit ut purè in se manet. Hęc ut per descensum redditur perfecta, ita per ascensum perficitur: nam cum sit progressa, & imperfecta, primò perficitur habitu, quo ornata formatur Mente agente, hoc est à se ut in se manet cum conuersione ad infera; Tertiò eleuatur ad gradum in se puræ manentis, per quem gradum Quarto ascendit in Mentem participatam à Qua formatur, & eius rationes cum Ideis participatis nectuntur ab eisque formantur & perficiuntur, ex quo gradu Quarto eleuatur in Quintum, nimirum in Mentem non participatam, eiusque Ideas, munere quarum extollitur; Sexto in Deum caput Idearum & Mentium, in quem cum peruenerit, summo fruitur bono, quod adumbratè solũ ei competere potest dum fuerit huic crasso Corpori iuncta.

Quo Anima eleuetur.

Mens immortalis. Anima media est.

Mens cum non participata, tum participata omninò est immortalis, Anima Rationalis Secundum absolutam eius Substantiam, at vt in se mouens æterna est omni ex parte, vt autem progressu in singulis Hominibus fit & interit, incipit & desinit, ita tamen vt non in nihilum transeat sed in se manentem, contrahatur, adeò, vt eius interitus sit perfectio non secus ac incipere & interire dicimus Radios ex Sole prodeuntes, per ortum & interitum perspicui; Sic explicatur Sententia Arist. in 3. de Anima, Contex. 20. dicentis: Separatus est id quod est, hoc est vt in se purè manet, & hoc solum est æternum & immortale, Relationes autem, recessus, & progressus à manente, incipiunt & desinunt, & non reminiscimur eorum quæ attinent ad denuo acquisitos habitus, ex Phantasia pendentes, quanuis Reminisci valeamus eorum, quæ attinent ad conseruationem insitarum Rationum In Anima in se manente veræ & propriæ insunt Rationes in progressu insunt sed modo progresso, & obscurè, adeò, vt inesse non videantur, & propterea similis dicitur tabellæ literarię, scriptione carenti, nec apparent nisi Rationibus manentis formentur, & quasi accendantur. Ideo, dum est habitu prædita, adhuc dicitur esse potestate, cum habitum illum recipiat aliundè, nec ita habeat, vt Anima in se manens, nec propterea ita est potestate, vt ante quam intelligeret, quia modo aliquo formata est: Ex his constat, Animæ competere actiones seiunctas à Corpore, eius proprias, vt in se manet, secundum quas est apta seiungi; Competere etiam alias nonnullas quæ Corpus & Phantasiam exposcunt, eique competunt vt progressa est, Corpus regit, memoriaque vtitur secundum quas non valet seiungi à Corpore.

Opinio propria.

Hanc ego puto fuisse Sententiam Simplicij in expositione librorum de Anima, quam partim elicio ex verbis eius, partim ex Iamblicho, & Proclo, quos sibi duces statuit, nec propterea me latet M. Antonium Ianuam, Iul. Catellanum, & alios nonnullos viros Sapientia celebres, plurima ad eam attinentia secus retulisse, in quorum varietate morari nolo; Hæc profecto est Sententia pręclarissimorum Academicorum, Simplicius autem se medium constituens, concilijque cupidus, ait hanc quoque fuisse Sententiam Aristotelis, & in hanc etiam nititur trahere Verba & Sententias eius; Arist. Nec desunt viri docti, qui ei adhæreant; Ego tamen puto de multis Aristotelem à Platone dissentire, in quorum explicatione à Simplicio recedendum existimarem, & in his præsertim.

Primum ad Simplicius minus rectè tribuit Aristot.

Deus non distinguitur à prima Mente.

Ordiendo autem à gradu Supremo, distinguit cum Academicis Simplicius Deum à prima Mente, quod nouit Auerroes, ideo in 5. Disp. in Sol. 3. dubijt arguendum esse Algazelem, quia dixit Mentem denotare Relationem, & errauit: quia Mens est nomen proprium Substantiæ Dei apud Peripateticos, at, non apud Platonem. Hinc Philoponus in 3. de Anima, Contex. 15. Aristot. carpit, quia Deum dicit esse Mentem, cum tamen non Mens sit, sed Pronia, hoc est supra Mentem, vt putant Academici; At, rectius sentit Aristot. qui vuà cum nostris Theologis, Deum à prima Mente non secernit, cuius proprium est intelligere; At, inquit Simplicius Aristot. nouisse Deum supra Mentem eleuatum, quia in calce lib. de oratore, dixit

Deum

Deum aut esse Mentem, aut aliquid supra, sed hoc nil obest, quia pro veritate disiunctiuæ sat est vt pars vna sit uera, Deus est prima Mens, ex Sententia propria, est aliquid supra, ex Sententia Platonis. Secundo, descendendo ad gradum Secundum, Aristot. nullibi Mentem distinguit in non participatam, & participatam, sed Mentem, omnem in suo gradu principalem existimat, & Cælorum Mentes tot esse putat, quot Cælorum Orbes, quibus tanquam motores, & moderatores assistunt, vt patet ex 12. Metaphysicæ. Insuper, Mens omnis est indiuidua, non prædita gradibus essentiæ, & vbi est, tota est, ideo non propriè dicitur participari.

Mens non propriè distinguitur, in non participatam, et participatam.

Tertiò, Ideas siue non participatas, siue participatas, nullibi approbauit, sed frequenter reprobauit Aristot. vt in expositione 2. Phys. & in libro de Rerum Definitionibus patefeci.

Excludũtur Ideæ.

Quartò, loquendo de Tertio gradu, nimirum, de participata Mente, nullibi Aristot. duas immortales formas ita seiunxit, & coniunxit, ut una participaretur ab altera, alteriusque esset Forma, Terminus, & perfectionum Forma immortalis simplex est actus, & pro sui muneris functione non eget vt à superiore formetur, & terminetur, & longe minus eget vt sit.

Præter Animariam, alia Mens nõ reperitur in eodem.

Quintò, numquã Aristot. indicauit in Homine reperiri duos immortales formæ gradus, sed vnicum semper, quem solum in 2. de Gener. Animal. Capit. 3. dixit extrinsecus accedere, & profectò alter eorum superuacaneus esset, veluti etiam in Cælorum Orbibus, non Mentem cum Anima, ab eaque distinctam considerauit, sed vnicam Mentis Essentiam, quæ Mentis, Motoris, & Animæ fungeretur muneribus.

In homine nõ duæ sunt essentiæ mẽtis.

Sextò descendendo ad gradum Quartum, nimirum ad Animam Rationalem, quæ dicitur particula vniuersæ Animæ, Aristot. præter id quod ea à Mente quam Simplicius participatam appellat, non seiunxit, etiam illam absolutè Mentem iudicauit, non per additionem Animariæ tantum, omnis enim forma ex materia non pendens, Mentis nomine honestari meretur.

Mens animaria etiam absolutè est mens.

Septimò Aristot. Animæ Rationali minimæ competere existimauit insitas Rationes Ideis respondentes, per quas intelligeret, sed dixit esse immunem à mixtione cum à Subiecto, tum ab Obiecto, & carere omni inscriptione, ac penitus esse potestate, & ab id Scientiam non esse Reminiscentiam, vt putant qui Platonem sequuntur.

Animæ non cõpetunt Rationes insitæ.

Octauò Aristot. definitum numerum Animarum, per varia Corpora meantium non approbauit, sed definitæ Animæ, certum & definitum Corpus respondere existimauit, propterea in 2. Physic. 26. dixit definitæ formæ definitam esse materiã, & in 1. de Anima, transitum Animæ per uaria Corpora reprobauit, & in 2. de Anima, 24. eos damnauit, qui non distinxerunt in quo Corpore Anima deberet reperiri.

Reijcitur definitus numerus animarũ.

Nonò, Simplicius cum Academicis approbat Vehicula uatia Animarum, Organis carentia, in quibus reperirentur Animæ, Facultates Sentiendi, cum tamen Aristot. in 2. de Generat. Animalium Capit. 3. dicat facultates Organicas non reperiri sine instrumentis, & consimilem esse Rationem earum, & Instrumentorum, & præsertim Vehicula Ætherea, aduersantur decretis Peripateticorum, affirmantium ex ætherco Corpore nil posse abiungi, nec posse descendere, vel ascendere, vt patet ex primo de Cælo.

Vehicula reyciunt. Anima non ex se mouetur.

Decimò censuit Simplicius una cum Academicis Animæ proprium quçdam motum competere, eamque ex se moueri & per insitas Rationes ex se excitari posse, quod conspicuè reijcitur ab Aristot. in 1. de Anima.

Reijcitur à Mũdi et Elemẽtorum.

Vndecimò recedit Simplicius à Sententia Aristot. tribuens Animam Rationalem à Mente distinctam Orbibus Cælorum quibus Aristot. solam Mentem tribuit fungentem officio animæ, & præsertim errat constituens Animam Mundi distinctã

à Deo,

à Deo, & tribuens singulis Sphæris Elementorum Animas proprias, cum tamen Aristot. Elementa statuat expertia Animæ.

Rejicitur quadruplex modus se habenti Animæ rationalis.

Duodecimò loquendo de eadem Rationali Anima, eique tribuendo Quatuor gradus modorum se habendi, & operandi, quatenus uel in se purè manet, vel manet & progreditur, uel progreditur solum, & est imperfecta, vel est perfecta, satis uidetur cum Ratione & Aristotele pugnare, nam quod idem cum sit indiuiduum maneat & progrediatur, difficile est imaginari, solum cum Aristotele dicere valemus, quod Mens considerari possit & per ea quæ absolutè & per conditionem propriã ei competunt, & per ea quæ illi conueniunt, vt redditur particula Animæ, & cum Corpore nectitur, quæ vel carer, vel prædita est habitu.

Nõ rectè dicitur essentias solũ intelligi per Rationes,

Decimotertiò considerando attinentia ad officium intelligendi, minus rectè uidetur Simplicius dicere, quod mens potestate, ut est imperfecta, & vtitur Phantasia, solum intelligat accidentia, essentiam autem apprehendat, vt a d insitas rationes contrahitur, quæ Ideas & rerum essentias patefaciunt: nam quamuis Phantasmata solum proximè offerant Accidentia, tamen quia prodeunt ex essentia, sunt apta eam patefacere; Hinc Arist. in 3. de Anima, 39. dixit nil nos intelligere, nisi vt refulget in Phantasmatibus.

Carpitur definitio Hominis.

Decimoquartò minus rectè Homo ab Academicis dicitur Anima Rationalis, mentis particeps, Corpore vtens, nam Homo non sola Forma, sed Compositum est, cum sit Animal, quod ab eis dicitur compositum; Insuper, Ratio eius, & mens idem sunt, & ob id si esset Anima Rationalis, etiam esset mens, non autem solum particeps mentis. Tertiò, quia non rectè dicitur, quod Anima Rationalis utatur Corpore, hoc enim est proprium Facultatum Organicarum, Anima autem Rationalis non dicitur uti Corpore, sed facultate existente in Corpore, nimirum Phantasia.

Simplicius male sentit de Idolis & Vestigijs Animæ.

Vis sentiendi & nutriendi non prodeunt ex Alia Rationali.

Decimoquintò descendendo ad gradum Quartum, nimirum, ad Vmbras, & Vestigia Animæ, quales esse dicuntur Facultates Sentiendi, & Nutriendi, videtur Simplicius ab Aristotele recedere, & Academicos sequi, inquiens has postremas vitas prodire ex Anima Rationali, nam quomodo in Plantis, & Animalibus expertibus Rationis, prodeant ex Anima Rationali, patefacere rectè non valemus, cum huiusmodi uiuentia ea careant, & confirmatur: quia huiusmodi facultates dicuntur in eodem priores origine, Sensus enim supponit facultatem nutriendi, & Ratio supponit Sensum, ut in secundo de Anima affirmauit Aristot. id autem quod est origine prius, non prodit ex posteriore; His accedit, quod Aristot. in 2. de Generat. Animalium, cap. 3. loquens de origine Animæ, patefacit uim Nutriendi, & Sentiendi prodire ex Semine, Mentem autem extrinsecus accedere, nec accedit non præcurrentibus cæteris Animæ facultatibus.

Sensus nõ rectè informanté & utété diuiditur

Decimosextò, de Sensu loquendo, minus rectè à Simplicio diuiditur in utẽtem, & formantem, adeò, vt utens magis sit indiuiduus, magisque per rationes insitas agens, formans verò magis extensus, & diuiduus sit: nam eiusdem facultatis officium est instrumentum formare, eoque uti, neque Sensus, cum sit uis materiata, est totus in quauis parte, sed necessariò est extensus, & diuisione Corporis diuiduus.

Vis sentiendi nõ fernat sine suo instrumẽto.

Decimoseptimò ab Aristotele videtur Simplicius recedere, tribuens Facultatem Sentiendi, Animæ iunctę Vehiculo Aereo, siue Aethereo, sine instrumentis; conspicuè affirmat Aristot. in secundo de Generat. Animalium, cap. 3. Facultatis, & Organi eandem esse rationem, nec unum posse sine altero reperiri, & ob id negauit Facultates Organicas extrinsecus posse accedere, quia sine Organo proprio nequeunt esse, & seruari.

Dissensio de officio sentiẽdi,

Decimooctauò, loquendo de officio sentiendi, ab Arist. longè videtur recedere; Primò, quia ait Sensum non pati, sed Organum, & partem materiatam eius, ad

si patitur

si patitur materia necessariò etiam patitur forma, quæ ex ea pendet; Secundò, quia Sensui duplicē tribuit actionem; Vnā formanti, per quam sensibile redditur purius; Alteram vtenti, per quam iudicatur, cum tamen actio vnica sit, omnis enim actio Facultatis Sentientis est iudicare, & præsertim, quia species sensibilis non distinguitur ab actu sentiendi, vt suo loco patefeci; Tertiò, quia ait Facultatem Sentiendi, utentem vna rei sensibilis ratione iudicare omne sensibile eius spei, veluti una ratione insita albedinis, iudicare omnem albedinem, ac ita simile simili iudicari, cum tamen similitudo sola requiratur quæ uersatur inter potentiam & actum, & sentiens ab Aristot. solum in principio dicatur simile potestate, excludente actū, in fine autem reddi simile actu.

Dissensio de Natura.

Decimononò, descendendo ad gradum Sextum, nimirum ad Naturam, recedit Aristot. ab Academicis, quia Academici, & cum eis Simplicius, putant Naturam esse uim seminariam à Mundi Anima infusam materiæ, & non esse formam, nec materiam, sed mediam, quasi uiam ex materia in formam, & propensionem ad eam, per insita Semina, & esse principium ut facile moueatur, non autem efficiens, cum ex aduerso Aristot. putet eam esse essentiam rerum materiatarum, & Principium nedum patiens, sed etiam efficiens, & finem, motus earum, nec eam ex Mundi Anima prodire, cum illam non concedat, sed pendere, & seruari à Deo per motum Cælorum, & Lumen, & ei tanquam secundam causam inseruire, ab eoque in finē dirigi.

Anima quæ ex materia pendet & est Natura.

Vigesimò etiam Simplicius uidetur ab Aristot. recedere, quatenus inficiatur vim Sentiendi & Nutriendi, non esse Naturam, nec eis competere Definitionem Naturæ traditam in 2. Physic. quod quam longe absit à uero in eius declaratione patefeci, omnis enim forma Substantię materiata, est Natura, eique competit Definitio Naturæ tradita ab Aristot.

Vigesimoprimò Academici affirmāt Animam verè esse mediam inter Mentem, & Naturam, adeò, ut in uniuersi serie, infra Mentem & suprà Naturam sit collocata, pendeat ex Mente per Ideam, & Naturam pariat; Et quoniam conditio Scientię sequitur conditionem rerum, modumq; considerandi earum, ideo ait Simplicius in Procemio Phys. Scientiam de Anima mediare inter scientiam Diuinam, quæ est de Mente, & Scientiam de Natura, ut etiam mediat Mathematica, hęc tamen est differentia, quia Mathematica mediat ratione modi considerandi, Scientia autem de Anima prę sertim ratione rei consideratę, quam tamē comitatur proprius considerandi modus; Hæc absunt à Sententia Aristot. qui considerationem animę statuit partem principalem Philosophiæ, quæ est Scientia de Natura: nam quanuis modo aliquo anima in uniuerso ualeat dici media, Similiter Scientia de ea, (vt in Procemio patefeci,) non tamen ita est media, ut cum Academicis censet Simplicius, propriè enim & absolutè Physica est, ut essentia materiatæ animæ absolutè est Natura, & Mens absolutè præest Naturæ, ob id solum in his libris consideratur ut redditur particula animæ, & fungitur officio mortalis, Sic Scientiæ de Natura, unum est commune Subiectum, includens etiam animalia, ut refert & patefacit Arist. in 1. Cont. lib. 1. de Cælo.

Scientia de anima nō ita est media vt sensus. Siplicius.

Dissensio de imitationibus Idearum.

Vigesimosecundò, descendendo ad gradum Septimum, nimirum ad imitationes, & participationes Idearum, tanquam Vmbras earum, in materia apparentes; hæ ab Aristotele, non Vmbrę, sed principales suarum specierum Naturę iudicantur, non enim materiata Ignis forma, est umbra Ideę, & precipuę essentię Ignis, sed est forma eius prę cipua, & sic de cęteris.

De participata mēte.

Vigesimotertiò, ait Simplicius dari mentem ab Anima Hominis participatam, de qua non loquitur Aristot. in libris de Anima; At contra, hæc mens participata, vel datur, vel ne, si non datur, perperam à Simplicio ex Sententia Arist. approbatur; si datur, & de ea non est sermo in libris de Anima, quæro, ubinam Aristot. de ea loquitur? procul dubio nullus uerè, & rectè assignabitur locus; Quare inferendum est,

quod

quod perperam cum Aristotele ea approbetur, cum nullibi ab eo nec explicata, nec indicata sit.

Recessus à principali instituto Simplicij.

Vigesimoquartò, ut uaria missa faciam, recedo ab instituto & principali intentione Simplicij, quatenus sibi proposuit in singulis Aristotelem cum Platone conciliare: nam cum post obitum Aristotelis, Theophrastus eius præcipuus discipulus in Sententiam Academicorum inclinauerit, eum sequuti sunt uarij, & præsertim Hammonius Hermes, Porphyrius, Iamblichus, Syrianus, mox Simplicius Plutarchus Lydus, Priscianus, Lydus, & inter posteriores Cardinalis Bessarion, Ioan. Picus, Mirandulæ Comes, & alij viri insignes, hi conati sunt patefacere Aristotelem à Platone dissentire Verbis, & modo Philosophandi, at non Sententia, ideo utriusque Sententias permiscuerunt, & Verba Aristotelis per Sententias Platonis explicare conati sunt, à quibus ego dissentio: nam quamuis consentiant de plurimis, nõ tamen de omnibus; Propterea longe melius iudico, laborare in explicandis placitis vtriusque, patefaciendo distinctè eorum principia, & media, ac ita, sine permixtione manifestare, quæ eorum fuerit Sententia, & quomodo ex eorum Principijs deducatur, vt latius hanc meam opinionem in Scientia Ciuili retuli, & patefeci; Simplicij Commentarij profecto plurimi fieri debent, nam eximia doctrina, opinionumq; uarietate sunt ornati, & per eos nobis redduntur notæ uariæ opiniones Veterũ Philosophorum, quæ (cum libri eorum perierint) in tenebris penitus latérent, legi tamen debent, non ab illis, qui primò Peripateticam Philosophiã cupiunt apprehendere, sed à versatis in ea, vt ualeant seligere utile, & id quod inutile est, missum facere. Deo laus, & honor, Virginiq; Deiparæ.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA VITTORIO EMANUELE